-

Carta 7 Gracias de

Al recibir el Sacramen-
to de la Estrema Vnci-
on procure quanto pudie
re estar con mucha aten-
cion, y devocion y sera
bien tener cerca la Yma
gene de Christo Crucifica
do en quien fixe los Ojos
y considere que sus Llа-
gas y Costado viene á su
Alma la virtud de los
En la Rl Escuela de

TOMVS QVARTVS

CVRSVS THEOLOGIÆ MYSTICO-SCHOLASTICÆ

è quinque Prædicabilibus Myſticis
continens ſecundam
partem tertij.

TOMVS QVARTVS

CVRSVS THEOLOGIÆ

MYSTICO-SCHOLASTICÆ

é quinque Prædicabilibus Myſticis

continens ſecundam

partem tertij.

CVRSVS THEOLOGIÆ MYSTICO-SCHOLASTICÆ,

IN QVO MYSTICA ABDITISSIMA DVBIA EXPLA-nantur methodo Scholastica juxta miram, solidamque Doctrinam Angelici Præceptoris D. Thomæ Sacræ Theologiæ Principis.

AVTHORE

PATRE F^TRE IOSEPH A SPIRITV SANCTO,
CARMELITA EXCALCEATO.

TOMVS QVARTVS SECVNDAM PARTEM TERTIJ MYSTICI PRÆDICABILIS CONTINENS, AC SACROSTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATI,

CRVCIFIXI DOMINI NOSTRI IESV-CHRISTI HVMANITATI, Beatissimæ, ac Glorioſissimæ semper que Virginis MARIÆ fœcundæ integritati, & omnium Sanctorum Vniversitati consecratus.

ANNO Dñi. MDCCXXX.

HISPALI: IN COLLEGIO CARMELITARVM EXCALCEATORVM SVB titulo, ac protectione Sancti Angeli Custodis, Typographia laborantes coloni Viduæ FRANCISCI LEEFDAEL.

Div. Thom. ōpus 61. edifferens amoris ſcalam gradu 8. ait: *Omnia quidem præcedentia fieri poſſunt in diſtantia; verùm hic primùm eſt coniunctio amantis cum amato. Qui enim ſtringit, tenet; qui tenet, tangit; qui tangit, non diſtat. Languens diſtat, ſimiliter & quærens; nec enim langueret, & quæreret, niſi diſtaret: ſed & currens diſtat; & ideo currit, ne diſtet, & ſic de alijs. Stringens autem non adhuc diſtat, ſed aſtat, vel magis inſtat. In præcedentibus ergo gradibus anima amat, & amatur, querit, & quæritur, vocat, & vocatur: in hoc autem gradu quodam miro, & indicibili modo rapit, & rapitur, tenet, & tenetur, ſtringit, ſtringitur, & una uni per amoris copulam ſociatur.*

INDEX DISPVTATIONVM, QVÆSTIONVM, ET PARAGRAPHORUM, QVÆIN HAC SECVNDA PARTE TERTIJ TOMI CONTINENTVR.

Numerus paragraphorum eſt marginalis.

TERTITVM PRÆDICABILE.
De natura myſticè perfecta.

DISPVTATIO XX.
De contemplatione ſupereminenti.

Quæſt. 1. Vtrum detur contemplatio viæ ſuperior illa, cuius dona Spiritus Sancti ſunt principia?
§. 1. Communis ſententia proponitur, & ſuadetur. 1.
§. 2. Probatur aſſertio ex Sacra Scriptura, adiuncta S. Thomæ expoſitione. 6.
§. 3. Argumenta. 15.
Quæſt. 2. Vtrum contemplatio ſupereminens eliciatur ab aliqua gratia gratis data?
§. 1. Non-nulla præmitto, & duplex aſſertum ſtatuo. 26.
§. 2. Argumenta. 34.
§. 3. Vltimum aſſertum plenè reſpondens quæſito. 41.
§. 4. Adverſariorum evaſio proponitur, & conteritur. 44.
§. 5. Multiplex argumentum in uno proponitur. 54.
§. 6 Argumenti ſolutio, & totius doctrinæ præcedentis accurata explicatio. 58.
Quæſt. 3. Quodnam ſit principium eliciens ſupereminentem contemplatio nem?
§. 1. Veram ſententiam ſtatuo, eam que brevitèr ſuadeo. 75.
§. 2. Argumenta. 92.

DISPVTATIO XXI.
De ſcientia per ſe infuſa.

Quæſt. 1. Vtrum detur ſcientia infuſa?
§. 1. Datur ſcientia per ſe infuſa. 1.
§. 2. Argumenta. 5.
Quæſt. 2. Quid ſit hæc ſciencia per ſe infuſa, quam dari diximus?
§. 1 Caput primum. 9.
§. 2. Secundum caput. 21.
Quæſt. 3. Vtrum ſcientia per ſe infuſa alicui conceſſa fuerit?
§. 1. Poſt tituli explicationem ſtatuitur prima concluſio. 26.
§. 2. Argumenta in concluſionem, & ea, quibus probata eſt. 30.
§. 3. Alia aſſerta pro ſubiectis alijs. 33.
§. 4. In quo agitur de ſcientia infuſa tranſeuntèr communicata puræ creaturæ. 37.

DISPVTATIO XXII.
De contemplatione faciali quæ omnium ſuprema eſt.

Quæſt. 1. Vtrum ſuperiores poſsit Deum intuitivè contemplari?

§. 1.

§. 1. Post brebem obſervationem ſtatuitur vera ſententia. 1.
§. 2. Reſpondetur argumentis. 8.
Quæſt. 2. Vtrum virtute Divina queat viator elevari ad intuitivam Dei contemplationem?
§. 1. Vera ſententia. 12.
§. 2. Argumenta. 15.
Quæſt. 3. Vtrum aliquibus viatoribus, & quibus conceſſa fuerit contemplatio facialis Dei?
§. 1. De Beatiſsima Virgine, eius que dulciſsimo Sponſo. 23.
§. 2. An Adam in ſtatu innocentiæ, & SS. Patriarcha P. N. Elias, Moyſes, & Paulus Deum viderint? 30.

DISPVTATIO XXIII.

De unione fruitiva.

Quæſt. 1. Vtrum detur unio fruitiva animæ cum Deo?
§. 1. Vera ſententia proponitur, & ex multiplici capite ſuadetur. 1.
§. 2. Argumenta. 10.
§. 3. Occaſione huius argumenti explicatur in quo conſiſtat unio fruitiva. 14.
§. 4. Solvuntur quæ numer. 13. obiecta ſunt. 28.
Quæſt. 2. Quotuplex ſit unio fruitiva?
§. 1. De ſpeciebus, & gradibus unionis extaticæ. 32.
§. 2. De nominibus unionis extaticæ. 43.
Quæſt. 3. Vtrum mirabilis fruitiva unio animæ cum Deo dicat ipſum Deum aliquo peculiari modò phyſicè præſentem animæ diverſo ab eo, quo eſt in illa per immenſitatem? Et in quo talis modus conſiſtat?
§. 1. Non nulla prælibo, ſententias offero, & ſeligo veriorem. 45.
§. 2. Propoſitam aſſertionem probo. 52.
§. 3. Argumenta. 64.
Quæſtio 4. In qua aliqua dubia proponuntur pro diſputationis complemento.
§. 1. Primum quæſitum. 91.
§. 2. Secundum quæſitum. 100
§. 3. Alia quæſita. 104

DISPVTATIO XXIV.

De unione animæ cum Deo in myſtica deſponſatione.

Quæſt. 1. An detur unio ſponſalitia animæ cum Deo?
§. 1. Statuitur concluſio. 1.
§. 2. Argumentis in concluſionem reſpondetur. 4.
Quæſt. 2. Quæ ſit deſponſatio myſtica?
§. 1. Myſticè deſponſationis diffinitionem offero, & explico. 14.
§. 2. Argumenta. 17
Quæſt. 3. Ad quem ex gradibus unionis fruitivæ ſpectet unio ſponſalitia?
§. 1. Gradus unionis fruitivæ proponuntur, & dubium deciditur. 29

DISPVTATIO XXV.

De unione animæ cum Deo in matrimonio ſpirituali.

Quæſt. 1. Vtrum dabile ſit matrimonium inter Deum, & animam noſtram?
§. 1. Titulum explico, & difficultatem duplici aſſerto determino. 1.
§. 2. Argumenta aliqua. 17.
§. 3. Difficile argumentum propoſitum, & enodatum. 23.
Quæſt. 2. Vtrum matrimonium ſpirituale viæ conſiſtat in habitu, aut in actu?
§. 1. Titulum explico, & concluſionem ſtatuo. 29
§. 2. Reſpondetur argumentis. 33
Quæſt. 3. Vtrum iuſto ad ſpirituale matrimonium viæ elevato dotes animæ conferantur?
§. 1. Quot, & quæ ſint dotes animæ præmitto, & poſt brevem animadverſionem dirimo controverſiam. 39
§. 2. Argumenta. 52
Quæſt. 4. Vtrum Deus iuſto ad viæ ſpirituale matrimonium elevato conferat dotes corporis?
§. 1. Brebem obſervationem præmitto; dotes corporis recenſeo, & dirimo controverſiam. 61.
§. 2. Argumenta in concluſionem primam. 75.

DIS-

DISPVTATIO XXVI.

De aliquibus ex in numeris prærrogativis iuſtorum, quos Deus ad ſpirituale matrimonium elevat.

Quæſt. 1. Vtrum Perfecti ſine ſpeciali privilegio queant omnia venialia vitare?
§. 1. Prænotantur aliqua; proponuntur ſententiæ, & vera eligitur.
§. 2. Obiectiones. 10.
§. 3. Argumenta. 15.
Quæſt. 2. Vtrum in viro perfecto mendacium ſit peccatum grave?
§. 1. Aliqua prælibo, ſententias refero, & quid ſit in præſenti tenendum, ſtatuo. 21.
§. 2. Alia eiuſdem aſſerti fundamenta. 31.
§. 3 Argumenta. 38.
Quæſt 3. Vtrum Perfectus queat ſcandalizari?
§. 1. Aliqua de ſcandalo præmittuntur, & vera ſententia proponitur. 42
§. 2. Argumenta. 48.
Quæſt. 4 Vtrum Perfectus alios ſcandalizare poſsit?
§ 1. Eligitur vera ſententia. 53.
§. 2. Difficile argumentum proponitur, & enodatur. 57.
§ 3. Alia argumenta. 72
Quæſt. 5. Vtrum humanitas Sacratiſsima Chriſti Domini ſit obiectum contemplationis Perfectorum?
§. 1. Relatis ſententijs, vera eligitur, & eſſe de mente N. Myſtici Doctoris comprobatur. 75.
§ 2. Eadem veritas diverſis authoritatibus comprobatur. 89.
§. 3. Doctrina tradita explicatius diſcuſſa, & ſenſus noſtrarum aſſertionum fundamentalitèr expoſitus. 101.
§ 4. Argumenta in ſecundam concluſionem. 119.
Quæſt. 6. Vtrum Perfectus certò cognoſcat ſe eſſe in gratia?
§. 1. Poſt aliquorum præmiſsionem duplex concluſio ſtatuitur. 125
§. 2. Argumenta contra ſecundam concluſionem. 142.
Quæſt 7. Vtrum Perfectus Deum amet amore concupiſcentiæ?
§. 1. Titulum explico, aliqua prælibo, ſententias refero, & dirimo controverſiam. 149.
§. 2. Argumenta. 161.
§. 3. Conſectaria colliguntur ex dictis. 173.
Quæſt 8. Vtrum perfectus homo viator queat ſupremos Angelos ſuperare in amoris intenſione?
§. 1. Statuitur concluſio noſtra. 179
§. 2. Argumenta. 185.

DISPVTATIO XXVII.

De propoſito Seraphico.

Quæſt. 1. Vndè dicatur, an, & quid ſit propoſitum Seraphicum?
§. 1. Reloſutio eorum, quæ in titulo poſita ſunt. 11.
§. 2. Aliquibus obiectionibus reſpondetur. 10.
Quæſt. 2. Vtrum propoſitum Thereſianum nobis poſsibile ſit?
§. 1. Aſſertio noſtra affirmat. 16
§. 2. Argumenta. 23.
Quæſt. 3. Vtrum propoſitum Seraphicum ſit difile?
§. 1. Iudicium noſtrum proponitur, & diverſimodè comprobatur. 37
§. 2. Argumenta. 42
Quæſt. 4. Vtrum omnes ad faciendum propoſitum Seraphicum teneantur?
§. 1. Vera ſententia eligitur, & ſuadetur. 46.
§. 2. Argumenta. 52.
§. 3. Conſectaria pro diſputationis complemento. 60

DISPVTATIO XXVIII.

De voto Seraphico.

Quæſt. 1. Quid, & quotuplex ſit votum Seraphicum?
§. 1. Duplex aſſertum pro dubij reſolutione. 1.
§. 2. Argumenta primam concluſionem impugnantia ſolvuntur. 9.
Quæſt. 2. Vtrum votum Thereſianum ſit inter omnia vota ſuperius?

§. 1.

§.1. Resolutio difficultatis. 21
§.2. Argumenta. 27
Quæst.3. Vtrum operari ex voto Theresiano melius sit, quàm operari sine illo?
§.1. Vera sententia proponitur, & probatur. 41.
§.2. Argumenta. 43
Quæst.4. Vtrum possit aliquis votum Theresianum emittere?
§.1. Post brevem monitionem conclusionem statuo. 45.
§.2. Argumenta. 50.
Quæst.5. Vtrum omnes iusti queãt emittere votum Theresianum?
§.1. Difficultatis decisio. 54.
§.2. Argumenta solvuntur. 67
Quæst.6. Vtrum sola charitas perfectissima sufficiat ad emissionem voti Theresiani, vel aliquid aliud requiratur?
§.1. Titulus brevissimè exponitur, & controversia dirimitur. 72.
§.2. Respondetur argumentis. 78
Quæst.7. Vtrum Seraphica M N. Theresia votum Seraphicum nuncupaverit? Quoties? Et quid sub illo comprehendatur?
§.1. Resolutio omnium, quæ titulus repræsentat. 84.
§.2. Argumenta in primum assertum. 93
Quæst.8. Vtrum ante, vel post Seraphicam Theresiam aliquis votum Seraphicum nuncupaverit?
§.1. Tituli explicatio præmittitur, & dubium determinatur. 97.
§.2. Argumenta in utramque conclusionem diluo. 106.
Quæstio 9. De non-nullis è pluribus stemmatibus, quæ consecuta est Seraphica nostra Matriarcha ob votum Seraphicum, quod emisit.
§. Vnicus. Titulus declaratur, & promissa stemmata proponuntur. 121.

QVÆS-

JESVS, MARIA, Y JOSEPH.

FR. Paulus à Conceptione, Generalis Ordinis Fratrum Diſcalceatorum Beatæ MARIÆ Virginis de Monte Carmeli Primitivæ Obſervantiæ; de conſenſu noſtri Diffinitorij Generalis, &c. ut liber, cuius titulus eſt: *Tomus quartus, Curſus Theologiæ Myſtico ſcholaſticæ* (hoc eſt ſecunda pars tertij voluminis) à Par. Frat. Ioſepho à Eſpiritu Sancto ſuis elucubrationibus acuratè elaboratus, & à grauioribus, doctis que viris noſtri Ordinis (quibus ipſum videndum, & examinandum commiſimus) recognitus, & approbatus, typis mandetur, & ut in lucem prodeat, obtentis facultatibus neceſſarijs, tenore præſentium licentiam concedimus. Dat. in noſtro Conventu Matritenſi die prima Octobris. Anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo octavo.

Fr. Paulus à Conceptione,
Generalis.

Fr. Ioſephus ab Angelis,
Secretarius.

FEE DE ERRATAS DE LA SEGVNDA PARTE DEL TOMO TERCERO.

FOl. 101. col. 1. lin. 28. Principis, *lege* Principem. Ibidem col. 2. lin. 32 videſſe, *lege* vidiſſe. Fol. 303. col. 2. num. 40. malia, *lege* malitia. Fol. 332. col. 1. lin. 25. alios, *lege* alias. Fol. 336. col. 1. lin. 33. inſidat, *lege* inſudat. Fol. 352. col. 2. lin. 15. cauſati, *lege* cauſato. Fol. 391. col. 1. lin. 33. Augelorum, *lege* Angelorum. Fol. 392. col. 1. lin. 13. diflerentia, *lege* differentia. Fol. 397. col. 2. lin. 20. iuſtruamur, *lege* inſtruamur. Fol. 447. col. 2. lin. 16 fierit, *lege* fieri. Ibidem lin. 25. Couſilij, *lege* Conſilij. Ibidem lin. 39. ſecandum *lege* ſecundum. Ibidem col. 1. lin. 11. intelligendi, *lege* intelligi. Ibidem lin. 14. itta, *lege* ita. Fol. 506. lin. 25. col. 1. repereris, *lege* repererit. Ibidem lin. 38. laudatur, *lege* laudatus.

He viſto la ſegunda parte de el tomo tercero, intitulado: *Curſus Theologicus Myſticus-Scholaſticus*, ſu Author el Rmo. P. Fr. Joſeph del Eſpiritu Santo, Carmelita Deſcalzo; y advertidas eſtas erratas, correſponde à ſu original. Madrid, y Mayo 24. de 1730.

Lic D. Manuel Garcia Aleſſon,
Corrector general por ſu Mageſtad.

SVMA DE LA TASSA.

DON Miguèl Fernandez Munilla, Secretario del Rey nueſtro Señor, ſu Eſcribano de Camara mas antiguo, y de Gobierno del Conſejo. Certifico, que haviendoſe viſto por los Señores de èl un Libro intitulado: *Tomo tercero del Curſo Myſtico Eſcholaſtico*, divido en dos partes, compueſto por R. P. Fr. Joſeph del Eſpiritu Santo, Carmelita Deſcalzo, que con licencia de dichos Señores ha ſido impreſſo, taſſaron à ocho maravedis cada pliego; y el referido Libro parece tiene treſcientos, ſin principios, ni tablas, que à eſte reſpecto importa dos mil y quatrocientos maravedis, y al dicho precio, y no mas, mandaron ſe venda, y que eſta Certificacion ſe ponga al principio de cada Libro, para que ſe ſepā à el que ſe ha de vender; y para que conſte, doy la preſente en Madrid à veinte y cinco de Mayo de mil ſetecientos y treinta.

Don Miguèl Fernandez Munilla.

EL REY.

POR quanto por parte de Fray Joseph del Espiritu Santo, del Orden de Carmelitas Descalzos, se presentò en el mi Consejo deseaba imprimir un Libro, que havia compuesto, intitulado: *Tomo tercero del Curso Theologico Escholastico*; y para poderlo imprimir sin incurrir en pena alguna, se me suplicò fuesse servido concederle licencia, y Privilegio, por tiempo de diez años, para su impresion, remitiendole à la Censura, à la persona que fuere de mi Real agrado. Y visto por los del mi Consejo, y como por su mandado se hicieron las diligencias, que por la Pragmatica ultimamente promulgada sobre la impresion de los Libros se dispone, se acordò expedir esta mi Cedula: Por la qual concedo licencia, y facultad al expressado Fray Joseph del Espiritu Santo, para que por tiempo de diez años primeros siguientes, que han de correr, y contarse desde el dia de su fecha, el susodicho, ò la persona que su poder tuviere, y no otra alguna pueda, sin incurrir en las penas establecidas, imprimir, y vender el referido Libro, por el original, que en el mi Consejo se viò, que và rubricado, y firmado al fin de Don Miguèl Fernandez Munilla, mi Secretario, Escribano de Camara, y de Gobierno de èl, con que antes que se venda se traiga ante ellos, juntamente con el dicho original, para que se vea si la impresion està conforme à èl; trayendo assimismo fee en publica forma, como por Corrector, por mi nombrado, se viò, y corrigiò dicha impresion por el original, para que se tasse el precio, à que se ha de vender; y mando al Impressor que imprimiere el referido Libro, no imprima el principio, y primer pliego, ni entregue mas que un solo Libro con el original al dicho Fray Joseph del Espiritu Santo, à cuya costa se imprime, para efecto de la dicha correccion, hasta que primero estè corregido, y tassado el citado Libro por los del mi Consejo; y estandolo assi, y no de otra manera, pueda imprimir el principio, y primer pliego, en el qual seguidamente se ponga esta Licencia, y la Aprobacion, Tassa, y Erratas, pena de caer, è incurrir en las contenidas en las Pragmaticas, y Leyes de estos mis Reynos, que sobre ello tratan, y disponen: Y mando, que ninguna persona, sin licencia del referido Fray Joseph del

Espi-

Espiritu Santo, pueda imprimir, ni vender el citado Libro, pena, que el que le imprimiere, haya perdido, y pierda todos, y qualesquier Libros, Moldes, y Aparejos, que el dicho Libro tuviere, y mas incurra en la pena de cinquenta mil maravedis, y sea la tercia parte de ellos para la mi Camara, la otra tercia parte para el Juez que lo sentenciare, y la otra para el Denunciador: Y mando à los del mi Consejo, Presidentes, y Oidores de las mis Audiencias, Alcaldes, Alguaciles de la mi Casa, Corte, y Chancillerias; y à todos los Corregidores, Asistente, Gobernadores, Alcaldes mayores, y Ordinarios, y otros Juezes, Justicias, Ministros, y personas, qualesquier de todas las Ciudades, Villas, y Lugares de estos mis Reynos, y Señorios, y à cada uno, y qualquier de ellos en su distrito, y jurisdiccion, vean, guarden, cumplan, y executen esta mi Cedula, y todo lo en ella contenido; y contra su tenor, y forma no vayan, ni passen, ni consientan ir, ni passar en manera alguna, pena de la mi merced, y de cada cinquenta mil maravedis para la mi Camara. Dada en el Puerto de Santa Maria à diez de Julio de mil setecientos y veinte y nueve.

YO EL REY.

Por mandado del Rey nuestro Señor,

Don Francisco de Castejon.

DIS-

DISPVTATIO XX.

DE CONTEMPLATIONE SVPEREMINENTI.

REstat nobis adhuc sublimior contẽplatio, quæ sæpius nobis occurrit in præcedentibus, & ad præsentem disputationem spectat. Hæc est contemplatio illa perfectissima, quæ ob sui celsitudinem supereminens à Mysticis appellatur, maximis encomijs à PP. extollitur, & qua Deus suis amicissimis honorare solet. De hac verè divina contemplatione agere in præsentiarum conamur. O utinam aliquid, quod cedat ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei, & animarum utilitatem, dicere valeamus! Plurima sunt, quæ de hac penitissima, & Seraphica contemplatione disputari queunt: nec possumus illa omnia disputare: quia absdubio plura merè Scholastica sunt, & 3. part. quæst. 11. ab omnibus disputantur. Vnde hæc vel remissivè, vel sine solicitudine speciali attingemus, nihil enim addere præsumimus tot, & adeò subtilitèr edocentibus. Huius Sacratissimæ contemplationis principia disputabimus, an sint gratiæ illæ, quæ communiter gratis datæ dicuntur. De his non possumus in præsenti sermonem instituere, tum quia plus æquo hoc opus crescceret, tum, & præcipuè, quia illarum tractatus prorsùs Scholasticus est: quocircà ob insinuatum motivum Theologis relinquendum: à quibus tamen, quæ nobis fuerint indispensabiliter necessaria, mutuabimus. De speciebus huic altissimæ contemplationi inservientibus nihil dicendum nobis superest, suppositis ijs, quæ à nobis dicta sunt tomo 2. disp. ultima ubi fusè de speciebus concurrentibus ad omnem contemplationem egimus. Possibilitatem, & existentiam huius ineffabilis contẽplationis, eius gradus, à quibus principijs eliciatur, aliaque huiusmodi, erunt sermonis nostri materia & quidẽ iucundissima; si pro meritis tractaretur. Misericors Deus nostet meam tarditatem corroborare dignetur, mecum sit, & mecum laboret, ut sic possim aliquid de re adeò arcana propinare. Methodus, quam in præsenti habebimus, aliquantulum dissimilis erit ei, quam regulariter observamus: cuius differentiæ causa potissima est, quod præsens controversia non tam est discursibus comprobanda, quàm authoritatibus stabilienda. Ad quæstiones ergo devenientes, prius possibilitatem dictæ contemplationis disquirimus, ipsius existentiam disputantes: quandoquidèm, si existit, possibilis est. Exurgat igitur.

QVÆSTIO PRIMA.

VTRVM DETVR CONTEMPLATIO VIÆ SVPERIOR illà, cuius dona Spiritùs Sancti ſunt principia?

CERTVM eſt, quæſitum non procedere de contemplatione intuitiva Dei; quandoquidèm iſta non eſt viæ contemplatio. Procedit ergo de contemplatione, quæ ſit infra contemplationem facialem; ſed quæ alias viæ contemplationes, de quibus quæſtionibus præcedentibus actum eſt, longè ſuperet. Vndè hæc contemplatio, ſi verè poſsibilis aſſeratur, erit utiquè media inter reliquas viæ contemplationes, & claram viſionem Dei, quatenùs huic cedens, alias ſuperet. Sic que quæſtionis titulus perſpicuus eſt.

§. I.

Communis ſententia proponitur, & ſuadetur.

1. NOſtra concluſio. *Datur contemplatio perfectior illà, quæ à donis Spiritùs Sancti eſt.* Aſſertio hæc communis eſt, eam que à pluribus capitibus comprobare conabimur; non tam ad ipſam ſtabiliendam, quàm ad naturam huius contemplationis, penè ineffabilis, ut cumquè declarandam. Probatur ergo ſic primò diſcurſu eruto ex D. Thoma. tum q. 12. de verit. art. 1. ad 7. tum 2. 2. q. 176. art. 2. ad 3. Etenim contemplatio exigens principium ſuperans dona, perfectior eſt contemplatione donorum: datur contemplatio exigens principium dona ſuperans: ergo datur contemplatio perfectior contemplatione donorum. Conſequentia eſt penitùs formalis. Maior liquet ex modò dictis, & minor probatur. Principium, quod ob ſui celſitudinem nequit communicari per modum habitùs homini viatori, perfectius eſt, quàm principium, quod per modum habitùs illi communicatur: datur contemplatio exigens principium, quod per modum habitùs nequit homini communicari: ergo. Illatio bona eſt. Minor liquebit ex dicendis in tota hac diſputatione, & maior eſt expreſſa laudati D. Thomæ dicentis: *Illud eſt plenius, & perfectius lumen, quod datur per modum actùs, ſivè paſsionis, quàm illud, quod per modum habitùs infunditur; quia ex altitudine huius luminis actualis contingit, ut humana mens illud poſsidere non poſsit per modum habitùs.*

Eandem doctrinam tradit Doctor Sanctus 2. 2. q. 176. art. 2. ubi diſcrimen aſsignans inter donum, ſeu gratiam prophetiæ, & gratiam, ſeù donum linguarum, inquit: *Ad 3. dicendum, quòd revelatio prophetica ſe extendit ad omnia ſupernaturalia cognoſcenda. Vndè ex eius perfectione contingit, quòd in ſtatu imperfectionis huius vitæ non poteſt haberi perfectè per modum habitùs, ſed imperfectè per modum cuiuſdam paſsionis. Sed donum linguarum ſe extendit ad cognitionem quandam particularem, ſcilicèt, vocum humanarum: & ideò non repugnat imperfectioni huius vitæ, quòd perfectè, & habitualitèr habeatur.* Vbi ex perfectione luminis prophetici concludit, non poſſe nobis mortalibus communicari per modum habitùs, ſed per modum cuiuſdam diſpoſitionis, & tranſeuntèr.

2. Adversùs factum diſcurſum eſt duplex obiectio, cui occurſum ire opus eſt. Primò ergo obijcies: Propheta, etiam cùm in actu prophetandi non eſt,

verè est, & dicitur Propheta : sed non ab actu prophetandi : ergo ab aliquo in ipso habitualitèr in hærente. Ergo idem dicendum est de principio contemplationis supereminentis. Omnes propositiones videntur notæ. Et primùm maior ; quia si vera non foret, dùm Propheta dormit, non diceretur Propheta. Minor etiam constat ; quia supponimus, nullum dari de præsenti actum prophetiæ : nec posse denominari nunc ab actu præcedenti, certum est : secùs enim vel dormiens diceretur videns à præcedenti actu visionis. Prima consequentia legitima est. Quia ab aliquo sibi habitualitèr inhærente est, & dicitur habitualitèr Propheta. Vltima consequentia sine calumnia est. Tum ; quia non est minoris celsitudinis lumen propheticum, quàm lumen ad supereminentèr contemplandum. Tum etiam ; quia à paritate luminis prophetici procedit ratio facta.

Respondetur primò, negando utramque consequentiam, quæ legitimæ non sunt. Non prima, quia Propheta non dicitur talis ab aliquo sibi inhærente, sed à Divina deputatione, secundùm illud Hierem. cap. 1. *Et Prophetam in gentibus dedi te.* Qua deputatione manente, illà deputatus, est, & dicitur habitualitèr Propheta, sicùt designatus in Imperatorem, toto tempore, quo designatio durat, est, & dicitur Imperator. Quòd autèm quis deputetur habitualitèr à Deo in prophetam non est incompatibile cum huius vitæ miserijs, cum quibus incompatibilis est habitualis illustratio ad prophetandum. Solutio est D. Thomæ 2. 2. quæst. 171. art. 2. ad 2. in fine. Ex quo, & cumquo. ¶ Respondetur secundò: *Ad secundum dicendum, quòd sicùt in rebus corporalibus, abeunte passione, remanet quædam habilitas ad hoc, quòd iterùm patiatur, sicùt lignum semèl inflammatum facilius iterùm inflammatur: ita etiam in intellectu Prophetæ, cessante actuali illustratione, remanet quædam habilitas ad hoc, quòd facilius iteratò illustretur: sicùt etiam mens semèl ad devotionem excitata facilius postmodùm ad devotionem pristinam revocatur.* Per quæ patet ad obiecta.

3. Secundò objicies. Quia dictum illud S. Thomæ: *Illud est plenius, & perfectius lumen* &c. super quo innititur discursus noster, falsum est : ergo & discursus illi innixus non est firmus. Antecedens potest duplicitèr considerari. Primò, absolutè. Secundò, iuxtà subiectam materiam luminis prophetici, cui applicatur. Sub prima consideratione probatur antecedens. Quòd lumen intellectuale conferatur ut passio, aùt ut habitus, provenit ex imperfectione recipientis, quod non potest sustinere plenitudinem habitualem illius perfectissimi luminis : quocircà confertur per modum passionis transeuntis, ut patet in lumine gloriæ ; quod tametsi transeuntèr possit Viatori impertiri ; nequit tamèn ipsi permanentèr communicari. Sed ex quo recipiens lumen possit, aùt nequeat illud habitualitèr habere, nihil aufertur, aut confertur lumini : ergo ex eo, quòd lumen conferatur per modum impressionis transeuntis, non benè colligitur excessus illius supra lumen, quod habitualitèr communicatur. Sub secunda consideratione probatur idem antecedens. Charitas est longè perfectior lumine prophetico : sed charitas infunditur ut habitus, & lumen propheticum ut dispositio : ergo falsò dicitur, quòd id, quod ut dispositio infunditur, superat id, quod habitualitèr confertur.

Respondetur negando antecedens. Ad primam probationem negetur maior universalitèr intellecta. Quòd lumen conferatur transeuntèr, provenit quidèm, quod minimè negamus, ex suscipientis imperfectione : cæterùm non ex hoc solo principio provenit illa transiens communicatio ; sed etiam provenit ex perfectione ipsius luminis, quòd repugnat, quòd aliter infundatur. Sub prima consideratione nihil maioris, aut minoris perfectionis est in lumine,

sivè

ſivè ſic, ſivè alitèr communicetur. Et idem dicendum eſt de quocumque alio, quod communicetur. Aſt ſub ſecunda conſideratione lumen, quod non communicatur niſi per modum tranſeuntis impreſsionis, perfectius eſt illo, quod habitualitèr impertitur. Ex ſua enim celſitudine provenit, quòd nequeat alio modo communicari. Vndè ſuperat perfectionem eius, quod alio modo, hoc eſt, habitualitèr communicatur. Doctrina D. Thomæ procedit de lumine, cui ex ſua ſublimitate repugnat, quòd infundatur permanentèr. Et ſub iſta acceptione veriſsima eſt, & etiam ſolidiſsimus eſt diſcurſus indè deductus.

Ad ſecundam probationem negetur conſequentia, & ſuppoſitum, nempè quòd charitas ſit lumen. D. Thomas comparat lumina intellectualia inter ſe: ac de ipſis aſſerit, illud plenius, ac perfectius eſſe, quod non permanentèr, ſed tranſeuntèr infunditur: undè ratio illa non tenet.

4. Sed contra inſurgis duplicitèr. Primò ſic. Ratio D. Thomæ comprehendit omnia dona à Deo iuſtis conferibilia: ergo ruit data ſolutio. Probatur antecedens. Ratio illa fundatur in ſublimitate luminis excedentis recipientis facultatem: ſed hæc ratio æquè militat in alijs donis à Deo conferibilibus: ergo omnia illa comprehendit ea ratio. Conſequentèr que deberet comprehendere charitatem: quam cùm non comprehendat, fit conſequens, quòd eà ratio non tenet. Secundò, & urgentiùs inſurgis. Fides theologica eſt lumen intellectuale, quod permanentèr communicatur: ſed Fides ſuperat perfectionem alterius cuiuſcumque luminis intellectualis, excepto lumine gloriæ: ergo etiam relatè ad lumina intellectualia ratio D. Thomæ non probat.

Reſpondetur negando antecedens. Ad probationem diſtinguo maiorem. *Luminis*, ut luminis, concedo: ut doni, nego maiorem, & minorem, & conſequentiam. Itaquè D. Thomas loquitur de lumine intellectuali, ut lumen intellectuale eſt, non ut donum eſt. Quocircà eius ratio non comprehendit dona omnia, quamquàm comprehendat omnia lumina, quæ verè lumina intellectualia ſunt. Quocircà non comprehendit charitatem, quæ, quamvis donum maximum ſit, lumen non eſt. Diſcrimen inter charitatem, & alias virtutes, & dona à Deo infuſa ex una parte, & lumen propriè intellectuale ex alia, ſtat in eo, quòd charitas (idem de alijs modò aſsignatis intellige) infunditur tamquàm ad ſalutem neceſſaria, & qua, quotiès volumus, uti poſſumus, ſive in ordine ad Deum, ſive in ordine ad proximum. Vndè non excedit noſtrum connaturalem modum operandi. Lumen verò propriè intellectuale non eoipſò, quòd tale ſit, neceſſarium ad ſalutem eſt, ut patet in lumine prophetico, ſine quo Propheta ſalvatur, & ſalvari poſſunt quotquot Prophetæ non ſunt: atque ideò tale lumen non confertur, ut illud recipiens, operetur iuxtà ſuum connaturalem modum operandi; ſed ſupra ac per conſequens inſtitutum non eſt, ut ſit in anima iuſti habitualitèr; ſed tranſeuntèr. Sunt enim hæc lumina, non ut illis homo utatur, quotiès ſibi libeat; ſed ad beneplacitum Dei. Vndè cùm Deo placet, illa infundit, & ijs medijs ſuſcipiens operatur ſupra ſuum connaturalem modum, exigentiam que operandi. Hinc que dignoſcitur eorum celſitudo. *Atque ex dictis incipit apparere, quid dicendum ſit.*

Ad ſecundam diſtinguatur maior: *Lumen intellectuale* minus propriè, concedatur: propriè, negetur maior, & conceſſa minori, negetur conſequentia. D. Thomas loquitur delumine, quod propriè ſit intellectuale, quale eſt lumen propheticum. Vndè eius doctrina non debet applicari fidei, quæ propriè lumen intellectuale non eſt, ut docet idem S. Doctor in 3. diſt. 23. q. 2. art. 3. quæſtiunc. 3. ubi ſuæ reſolutionis ra-

tionem designans ait : *Fides autèm per actum suum ponit intellectum in ultimo, quantùm ad obiectum, in quantum facit assentire primæ veritati ; non autem quantùm ad modum proprium ipsius intellectùs, quia intellectus noster non est per fidem tantæ efficaciæ, ut id, quod credit, inspicere per se possit, vel ad ea, quæ inspicit, reducere : & ideò fides non est virtus intellectualis.* Hæc Angelicus Doctor de fide, quæ licèt subiectetur in intellectu, non indè dicendam esse virtutem intellectualem, censet propter motivum, quod assignat, & in quo in solutione ad primum perseverat dicens : *Non omnis habitus, qui habet pro subiecto intellectum, potest dici virtus intellectualis, nisi perficiat intellectum & quantùm ad obiectum, & quantùm ad modum actùs.* Quam doctrinam iam tradidimus in Ilagoge lib. 1. num. 154. Videantur N. Salmanticenses 2. 2. q. 4. art. 5. num. 6.

Verumenimverò quamvis hæc ita sint, illis que facta obiectio conteratur : iuvat aliundè, & cohærentiùs ad dicta, datæ doctrinæ veritatem detegere cum Caietano, qui 2. 2. q. 171. art. 2. §. *Hæc dicta* discrimen propositum assignare volens inter fidem, & lumen propheticum, inquit : *Propriè, & formaliter loquendo lumen intellectuale est, quod est lumen intellectùs ut sic, & non quod est lumen intellectùs, ut moti à voluntate. Quod enim illuminat intellectum, ut motum à voluntate, est lumen intellectùs extenso vocabulo luminis intellectùs ; quia non illuminat ipsum, ut ipse est infra proprios limites, sed ipsum, ut substat alteri. Tale enim esse constat lumen fidei : quoniam est in intellectu, ut movetur à voluntate ad assentiendum his, quæ sunt fidei, & non illuminat ipsum intellectum secundùm se ad assensum determinatum, seù certum. Quia ergo ratio ista litteræ de lumine intellectùs, ut sic, loquitur, lumen fidei ab hoc processu excluditur.* Hæc Eminentissimus hic Theologus exponens Sancti Thomæ doctrinam, qua clarissimum adesse discrimen inter lumen propheticum, & alia propriè intellectualia, ac fidem, manifestissimè demonstratur. Consistit que illud discrimen in natura ipsius fidei, quæ licèt sit virtus ad intellectum spectans ; non tamen illuminat, seu perficit intellectum, ut sic, hoc est, absolutè, & secundùm ea, quæ sibi intra propriam lineam conveniunt ; sed illuminat intellectum, *ut motum à voluntate* : atque adeò non est propriè lumen intellectuale ; *quia non illuminat ipsum, ut ipse est intra proprios limites, sed ipsum, ut substat alteri.* Hincque ortum ducit, quòd fides perficiat intellectum eo modo, quo charitas perficit voluntatem. Vtraque enim est ad salutem necessaria, datur que ad operandum secundùm modum naturæ operantis. Vndè ex hac parte, quæ modum, & non substantiam concernit, utraque cedit lumini, quod ob sui eminentiam exigit, ut per modum passionis conferatur ; hoc tamen est simplicitèr minùs nobile fide, & charitate.

5. Ex hãc verò doctrina, qua discrimen, inter fidem, & lumen propheticum repræsentare studuimus, nonnulla dubia non exigui ponderis emergunt. Aliquibus usque ad §. ultimum reservatis, sequens modò dissimulare non expedit. Etenim discursus D. Thomæ fidem theologicam non comprehendit ; quia hæc non est lumen propriè intellectuale ; & ideò non est lumen propriè intellectuale, quia non illuminat intellectum, nisi ut motum à voluntate : sed principium contemplationis, de qua loquimur, quodcumque illud sit, non movet intellectum, nisi à voluntate motum : ergo de illo non loquitur S. Thomas. Ergo ratio à nobis facta non tenet. Cætera liquent, & minor probatur. Lumen illud est principium actùs, cuius voluntas principium, & finis est : ergo illuminat intellectum, ut motum à voluntate. Antecedens certum est ; quandoquidèm illud lumen

elicit

elicit contemplationem perfectiſsimam, quæ ex conceptu contemplationis religioſæ principium, & terminum habet in affectu, ut alibi ex D. Thoma dictum eſt. Quocircà implicat, quòd intellectus religiosè contempletur ſine motione voluntatis. Hinc que oſtenditur bonitas conſequentiæ. Eatenùs enim fides illuminat intellectum, ut à voluntate motum, quatenùs nequit intellectus credere, quin à voluntate moveatur, iuxta illud D. Auguſtini: *Nemo credere poteſt, niſi volens*: ergo ſimilitèr.

Hæc inſtantia procedit ex non penetrata doctrina Caietani. Itaque lumen eliciens contemplationem, de qua agimus, ut illam elicit, dicit utiquè id, quod intellectus habet à voluntate, & ab in ea exiſtente charitate. Aſt ipſum lumen, circumſcripto omni eo, quod pro elicientia illius contemplationis habet à voluntate intellectus, iſtum illuminat infra proprios limites, & non ut ſubſtat alteri; ita ut queat intellectus intelligere ante omnem motionem voluntatis. Et hoc manifeſtum eſt in lumine prophetico, quod ſuſcipitur, & illuſtrat mentem ſine voluntatis motione: imò hoc lumen, quantum in ſe eſt, etiam ſi voluntas repugnaret, reciperetur, illuſtraret que intellectum circa veritates, pro quarum revelatione confertur. Hoc non habet fides, quam nec poteſt adultus recipere ſine propriæ voluntatis actibus, nec poteſt, ut par eſt, credere ſine motione voluntatis. Vndè habetur, quòd lumen propriè intellectuale illud eſt, quod illuſtrat intellectum abſolutè, & non ut ſubſtat voluntati. Et inter lumina ſic illuſtrantia intellectum *illud eſt plenius, & perfectius, quod datur per modum actùs, ſive paſſionis, quàm illud, quòd per modum habitùs infunditur.* Vndè cùm talis conditionis ſit, ut infra videbimus, principium exactum à contemplatione, de qua agimus, ſit conſequens, quòd ſit lumen perfectiſsimum. Indidèm & ipſa contemplatio eſt perfectiſsima inter omnes huius viæ contemplationes. Inſtantia, quæ hic fieri poterat de donis Spiritùs Sancti, infra commodiùs urgebitur.

Reſtat, ut ad inſtantiam informa negetur minor. Ad cuius probationem conceſſo antecedenti, negetur conſequentia. Ratio eſt. Quia licèt contemplatio elicita ab illo principio, & ipſum, ut eliciens contemplationem, ſupponat motionem voluntatis: poteſt tamen illud principium mentem illuſtrare independentèr à voluntate. Tum in Sui receptione. Tum in operatione, ut dictum eſt de lumine prophetico, quod ab aliquibus ponitur principium illius perfectiſsimæ contemplationis. Hoc autem in fide minimè reperitur: quia etiam ſi res credendæ rariſsimè proponantur, non aderit aſſenſus, ſi motio voluntatis non adeſt. ¶ Vndè conſtat, duplex dari motivum ſolidiſsimum, ut textus adductus D. Thomæ fidem non comprehendat. Primum eſt, quod modò expendimus. Secundum eſt, quod priùs ex eodem D. Thoma aſsignavimus. Videlicèt, quòd fides, licèt perficiat intellectum, quantùm ad obiectum, non illum perficit *quantùm ad modum actus.*

§. II.

Aliæ eiuſdem aſſerti probationes.

6. PProbatur ſecundò aſſertio ex ſacra Scriptura, adiuncta S. Thomæ expoſitione. Etenim Iacob contemplatus eſt Deum contemplatione excedenti omnes huius ſtatùs contemplationes: ſed contemplatio, omnes alias huius ſtatus ſuperans, eſt contemplatio ſupereminens, de qua loquimur: ergo hæc datur. Cætera liquent, & maior probatur ex verbis ipſius Iacob Gen. 32. ℣. 30. dicentis: *Vidi Deum facie ad faciem*: ſed tunc contemplatus eſt Deum contemplatione tranſcendente omnes huius ſtatùs contemplationes: ergo. Minor, in qua dubium eſſe poterat, eſt expreſſa

expreſſa D. Thomæ pluribus in locis, è quibus 1. p. q. 12. art. 11. ad 1. ait: *Hoc dicit Iacob ad deſignandam quandam eminentiam intelligibilem contemplationis ſupra communem ſtatum.* Et in 4. diſt. 49. art. 7. ad 2. ait: *In hoc tamen, quod dicit facie ad faciem, notatur quædam eminentia viſionis.* Idem docet 3. contra gentes. & 2. 2. q. 180. & 1. ad Chorint. cap. 13. ergo verè datur contemplatio ſupereminens.

Eſt que animadverſione digniſsimum, quòd dixerit Iacob: *Vidi Deum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea.* Pagnin. *& evaſit anima mea.* Ac ſi prodigium fuiſſet, quòd vi illius contemplationis non expiraſſet. Audi Caietanum inibi dicentem: *Antiquum, & vetus eſt timuiſſe in huiusmodi apparitionibus mortem, & propterea Iacob ſpeciale beneficium vitæ ſibi collatum profitetur, dicendo, quòd mortem evaſerat.* Si ergo Iacob beneficium reputat, quòd manibus illius ſupereminentis illuſtrationis, raptim ſibi communicatæ, animam non egiſſet: angelicè D. Thomas ſupra nobis dixit, quòd *ex altitudine huius luminis actualis contingit, ut humana infirmitas illud poſsidere non poſsit per modum habitus.*

7. Probatur deniquè concluſio diſcurſu plurimos continente, iam ex ſacra ſcriptura, iam ab authoritatibus Patrum. Quoniam Adam in ſtatu innocentiæ Deum contemplatus eſt, non ſolùm ex creaturis, quod nos noſtro modo procedentes, facimus; ſed etiam ex irradiatione Divinæ lucis mentem eius elevantis, ut particeps fieret Angelicæ curiæ, ut ſupra dicebamus Diſp. 17. tradit que D. Thomas q. 18. de Verit. art. 2. per hæc verba: *Ex perfectione gratiæ hoc habebat homo in ſtatu innocentiæ, ut Deum cognoſceret per inſpirationem internam ex irradiatione Divinæ ſapientiæ, per quem modum Deum cognoſcebat, non ex viſibilibus creaturis, ſed ex quadam ſpirituali ſimilitudine ſuæ menti impreſſa. Ita igitur in homine duplex cognitio erat, Vna, qua cognoſcebat Deum conformiter Angelis per inſpirationem internam: alia, qua cognoſcebat Deum conformiter nobis per ſenſibiles creaturas.* Videatur idem Sanctus toto illo articulo, ubi ad 4. inquit: *Adam conformabatur Angelo in cognitione contemplationis per gratiam, ſed præter hoc habebat aliam cognitionem ſuæ naturæ competentem.* Modò ſic: ſed eſt doctrina communiſsima Sanctorum, Theologorum, ac Myſtarum, quòd Deus elevare ſolet ſuos amiciſsimos, ut interèùm contemplentur more Angelorum, & eò contemplationis modo, quo Innocens Adam contemplatus eſt, ut multotiès in hoc curſu diximus: ergo exiſtentia ſupereminentis contemplationis ſuadetur, tum, ex Adam, qui illam habuit, ut monent teſtimonia data; & ipſa ſcriptura, iuxta eorundem expoſitionem hoc dicit Geneſ. 2. ỳ. 21. his verbis: *Immiſit ergo Dominus ſoporem in Adam; cùmque obdormiſſet* &c. Tum etiam conſtat ex eo, quòd, ut modò dicebamus, Deus ſibi intimè unitos elevare ſolet ad illum modum contemplandi.

8. Rursùs ex eadem Sacra Scriptura conſtat, alios eximia ſanctitate præditos ante legem gratiæ gratia huius contemplationis claruiſſe. De Protoparente Elia 3. Reg. cap. 19. De Abraham Exod. cap. 33. de quibus docet D. Thomas elevatos quandoquè fuiſſe ad ſupereminentem contemplationem, cuius principium proximum in ipſis habitualitèr non erat. De Moyſe etiam liquet eodem libro Exodi cap. 23. de cuius ſublimi contemplatione ibi memorata ait D. Thomas. 1. 2. q. 98. art. 3. ad 2. *Per viſionem faciei intelligitur quædam eminens contemplatio infra eſſentiæ Divinæ viſionem.*

9. Ad legem autem gratiæ accedentes invenimus inter plurimos D. Stephanum plenum gratia, & fortitudine, de quo dicitur in Actib. Apoſt. cap. 7. ỳ. 55. *Vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei.* Quam viſionem, ſcu

ſeu contemplationem, ſunt, qui doceant, facialem fuiſſe. Alij negant: ſed fuiſſe infra fidem, quamvis ſub fide celſiſſimam. Huius opinionis patroni dividuntur, nam Abulenſis 4. Reg. cap. 22. q. 16. tenet fuiſſe viſionem imaginariam: corporalem fuiſſe opinatur Caietanus in actib. & ibidem docet Carthuſianus, fuiſſe intellectualem. Carthuſiani ſententia mihi placet. Vndè cenſeo, viſionem illam fuiſſe contemplationem ſublimem, de qua loquimur. Quocircà fuit contemplatio media inter contemplationem donorum, & patriæ contemplationem: de qua ſic præallegatus Dionyſius loquitur: *Cognitionem mediam fieri per ſplendidiſſimam quandam irradiationem increatæ lucis in apice intellectus.* Quod idem eſt, ac illud, quod in fine numeri 8. docuit nos D. Thomas.

10. Sanctiſſimus Patriarcha Benedictus eadem ſublimi contemplatione gaviſus eſt, quod, ut tibi conſtet, rem geſtam narraturus ingredior. Quadam nocte orabat vir Dei, & ſubitò vidit clariſsimam lucem noctis offuſas tenebras lucidiſsimè diſipantem, qua luce circumfuſus, totum mundum ante ſe vidit, veluti ſub unico ſolis radio collectum. Quæ, cùm ſuſpenſus aſpiceret, vidit animam Germani Epiſcopi Capuani, quam Angeli in igneo globo ad Cælos deferebant. Cuius prodigij teſtem habere volens, ſemèl, bis, ac tèr Servandum Diaconum cum clamore vocavit. Ille verò turbatus aſcendit, & exiguam partem illius lucis, iam penè deficientis, inſpexit.

Hæc fuit S. Benedicti viſio mirabilis, de qua D. Gregorius lib. 2. Dialog. cap. 35. ait: *Vir ergo Dei, qui* in turri globum igneum, Angelos quoque ad Cælum redeuntes videbat, hæc proculdubio cernere, non niſi in lumine Dei poterat. Quid ita mirum, ſi mundum ante ſe collectum vidit, qui ſublevatus in mentis lumine extra mundum fuit. Quod autem collectus mundus ante eius oculos dicitur, non cælum, & terra contracta eſt, ſed videntis animus eſt dilatatus; qui in Deum raptus videre ſine difficultate potuit omne, quod infra Deum eſt. In illa ergo luce, quæ in exterioribus oculis fulſit, lux interior in mente fuit, quæ videntis animum, eum ad ſuperiora rapuit, ei, quam *anguſta eſſent omnia, demonſtravit.*

De hac quoque D. Benedicti viſione ſic loquitur D. Bernardus ſuper pſalm. 84. *Audiam quid loquatur in me Deus. Quemadmodum* creatura cæli, ideſt angelica natura, ſic creatura mundi, ideſt, homo poſt hanc vitam, iam non per ſpeculum, & in ænigmate, ſed facie ad faciem Deum videbit, & ſapientiam eius in ſe ipſa ad liquidum contemplabitur. Interim verò opus habet humana mens, veluti quodam vehiculo creaturæ, ut ad cognitionem Creatoris aſſurgat: cum è contra longè beatius, perfectius que creatura Angelica in Creatore notitiam habeat creaturæ: ad quam nimirùm excellentiam, licèt ad modicum, rapta fuiſſe videtur anima illa beata (D. Benedicti) quæ collectum ſub uno ſolis radio mundum univerſum conſpexit. De quo miraculo beatus Papa Gregorius ſcribit dicens: Videnti Creatorem *anguſta eſt omnis creatura.* Hæc iſti Sacri Doctores de viſione illa D. Benedicti. Ex quibus primus docet, viſa tunc à D. Benedicto non potuiſſe videri *niſi in lumine Dei.* Quod etiam oſtendunt alia, quæ ibi S. Doctor inculcat. Secundus verò inquit, viſionem illam ſimilem fuiſſe viſioni Angelicæ, quæ ſine vehiculo creaturæ Deum in ſe ipſo, hoc eſt, immediatè contemplatur. Fuit ergo viſio illa contemplatio facialis.

11. Hanc contemplationem facialem fuiſſe, autumant plurimi, & quidèm cum magna probabilitate. Cum quibus ſentirem, niſi obſtaret authoritas D. Thomæ Quodlib. 1. q. 1. art. 1. ubi rem iſtam unicè, & ex profeſſo verſat: ex eius que doctrina planè conſtat, illam contemplationem fuiſſe ſupere-

pereminentem, ut oſtendit exponens ſuprapoſitum D. Gregorij teſtimonium his verbis: *Ad tertium dicendum, quòd ex verbis Gregorij non datur intelligi, quòd D. Benedictus in illa viſione Deum per eſſentiam videri, ſed vult oſtendere, quòd quia videnti Creatorem anguſta eſt omnis creatura, conſequens eſt, quòd per illuſtrationem divini luminis de facili poſſint quæcumque videri. Undè ſubdit, quantumlibet enim parum de luce Creatoris aſpexerit, breve ei fuit omne, quod creatum eſt. Et ſanè ea, quæ tunc D. Benedictus vidit, cernere non niſi in Dei lumine poterat.* Hoc tamen lumen non fuit lumen gloriæ, ſed lucidiſsimum lumen ſcientiæ infuſæ *ad modicum*, ut dixit D. Bernardus, ſeu traſeuntèr illi communicatum. Quodquidèm lumen illum elevavit ad contemplandum ſupra modum humanum, & iuxta Angelorum modum. Quod interdùm evenire, multotiès dictum à nobis eſt, maximè diſputatione præcedenti.

12. Tandèm Seraphica Mater noſtra D. Thereſia hac ſupereminenti contemplatione prædita quoque fuit, uti alma ipſa Doctrix teſtatur Manſ. 7. cap. 1. eius verba ſupra dedimus, prout translata à graviſsimo Cornelio in Cant. cap. 1. Modò verò eadem ſic exhibeo: *Animæ introductæ in illam manſionem viſione intellectuali oſtenditur Sanctiſsima Trinitas, per quandam inflammationem, quæ priùs deſcendit in intellectum inſtar lucidiſsimæ nubis, & per notitiam admirabilem, tunc animæ communicatam maxima veritate cognoſcit, omnes tres Perſonas SS. Trinitatis eſſe unam ſubſtantiam, ſapientiam unam, unam potentiam, ac deniquè unum Deum; ita ut ea, quæ hic per fidem credimus, ibi anima quaſi intuitivè (poſſumus dicere) cognoſcit: quamquàm non oculis corporeis; quandoquidèm hæc viſio imaginaria non eſt. Hic omnes Tres Divinæ Perſonæ animæ communicantur, cum ea loquuntur, eius que intellectum illuſtrant, ut intelligat illa Domini verba, ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.*

Nec ſemèl SS. Mater hac gratia fuiſſe decoram, conſtat ex eo, quod ipſa ſcribit epiſt. 13. ubi mentionem faciens de hac SS. Trinitatis viſione, alium refert eiuſdem SS. Myſterij, quam tunc habuit, cuius occaſione altiſsimam doctrinam nobis tradit, ab omnibus in propriam utilitatem videndam. Similitèr in additionibus ad librum vitæ bis huiuscemodi viſionem ſe habuiſſe teſtatur. Cuius autem generis eæ viſiones fuerint, an ſub fide? An intuitivæ? Et ſi ſub fide fuerunt, an earum principia fuere Spiritus S. dona? An lumen aliquod donis ſublimius? His dubitationibus mirificè ſatisfacit Illuſtriſsimus Turiazonenſis lib. 1. cap. 18. quem citat Illuſtriſsimus, ac Venerabilis Dominus Oxomenſis in annotatione ad citatam epiſtolam. Verba Illuſtriſsimi Turiazonenſis ſic offero latinitati donata: *Hæc præſentia SS. Trinitatis* converſa eſt in quoddam altiſsimæ viſionis genus, quia (Sancta (cæpit frui viſione harum Trium Perſonarum tanta luce, ac penetratione veritatis illius Myſterij, quanta in hoc exilio obtineri poteſt: & meo videri, cum luce lumen fidei ſuperante, quamquàm à gloriæ lumine ſuperata; & cum quadam evidentia (non Myſterij revelati, ſed revelantis myſterium, quam Theologi vocant evidentiam in ateſtante) videlicèt Deum eſſe, qui ei eas veritates revelabat, ſciebat quadam certitudine, *de qua ipſa dubitari nequibat.*

Hanc doctrinam huius Theologi bis Illuſtriſsimi Sanctiſsimam reputamus, & ut talem amplectimur, obſervantes, quòd ultra ſuæ ſufficientiæ plenitudinem, habebat maximam experientiam ſpiritùs Seraphicæ Thereſiæ, nota que illi erant quæcumque SS. Doctrix agebat, patiebatur que. Quod pulchrum motivum eſt, ut ei fides adhibeatur, ut nos re ipſa, prout diximus, adhibemus.

13. In

13. In hac ergo doctrina, & ex illa plura nobis obſervanda veniunt. Primum eſt: quòd in illa revelatione profundiſsimi Myſterij SS. Trinitatis elevata fuit alma Doctrix per ſuſceptionem luminis ſublimiſsimi ad ſupereminentem contemplationem, quæ huius quæſtionis argumentum eſt. ¶ Secundum eſt, quòd Seraphica Thereſia in illa, & ſimilibus viſionibus habuit evidentiam in atteſtante: hoc eſt, ſine hæſitatione ſciebat, Deum eſſe, qui illas ſibi veritates revelabat. Quod quantæ celſitudinis ſit, & quantum dignitatem Thereſianam commendet, nullum verè Theologum latère poteſt. ¶ Tertium eſt; quòd lumen, quo alma Doctrix illam contemplationem elicuit, licèt inferius lumine gloriæ, ſuperius fuit lumine donorum Spiritus Sancti. Ac ſubindè contemplatio indè orta fuit contemplatio illa ſupereminens, ſuperans reliquas omnes huius vitæ contemplationes: fuit contemplatio tantæ celſitudinis, *quanta in hoc exilio obtineri poteſt*: nec alia celſior dabilis eſt, unam ſi excipias beatificam viſionem: fuit contemplatio, quæ viſio à Myſticis dicitur propter propinquitatem ad beatificam viſionem. Hinc que deducitur quartum, quod obſervare debemus, ex præadducta authoritate. Videlicèt, quòd S. Mater noſtra in illa, & ſimilibus viſionibus, cognovit evidentèr evidentia *quòad an eſt* Myſterium SS. Trinitatis, & Deum authorem ſupernaturalem. Quæ omnia, & ex dictis diſputationibus præcedentibus facillimè percipiuntur, & ex ipſis, quę in illis diſputationibus diximus, firmiſſimè roborantur.

Ex dictis ergo iam colligere licet, contemplationem, quam habuit Adam in ſopore, quem Deus in illum immiſit, fuiſſe illius generis, ad quod hanc SS. Thereſię ſpectare, diximus: Sicut & alias, quas innocens Adam habuit ex dono gratię in ſtatu feliciſſimo iuſtitiæ origineæ, habuiſſet que, ſi in eo ſtatu feliciſsimo permanſiſſet, Eiuſdem generis fuit illa, qua iacob Deum *facie ad faciem* vidiſſe teſtatus eſt Gen. cap. 33. Eiuſdem generis fuerunt viſiones D. Stephani, & D. Benedicti, de quibus in hac ipſa quæſtione diſputavimus: ac etiam illa D. Hieronymi, quam ſupra recenſuimus, & aliæ, quibus Deus ſanctitatis proceres interdùm honorare ſolet. Quas inter ſuus excellus eſt. Ea tamen, quam habuit Seraphica Thereſia tantæ celſitudinis fuit, *quanta in hoc exilio obtineri poteſt*.

14. Si à Patrum authoritatibus huius contemplationis exiſtentiam oſtendere vellem, multus eſſem. Sat ſit D. Gregorium adducere, qui rem egregiè verſat, & fermè omnia, quæ hactenùs diximus, confirmat lib. 24. Moral. cap. 5. dicens: *Priùs à mentis acie exurente* triſtia interpoſita, malorum caligo detergitur, & tunc reſplendente raptim coruſcatione incircumſcripti luminis illuſtratur. Quo ut cumquè conſpecto, in gaudia cuiuſdam ſeveritatis abſorvetur, & quaſi per defectum vitæ præſentis ultra ſe raptæ, in quadam novitate aliquomodo recreatur. Sibi mens ex immenſo fonte infuſione ſuperni roris aſpergitur: ibi non ſe ſufficere ad id, ad quod rapta eſt, contemplatur, & veritatem ſentiendo, videt, quia quanta eſt ipſa veritas, non videt. Cui veritati quantò magis ſe longè exiſtimat, quantò, magis aproppinquat: quia niſi illam, utcumquè conſpiceret, nequaquàm eam conſpicere ſe non poſſe, ſentiret. Adnixus ergo animi, dum in illam intenditur, immenſitatis eius, coruscante circunſtantia, reverberatur; ipſa quippè cuncta implens cuncta circunſtat. Et idcircò mens noſtra nequaquàm ſe ad comprehendendam incircunſcriptam circunſtantiam dilatat, quia eam inopia ſuæ circumſcriptionis anguſtat. Vndè & ad ſemetipſam citiùs labitur, & proſpectis quaſi quibusdam veritatis veſtigijs ad ſua ima revocatur. Hæc ipſa tamen per contemplationem facta non ſolida, & permanens viſio,

ſeu, ut ita dixerim, quaſi quædam *viſionis imitatio*, *Dei facies dicitur*. Miriſſima ijs inculcat Theodidactus hic Doctor, quibus & veritatem noſtræ aſſertionis oſtendit, & quæ in ipſius comprobationem diximus, fulcit.

§. III.

Argumenta.

15. COntra propoſitam concluſionem arguitur primò: Actus determinatus petit determinatum principium; ſin minùs talis actus repugnat: ſed pro actu contemplationis ſupereminentis nullum datur determinatum principium: ergo talis contemplatio non datur. Cætera liquent, & minor probatur: principium, quod à nobis aſſignatur, eſt irradiatio, aut inſpiratio interna, ſeu quod idem eſt auxilium tranſiens: ſed hoc non eſt principium determinatum: ergo.

Confirmatur. Si daretur talis contemplatio, ſempèr reſpiceret idem obiectum: ergo & ſempèr haberet idem principium. Ergo hoc eſſet permanens. Ergo, ſi hoc non eſt dabile, nec dabilis paritèr erit ſupereminens contemplatio.

Reſpondetur argumento: Eminentiam huius contemplationis tantam eſſe, ut ipſe Deus immediatum ipſius principium aſſeratur à pluribus Doctoribus, quos inter Angelicum audiamus dicentem 2. 2. q. 171. att. 2. *Principium autem eorum, quæ ad ſupernaturalem cognitionem pertinent, quæ per prophetiam manifeſtantur, eſt ipſe Deus, qui per eſſentiam à Prophetis non videtur.* Quibus, alijs que eiuſdem S. Doctoris verbis motus N. Thomas à Ieſu lib. 6. cap. 1. inquit: *Has, & ſimiles contemplationes docet D. Thomas non ab aliquo habituali principio, ſed à Deo ipſo immediatè profluere.* Idem dicunt plurimi alij Myſtici, quorum omnium ſenſus non eſt, quòd ipſe Deus uniatur tamquàm principium *quo* menti contemplantis, aut quòd iplam contemplationem ſe ſolo producat, & contemplanti infundat. Hoc quippè exploſum iam ſupra à nobis eſt. Sed nec etiam procedunt in ea generalitate, iuxta quam *omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum*, ut dicitur Iacob. cap. 1. ℣. 17. Sic enim omnia, & maximè ſupernaturalia à Deo ſunt. Senſus autem D. Thomæ, & ipſum inſequentium, eſt, quòd huius contemplationis celſitudo, quotiès habenda eſt, aut pro quolibet ſui actu requirit, quòd Deus ſpecialiſsima inſpiratione interna mentem illuſtret. Et hoc eſt principium determinatum huius diviniſsimæ contemplationis: nempè Deus mentem illuſtrans, ſeù potiùs lumen actuale, quò Deus illuſtrat mentem. Et quamquàm pro uno quoque actu huius altiſsimæ contemplationis ſua diverſa illuſtratio detur, fluens, ſicut & actus, pro quo imprimitur; ſempèr tamen ſalvatur identitas formalis principij, deſumpta ab eodem conferente, & ab eodem obiecto ſpecificante. Per quod patet ad confirmationem; licèt enim illa auxilia numericè, & materialitèr differant, quidditas ſpecifica ſalvatur, ut dictum eſt: & hoc ſufficit ad unitatem contemplationis, & determinationem principij.

16. Arguitur 2. Contemplatio ſupereminens non eſt ab habitu: ergo non eſt ab anima. Ergo non datur. Antecedens à nobis conceditur. Secunda conſequentia liquet ex prima, quæ probatur ex Philoſopho ex 2. Ethic. Tria ſunt in anima, ſcilicèt, potentia, paſſio, & habitus: ſed à nullo horum eſt contemplatio ſupereminens: ergo non eſt ab anima. Minor pro prima parte certa eſt, & etiam pro ſecunda ex tertia. Si namque non eſt ab habitu, quia eſt permanens, nec à paſſione, nec à potentia erit, quæ etiam permanentes ſunt, & præterèa: Si eſſet à potentia, omnes homines illam contemplationem haberent: quandoquidèm omnibus hominibus communes

ſunt

sunt potentiæ animæ. Si esset à passione: non esset actus intellectus, quia passiones ad appetitum pertinent.

Respondetur ad argumentum primò, quòd Philosophus loquitur de his, quæ sunt in anima. Illustratio, de qua loquimur, transiens est. Undè non propriè diceretur esse in anima: quia hoc denotat permanentiam. Respondetur *secundò* distinguendo antecedens: *ab habitu* per modum habitus, concedo: per modum passionis transeuntis, nego antecedens, & consequentiam. Principium contemplationis supereminentis habitum esse secundùm se, non negamus; cùm non implicet permanentèr communicari, de facto que communicatum mòx videbimus. Sed dicimus, quòd iste habitus non communicatur homini viatori, nisi per modum dispositionis, aut passionis transeuntis. Sicut etiam lumen gloriæ est perfectissimus habitus; & tamen nequit Viatori, nisi in esse dispositionis communicari.

17. Arguitur 3. Si aliqua contemplatio daretur à principio transeunti elicita, maximè illa, quam num. 7. diximus habuisse Adam in statu innocentiæ: sed illa non fuit à principio transeunti: ergo vel contemplatio supereminens non est à principio transeunti; vel quam habuit Adam, non fuit contemplatio supereminens. Et idem potest dici de alijs contemplationibus, quas inibi proposuimus. Probatur minor. Quia, ut liquet ex testimonijs ibi inductis, contemplatio illa, quam innocens Adam habuit, fuit à principio ipsi permanentèr communicato: ergo vel contemplatio supereminens non est à principio transeunti; vel non est idem cum illa, qua innocens Adam gavisus est. Probatur antecedens *primò*: quia, ut liquet ex supra inductis testimonijs, contemplatio illa specialis æquiparatur contemplationi habitæ ex cognitione creaturarum: sed hæc est à principio permanenti: ergo & illa. Probatur *secundò*. Contemplatio illa fuit ex dono gratiæ, ut asserit D. Thomas: sed gratia est donum permanens: ergo idem quòd prius. Probatur *Tertiò*. In contemplatione illa *Adam conformabatur Angelo*: sed in Angelo est illa contemplatio à principio permanenti: ergo & in Adam.

Respondetur negando minorem; quæ nulla ex his probationibus suadetur. Non primà: quia similitudo illa consistit in eo, quòd sicut Adam ex hoc, quòd elevatus erat ad ordinem supernaturalem, contemplabatur supernaturalitèr Deum ex creaturis: sic etiam ex eo, quòd erat in statu illo perfectissimo iustitiæ originæ, decens erat illi statui, ut etiam Deum contemplaretur ex inspiratione interna. Ast prima contemplatio erat à principio permanenti, sicut & in nobis est. Secunda autem erat à principio transeunti. Et hoc liquidò exprimit modus, quo D. Thomas exprimit huiusmodi contemplationem, videlicèt, per inspirationem internam. Ex irradiatione Divinæ sapientiæ. *Ex quadam spirituali similitudine suæ menti impressa*: hæc quippè, & huiusmodi alia signant, lumen illud esse transiens, & raptim communicatum. Discrimen autem est inter statum nostrum, & statum innocentiæ: quia in hoc frequentiùs conferebat Deus illustrationes illas, & omnibus, qui ad illum, si permansissent, spectarent: quod in nostro statu non fit, quia nec omnibus, etiam iustis, conferuntur; nec illà frequentià ijsdem, quibus impertiuntur, dispensantur.

Ad secundam probationem respondetur, quòd per gratiæ donum non intelligitur gratia habitualis, quam quidèm habitum esse, fatemur; sed intelligitur donum superans naturæ ordinem: quocircà appellatur gratia; non tamen est gratia gratum faciens, sed potest dici gratis data, ut mòx videbimus. ¶ Ad ultimam probationem dicas: superioritatem naturæ Angelicæ causam esse, quarè donum illud queat in Angelis habitualitèr reperiri. Humana natura est longè inferior; quocircà

ſuccumberet, ſi in ipſam lumen illud permanentèr deſcenderet. Quod videtur tradidiſſe D. Auguſtinus lib. ſup. Geneſ. ad litteram cap. ultimo, ubi ait: *Fortè, inquam, ſic cum eis loquebatur, ſcilicèt, primis parentibus, & ſi non tanta participatione Divinæ ſapientiæ, quanta capiunt Angeli; tamen pro humano modulo, quantumlibet mi[illegible]c* Auguſtinus ait de primis parentibus, poſtquam docuerat, ipſos more Angelorum Deum ex dono gratiæ cognoviſſet. Quibus & conformitatem cum Angelis in contemplando aſtruit, & diſcrimen fundatum in modulo humanæ naturæ recognoſcit.

18. Arguitur quartò. Contemplatio elicita à Donis Spiritus Sancti provenit à principio nobis communicato tranſeuntèr: ergo vel donorum contemplatio eſt ſupereminens, vel talis contemplatio ſupereminens non datur. Probatur antecedens: Dona Spiritus Sancti nobis tranſeuntèr conceduntur quia ſolius Chriſti proprium eſt, quòd illa permanentèr, & tamquàm habitus, habeat, dicente D. Gregorio lib. 2. Moral. cap. 41. & 42. *In cunctis Fidelibus Spiritus Sanctus venit, ſed in ſolo Mediatore ſempèr ſingularitèr permanet*: ergo.

Confirmatur: Dona Spiritus Sancti procedunt ex inſpiratione divina: ergo tranſeuntèr nobis communicantur. Antecedens liquet, & conſequentia probatur. Ideò ponimus tranſiens principium contemplationis ſupereminentis, quia procedit ex interna divina inſpiratione: ergo ſi ex hac procedunt Dona, erunt paritèr tranſeuntia; ac ſubindè non datur illa contemplatio, quæ à nobis dicitur ſupereminens.

Reſpondetur argumento negando antecedens. Dona enim Spiritus Sancti ſunt habitus, & ut tales nobis conferuntur. Ad probationem dicas Chriſti Domini proprium eſſe habere Spiritus Sancti Dona cum omni plenitudine, quod denotatur apud Iſaiam cap. 11. his verbis: *Et requieſcet ſuper eum*, &c. Et hoc ipſum eſt, quod D. Gregorius docet clariſsimè ſuam mentem nobis aperiens illo adverbio *ſingularitèr*. Ac ſi diceret in omnibus iuſtis adſunt Spiritus Sancti Dona *ſempèr*. Aſt in ſolo Mediatore manent *ſempèr*, & *ſingularitèr*.

19. Dices: Dona Spiritus Sancti ſunt perfectiſsima principia contemplationis perfectiſsimæ, & illuſtrant intellectum intra proprios limites, & non ut ſubſtat alteri: ergo conferuntur tranſeuntèr. Antecedens certum eſt, & conſequentia probatur ex dictis num. 4. & 5. lumen propriè intellectuale habens conditiones, quæ in antecedenti recenſentur, communicatur tranſeuntèr: Dona Spiritus Sancti eas conditiones habent: ergo tranſeuntèr communicantur.

20. Vrgetur: Dona Spiritus Sancti conferuntur ad operationes, quæ procedunt ſupramodum connaturalem iuſti operantis: ergo non conferuntur habitualitèr. Antecedens eſt certum: Ea enim eſt, iuxta acceptionem communem, differentia inter virtutes, & Dona, quòd iſta elevant animam ad operandum ſupramodum ſibi connaturalem illæ verò, etiam infuſſæ, concurrunt ad operationes animæ iuxta modum connaturalem ipſius. Et conſequentia liquet ex his, quæ ijſdem numeris diximus de principio contemplationis ſupereminentis. Videlicèt, quòd confertur tranſeuntèr, ſeu per modum illuſtrationis elevantis iuſtum ad operandum ſupra regulas rationis, & ob hanc cauſam non eſt habitualitèr in anima, ſed ob ſui eminentiam confertur tranſeuntèr: ergo idem dicendum eſt de Donis, vel ratio diſcriminis oſtendatur.

21. Reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequentiam, & maiorem probationis. Numquàm à me dictum eſt, quòd omne lumen intellectuale, propriè tale, confertur per modum impreſsionis tranſeuntis. Sed quòd è luminibus propriè intellectualibus, adhùc quæ perfectiſsima ſunt, illud

per-

perfectius est, quod communicatur transeuntèr; quia, vt supra dixit S. Thomas *ex altitudine huius luminis actualis contingit, vt humana mens illud possidere non possit per modum habitus.* Vnde possunt dari, & reipsa dantur plura lumina propriè intellectualia perfectissima; qualia sunt aliqua, ex Donis Spiritus Sancti, quæ habitualitèr conferuntur: verificatur tamen, quòd lumen propriè intellectuale communicatum ob sui eminentiam transeuntèr, perfectius est Donis, ut patet in lumine prophetico. Et hoc est, quod S. Thomas docet, & quod à novis assumptum fuit ut medium ad stabiliendam eminentiam supereminentis contemplationis. ¶ Adde. Quòd Dona Spiritus Sancti sunt necessaria ad salutem, vt de virtutibus dictum est; ac proindè debent in anima permanere: quod ob motivum contrarium non reperitur in principio elicitivo contemplationis supereminentis.

Ad urgentiam distinguo antecedens. *Conferuntur* tam quam principia incompleta, concedo: completa, nego antecedens, & consequentiam. Discrimen inter Dona, & principium supereminentis contemplationis stat in eo, quòd principium hoc, vel se solo est adæquata facultas ad eliciendam contemplationem supereminentem; vel illam adæquatè complet; ita ut nihil aliud desideretur ad contemplandum. Dona verò se solis nequeunt exire in illas extraordinarias operationes sine Spiritus Sancti illustratione, vt ex dicendis ad confirmationem liquebit. De quo iam egimus tom. præcedenti loco mòx allegando. Dantur enim Dona, non ut iustus illis solis operetur; sed ut sit in actu primo paratus, ut, adveniente Spiritus Sancti illustratione, in operationem exeat, iuxta illud Lucæ cap. 12. vers. 36. *Vt cùm venerit, & pulsaverit, confestim aperiant ei.* Ac proindè cùm iustus debeat sempèr esse paratus ad insequendum ductum Spiritus Sancti; idcircò conferuntur ei permanentèr dona, quibus paratus sit, ut cùm venerit Dominus, illum vigilantem inveniat. Vndè D. Thomas 1. 2. quæst. 68. art. 1. & 3. describit nobis naturam Doni, per hoc, quòd sit: *Habitus supernaturalis, quo homo disponitur; vt sit promptè mobilis à Spiritu Sancto.* Donum reddit hominem *prompte mobilem*; principium verò supereminentis contemplationis, & aliæ similes impressiones, reddunt hominem motum à Spiritu Sancto. Et hæc est clarissima differentia inter utrumque versans.

22. Adde. Quòd, ut patet ex tomo præcedenti disp. 7. quæst. 1. num. 28. Dona Spiritus Sancti duplicitèr concurrunt ad iusti operationes. Primò: elevando illum ad operandum supra rationis regulas; tunc que procedunt ex specialissimo Spiritus Sancti instinctu. De hoc que procedendi modo hactenùs loquuti fuimus, est que proprijssimus modus, quo illi habitus nobilissimi concurrunt, ac de illis, prout sic, loquitur D. Thomas verbis nupèr exhibitis. Secundò concurrunt se attemperando conditioni ipsius hominis procedentis iuxta rationis regulas. Quem modum concurrendi inibi stabilivimus, ac ex D. Thoma comprobavimus. Et quia verba illa utrumque hunc concurrendi modum apertissimè manifestant, videri debent allegata quæst. 1. num. 11. Ex eo igitur, quòd Dona perficiant iustum, ut procedentem etiam iuxta modum operandi sibi connaturalem, infertur primò: Ipsa esse habitualitèr in anima iusti. Infertur secundò: esse minùs nobilia, quàm lumen, quod solùm illustrat mentem supra omnes regulas rationis, procedit que specialissimo instinctu Spiritus Sancti, qualitèr procedere, seu perficere mentem lumen elicitivum contemplationis supereminentis dictum, & certum est.

Per quæ patet ad confirmationem argumenti, ad quam in forma respondetur ex dictis tom. 2. disp. 13. numer. 78. distinguendo antecedens: *pro-*

ce-

cedunt, & præcedunt, concedo: & non præcedunt, nego antecedens, & conſequentiam. Dona Spiritus Sancti præcedunt illuſtrationem, dantur que, ut iuſtus ſit habitualitèr paratus, ut reſpondeat promptè illuſtrationi, ſeu motioni à Spiritu Sancto immiſſæ, prout dictum eſt. Vndè licèt procedant ex motione: hoc eſt, [illegible] tur, quin Spiritus Sanctus moveat: dantur tamen ante motionem. Principium autem contemplationis ſupereminentis eſt ipſa illuſtratio modo infra declarando. Vndè debet dari tranſeuntèr. Et hoc eſt inter alia diſcrimen inter utrumque principium. Cuius diſcriminis ratio ea eſt, quòd Dona Spiritus Sancti ſunt neceſſaria ad ſalutem, ut citata diſputat. diximus. Inſpiratio autem, quæ eſt principium contemplationis ſupereminentis, non eſt ad ſalutem neceſſaria. Quocircà Dona ſunt eſſentialitèr connexa cum gratia ſanctificante, cum qua non dicit neceſſariam connexionem inſpiratio; eòque per modum tranſeuntis confertur.

23. Arguitur 5. & poteſt eſſe replica. Sub fide non datur contemplatio perfectior contemplatione ſeraphica, quæ dicitur *Theologia myſtica*, & contemplatio ſupereminens: ſed huius contemplationis principium eſt donum ſapientiæ: ergo ſub fide non datur contemplatio ſuperior contemplatione à Donis proveniente. Syllogiſmus eſt formalis, cuius maior certiſsima eſt; illa quippè contemplatio actualis unio perfectiſsima animæ cum Deo eſt, & in ea ſtat huius vitæ perfectio, ut dictum à nobis eſt pluribus in locis, inter quæ videri debent, quæ tradidimus diſputatione præcedenti quæſt. 8. per totam, ubi etiam reperitur aſſertum, & probatum, quòd talis contemplatio elicitur à dono ſapientiæ. Vndè utraque præmiſſa à nobis eò loci determinatè probata eſt.

Hoc argumentum, quod noſtris armis nos ſatagit oeffodere, debet ipſis, quibus utitur, armis protelari. In eadem enim quæſt. 8. num. 171. diviſimus cum Myſticis Doctoribus Theologiam myſticam in tres Hierarchias, quarum quævis tres choros habet: ad inſtar cæleſtium ſpirituum agminum. Vndè ſuprema Hierarchia, quæ ad nos pro nunc ſpectat, tres choros habet. Ad primum pertinet contemplatio, quæ aſſimilatur thronis, elicitur que à dono intellectus. Et habetur hæc contemplatio, dum anima ingreditur Divinam caliginem. Secundus myſticæ Theologiæ, ſeu perfectiſſimæ contemplationis, chorus continet contemplationem cherubicam, ſumpta denominatione ab huius nominis cæleſtibus ſpiritibus. Hæc contemplatio multùm ſuperat præcedentem, & eius principium eſt donum ſapientiæ. Habetur que hæc cherubica contemplatio, cùm anima iam inhabitat Divinam caliginem.

Ad tertiùm, & ſupremum chorum ſupremæ illius Hierarchiæ ſpectat contemplatio illa perfectiſsima, quæ omninò propriè dicitur myſtica Theologia, & contemplatio ſupereminens, ac ſeraphica. Hæc ſeraphica contemplatio duplex eſt, ut diximus in eadem quæſtione num. 112. Prima elicitur a dono ſapientiæ, poſtquam anima Dei delicias deguſtavit in unione fruitiva. Secunda, quæ provenit ab altiori principio, per modum tranſeuntis communicato. Vtraque eſt propriè Theologia myſtica, ut dictum eſt. Sed prima elicitur à dono. Secunda non. Prima, & non ſecunda, eſt à principio habituali. De prima locuti fuimus in illa quæſtione 8. & in ſubſequentibus, maximè diſp. 23. ſermo erit. De ſecunda loquimur modò, & loquemur diſputatione ſequenti. Hæc omnia inibi explanata ſunt: nec modò debuimus illa alitèr attingere. Vndè, ſi ſermo ſit de comtemplatione, de qua in præſenti agimus, minor argumenti eſt falſa licèt maior vera ſit. Si autem loquamur de contemplatione, de qua agimus in illa quæſt. 8. minor vera eſt, ſed maior falſa.

24. Dices. Sub fide non eſt dabilis perfectior contemplatio illà, in qua conſiſtit huius viæ beatitudo : ſed hæc provenit à dono ſapientiæ : ergo non datur alia perfectior. Cætera notiſsima ſunt, & minor liquet ex unanimi conſenſu myſticorum.

Reſpondetur. Beatitudinem inchoatam obtineri ab anima, cum elevatur ad unionem fruitivam in matrimonio ſpirituali. Hoc matrimonium, ut docent frequentiſsimè Myſtæ, conſiſtit in habitu ad differentiam matrimonij conſummati in patria, quod in actu conſiſtit. Vndè matrimonium ſpirituale exilij conſiſtit in aliquo perſeveranti in ipſa anima; ſecùs enim abeunte eo tranſeunti, in quo conſiſteret matrimonium illud, diſſolveretur, quod planè ridiculum eſt. Poſtquam autem anima elevata eſt ad illum feliciſsimum ſtatum matrimonij, poteſt utiquè à Deo aliquibus alijs favoribus honorari. Quis hoc abnuat? Quocircà poteſt interdùm elevari ad contemplandum ex principio, quod ſolùm tranſeuntèr queat communicari. Verùm nec illud principium, nec indè orta ſupereminens contemplatio, ſtatum matrimonij conſtituunt, nec ſunt animæ inchoata beatitudo, ſed favores, quos animæ imperfectè beatæ confert pijſsimus Sponſus, ut illam magis ſibi devinciat. Inſtantia manifeſta eſt in ipſa viſione beatifica, quam poſſe Deum ſuæ dilectiſsimæ concedere, certum eſt. Et tamen, ſi conferrèt, non in illa faciali contemplatione, aut in lumine illam elicienti conſiſteret matrimonium; immò nullum ſpecialem ſtatum conſtituerent; eò quòd tranſeuntèr conferrentur. Et ex viæ ſtatibus myſticis nullus iam datur, ad quem perfectione, ſeu inchoata beatitudine obtenta, queat inſcendere anima. Quamquàm in illo feliciſsimo ſtatu, ad quem elevata eſt, valeat proficere, & ad hoc novæ eæ ſingulariſsimæ gratiæ diriguntur.

25. Sed contra, & arguitur 6. Contemplationis donorum principium proprie, & ſimplicitèr elicitivum eſt fides: ergo contemplatio donorum eſt perfectior quacumque alia, excepta viſione beatifica. Ergo ſub fide nulla contemplatio datur perfectior contemplatione donorum. Hæc ſecunda conſequentia, ex prima nota eſt. Antecedens ſtabilitur [illegible] à nobis eſt tom. 2. diſp. 13. integra quæſtione 3. vbi num. 66. hanc concluſionem poſuimus: *Dona Spiritus Sancti non eliciunt actum Divinæ contemplationis; ſed contemplationem à fide illuſtrata elicitam modificant.* Prima conſequentia probatur eodem principio à nobis aſſumpto in præſenti quæſtione ad ſuperioritatem contemplationis ſupereminentis ſuadendam. Etenim quò perfectius eſt principium elicitivum contemplationis; eò perfectior eſt contemplatio: ſed contemplationis donorum principium eſt perfectius inter omnia principia elicitiva contemplationis obſcuræ; etiam ſi comparetur principio, quod ob ſui celſitudinem non poteſt niſi tranſeuntèr communicari: ergo donorum contemplatio perfectior eſt inter omnes obſcuras contemplationes. Illatio eſt prorsùs formalis. Maior liquet. Tum: ex ſe. Tum: quia illo principio, ex D. Thoma deſumpto, probavimus concluſionem. Minor etiam conſtat primò: quia conceſſa à nobis eſt num. 4. in fine. Secundò: quia eſt expreſſa doctrina Patrum Salmanticenſium tractat. 17. diſput. 2. à num. 123.

Vides argumentum pauciſsimis verbis propoſitum; ſed quod nequeat extricari ſine verborum graviſsima multitudine, olei que diſpendio copioſiſsimo. Eius ſolutionem nequimus in præſenti offerre, immò nec inſinuare: ne quæſtionum ſeries exturbetur, & methodus, quam obſervare tenemur, abrumpatur. Sed nec potui argumentum diſimulare; quia forsàm ab initio quæſtionis tibi occurrit; quòd ſi in toto eius progreſu non offenderes, extemplò à proprio mu-

ne-

nere me discessisse, iactares. Nodum argumenti contemplaris, quæstione 3. ipsum enodatum, favente Deo, intueberis. Et profectò magna ex parte præsens, & sequens disputatio in huius nodi enodatione occupantur.

***

QVÆSTIO SECVNDA.

VTRVM CONTEMPLATIO SVPEREMINENS eliciatur ab aliqua gratia gratis data?

NATVRAM, geniumque supereminentis contemplationis exponimus, dum principium, à quo elicitur, exploramus. Sic que excusamur ab alia disputatione, quæ principium huius sanctissimi actus exquireret, cum quo tamen stat, quòd disputatione sequenti de hoc eodem principio etiam agere necessarium sit ob motiva ibi aperienda.

§. I.

Non nulla præmitto, & duplex assertum statuo.

26 QVid per contemplationem supereminentem in præsenti intelligamus, liquet ex his, quæ num 20. tradidimus. Ibi enim dictum est, contemplationem supereminentem, aut seraphicam, aut Theologiam propriss imè mysticam (hæc enim solummodò sunt nomina differentia, quibus res eadem significatur) esse duplicem. Aliam perfectissimam, & minùs perfectam aliam. Primam diximus esse actum principij raptim animæ communicati: secundam verò esse actum doni sapientiæ. Quæsitum præsens agit de prima ea nobiliori contemplatione. Quocircà sempèr, quòd in progressu quæstionis, & etiam in tota hac, ac sequenti disputatione, contemplatio supereminens, aut seraphica, nominatur, contemplatio illa sublimior, quæ principij per modum impressionis collati actus est, intelligenda venit. Hoc præmonere necessarium duxi ad cavendas æquivocationes, quæ gressum in penitissima hac materia, & progressu, impedire possent cum veritatis iniuria.

27. Ab eo, quòd nomine contemplationis supereminentis, aut seraphicæ intelligi debeat gradum faciens ad gratias gratis datas, sciendum est, gratiam adæquatè dividi, iuxta unanimem consensum Theologorum, in gratiam gratum facientem, & gratis datam. Sub prima comprehenduntur plurimæ, eæque nobilissimæ gratiæ, quarum indeficiens origo est gratia sanctificans. Hæ sunt virtutes supernaturales, dona Spiritus Sancti, gratiæ actuales, & quidquid hominem ad ordinem supernaturalem elevat, vel elevatum supponit. Omnia quippè vel sunt dispositiones ad habendam gratiam, vel gratiam sanctificantem animam exornandam supponunt. ¶ Sub gratia gratis data plura quoque continentur. Verumtamèn, quæ de illis disputari poterant, prætermitto, & ea solummodò, sine quibus notitia completa nostræ supereminentis contemplationis haberi nequit, discutiemus in præsenti: alia verò, quæ de ipsis examinari debent, ut sunt earum exactus numerus: an sint habitus, & virtutes, & huiusmodi alia, remittimus ad quintum prædicabile: quia reverà gratia gratis data talis conditionis est, ut possit adesse, & abesse absque mystica subiecti corruptione. Præterquam quòd ex dictis, dicendisque, sufficiens

fun-

fundamentum offertur, ut dicta omnia, ut cumquè dignoscantur.

28. Gratias gratis datas offert nobis Apostolus 1. ad Chorint. capit. 12. vers. 8. dicens: *Alij per spiritum datur sermo sapientiæ: alij autem sermo scientiæ secundùm eundem spiritum: alij fides in eodem spiritu: alij gratia sanitatum: alij operatio virtutum: alij prophetia: alij discretio spirituum: alij genera linguarum: alij interpretatio sermonum.* Harum exactissimam notitiam habebis, si videris Divo Thomam 1. 2. quæstione 111. artic. 4. & 3. contra Gent. capit. 154. & super citatam epistolam capit. 12. 13. & 14. Liceat tamen nobis pro nunc scire, novem adminùs esse gratias gratis datas: an autem plures sint, sub dubio est: quandoquidèm plures, ijque gravissimi Scriptores opinantur, D. Paulum non omnes gratias gratis datas retulisse, sed eas novem exempli gratia assignasse. Nos autem de hoc usque ad statutum locum neutiquam disputamus. Vndè, his novem gratijs suppositis, inquirimus, an omnes illæ sint principium contemplationis seraphicæ?

Ex his autem novem gratijs aliæ sunt cognoscitivæ, & aliæ cognoscitivæ non sunt. Quæ autem illarum sint, vel non sint cognoscitivæ, ex ipsarum nominibus cognoscere, non est arduum. Maximè; si audiatur D. Thomas in ad Corinth. cap. 13. dicens: *Est autem attendendum quòd* (Apostolus) *suprapositi quatuor dona gratuita ad cognitionem pertinentia, scilicèt, sapientiam, scientiam, fidem, & prophetiam.* Horum autem examen ad locum prælegatum remitti debet. In præsenti enim sufficit nobis pro nostri muneris perfecta adimpletione divisio illa gratiæ gratis datæ in cognoscitivam, & non cognoscitivam ad fundandum triplex assertum, quorum duo in hoc §. examinantur; aliud vero in §. 3. eorum primum proponitur sub hac forma.

29. Sit prima conclusio. *Contemplatio supereminens non est actus gratiæ gratis datæ non cognoscitivæ.* Assertio hæc est de mente D. Thomæ & probatur brevitèr discursu eruto ex verbis nuper allegatis Angelici Præceptoris. Contemplatio supereminens est actus potentiæ intellectivæ: ergo gratia gratis data, quæ cognoscitiva non sit, nequit esse virtus proximè elicitiva huius contemplationis. Antecedens est certum, [illegible] fusissimè dictis tomo 2. disput. 12. quæst. 3. & sequentibus. Probatur consequentia. Virtus proxima, qua intellectus actuatur ad cognoscendum, debet esse de linea cognoscitiva: ergo tenet consequentia. Antecedens est per se notum. Et sanè, si res ita non esset, posset fides elevare voluntatem ad amandum & spes intellectum ad intelligendum. Quod, cùm planè absurdum sit, fit consequens, quòd virtus, qua intellectus elevatur ad contemplandum, sit cognoscitiva. Indidèmque habetur, quòd gratia gratis data non cognoscitiva nequit deservire, ut intellectus exeat in actum contemplationis seraphicæ.

30. Dices. Licèt contemplatio seraphica sit actus potentiæ intellectivæ, ut loco citato determinatum est: potest tamen elici à virtute, quæ cognoscitiva non sit: ergo proposito fundamento non evincitur, quòd gratiæ gratis datæ non cognoscitivæ non sint principia contemplationis seraphicæ. Bona est consequentia, & antecedens probatur. Actus orationis, qui est actus potentiæ intellectivæ, ut diximus tomo 2. disp. 2. quæst. 3. elicitur à virtute Religionis, quæ cognoscitiva non est, ut ibi tota quæstione 4. diximus: ergo tenet antecedens.

Respondetur negando antecedens, & antecedens probationis distinguatur. *Elicitur* elicientia impropria, concedatur: propria, negetur antecedens. Solutio constat ex dictis illa quæstione 4. Et quod contemplatio elici debeat elicientia propria à virtute proxima, qua actuatur intellectus, patet ex dictis eodem tomo disp. 12. quæst. 3. num. 37.

Vndè gratia gratis data, quæ ad lineam cognoſcitivam non ſpectet, nequit eſſe principium ſupereminentis contemplationis.

31. Secunda aſſertio: *Gratiæ gratis datæ, quæ permanentèr inſunt ſubiecto, non ſunt principium contemplationis ſeraphicæ.* Supponit concluſio hæc id, quod veriſimum eſt, & ſuo aſſignato loco diſcutiendum, videlicèt, ex gratijs iſtis alias communicari habitualitèr; ſunt enim habitus, & per modum habitus communicantur: & alias tranſeuntèr, ſeu per modum impreſsionis conferri. Quæ doctrina eſt expreſſa D. Thomæ 2. 2. quæſt. 176. art. 2. ad 3. ubi comparans donum linguarum cum revelatione prophetica docet, hanc non poſſe nobis permanentèr conferri propter ſui celſitudinem ortam ex eo, quòd ex natura ſua ſe *extendit ad omnia ſupernaturalia cognoſcenda*: Cuius contrarium de illo aſtruit: *Quia donum linguarum ſe extendit ad cognitionem quandam particularem, ſcilicèt, vocum humanarum; & ideò non repugnat imperfectioni huius vitæ, quòd perfectè, & habitualitèr habeatur.* Vndè in Apoſtolis fuiſſe habitualitèr iſtud donum, tenent Expoſitores D. Pauli, & D. Thomæ. Videantur N. Salmanticenſes in arbore virtutum numero ultimò.

32. Hinc que colligo gratiam interpretandi ſermones poſſe etiam nobis permanentèr impertiri. Moveor primum diſparitate aſsignata D. Thomæ. Sicut enim donum linguarum ſe *extendit ad cognitionem quandam particularem, ſcilicèt, vocum humanarum*: ſic etiam interpretatio ſermonum ſolùm ſe extendit ad cognoſcendam ſignificationem vocum humanarum, quæ per linguarum donum proferuntur. Moveor *ſecundò*: quia ſic video ſentire graviſſimos Theologos Bellarminum lib. 1. de gratia cap. 10. Cornelium ad locum citatum D. Pauli, & alios: ergo utraque hæc gratia æquali extenſione gaudet: *Ergo non repugnat imperfectioni huius vitæ, quòd* (utraque) *perfectè, & habitualitèr habeatur.* Acſubindè veriſsimum eſt id, quod noſtra aſſertio ſupponit, ſcilicèt, dari gratias gratis datas, quæ permanentèr conferantur. Ex quibus

33. Probatur breviſsimè concluſio. Contemplatio ſeraphica eſt perfectior inter omnes contemplationes obſcuras: ergò eius principium elicitivum perfectius eſt inter omnia principia elicitiva obſcurarum contemplationum: ergo elicitur à principio, quod ob ſui eminentiam nequit permanentèr communicari. Ergo non eſt actus gratiæ gratis datæ communicatæ permanentèr. Antecedens liquet ex quæſt. præcedenti, oſtendunt que nomina ipſius contemplationis: quippè, ut ex dictis patet, dicitur ſeraphica, ſic que ſignificatur, excedere contemplationem, quæ aſsimilatur Thronis: indidèm que oſtenditur ſuperare contemplationem cherubicam, ad modum, quo ſupremus chorus tertiæ hierarchiæ duos alios choros excedit. Rurſus. Inter ipſas contemplationes ſeraphicas hæc, de qua agimus, perfectior eſt ea, quam, poſt deguſtatas Dei delicias, in unione fruitiva elicit donum ſapientiæ: quæ omnia nota ſunt, tum ex SS. Patrum, Myſtarum que communi aceptatione. Tum: ex dictis num. 20. Quo circà ſeraphica hæc contemplatio dicitur ſupereminens; quia, videlicèt, ſuper omnes contemplationes obſcuras illis ſublimior eminet.

Primam conſequentiam qui negaret, metaphyſicus non foret. Quandoquidèm perfectio actus in principio præcontineri debet. Vndè actus perfectior exigit perfectius principium. Secunda conſequentia conſtat ex D. Thomæ teſtimonio quæſtione antecedenti inducto. In eo namque dilucidè edocetur exceſſus huius principij ſupra omnia alia, quæ permanentèr inſunt ſubiectis, quibus conferuntur. De quo iam ſupra actum eſt, & infra forsàm ſermo redibit. Atque ex his indubitabilis eſt ultima conſequentia.

Con-

Confirmatur. Contemplatio ſeraphica eſt perfectior contemplatione donorum: ergo non eſt actus gratiæ gratis datæ habitualitèr inhærentis. Antecedens patet, & conſequentia probatur. Quæcumque gratia gratis data aſſignetur habitualitèr inhærens, eſt minùs perfecta donis: ergo nequit contemplatio ſeraphica actus illius eſſe. Patet iſta ex immediatè dictis. Et antecedens, quod infrà clariùs liquebit, probatur modò. Sermo ſapientiæ, ſermo ſcientiæ, & fides, ſeu fidei ſermo, de quibus probabiliſsimè tenent graviſsimi Theologi, quòd conferuntur permanentèr, & etiam interpretatio ſermonum, quam permanentèr etiam communicari, vidimus, abſdubio ſunt minoris perfectionis, quàm dona Spiritus Sancti: ergo tenet antecedens. Quod non alitèr, aut alijs in præſenti ſuadetur: quia in tertia concluſione huic oneri incumbendum eſt.

§. II.

Argumenta.

34. COntra primam concluſionem arguitur primò. Diſcretio ſpirituum eſt principium ſeraphicæ contemplationis: ſed hæc gratia cognoſcitiva non eſt: ergo gratia gratis data non cognoſcitiva eſt principium contemplationis ſeraphicæ. Conſequentia eſt bona. Maior videtur certa, & minor probatur. Gratiæ cognoſcitivæ, iuxta D. Thomam num. 26. datum, ſunt ſapientia, ſcientia, fides, & prophetia: inter quas non numeratur diſcretio ſpirituum: ergo hæc cognoſcitiva non eſt.

Reſpondetur, omiſſa maiori, negando minorem. Ad probationem dicas: diſcretionem ſpirituum comprehendi ſub prophetia. Occulta quippè cognoſcit, qui ſpiritus diſcernit. Vndè D. Thomas huius gratiæ meminit. Quamobrèm ex hac parte nihil habet ſpirituum diſcretio, quod eam impediat, ut poſsit eſſe principium contemplationis: atque ideò, ſi aliundè non impediatur, nullum impedimentum habet ex parte huius conditionis; ſicut nec ex parte alterius, quam neceſſariam eſſe diximus, videlicèt, quòd communicetur per modum impreſsionis tranſeuntis. Diſcretio quippè ſpirituum tranſeuntèr confertur, ut tenet doctrina, ac virtute celebris Bellarminus: & indè poteſt, haùd ægrè ſuaderi: quia ſicut omnipotentia eſt privativè propria Dei, ita & ſpirituum diſcretio, quod clarè patet ex Hieremiæ cap. 17. ubi dicitur: *Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile, & quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor.* Vbi D. Hieronymus ait: *Melius autem eſt, ut ſimplicitèr accipiamus, quòd nullus cogitationum ſecreta cognoſcat, niſi ſolus Deus.* Et ex 2. Paralip. cap. 6. ubi habetur: *Tu enim ſolus noſti corda hominum.* Modò ſic: Sed quia omnipotentia, quæ eſt cauſa faciendi miracula, eſt privativè propria Dei; *ideò impoſsibile eſt, quòd principium operandi miracula ſit aliqua qualitas habitualitèr manens in anima*, ut ait D. Thomas 2. 2. q. 178. art. 1. ad 1. ergo quia ſpirituum diſcretio eſt privativè propria Dei, implicat, quòd principium diſcernendi ſpiritus ſit aliquid permanentèr exiſtens in nobis. Habet ergo diſcretio ſpirituum (quantum eſt ex parte horum) quod requiritur, ut ſit principium contemplationis. Ac ſubindè non omiſſa *fuit* à D. Thoma aſsignante quatuor illas gratias cognoſcitivas; quia hæc, ut dictum eſt, pertinet ad prophetiam, ſicut gratia miraculorum comprehendit gratiam ſanitatum, & operationem virtutum.

35. Arguitur ſecundò. Prophetia non eſt vis cognoſcitiva: & tamen à pluribus ponitur principium contemplationis ſupereminentis: ergo non obſtat, quòd gratia gratis data non ſit cognoſcitiva, ut ſit principium contemplationis ſeraphicæ. Illatio tenet, & minor eſt certa. Dantur enim plurimi,

ij que graviſsimi authores propugnantes, contemplationem ſeraphicam eſſe actum luminis prophetici. Maior autem probatur. Quod communicatur cadaveri, non eſt vis cognoſcitiva : ſic eſt prophetia, iuxta illud Eccleſiaſt. cap. 48. Vbi de Parente noſtro Eliſeo dicitur : *& mortuum prophetavit corpus eius : ergo.*

Reſpondetur negando maiorem, cuius probatio non premit : quia ſenſus Eccleſiaſtici non eſt, quòd Parentis Eliſei ſacrum cadaver prophetaſſet, prout prophetare eſt cognoſcere, & annuntiare futura, aut procul exiſtentia : ſed *prophetavit, ideſt, miraculum fecit*, ait D. Thomas ſuper citatam epiſtolam ad Corinth. cap. 14. lect. 1. qui priùs dixerat : *Dicitur etiam aliquis Propheta ex miraculorum operatione.* Et ut aliquas inſtantias, quæ contra hanc doctrinam poſſunt fieri, & plura argumenta ſolvas, quæ ex eodem capite 14. poſſunt in nos fabricari, duo tibi facienda ſunt. Primum eſt, legere expoſitionem D. Thomæ ad tria illa capita 12. 13. & 14. Secundum eſt, obſervare cum eodem Angelico Doctore, ubi proximè, quòd Apoſtolus in toto capite 14. ſumit prophetiam, prout eſt idem, ac declarare revelationes ſibi factas, aut alijs. Verba D. Thomæ ſunt : *Quod ergo hic dicit Apoſtolus per totum caput de Prophetis, intelligendum eſt de ſecundo modo, ſcilicet, quòd ille dicitur prophetare, qui per lumen intellectuale Divinum Viſiones ſibi, & alijs factas exponit. Et ſecundùm hoc planum erit, quod hic dicitur de Prophetis.* Ac pro indè planum erit intelligere ſenſum D. Pauli, dum dicit : *qui enim loquitur lingua, non hominibus loquitur, ſed Deo.* Et etiam : *qui prophetat hominibus loquitur.* Ac ſi donum linguarum eſſet ſermo cum Deo, & prophetia non eſſet ſermo cum Deo, ſed cum hominibus. Ex quo plura in nos urgeri poſſent. Verùm qui ſciat, Prophetam in eo capite illum eſſe, qui revelata explanat, planum ei erit intelligere, quòd qui viſiones declarat, non cum Deo, ſed cum hominibus loquitur. Hominibus enim, & non Deo neceſſaria eſt illa explanatio. Similitèr : *qui loquitur lingua*, ſcilicet *ignota*, exponit D. Thomas, *non hominibus loquitur, ſed Deo* : quia homines, qui loquenti præſentes ſunt, loqui quidèm audiunt ; at, quid loquens dicat, ignorant ; cùm idioma illud ſit illis omnibus peregrinum. Loquitur tamen Deo, cui omnia idiomata, & cordium abditiſsima manifeſta ſunt. Nos autem loquimur de prophetia, prout illud Divinum lumen menti impreſſum facit videre in Deo, vel veritates revelatas, vel ipſarum declarationem. Sic que, nec cadaveri communicabilis eſt ; nec quæ diximus expoſita ſunt obiectionibus, quæ in ea urgeri poſſent. Plurima circà hæc ſcitu digniſsima, non ſine dolore, prætermittimus uſquè ad quintum prædicabile, ubi, Deo concedente, plena manu examinanda erunt.

36. Arguitur tertiò contra ſecundam concluſionem. Principium contemplationis ſupereminentis poteſt elicere plures actus huius ſacratiſsimæ contemplationis : ergo non eſt gratia tranſiens. Ergo quòd ſit permanens tam longè abeſt, ut obſit, quòd potiùs prodeſt, ut dictam contemplationem eliciat. Secunda conſequentia ex ſe, & ex prima nota eſt. Prima inde liquet, quòd lumen tranſiens eſt impreſsio raptim communicata ſolùm pro unico actu. Antecedens autem probatur. Principium illud longè perfectius eſt, quàm habitus acquiſiti : ſed quivis habitus acquiſitus plures actus elicere valet : ergo & principium contemplationis ſeraphicæ. Præmiſſæ ſunt prorſùs certæ. & conſequentia indè liquet : quòd ex perfectione habitus acquiſiti provenit, quòd ipſe plurimos actus elicere queat.

Reſpondetur, omiſſo antecedenti, negando utramque conſequentiam. Et primæ ſubiuncta probatio nihil probat : quia quòd entitas ſit tranſiens,

aut

aut permanens, non desumitur ab eo, quòd unicum, aut plures actus eliciat; sed ab eo, quòd hoc exposcat ex natura sua. Vndè metaphysica diffinitio habitùs est, quod sit difficilè movilis à subiecto: quamvis post unius actus elicientiam pereat: Vndè charitas, & alia huiusmodi habitus sunt, quamquàm hoc ipsis evenire contingat. E converso autem lumen propheticum, & similia, licèt multùm à Deo conservarentur in mente recipientium, numquàm habitus rationem haberent. Et huius differentiæ ratio iam assignata est. Videlicèt, quòd, formam esse permanentem, aut transeuntem, non desumitur à permanentia, seu non permanentia nudè sumptis; sed ab ipsis, prout exactis à formæ natura, quæ permanet, aut non permanet. Vndè habitus modò acquisitus, seu infusus illicò amitti potest; quin per hoc habitum non esse, dicamus. Et lumen per modum transeuntis impressum diù durare valet, ut apparet in aere illuminato; quin per hoc conceptum transeuntis amittat. Quam scitissimam doctrinam elegantèr elucidat Caietanus 2. 2. q. 171. art. 2. terminis valde expressivis: nempè forma permanens est illa, quæ solùm in fieri dependet ab ipsam conferente. Ex hoc enim, quòd ipsa ex sua natura permanentiam exposcat, solùm indiget, quòd subiecto conferatur; ut in ipso, suà naturà inspectà, perseveret. Forma verò transiens illa est, quæ *in fieri*, & *conservari* dependet ab infundente. Ex eo enim, quòd ipsa est ex sua natura fluida; fluet quidèm, nisi ab infundente conservetur. Hæc dixerim, ut ostenderem, impertinens omninò esse ad rationem formæ permanentis, aut transeuntis, elicientia unius, aut plurium actuum: quocircà omissimus antecedens, negavimus que, quòd gratia gratis data non possit plures actus elicere, quamquàm transiens sit.

37. Dices: Doctrina tradita est rotundè oppositа D. Thomæ 3. contra Gentes cap. 154. in fine, ubi docet, gratias gratis datas transeuntèr infusas non deservire, nisi pro unico actu; ita ut ad alium actum v. g. prophetiæ, alium lumen propheticum requiratur.

Respondetur. Sensum D. Thomæ esse, quòd lumen transiens ex sua conditione non confertur, nisi pro unico act[illegible] conservare, plures actus elicere posse D. Thomas non negat. Nec nos dicimus, quòd illos, sua natura inspecta, elicit; sed quòd elicit, si conservetur: quam conservationem ex se non petit; illam tamen petit habitus acquisitus.

38. Replicabis: Habitus acquisitus ex sua perfectione habet, quòd ad plures actus se extendat ex natura sua: sed principium supereminentis contemplationis est perfectius habitu acquisito: ergo ex natura sua ad plures actus se extendit.

Respondetur distinguendo maiorem, *ex sua perfectione* quòad modum habendi, concedo: quoad rem habitam, nego maiorem, & distinguo minorem. *Est perfectius* quoad rem habitam, concedo: quoad modum illam habendi, nego minorem. Hæc replica destruit omnia principia transeuntia ordinis supernaturalis: quandoquidèm contra omnia illa fieri potest. Sed solutio nostra est D. Thomæ quæst. 12. de verit. art. 1. ubi ait: *Ad 7. dicendum, quòd habitus* infusus est perfectior, quàm acquisitus secundùm genus suum, scilicèt, ratione originis & ratione eius, propter quod datur, quod est altius eo, ad quod ordinatur habitus acquisitus. Sed quantùm ad modum habendi, vel perficiendi, nihil prohibet, habitum acquisitum perfectiorem esse, sicut patet, quòd per habitum fidei infusum non ita perfectè videmus credibilia, sicut per habitum scientiæ acquisitum conclusiones scientiarum. Et similitèr lumen propheticum, quamvis sit infusum, non tamen ita perfectè existit in nobis sicut habitus acquisiti: quod etiam digni-

ta-

tatem habituum infuſorum atteſtatur; quia ex eorum altitudine contingit, ut humana infirmitas *eos plenè poſsidere non poſsit*. Id ipſum, quòd D. Thomas docet de habitu acquiſito comparato cum infuſo, dicimus etiam, quantùm ad propoſitum, de ipſo habitu acquiſito relatè ad lumen propheticum, & aliud quodvis lumen, & quod ſit principium contemplationis ſeraphicæ, ut etiam ipſe S. Doctor facit.

39. Inſtas. D. Thomas idem dicit de habitu infuſo, ac de lumine prophetico comparatis cum habitu acquiſito, ut patet ex inducto teſtimonio: ergo vel non dantur habitus infuſi, vel lumen propheticum, & alia lumina, quæ contemplationis ſeraphicæ principia ſunt, ſunt habitus.

Reſpondetur diſtinguendo antecedens. *Idem dicit* cum diſcrimine inter habitum, & lumen, concedo: ſine diſcrimine, nego antecedens. Lumen elicitivum contemplationis ſupereminentis, & habitus infuſus v. g. fides, conveniunt in eo, quòd habitus acquiſitus eſt utraque perfectior ex parte modi habendi, propter improportionem, aut minorem proportionem, quam ſubiectum dicit cum entitate ſupernaturali, ipſum abſdubio excedente. Et in hoc conveniunt habitus infuſus, & principium contemplationis ſeraphicæ: ſicut etiam conveniunt in exceſſu, quem dicunt ex parte rei habitæ. Verùm diſcriminantur in eo, quòd, quia principium illius contemplationis ſuperius eſt habitu infuſo modo dicto, addit ſupra illum id, in quo, nedùm ab habitu acquiſito, verùm etiam ab infuſo ſecernitur, videlicèt, quòd nequeat communicari, niſi per modum tranſeuntis.

40. Inſurges. Nullum fundamentum adeſt in littera D. Thomæ ad ſtatuendum aſsignatum diſcrimen inter habitum infuſum, & principium contemplationis ſeraphicæ: ergo data doctrina reſpuenda eſt, ut voluntaria. Antecedens liquet ex ipſa lectione textus, & ex argumento, quod ibi ſolvit D. Thomas, in quo ſermo eſt de habitu infuſo comparato cum acquiſito; quin in eo, aut in ſolutione aliqua mentio fiat de lumine tranſeunte.

Reſpondetur negando antecedens, cuius probatio non ſubſiſtit: quia Div. Thomas, ut pleniſsimè argumentum ſolveret, de infuſo habitu, ac de lumine tranſeunti, paritèr infuſo, loquutus eſt. Primum patet in exemplo, quo utitur fidei infuſæ, quæ iuxta omnes Theologos habitus eſt. Secundum liquet exemplo, quod inducit luminis prophetici, quod iuxta eundem SS. Præceptorem non eſt habitus, ſed confertur tranſeuntèr. Eſt ego falſum, quod D. Thomas non loquatur de habitu, & lumine infuſis. De utroque loquitur, & utrumque ſuperare docet ex parte rei habitæ habitum acquiſitum; tametſi ex parte modi ſuperetur. Ex primo habetur exceſus ſimplicitèr entitatis infuſæ ſupra acquiſitam: & ex ſecundo nullam imperfectionem contrahit entitas ipſa infuſa. Quin potiùs ex dignitate, ac celſitudine ipſius provenit, quòd minùs perfectè ex parte modi inhæreat ſubiecto, quod nihil aliud eſt, niſi quod *humana infirmitas eam plenè poſsidere non poſsit*, ut ait laudatus D. Thomas, & hoc eſt clariſsimum argumentum celſitudinis entitatum infuſarum. Inter quas, quia aliæ ſunt ad ſalutem neceſſariæ, ut fides, dona, & huiuſmodi: & aliæ non ſunt neceſſariæ ad ſalutem, ut lumen propheticum, & alia lumina, quæ ſeraphicæ contemplationis principia ſunt: idcircò primæ conferuntur in eſſe habituum: ſecundæ verò tranſeuntèr, ſeu in eſſe diſpoſitionum. Primæ differunt in modo habendi ab habitu acquiſito, cum quo conveniunt in hoc, quòd permanentèr ſicut & ipſæ conferuntur: Secundæ diſcriminantur in modo habendi ab habitu acquiſito, & inſuperè ab ipſo, & à primis ſecernuntur per hoc, quòd, ob infirmitatem ſubiecti, raptim, ſeu tranſeuntèr infundantur. Et hoc eſt, quod clariſsimè in

illa

illa ſua ſolutione docet D. Thomas, & quod nos cum ipſo in noſtra ſolutione tradidimus. ¶ Plurima alia argumenta, quæ in hanc ſecundam concluſionem fieri poterant commodiùs infra propoſita conterentur.

§. III.

Vltimum aſſertum plenè reſpondens quæſito.

41. SIT ultima concluſio. ***Nulla gratia gratis data, ſive permanens, ſive tranſiens, ſive ad lineam non cognoſcitivam, ſive ad cognoſcitivam ſpectet, eſt principium elicitivum ſeraphicæ contemplationis.*** Hac concluſione plenè quod in præſenti diſquirimus, determinatur. Illam abſdubiò reputo de mente D. Thomæ: & ita clarè eſt conformis Angelici Præceptoris doctrinæ, ut percipere nequeam quo motivo aliqui S. Doctoris diſcipuli fideliſsimi contrarium opinentur. Noſtra ergo aſſertio probatur ſic primò, brevitèr, & efficacitèr eo ipſo principio, quod in præcedentibus conſideravimus. Etenim contemplatio ſupereminens eſt ſimplicitèr perfectior contemplatione elicita à donis: ergo eius elicitivum principium eſt donis perfectius. Ergo non eſt gratia gratis data. In comprobationem antecedentis, & primæ conſequentiæ affatim loquuti ſumus in hac, & in antecedenti quæſtione. Vndè aliquid aliud addere deobligamur. Probatur ſecunda conſequentia. Gratia gratis data eſt ſimplicitèr minùs perfecta donis: ergo nequit elicere contemplationem perfectiorem contemplatione donorum. Conſequentia liquet ex dictis, & antecedens probatur. Gratia gratis data eſt ſimplicitèr minus perfecta gratia gratum faciente: ſed dona ſpectant ad gratiam gratum facientem: ergo. Minor certiſsima de ſe eſt. Et maior probatur ex D. Thoma 1. 2. q. 111. art. 5. ubi inquiritur: *Vtrum gratia gratis data ſit dignior, quàm gratia gratum faciens?* Reſolutio eſt: *Et ideò gratia gratum faciens eſt multò excellentior, quàm gratia gratis data.* Hæc D. Thomas, quibus affatim probata manet propoſitio illa, cuius veritas præſentem controverſiam dirimit. Semèl enim quòd gratia gratis data aſſeratur minùs perfecta, quàm gratia gratum faciens, implicat omninò, quòd contemplatio, omnes vias contemplationes ſuperans, ſit actus talis gratiæ gratis datæ.

42. Aliundè autem probatur 2. concluſio, & ſimùl modò dicta roborantur. Etenim de principio, ſeu vi proximè eliciente contemplationem ſeraphicam, debet habitualitèr verificari quod actualitèr verificatur de ipſa contemplatione: ergo hæc non eſt actus gratiæ gratis datę. Antecedens certum eſt, & poteſt inductivè oſtendi in omni facultate, ſeu virtute proxima, quæ vel tranſeuntèr, vel permanentèr conferatur. V. g. quia actus charitatis eſt actualis tendentia in Deum finem ultimum ſupernaturalem, & actualis coniunctio cum ipſo ſupernaturali fine: hæc eadem habitualitèr in eadem charitate reperiuntur: & ſic de alijs. Ex quibus probatur multiplicitèr conſequentia. Primò ſic. Contemplatio ſupereminens exprimit actu fervidiſsimam charitatem in ſubiecto contemplante: ſed gratia gratis data, nec actu exprimit, nec petit exprimere, aut etiam ſuppenere charitatem; nedùm perfectiſsimam, verumetiam nec imperfectam, in ſubiecto talem gratiam habente: ergo contemplatio ſupereminens non eſt actus gratiæ gratis datę. Illatio legitima eſt, & maior evidens. Probatur minor ex laudato D. Thoma, qui art. 1. ait: *Ad 3. dicendum, quòd gratia gratum faciens addit aliquid ſupra rationem gratiæ gratis datæ, quod etiam ad rationem gratiæ pertinet, quia, ſcilicèt, hominem gratum facit Deo: & ideò gratia gratis data, quæ hæc non facit retinet ſibi nomen commune, ſicut in pluribus alijs contingit. Et ſic opponuntur duæ partes diviſionis, ſicut faciens gratum*

gratum, & non gratum faciens. Est dicere; quòd gratia gratis data non facit hominem gratum Deo. Vndè divisionem illam receptissimam gratiæ in gratum facientem, & gratis datam, de qua divisione in eo articulo agit Div. Thomas, alijs valdè idoneis terminis explicat ipse Doctor Sanctus in ultimis verbis allegati testimonij dicens: gratiam dividi adæquate in gratiam *facientem gratum, & gratiam non gratum facientem.* Quocirca gratia gratis data *facit* quidèm; sed non *facit gratum*; sed aliquid aliud, quod mox declarabitur. Nunc enim solummodò scire debemus, quòd ista gratia, exquo non gratum faciat, nullam dependentiam, aut connexionem dicit cum gratia gratum faciente: atque ideò non exprimit charitatem, nec illam exprimere petit, aut supponit. Et hoc est, quod asserit illa minor. Probatur secunda consequentia, & simul ratio præcedens expenditur. Contemplatio supereminens dicit actu summam, & perfectissimo gradu, repugnantiam cum peccato; quia illi opponitur, non solùm quia supponit, & exprimit charitatem; verumetiam, quia, ut dictum est, exprimit charitatem perfectissimam: sed gratia gratis data nullam repugnantiam dicit cum peccato; & ideò reperiri solet in peccatoribus: ergo idem quod priùs. ¶ Probatur tertia. Contemplatio supereminens est actualis assecutio, seu apprehensio (inchoata tamen) ultimi finis supernaturalis: sed gratia gratis data nullomodo hoc habet, ut patet ex proximè dictis: ergo tenet illa consequentia. Quæ ulteriùs pluribus suaderi posset: ast dicta sufficiunt, ut ostendatur, non adesse inter gratiam gratis datam, & seraphicam contemplationem illud, quod inter actum elicitum, & vim proximè illum elicientem reperiri, necessarium esse, diximus.

43 Possem propositum assertum suadere pluribus alijs discursibus, tum absolutè efformatis. Tum: ex Angelico Præceptore allegato art. 5. & alibi deductis. Verùm ab hoc labore excusat nos sola lectio illius 5. articuli, in quo discursus oferuntur legentibus, quibus veritas nostræ assertionis manifestissimè comprobetur. In eodem quoque articulo proponitur nobis D. Paulus edocens præcipuum fundamentum, cui innititur nostra conclusio. In epistola quippè 1. ad Corinth. capit. 12. vers. 31. inquit Apostolus: *Adhùc excellentiorem viam vobis demonstro.* Et, ut exponit Angelicus Doctor, *loquitur de charitate, quæ pertinet ad gratiam gratum facientem.* Ex quo infert: *ergo gratia gratum faciens excellentior est, quàm gratia gratis data.* Vndè, si principium actus simplicitèr perfectioris debet esse simplicitèr perfectius, fit consequens, quòd principium seraphicæ contemplationis non sit gratia gratis data.

§. IV.

Adversariorum evasio proponitur, & conteritur.

44. NOster Philippus à SS. Trinitate in sua mystica Theologia 2. part. tract. 3. art. 4. Et Myst. Directorium tract. 3. disp. 4. sect. 4. nobiscum conveniunt in hoc, quòd gratia gratum faciens superet gratis datam propter motiva, quæ nos omnes docuit præadductus S. Thomas. Cum hoc tamen, quòd, ut veri Angelici Magistri Sectatores, fatentur, firmissimè tenent: dari contemplationem contemplatione à donis proveniente perfectiorem: Quam oriri dicunt à lumine, quod est altius donis Spiritus Sancti. Et hoc lumen, docent, esse gratias gratis datas: scilicèt, sapientiam, fidem, lumen, propheticum, & scientiam. Quomodò autem hæc, adeò inter se pugnantia, amicabili vinculo fœderentur, aperire nititur, dum sequentia scribit, Directorium. (Idem docet N. Philippus) *Dicuntur tamen gratiæ gratis datæ altiores, & digniores, quàm dona Spiritus*

piritus Sancti ; quia ordinantur ad bonum commune Ecclesiæ : & quia rariùs , & extraordinariè conceduntur; nam dona Spiritus Sancti , quamvis supernaturalia ; sunt tamen iustis ordinaria: dicuntur etiam altiores, quia clarius sunt in manifestando , & efficacius in penetrando. Hactenùs gravissimus hic Theologus: qui ex triplici capite componit, quòd gratia gratis data sit superior donis , quæ illam gratiam in perfectione superant. Primum caput est : quòd gratiæ gratis datæ ordinantur *ad bonum commune Ecclesiæ.* Secundum est, quòd *rariùs , & extraordinariè conceduntur.* Tertium deniquè , quòd *sunt clariores in manifestando , & efficaciores in penetrando.* Præter hæc tria in omnibus alijs præstat gratia gratum faciens ; atque ideò verum est, & quòd hæc illam simpliciter superet, & quòd considerato excessu ab his tribus capitibus orto , gratia gratis data gratum facientem superare dicatur.

45 Hæc præfatus Theologus , cuius doctrinam imperceptibilem reor. Vndè contra illam disputo sic primò. Contemplatio , de qua loquimur , omnes alias contemplationes simplicitèr superat, una excepta visione beatifica: ergo principium ipsius simplicitèr excedit principia aliarum contemplationum , beatifica visione excepta. Ergo gratia gratis data , quæ ponitur principium contemplationis supereminentis, est simplicitèr perfectior donis. Antecedens certum est , etiam apud authores , contra quos disputamus. Quocircà contemplatio illa dicitur seraphica à perfectione illorum cælestium spirituum , qui omnes alios creatos simplicitèr excedunt. Dicitur *supereminens* , quia omnibus alijs contemplationibus præeminet. Dicitur *visio* ob propinquitatem ad visionem beatificam, quam aliæ contemplationes non dicunt. Dicitur *visio* , quia non procedit per negationem , sed per affirmationem , & per proprias species obiectorum, etiam supernaturalium , dicentium connexionem cum Deo authore supernaturali, quem eoipsò cognoscit quoad *an est*. Hæc est contemplatio , de qua loquimur , quæ propter assignata attributa facilè superat excessu simplicitèr omnes alias contemplationes infra visionem beatam.

Prima consequentia ex antecedenti legitimè deducta est. Si namque hæc contemplatio alijs simpliciter præstat : etiam principium formale ipsius debet aliarum principia simplicitèr superare. Tum : Ob reciprocam correspondentiam inter actum , & eius principium formale. Tum : quia actus præcontinetur in principio. Tum etiam: quia habet speciem ab ipso , prout terminum , seu obiectum præcontinente. Hinc que evidentèr cognoscitur bonitas secundæ consequentiæ. Vndè vel non ponatur gratia gratis data principium contemplationis seraphicæ : vel ponatur perfectior simplicitèr alijs principijs aliarum contemplationum , etiam si ad lineam gratiæ gratum facientis spectent ; sicut contemplatio , quam elicit , alijs contemplationibus perfectior est.

46. Expenditur , & urgetur facta impugnatio. Etenim vel excessus proveniens ab his tribus capitibus est simplicitèr talis , vel est talis secundumquid: sed primum est prorsùs falsum , & secundum nihil prodest oppositæ sententiæ : ergo & ipsa falsa est. Probo minorem pro secunda parte. Lumen secundumquid perfectius caret viribus ad eliciendum actum simplicitèr perfectiorem actu elicito à principio simplicitèr excedente lumen illud: sed contemplatio seraphica est actus simplicitèr perfectior contemplatione donorum , quæ excedunt simplicitèr gratiam gratis datam : ergo , quòd huius gratiæ excessus sit talis secundumquid , nihil prodest oppositæ sententiæ. Consequentia bona est. Minor certa ; quia si gratia gratis data secundumquid tantùm excedit , exceditur simplicitèr à donis. Vndè remanent

iſta ſimplicitèr perfectiora. Maior etiam liquet : quia contemplatio ſeraphica ſuperat ſimplicitèr contemplationem donorum : ſed ob iſtum exceſſum eſt gratia gratis data incapax eliciendi contemplationem donorum ; ſi tantùm ſecundumquid dona excedit: ergo potiori iure eſt inſuficiens , ut eliciat contemplationem ſeraphicam. [redacted] ſecundumquid excedit dona , redeunt , quotquot allata ſunt , ut impoſsibilitas huius elicientiæ oſtenderetur : quandoquidèm non verificatur reciproca proportio, quæ adeſſe debet inter virtutem proximè elicientem actum , & ipſum actum elicitum: neque verificatur , quòd contemplatio ſupereminens ſit actus luminis abſolutè altioris donorum lumine : ſicut oppoſitus dicendi modus introducere ſatagit.

Secunda pars illius minoris principalis , ſcilicèt , quòd exceſſus proveniens à tribus illis capitibus nequeat eſſe ſimplicitèr talis , probatur etiam. Dona excedunt ſimplicitèr gratiam gratis datam : ergo falſum prorsùs eſt , quòd gratia gratis data ſuperet ſimplicitèr dona. Patet iſta. Quia quamquàm duo poſsint reciprocè ſe habere ut excedens , & exceſſum , quod frequentiſsimum eſt : hoc tamen ita intelligi debet , ut excedens ſimplicitèr aliud , excedatur ab illo ſecundumquid : aut etiam ; quòd excedens ſecundumquid in uno , ſecundumquid excedatur in alio. Aſt quòd è duobus unum excedat ſimplicitèr aliud , à quo ſimplicitèr excedatur , res eſt impoſsibilis : cuius ratio in promptu eſt : nam exceſſus ſimplicitèr deſumitur à rerum naturis, ſeu prædicatis quidditativis. Quia quæ hæc prædicata quidditativa idem ſempèr , & invariabilitèr ſunt : idcircò eſt prorsùs implicatorium , quòd excedens ſimplicitèr alium , ab eodem ſimplicitèr ſuperetur : tunc enim ſuperare ſimplicitèr , & ſimplicitèr ſuperari ab eadem radice formalitèr proveniret ; quod impoſsibile eſt.

47. Antecedens autem , nempè: Dona excedunt ſimplicitèr gratiam gratis datam ab ipſa ſententia oppoſita diſco : allegato quippè loco hæc ait: *Quando dicimus , dari principium formale elicitivum contemplationis altius donis Spiritus Sancti non eſt intelligendum , quòd gratiæ gratis datæ , de quibus in hac ſectione diſputatur , ſint aliquid altius , & perfectius donis Spiritus Sancti.* Rationemque huius reddere volens, ſubiungit: *Nam gratia* gratis data non eſt dignior gratia gratum faciente , quia unaquæque virtus tantò excellentior eſt , quantò ad altius bonum ordinatur : ſempèr autem finis excellentior eſt illis , quæ ſunt ad finem : gratia autem gratum faciens ordinat hominem immediatè ad coniunctionem ultimi finis : gratiæ autem gratis datæ ordinant hominem ad quædam præparatoria finis ultimi , ſicut per prophetiam, & miracula , & alia huiuſmodi homines inducuntur , ad hoc , ut ultimo fini coniungantur. *Dicuntur tamen gratiæ gratis datæ altiores* &c. ut num. 44. Modò ſic ſubſumo: ſed hæc ratio evincit exceſſum ſimplicitèr gratiæ gratum facientis ſupra gratis datam : ergo ex conceſsis ab adverſa ſententia , gratia gratis data eſt ſimplicitèr minùs perfecta. Probatur minor. Tum : quia eſt perſe nota. Tum etiam : quia ille diſcurſus deſumptus eſt ex D. Thoma eo articulo 5. ſed ibi probat Angelicus Doctor exceſſum ſimplicitèr talem gratiæ gratum facientis: ergo hunc exceſſum probat ea ratio , adhùc in dictamine ſententiæ oppoſitæ ea ratione utentis.

48. His ſolùm adverſam doctrinam confutari reor. Contra illam tamen diſputo 3. factum diſcurſum roborans ex his , quæ ipſi adverſarii concedunt. Etenim gratia gratis data dicitur perfectior donis , quia per ſe clarius manifeſtat , & perfectiùs penetrat veritatem : ergo eſt perfectior perfectione ſimplicitèr , & ex genere. Probo conſe-

ſequentiam: lumen ex ſe clarius in manifeſtando, & efficacius in penetrando ſuperat ex genere lumen ex ſe minus clarum, & efficax: Iuxta contrarios gratia gratis data ex ſe eſt lumen clarius, & efficacius donorum lumine: ergo eſt ſimplicitèr perfectior. Bona eſt conſequentia, & minor liquet ex doctrina adverſa loco citato: ubi abſdubio ſermo per ſe, & formalis eſt; ſi namque gratia gratis data non ex ſe, ſed aliundè clarior, & efficacior foret, inſulsè procederent adverſarij. Maior autem eſt per ſe nota, poteſtque inductivè oſtendi in omni lumine, ſive materiale ſit, ſive ſpirituale, ſive naturale, ſive ſupernaturale. Quandoquidèm lumen ſolis ex genere ſuperat alia lumina materalia, quia ex ſe clarius, & efficacius eſt. Similitèr lumen ſpirituale ſupernaturale ſimplicitèr perfectius eſt lumine ſpirituali naturali propter eamdem rationem. Et inter ipſa lumina ſupernaturalia idem exceſſus reperitur, ortus à maiori claritate, & efficacitate, quibus manifeſtant, penetrant que illuminata. Et hoc vividiùs apparet in lumine gloriæ, omnia creata lumina ob ipſum motivum ſuperante. Eſt ergo verum, quòd exceſſus ille eſt ſimplicitèr, & ex genere talis.

49. Diſputo 4. contra ſecundum caput ex tribus alsignatis à ſententia contraria. Quòd gratia gratis data rariùs concedatur, quàm dona, non eſt motivum, ut dicatur eminentior donis: ergo data doctrina non tenet. Probatur antecedens. In bona metaphyſica non poteſt eſſe vera hæc propoſitio, *gratia gratis data eſt perfectior donis, quia rariùs conceditur*: quin vera ſit iſta propoſitio: *Id, quòd conceditur rariùs, eſt perfectius*: atqui ſecunda propoſitio eſt falſa: ergo & prima. Maior liquet: quia propoſitio particularis in aliqua univerſali debet radicari, & ab ea provenire. Quòd velint, nolint, concedere debent doctiſsimi Adverſarij: nam ſi negetur, ut reipſa negamus, hæc propoſitio: *gratia gratis data eſt perfectior, quia rariùs confertur*, non aliundè illam probare intenderent, niſi recurſu ad illam univerſalem; ſinminùs, ſi ad aliquid privativè proprium gratiæ gratis datæ recurrerent, iam ſuam illam cauſalem deſererent. Adde: quòd cauſalis in propoſitione facit illam æquivalere univerſali. Vndè dicere: *Petrus eſt diſcurſivus, quia eſt rationalis*; æquivalet iſti: *omne diſcurſivum eſt rationale*. Nec poteſt eſſe verum, quòd Petrus, quia rationalis, ſit diſcurſivus; quin hoc omni rationali conveniat.

Minor autem, nempè, quòd ſecunda illa propoſitio ſit falſa, probatur 1. à priori. Perfectio ſimplicitèr rei deſumitur, ut dictum eſt, à ſuis prædicatis quidditativis: quòd rariùs, aut non rariùs; & quòd omnibus, aut non omnibus concedatur res, eſt extra prædicata quidditativa cuiuſcumque rei; ſalva quippè quidditate ipſius, poteſt omnibus, vel non omnibus, rariùs, vel non rariùs concedi, ut patet in lumine gloriæ, quòd ſi Deus modò concederet, ut poteſt, omnibus ſuperſtitibus, non eſſet minus perfectum tunc, quàm priùs; nec in eo caſu eſſet inferius gratijs gratis datis, quæ *rariùs, & extraordinariè conceduntur*: ergo falſa eſt illa propoſitio. ¶ Secundò poteſt probari ipſa minor argumento deſumpto à gratia ſanctificante, & charitate, quæ ſemper, & omnibus iuſtis conferuntur; & eſt pluſquam falſum præponere gratias gratis datas gratiæ habituali, & charitate, dicente, ut iam vidimus, D. Paulo 1. ad Corinth. 12. verſ. 31. *Adhùc excellentiorem viam vobis demonſtro*: quod dixit incipiens agere de charitate, poſtquam de gratijs gratis datis egerat. Et cap. 3. oſtendit, gratias gratis datas nihil prodeſſe (intellige recipienti) ſine charitate. Vbi D. Thomas ait: *Agit de charitate, quæ inſeperabiliter concommitatur gratiam gratum facientem. Et quia promiſſerat eis, ſe demonſtraturum viam excellentiorem. oſtendit præeminentiam charitatis ad*

cætera gratuita dona. Mitto plura, quia pervia ſunt.

50. Diſputo 5. contra primum motivum horum authorum, quo ducuntur, ut aſtruant, gratias gratis datas eſſe altiores: videlicèt, quia *ordinantur ab bonum commune Eccleſiæ.* Sic que procedo: ex quo gratia gratis data ordinetur ab bonum Eccleſiæ commune, non habet, quòd ea, quæ ſunt lineæ gratiæ gratum facientis ſuperet: ergo poſitio contraria futili nititur fundamento. Probatur antecedens 1. ex dictis numero præcedenti. Hic enim ponitur alia cauſalis, cuius veritas conſiſtere nequit, quin verum ſit, quòd omne illud, quod in bonum commune Eccleſiæ ordinatur, ſit perfectius eo, quod dirigitur in bonum particularis; ſed hoc numquàm poterunt adverſarij ſuadere. Secùs autem gratia gratis data perfectior erit ipſa gratia ſanctificante, & charitate, quæ in bonum habentis diriguntur. Sed probatur *ſecundò*, & evidentèr antecedens, cui adverſarij proculdubio refragantur. Angelicus enim Doctor in dicto articulo 5. contra ſuam reſolutionem arguit ſic: *Bonum gentis eſt melius, quàm bonum unius, ut Philoſophus dicit in 1. Ethic. Sed gratia gratum faciens ordinatur ſolùm ad bonum unius hominis; gratia autem gratis data ordinatur ad bonum commune totius Eccleſiæ, ut ſupra dictum eſt: ergo gratia gratis data eſt dignior, quàm gratia gratum faciens.* Ecce argumentum, quod in ſuam doctrinam obiicit D. Thomas, & continet ipſiſsimam adverſam poſitionem.

Illud ergo ſic ſolvit Angelicus Magiſter: *Ad primum ergo dicendum, quòd ſicut Philoſophus dicit in 11. Meteor. Bonum multitudinis, ſicut exercitus, eſt duplex. Vnum quidem quòd eſt in ipſa multitudine, putà ordo exercitus: aliud autem eſt, quod eſt ſeparatum à multitudine, ſicut bonum Ducis & hoc eſt melius: quia ad hoc etiam illud aliud ordinatur. Gratia autem gratis data ordinatur ad bonum commune Eccleſiæ, quod eſt ordo Eccleſiaſticus: ſed gratia gratum faciens ordinatur ad bonum commune ſeparatum, quod eſt ipſe Deus. Et ideò gratia gratum faciens eſt nobilior.* Hæc S. Thomas, quibus nihil addendum.

51. Neque ſolùm ob dicta mihi diſplicet exiſtimatio illorum authorum: aliundè quippè diſplicet primò. Quia de ſapientia gratis data ea dicunt, quæ conſona veritati non ſunt. Itaquè ſapientia gratis data non dicitur principium alicuius contemplationis, quà ſapientiam habens obiectum contempletur; ſed de formali dicit habilitatem, qua habens ſapientiam gaudet *ut poſsit perſuadere ea, quæ ad cognitionem divinorum pertinet*, ait S. Thomas loco citato ex ad Corinth. cap. 12. Quocircà D. Paulus non dicit, quòd ſapientia eſt gratia gratis data, ſed *ſermo ſapientiæ.* Hoc que exponens D. Thomas ibi inquit: *Vndè Apoſtolus ſignantèr inter gratias gratis datas non ponit ſapientiam, & ſcientiam, ſed ſermonem ſapientiæ, & ſcientiæ, quæ pertinent ad hoc ut homo alijs perſuadère valeat per ſermonem ea, quæ ſunt ſapientiæ, & ſcientiæ.* Quid clariùs dici poteſt, ut aliud eſſe ſapientiam, & ſcientiam; & aliud ſcientiæ, & ſapientiæ ſermonem monſtraretur? Illæ ſapientia, & ſcientia, quas de connotato memorat D. Paulus, ſunt dona Spiritus Sancti. Earum autem ſermo, hoc eſt, quòd *homo alijs perſuadere valeat per ſermonem ea, quæ ſunt ſapientiæ, & ſcientiæ, eſt gratia gratis data.* Hanc Angelici Magiſtri doctrinam edocti Patres Salmanticenſes, qui in arbore virtutum num. 165. dixere: *Secunda gratia eſt ſermo ſapientiæ, & tertia ſermo ſcientiæ: quæ communi nomine vocantur gratia ſermonis quæſt.* 177. *art.* 1. *deſignant autem non ipſos habitus ſcientiæ, & ſapientiæ, quæ ſunt dona, vel virtutes; ſed peculiarem gratiam,*

tiam, quam habent aliqui in loquendo, & ſermocinando, iuxta id, quod de Deo, & rebus ad ſalutem conducentibus per ſapientiam, & ſcientiam aſſequuntur. Vide: quòd ſapientia gratis data nihil aliud eſt, niſi ſpecialis gratia, qua aliquis gaudet ad loquendum, & ſermocinandum; ita ut verborum claritate, exemplorum abundantia, ac ſententiarum facundia, & proprietate exeat ſermo idoneus ad inſtruendum intellectum: verborum ſuavitate audientium affectum moveat: ſit que perſuaſivus, & efficax ad flectendum animos auditorum. Hæ ſunt ſapientia, ac ſcientia gratis datæ, ſeu, ut loquitur Sanctus Thomas, *gratia ſermonis*: qua videmus decorari plurimos, qui in Sacræ Theologiæ ſpeculatione parum olei inſumplerunt, & in exercitio virtutum, an aliquid profecerint ignoramus. E contra verò alij interdùm doctiſsimi, & virtutum exercitio, quantum capimus, dedictiſsimi, non ea *gratia ſermonis* exornantur. Quo evidens fit, *gratiam ſermonis* non eſſe ſapientiam, aut ſcientiam; ſed aliquid ab ijſdem, ut minùs formaliter diverſum. Diximus, *ut minùs formaliter*, propter illa, quæ mòx numero ſequenti declarabimus.

52. Authores contrarij, ni fallor, deceptionem pati videntur, autumantes, diſcrimen verſans inter gratiam gratum facientem, gratis datam conſiſtere in eo, quòd prima ſit neceſſaria ad ſalutem, & ſecunda non ſit ad ſalutem neceſſaria. Hoc, quantum capio, eorum verba ſonant. Nec præſentis loci eſt diſcrimina inter iſtas gratias deſignare. Sat fuerit pro nunc ſcire, illud diſcrimen, quod unicè à ſententia contraria cognoſci videtur, non ſubſiſtere. Quia ex una parte falſum eſt, quòd gratia gratis data abſolutè non ſit ad ſalutem neceſſaria: & ex alia falſum quoque eſt, quòd gratia gratum faciens, ſi ſecundùm omnia, quæ comprehendit, intelligatur, ſit ad ſalutis conſecutionem neceſſaria. Primum patet: quoniam licèt gratia gratis data non dirigatur ad iuſtificationem ſubiecti, in quo eſt; dirigitur tamen ad iuſtificationem aliorum. Similitèr quamquàm non debeant omnes eæ gratiæ dari in omnibus ſempèr: eſt nihilominùs neceſſarium pro utilitate animarum, quòd aliqui his gratijs [illegible] fulgeant ad inſarum remedium. Secundum etiam conſtat: quia ex oppoſito fieret, quòd gratia requiſita ad ſeraphicam contemplationem, & ad quamcumque contemplationem infuſam, acquiſitam que: & etiam orationem mentalem, & univerſalitèr quodcumque gratiæ ſupernaturalis auxilium præſtitum pro actu, ſine quo homo ſalvari poteſt, ſit gratia gratis data: quod neutiquàm tenendum eſt. Neque in præſenti poſſumus in horum accurata indagine detineri. Vndè ea ad propriam ſedem reſervata, dicimus, quòd quantum per præſens licet, & ſatis, ſuper que eſt, gratia gratum faciens in hoc adæquatè dividitur à gratis data: quod prima reſpicit commodum, ſeu ſalutem propriam, velut habendam, ſi non habet; vel, ſi iam habet, ut perficiendam, & conſervandam. Secunda verò dirigitur ad ſalutem aliorum. Hoc ſecundum expreſsè adocetur ab Apoſtolo loco citato ex epiſtol. ad Corinth. ubi ait: *Vnicuique autem datur manifeſtatio Spiritus ad utilitatem*, & exponit ibidem D. Thomas, *ſcilicèt, communem.* Non dantur gratiæ gratis datæ ad utilitatem privatam, ſed *communem*; non ad utilitatem propriam, ſed aliorum. Hinc que planè conſtat illud primum: quia gratia quæcumque illa ſit, confertur à Deo ad utilitatem: quæ utilitas eſt, vel propria, vel aliena: nec in hoc medium aliquod imaginabile eſt. Vndè ſi gratia gratis data eſt, quæ reſpicit utilitatem alienam; gratia gratum faciens relinquitur, quòd reſpiciat propriam habentis utilitatem. Quocircà gratia, quà illam ſuſcipiens, propriæ ſalutis ſtudet, ſivè ſit in præcepti urgentis

gentis

gentis adimpletione, quod neccſſarium ad ſalutem eſt; ſive in faciendo actum præcepti, tunc non obligantis, aut conſilij: quem actum, certum eſt, non eſſe ad ſalutem neceſſarium: hæc, inquam, gratia eſt gratum faciens, & nequaquàm inter gratias gratis datas accenſeri debet.

53. Hinc jam planiſsimè liquet, quid circà adverſam æquivocationem dici debeat. Fatemur enim, ſapientiam, ſcientiam, & fidem, quæ ſunt gratiæ gratis datæ, dicere inſignem cognitionem rerum ad ipſas pertinentium; ita ut habens illam altiſsimam cognitionem, queat aliorum eſſe Magiſter, ut tenet D. Thomas dicta quæſtione 111. art. 4. Verùm in hac inſigni cognitione diſtinguendum eſt id, quòd habet relatè ad habentem illam, & id, quod habet per ordinem ad alios. Sub ſecunda conſideratione eſt gratia gratis data. Sub prima eſt gratum faciens. Vndè eadem entitas utramque formalitatem ſubit; eæ formalitates ſunt adeò diverſæ, ut patet ex eo, quòd una ad unum perfectiſsimum genus, & alia ad aliud non æquè perfectum attineat. Quocircà in fine numeri præcedentis dictum eſt, ſufficere ad pluralitatem gratiarum dictam formalitatum diverſitatem. Iam que hanc ipſam doctrinam tradidimus tom. 2. diſput. 11. à num. 56. Vbi ex Eminentiſsimo Cajetano hæc dictavimus: *Formaliter enim intelligendum eſt, cum dicitur quòd gratia gratis data non gratum facit*; de quo infrà aliquid dicendum eſt.

Diſplicet ſecundò præfata doctrina. Quia de ſcientia gratis data nullam mentionem facit, dicens, an ſit, vel non principium contemplationis ſupereminentis, quàm fieri debuiſſe, perſuadet, quòd meminerit aliarum omnium gratiarum ad lineam cognoſcitivam ſpectantium, vt ſunt lumen propheticum, fides, & ſapientia. De ſcientia nihil modò dicit; cùm tamen in ipſa reperiatur idem fundamentum, ac in alijs, ut aſtruatur principium illius comtemplationis. Neque proderit recurrere ad ſcientiam, de qua ibi agunt: nam illa eſt ſcientia per ſe infuſa, quæ diverſiſsima eſt à ſcientia gratis data, ut pluribus oſtendi poterat: nec credimus, ſententiam oppoſitam pro eadem ſcientia reputare utramque illam ſcientiam. Et ex hoc aliud diſplicentiæ motivum reſultare liquet; nam ſcientia per ſe infuſa, ut infra videbimus non eſt gratia gratis data. Vndè illam inter gratias gratis datas numerari, non poteſt non diſplicère. In his tamen non moramur; quia parùm ad noſtrum propoſitum ſpectare videntur.

***

§. V.

Multiplex argumentum in uno proponitur.

54. COntra ultimam aſſertionem communiſsimè ſentiunt Myſtici Authores cenſentes contemplationem ſeraphicam, de qua in præſenti agitur, eſſe actum alicuius ex gratijs gratis datis. Dixi *de qua, &c.* Quia ſi loquerentur de contemplatione quadam ſeraphica, ad cuius elicientiam concurrit auxilium tranſiens: ſed quæ minùs perfecta ſit, quàm illa, de qua agimus, non illis opponeremur: hæc autem in ſolutione argumenti declarantur. Cùm autem loquantur de contemplatione ſupereminenti, qua ſub fide nulla maior, aut æqualis eſt, non poſſum eorum dictamini acquieſcere. Pro illis ergo arguitur ex D. Thoma, qui 2. 2. quæſt. 45. art. 5. ait: *Quidam autem altiori gradu percipiunt ſapientiæ donum: & quantum ad contemplationem Divinorum, in quantum ſcilicèt, altiora quædam myſteria & cognoſcunt, & alijs manifeſtare poſſunt, & etiam quantum ad directionem humanorum ſecundùm regulas Divinas, in quantum poſſunt ſecundùm eas, non ſolùm*

solùm se ipsos, sed etiam alios ordinare. Et iste gradus sapientiæ non est communis omnibus habentibus gratiam gratum facientem, sed magis pertinet ad gratias gratis datas, quas Spiritus Sanctus distribuit, prout vult, secundùm illud 1. *ad Corinth.* 12. *Alij datur per spiritum sermo sapientiæ*, &c. Hæc D. Thomas postquam egerat de sapientia, prout est donum; atque ideò omnibus necessarium ad salutem. Vndè eo loci dupliciter considerat Divinam sapientiam S. Thomas. Primò, ut donum; sic que necessariam ad salutem astruit. Secundò, ut gratia gratis data; & sic ad salutem non esse necessariam docet. Vtroque modo sumpta Divina sapientia dicitur ab Angelico Doctore contemplationis principium: prout donum dicit contemplationem perfectissimam, sed quæ ad gradum seraphicæ contemplationis, de qua agimus, non spectet. Prout est gratia gratis data, habet actum nobilissimum, qui est supereminens contemplatio. Hæc omnia ex ipsa littera clara sunt. Est ergo de mente D. Thomæ, quòd gratia gratis data principium sit contemplationis seraphicæ. Ex quo testimonio triplex discursus eruitur adversùs nostram assertionem, quorum prior suadet, contemplationem supereminentem esse actum sapientiæ gratis datæ: posterior verò convincere intendit, alias gratias cognoscitivas esse principia eiusdem contemplationis. Et iste bipartitur, ut ex dicendis liquebit.

55. Primum eorum est. Sapientia supernaturalis, altiori gradu percepta, est gratia gratis data: Sapientia, prout sic, est principium contemplationis supereminentis: ergo huius principium est gratia gratis data. Illatio bona est. Maior liquet ex testimonio inducto, ex quo etiam minor probatur. Contemplatio seraphica, seu supereminens, est altissima cognitio altiorum mysteriorum, prout omnes in præsenti fatentur; sed huius cognitionis principium est sapientia supernaturalis altiori gradu percepta: ergo. Omnia ex data authoritate nota sunt. Verùm, quia non diximus, solam sapientiam non esse principium supereminentis contemplationis; sed etiam alias ex gratijs gratis datis. Ideò ex eodem principio.

56. Secundus discursus sic procedit. Contemplatio supereminens provenit à sapientia, prout est gratia gratis data: ergo & ab alijs gratijs provenit, in quibus idem fundamentum reperitur. Antecedens constat ex dictis, & consequentia probatur primò. Quia non est assignabile motivum, ut sapientia sit principium contemplationis seraphicæ, & non competat hoc ipsum scientiæ, fidei, & prophetiæ, & alijs, si quæ sunt, in quibus ipsum fundamentum reperiatur. ¶ Secundò probatur. Ideò sapientia est principium illius contemplationis, quia est lumen impressum a Spiritu Sancto, quo mens elevatur ad altissimam contemplationem altiorum mysteriorum: sed scientia, fides, & illustratio prophetica elevant pariter mentem ad illam altissimam cognitionem: ergo. ¶ Probatur tertiò. Non solùm sapientia, quæ est donum Spiritus Sancti, verùm etiam scientia, & intellectus sunt principia contemplationis sublimis: ergo supereminentis contemplationis non solùm sapientia gratis data, sed etiam scientia, fides, & prophetia principia sunt. Antecedens est certum, constat que ex dictis tomo præcedenti pluribus in locis, & præsertim disp. 13. & consequentiam suadet paritas. Eò enim non solùm à dono sapientiæ, sed etiam à dono scientiæ, & intellectus est illa contemplatio, quia omnia illa dona conveniunt in hoc, quòd sint principia elevantia mentem ad sublimem contemplationem Divinorum; quamquàm inter se peculiaribus suis differentijs discriminentur: sed licèt sapientia, scientia, fides, & prophetia, quæ sunt gratiæ gratis datæ discriminentur in suis peculiaribus differentijs; conveniunt tamen in hoc, quòd mentem elevent ad cognitionem supereminentem

tem Divinorum: ergo ex eo, quòd ſapientia gratis data ſit principium contemplationis ſupereminentis, ſit conſequens, quòd etiam aliæ gratiæ gratis datæ talem contemplationem eliciant.

57. Tertiùs diſcurſus ex præcedenti deductus dirigitur ad ſolum lumen propheticum, in quo ſpecialiſsimè urgent ea, quæ de aliis gratiis cognoſcitivis dicta ſunt. Aſſumptum iſtud patet. Quia, ſi ſapientia, quæ eſt gratia gratis data, eſt principium contemplationis ſupereminentis, uti à D. Thoma audivimus; idem convenire lumini prophetico probat primò. Quòd contemplationes illæ quæſt. 1. num. 6. & ſequentibus, propoſitæ, ſunt contemplationes ſupereminentes, ut fert communis opinio: ſed iuxta ſatis communem ſententiam eæ contemplationes fuere actus luminis prophetici: ergo huic denegari non debet, quòd ſit principium elicitivum contemplationis ſeraphicæ. ¶ Id ipſum probat ſecundò doctrina D. Thomæ 2. 2. quæſt. 174. art. 2. ubi tamquam certum ſupponit, prophetiam eſſe principium contemplationis ſeraphicæ his verbis: *Manifeſtum eſt autem, quòd manifeſtatio Divinæ veritatis, quæ fit per nudam contemplationem ipſius veritatis, potior eſt*, &c. *Magis enim apropinquat ad viſionem patriæ, ſecundum quam in eſſentia Dei veritas conſpicitur.* Hæc Angelicus Doctor, qui innumeris alijs in locis idem docet de lumine prophetico. Sic que communitèr ſentiunt PP. ac Theologi: ſi quidèm communitèr ab omnibus edocetur, lumen propheticum principium eſſe contemplationis ſupereminentis. ¶ Probat tertiò. Quòd ideò lumen propheticum non eſſet principium contemplationis ſupereminentis; quia ex ſe non dicit connexionem cum gratia ſanctificante: quandoquidèm reperiri poteſt in peccatore: ſed etiam ſapientia, & ſcientia infuſa poſſunt reperiri in peccatore: ergo ſi hoc non obſtat, ſapientiæ, & ſcientiæ, ut poſsint ſeraphicam contemplationem elicere; nec obſtabit, quominùs lumen propheticum principium ſit ipſius contemplationis. Maior certa eſt, conſtat que ex multotiès dictis in præſenti diſputatione. Minor de ſe patet; quia non implicat, quòd Deus alicui in peccato mortali exiſtenti infundat ſapientiam, ſupernaturalem, aut naturalem, ut docent PP. Salmanticenſes in arbore virtutum num. 166. per hæc verba: *Ad hanc etiam gratiam* ſpectare videtur, cum Deus aliquibus ſcientiam, ſive naturalem, ſive ſupernaturalem, diſtinctam tamen à donis Spiritus Sancti, ad erudiendos alios infundit: quia talis ſcientia non eſt per ſe connexa cum gratia gratum faciente; & ſic referenda eſt *ad gratias gratis datas.* ¶ Conſequentia à paritate conſtat; quia nullum prudens diſcrimen aſsignari poteſt inter ſapientiam ſupernaturalem, quam D. Thomas ponit principium contemplationis ſeraphicæ, & lumen propheticæ: quia ſicut ſapientia gratis data poteſt ita communicari, ut poſsit illam contemplationem elicere; ſic etiam conferri valet lumen propheticum. Quæ doctrina, de ſe pervia, edocetur à D. Thoma in ad Chorinth. 1. cap. 10. lect. 2. ubi ait, quòd Spiritus Sanctus duplicitèr manifeſtatur per gratias gratis datas; ſeu, & eſt idem, quòd gratiæ gratis datæ duplicitèr impertiuntur. Verba D. Thomæ ſunt: Communicatur (Spiritus Sanctus) *uno modo, ut inhabitans Eccleſiam, & docens, & ſanctificans eam, puta cum aliquis peccator, quem non inhabitat Spiritus Sanctus faciat miracula ad oſtendendum, quòd fides Eccleſiæ, quam ipſe prædicat, ſit vera. Alio modo manifeſtatur per eiuſmodi gratias Spiritus Sanctus, ut inhabitans cum cui tales gratiæ conceduntur. Vndè dicitur Actuum 6. quòd Stephanus plenus gratia faciebat prodigia, & ſigna multa, quem Spiritu Sancto plenum elegerunt. Sic autem non conceduntur huiuſmodi gratiæ niſi Sanctis.* Ex quibus ſic brevitèr urgetur factus diſcurſus.

ſus. Sapientia infuſa, prout non conceditur niſi Sanctis, eſt principium contemplationis ſupereminentis, iuxta ſupra laudatum D. Thomam: ergo lumen propheticum, prout non confertur niſi Sanctis, eſt paritèr dictæ contemplationis principium.

§. VI.

Argumenti ſolutio, & totius doctrinæ præcedentis accurata explicatio.

58. IN huius argumenti plena ſolutione, & textus D. Thomæ genuina intelligentia, ſtat recta cognitio rei graviſsimæ, quam verſamus. Vt autem genuina hæc intelligèntia haberi queat, proponam primò differentias contemplationis valdè ſublimis: ſecundò integrum textum D. Thomæ recitabo: tertiò Eminentiſsimi Caietani expoſitionem exhibeam: ultimò ad totius argumenti enodationem accedam. Circa primum videnda ſunt, quæ diximus quæſt. 1. num. 23. circa duplicem contemplationem ſeraphicam elicitam à dono ſapientiæ; ex quibus, licèt utraque valdè ſublimis ſit, una eſt adeò eminens, ut *ſupereminens* nominetur: de hac que procedit præſens litigium. Non enim de quacumque contemplatione ſublimiſsima ſermo procedit, ut iam anteà monuiſſe, memini. Sed agitur de contemplatione, quæ ſpecificè, ac ſimplicitèr excedat omnem contemplationem ſub fide. Quod tamquàm certum haberi debet, ne in incertum totus labor dirigatur.

59. Habendum etiam eſt (& ſic magis hoc ipſum explanatur) quòd contemplatio ſeraphica, ſeu valdè ſublimis, duplicitèr haberi poteſt & re ipſa habetur. Primò: cùm Deum in caligine anima contemplatur per remotionem cuiuſcumque creatæ perfectionis. Quæ contemplatio perfectiſsima eſt, propriaque ſtatus perfectorum: hæc dicitur *Theologia myſtica*, alijs que inſignibus ſtemmatibus celebratur à PP. & Myſticis Scriptoribus. ¶ Secundò: Evenit iſta contemplatio, cum mediâ ipſâ, mens contemplatur Deum, non iam per negationem, ſeu remotionem, ſed per affirmationem; quatenùs per proprias ſpecies attingit obiecta creata, & indè ſurgit ad cognoſcendum [illegible] nem, licèt non per propriam ſpeciem, aut intuitivè; evidentèr tamen quoad *an eſt*, ut diſput. ſequenti dicemus. Hæc eſt contemplatio, de qua agimus in præſenti: quod ſi de alia contemplatione loquantur alij, noſtrum non erit, illos impugnare; quia abſdubiò nobiſcum non loquuntur.

60. Vltra has valdè ſublimes contemplationes non negamus poſſe reperiri aliam, quæ minor ſit contemplatione ſupereminenti, quàm modò expreſsimus, & ſuperet contemplationem illam, quam per negationem procedere, dictum eſt. Hæc contemplatio provenire poteſt à gratia gratis data. Hoc tamen nobis non obeſt, primò: quia talis contemplatio non eſt ſupereminens, ut ex dictis liquet. Secundò; quia non provenit à gratia gratis data ſub formalitate talis. Ratio eſt: quia gratia gratis data ſub conceptu talis, iuxta D. Thomam 1. 2. quæſtione 111. art. 1. diffinitur per hoc, quòd ſit *donum, ſive auxilium, quo homo ad iuſtificationem alterius operatur.* Vndè gratia gratis data, prout talis, tota eſt in ſolicitanda ſalute aliena. Quocircà nequit prout ſic eſſe principium contemplationis ſupernaturalis, quæ ad propriam utilitatem contemplantis ſpectat; eſt enim de linea gratiæ gratum facientis. ¶ Advertendum tamen eſt, quòd iſta gratia gratis data non ſemper differt entitativè à gratia gratum faciente; ſed interdùm contingit, quòd eadem entitas ſubeat & munus gratiæ gratum facientis, & munus gratiæ gratis datæ: reſpiciens ſecundùm primum munus habentis utilitatem, & iux-

ta munus ſecundùm utilitatem alterius. Quæ infrà ex Caietano liquebunt.

61. Sed nec cenſeri debet, quòd gratia gratis data ſecundùm aliquam formalitatem, quæ gratiæ gratis datæ propria ſit, eliciat contemplationem aliquam: hoc enim numquàm concedimus. Sed dicimus, quòd Deus quan[illegible] modum impreſsionis raptim impertitæ illuſtrat dona cognoſcitiva Spiritus Sancti, quæ dona ex illa ſuperiori illuſtratione elevata contemplationem illam eliciunt; eomodo, quo illam ilicere poſſe, dictum eſt diſput. 13. quæſtione 3. Et hæc eſt illa contemplatio, quæ dicitur provenire à principio donis ſuperiori: quia licèt gratia gratis data perfectior donis non ſit; quin potiùs minùs nobilis eſt, ut ex ſupradictis patet: aſt donum cum illuſtratione proveniente à gratia gratis data ſuperius ſe ipſo eſt ſolitariè, ſeu ſine illa illuſtratione. Ad illum modum, quo diſp. citat. diximus, fidem donis illuſtratam ſuperare ſe ipſam ſolitariè ſumptam. Et ſicut, ut etiam ex ibi dictis notum eſt, contemplatio, quæ elicitur ſimplicitèr à fide illuſtrata, dicitur contemplatio donorum, non quia dona illam ſimplicitèr eliciant, ſed quia modificant fidem ad ipſius elicientiam: ſic pariformitèr iſta contemplatio, quæ à gratijs eſſe dicitur, non elicitur ab illis; ſed dicuntur eius principia, quia dona illuſtrant ad talis contemplationis elicientiam. ¶ De his contemplationibus, tam quæ à gratijs gratis datis eſſe dicitur, quàm de illa alia ſupereminenti, de qua noſter ſermo procedit, pleniſsimè diſputat V. N. Thomas à Ieſu de contemplatione Divina, lib. 6. cap. 1. 2. & 3.

Ad ſecundum, quod promiſsi, accedens integrum D. Thomæ textum exhibeo: *Reſpondeo dicendum, quòd ſapientia, de qua loquimur, ſicut dictum eſt importat quandam rectitudinem iudicij circà Divina, & conſpicienda; & conſulenda. Et quantum ad utrumque ex unione ad Divina ſecundùm diverſos gradus aliqui ſapientiam ſortiuntur. Quidam enim tantùm ſortiuntur de recto iudicio tam in contemplatione Divinorum, quàm etiam in ordinatione rerum humanarum ſecundùm divinas regulas, quantum eſt neceſſarium ad ſalutem. Et hoc nulli deeſt ſine peccato mortali exiſtenti per gratiam gratum facientem: quia ſi natura non deficit in neceſſarijs, multò minùs gratia. Undè dicitur* 1. *Ioann.* 2. *Vnctio docet vos de omnibus. Quidam autem.* &c. ut in argumento.

63. Poſt authoritatem D. Thomæ ingreditur Caietani expoſitio. Hic enim Eminentiſ. Theologus dubium ſubtiliſsimum excitat in D. Thomam, cuius ſolutione profundiſsimè litteram Angelici Præceptoris exponit. Ait enim: *In artic.* 5. *omiſſo* 4. *dubium* occurrit. Quo pacto ſapientiæ donum ſecundùm altiorem gradum ſpectet ad gratiam gratis datam, cum ſapientiæ donum ſecundùm totam latitudinem perfectionis ſuæ gratum faciat. Conſtat enim, quòd ſicut ſimplicitèr ad ſimplicitèr, ita magis ad magis &c. Ac per hoc ſapientiæ donum ſimplicitèr gratum faciens, maius magis gratum facier. Graria autem gratis data differt à gratum faciente penès gratum facere, & non gratum facere apud Authorem in 1. 2. quæſt. 111. art. 1. ad ultimum. ¶ Ad huius rei evidentiam ſcito, quòd ſapientia, ſicut & ſcientia duplicitèr poteſt augeri, ſcilicèt, intenſivè, & extenſivè, ex parte, ſcilicèt, ſubiecti, vel obiecti, ut ſuperiùs declaratum fuit. Et licèt utrumque perficiat habentem; diverſimodè tamen; quia augmentum intenſivum per ſe primò ordinatur ad perfectionem habentis in ſe ipſo. Per hoc enim, quod aliquis magis cognoſcit, & magis ex ipſo ſcit regulare ſe ipſum, magis Deo unitur. Augmentum verò extenſivum, ad ſui, & aliorum utilitatem ordinatur: per hoc enim,

quòd

quòd aliquis plura cognoſcit de Deo, & directione actuum ſecundùm Deum, quàm ſuæ ſalutis neceſsitas poſcit, & ipſe redditur meliùs diſpoſitus in ſe ipſo, & ad alios in Deum reducendos ordinatur. Cùm autem gratia gratum faciens ordinetur ad unionem habentis eam cum Deo: gratia autem gratis data ad utilitatem aliorum, conſequens eſt, ut ſapientiæ augmentum extenſivum ex ea parte, qua ad aliorum utilitatem ordinatur, inter gratias gratis datas ſit. Ex ea verò parte, qua bonitatem habentis perficit, ad gratiæ gratum facientis benè eſſe ſpectet. Et per hæc patet ſolutio obiectorum. Nam augmentum intenſivum ſapientiæ, de quo regula ſicut ſimplicitèr verificatur, ad gratiam gratum facientem ſpectare concedimus. Et abundantia extenſiva ſapientiæ, ut ſic, non gratum, nec gratiorem facit. Formalitèr enim intelligendum eſt, cùm dicitur, quòd gratia gratis *data non gratum faciet.*

64. Hactenùs inſignis iſte Theologus, cuius doctrinam iam dedimus diſput. 11. quæſt. 2. num. 56. & 57. Quia verò ad præſens principaliſsimè ſpectat; idcircò ſeriùs à nobis modò adducta eſt. Illa ergò inſtructi mentem Angelici Præceptoris ſine ambiguitate percipimus. Itaquè Angelicus Magiſter de dono ſapientiæ agens, loco in argumento allegato, dividit illud in ſapientiam ſimplicitèr, & ſapientiam maiorem. De ipſa ſapientia ſupernaturali, ſimplicitèr tali, docet, eſſe neceſſariam ad ſalutem. Quod patet evidentèr: quia ſapientia, prout ſic, dicit infallibilem connexionem cum charitate. Vndè ſapientiam prout ſic non habens, caret indeffectibilitèr charitate: & charitate decorus nequit non eſſe ſapientia ſupernaturali fulgidus. Et quia hoc pervium cuique eſt, non debemus in eius expenſione immorari.

65. Secundum membrum ſuprapoſitæ diviſionis repræſentat nobis ipſam ſapientiam ſupernaturalem, ut maiorem, hoc eſt, ut habentem augmentum aliquod eius entitati ſuperveniens. Et ſapientia ſic ſumpta, vel augmentum hoc ſapientiæ, inquit Caietanus, poteſt dupliciter ſumi. Primò: intenſivè, ſeu per ordinem ad ſubiectum; ſecundò: extenſivè, ſeu relatè ad obiectum. Termini notiſsimi ſunt Philoſophis, & Theologis: quare illos explicare non debeo. Sapientia maior intenſivè non eſt ad ſalutem neceſſaria; cùm ſine illa intenſione ſalus conſequi valeat: ſed neque eſt prout ſic gratia gratis data, quin potiùs eſt propriſsimè gratum faciens. Et hoc demonſtrativè oſtendit id, quod Caietanus docet: nempè, quòd ſi ſapientia ſimplicitèr facit ſimplicitèr gratum, debet ſapientia intenſivè maior facere gratiorem. Quamobrèm D. Thomas hoc in ſua authoritate non negat, quamvis illud, quia clariſsimum eſt, non exprimeret. ¶ Sapientia ergo ſic intenſivè maior principium eſt contemplationis ſublimis; quæ tamen, à donis Spiritus Sancti procedit, non ſimplicitèr ſumptis, ſicut priùs: ſed iuxta illud augmentum, quod iam habent ipſa dona, ſeu ſapientia ipſa. Et ſicut de ſapientia cum hoc augmento diximus, non eſſe neceſſariam ad ſalutem, idem diceremus de contemplatione, ſi hæc eſſet ad ſalutem neceſſaria. Vtraque tamen, ſcilicèt, ſapientia maior, & contemplatio indè orta ad gratiam gratum facientem ſpectare, firmitèr tenendum eſt.

66. Et in hoc Authores contrarij deceptionem pati videntur: autumant quippè, nifallor, diſcrimen verſans inter gratiam gratum facientem, & gratis datam conſiſtere in eo, quòd prima ſit neceſſaria ad ſalutem, & non ſecunda; ita talièr, quòd illa gratia, quæ non eſt neceſſaria ad ſalutem, eo ipſò gratis data ſit. Hoc contrariorum verba ſonare videntur. Quidquid autem de illo ſit: tenere debemus, quòd licèt gratia gratum faciens ſimplicitèr ſit neceſſaria ad ſalutem; *magis* tamen ipſius gratiæ non eſt ad ſalutem neceſſa-

rium. Atque ideò diſcrimen inter ipſas gratias conſiſtit in eo, quòd gratum faciens ex ſe tendit ad propriam utilitatem habentis: & gratis data dirigitur ad utilitatem aliorum.

67. Hæc autem contemplatio ſublimis, quam procedere à ſapientia maiori, dictum eſt, non eſt contemplatio ſupereminens, de qua agit luctatim præſens. Quod inde tibi notum fiet, quòd iſta contemplatio ſolummodò eſt gradualitèr perfectior contemplatione proveniente à ſapientia ſimplicitèr. Eo enim modo differunt iſtæ contemplationes inter ſe, quo earum principia inter ſe diſcriminantur. Cùm autem conſtet, ſapientiam maiorem non differre à ſapientia ſimplicitèr ſpecificè, ſed gradualitèr, & ſecundum modum maioris intenſionis: fit conſequens, quòd contemplationes à ſapientia ipſa, iuxta datam diverſitatem elicitæ, non ſint diſtinctæ niſi ſecundùm modum maioris perfectionis intra eandem ſpeciem. Ex quo principio innegabili ineluctabilitèr habetur, quòd dicta contemplatio non eſt contemplatio ſupereminens; hæc enim, non gradualitèr; ſed eſſentialitèr differt, eſtque eſſentialitèr perfectior omni alia quacumque contemplatione ſub fide.

68. Hæc de ſapientia maiori intenſivè: accedens iam ad ipſam ſapientiam extenſivè maiorem, pauca nobis dicenda ſuperſunt; quia cùm habeamus ex dictis, quòd ſapientia intenſivè maior exprimit munus gratiæ gratis datæ, quæ ex ſibi proprijs reſpicit utilitatem alienam: fit conſequens, quod ſapientia extenſivè maior nequeat eſſe principium alicuius contemplationis; quia prout ſic eſt gratia gratis data, ut patet ex D. Thoma, & ex ipſum exponente Caietano. Et quamquàm eadem ſit iſta ſapientia, quam dicimus gratis datam cum illa, quam gratum facientem diximus: nullum in hoc inconveniens retruditur; quia ut numer. 63. vidimus ex Caietano *formalitèr intelligendum eſt, cum dicitur, quòd gratia gratis data non gratum facit.* Eſt dicere: quòd licèt interdum gratia gratis data ſeparata reperiatur à gratum faciente; poſſunt tamen in eadem entitate reperiri: cæterùm cum diverſitate formalitatum; nam alia eſt formalitas gratiæ gratum facientis, & alia eſt formalitas gratis datæ: atque ideò illa ipſa ſapientia, quæ ſub formalitate gratum facientis conſulit habentis utilitati, ſub ipſa formalitate non reſpicit, ut minùs primariò, utilitatem alienam. Et idem è converſo accidit in gratia gratis data. Et hoc eſt, quod nos docuit D. Thomas in authoritate obiecta, ut patet ex ipſa, & gloſemate Caietani.

69. Hæc autem gratia gratis data dicitur à ſententia adverſa principium contemplationis habentis principium ſuperius donis. Et quantum rationes eiuſdem adverſæ ſententiæ oſtendunt, evidens eſt, illius ſententiæ Authores loqui de noſtra contemplatione ſupereminenti. Et hoc eſt, quod omninò falſum eſſe, reor propter motiva hactenùs expenſa, quæ nobis certiſsimè convincentia ſunt. Nec poſſunt illi Authores negare, quòd gratiæ gratis datæ non ſunt in linea ſupernaturali tantæ perfectionis, ut queant elicere actum ſuperantem omnes quoſcumque alios ſub fide. ¶ Nec proderit recurſus ad diſcrimen inter gratiam gratis datam in eſſe entis & ipſam in eſſe productivæ: ac ſi poſſet ſub iſta ſecunda conſideratione æquare actum, qui illi præſtat ſub prima. Hoc tamen prodeſſe adverſarijs nequit, ſed facilè diſpellitur doctrina N. Complut. lib. 2. phyſic. diſput. 10. num. 15. dicentium in ſimili: *Virtus activa fundatur* in entitate actuali, & ad illam conſequitur: ergo ad ea dumtaxàt principalitèr attingenda ſe poteſt extendere virtus cauſæ, quæ continentur in eius entitate formalitèr, vel eminentèr: nulla quippè aſsignabilis eſt regula metiendi, & determinandi ſphæram virtutis activæ alicuius cauſæ, niſi præcontinentia formalis, aut eminentialis effectuum in actuali entitate illius,

ſed

sed accidens non præcontinet in esse entis, sive in propria entitate substantiam eminentèr, vel formalitèr: ergo impossibile est, quòd illam *adæquet in esse principij productivi*. Hæc gravissimi illi PP. qui eamdem materiam nervosè prosequuntur, urgent ab inconvenientibus, quæ sequuntur ex contrario dicendi modo. Et adeò certum nobis est, principium contemplationis supereminentis excedere gratias gratis datas, quòd si non inveniremus aliquid essentialitèr superius, à quo illa contemplatio eliceretur, extemplò eamdem contemplationem, ut impossibilem negaremus.

70. Vidimus num. 61. gratiam gratis datam aliquomodò posse concurrere ad contemplationem aliquam supernaturalem, videlicèt, illustrando dona. Quæ contemplatio elici dicitur à gratia gratis data. Motivum que iam ibi expendimus. Verùm nec ista contemplatio potest esse illa, de qua in præsenti sermo est. Ratio que peti debet ex immediatè dictis, & in tota disputatione assertis: videlicèt, quia donum, etiam cum illa illustratione à gratia gratis data proveniente, non est sufficiens principium pro contemplatione supereminenti: adeò enim sublimis est hæc contemplatio, ut principium aliud superius exposcat. Vndè quamquàm adversarijs concedamus, gratiam gratis datam esse principium supernaturalis contemplationis, ex ea parte, qua gratia gratis data recipienti prodesse dicitur à Caietano num. 63. adhùc tamen nihil probant contra nostrum assertum, & in favorem gratiæ gratis datæ.

71. Si vera sunt, quæ diximus, ut vera esse putamus: ex illis habetur genuina intelligentia textus D. Thomæ, & solutio omnium, quæ obiecta sunt. Quippè Angelicus Doctor considerat donum sapientiæ, tam ut donum simplicitèr, quàm ut donum maius, & etiam considerat ipsum donum, ut est gratia gratis data. Primum, & tertium explicat in littera: secundum tamquàm certum supponit ex primo, ut supra diximus; & modò addimus, quòd etiam expressit secundum, si attentè littera consideretur. Ait enim, quosdam percipere sapientiæ donum altiori gradu, *& quantum ad contemplationem divinorum, & etiam quantum ad directionem humanorum secundùm regulas divinas*. Ita enim, quod intelligere sapientiæ donum altiori gradu *quantum ad contemplationem Divinorum*, habeat duplicem effectum expressum verbis sequentibus: *In quantum, scilicèt, altiora quædam mysteria, & cognoscunt* (eccè primum effectum) *& alijs manifestare possunt.* (eccè secundum) Sapientia sub prima consideratione respicit utilitatem habentis; quia ex maiori illa cognitione mysteriorum, illa cognoscens, magis Deo unitur. Et sub formalitate potentis illa mysteria alijs manifestare, quæ est secundus effectus, respicit utilitatem aliorum. Idem reperitur in susceptione doni sapientiæ in altiori gradu *quantum ad directionem humanorum* secundùm regulas Divinas, ut patet in littera ibi: *In quantum possunt secundùm eas, non solùm se ipsos, sed etiam alios ordinare.* Per quæ patet ad textum D. Thomæ.

72. Ad discursus ex testimonio D. Thomæ deductos, & contra nostrum assertum efformatos num. 55. in forma respondentes, dicimus ad primum, maiorem esse veram de sapientia recepta gradu altiori *extensivè*; falsam verò de gradu altiori *intensivè*. Termini liquent ex dictis. Vndè nihil addere opus est. Deindè ad minorem dicimus, esse prorsùs falsam: quia sapientia maior, sive *extensivè*, sive *intensivè*, nullatenùs est principium contemplationis supereminentis: hæc quippè contemplatio petit principium longè superius dono sapientiæ sub quacumque intensione, aut extensione recepto. Ad probationem minoris respondetur, quòd contemplatio supereminens non est qualitercumquè

cog-

cognitio altiſsima myſteriorum; ſed eſt cognitio omnibus ſub fide altiſsimis altior. Quapropter etſi ſapientia altiori gradu percepta eliciat cognitionem altiſſimam, non indè habetur eſſe principium contemplationis ſupereminentis. Quam doctrinam profundiſsima energia tradidit inibi S. Thomas, aſſerens, ſapientiæ donum altiori gradu perceptum cognoſcere *altiora quædam myſteria*. Non enim omnia altiora myſteria cognoſcere dicit, ſed *quædam*. Vndè cùm detur principium adeò eminens, ut omnia altiora myſteria quidditativè cognoſcat, ut diſp. ſequenti dicemus, illud, & non donum ſapientiæ, erit principium ſupereminentis contemplationis: quod ex dictis demonſtratur. Nam principium illud cognoſcens quidditativè altiora omnia myſteria alicuius contemplationis principium eſt, ut de ſe patet: ergo eſt principium contemplationis ſupereminentis: ſecùs enim contemplatio ſupereminens non eſſet ſuperior inter omnes contemplationes ſub fide. Contra omnia, quæ dicta ſunt, & debent in præſenti ſupponi.

Ad ſecundum diſcurſum ex numer. 56. facilis reſponſio eſt: innititur eius vis in eo, quòd ſapientia eſt principium contemplationis ſupereminentis: quod cùm falſum ſit, ut immediatè anteà dicebamus, tota illius diſcurſus fabrica ruit. Quid autem ſpeciale habeat lumen propheticum, ex immediatè ſubiiciendis videbimus.

73. Ad tertium diſcurſum ſimilitèr reſpondetur negando fundamentum, ex quo procedit, videlicèt, quòd ſapientia ſit principium ſeraphicæ contemplationis. Ergo ſi idem dicendum eſt de lumine prophetico, de illo quoque dicendum eſt, quòd non eliciat illam contemplationem. ¶ Ad primum, quo probare intenditur illa ſpecialitas ex parte luminis prophetici, reſpondetur, concedendo maiorem, & negando minorem; quippè illæ contemplationes, quæ abſdubio ſupereminentes fuerunt, non ortum habuere à lumine prophetico, ſed ab alio principio ſuperiori, ut multotiès diximus, docetque V. N. Thomas à Ieſu de contemplatione Divina lib. 6. cap. 3. ubi clariſsimè tradit, illas contemplationes ortum duxiſſe à principio lumen propheticum in perfectione ſuperante. Quòd autem N. Philippus, & alij dicant, illas contemplationes ſupereminentes eſſe, & elici à lumine prophetico; ideò eſt, quia in eorum opinione contemplatio ſupereminens eſt actus gratiæ gratis datæ: & hoc ipſum eſt, quod totis viribus denegamus. Vndè eorum authoritas non premit.

Ad ſecundum reſpondemus, falſum eſſe, quòd PP. & Theologi (præter myſticos, contra quos procedimus) teneant, lumen propheticum eſſe principium ſupereminentis contemplationis propter dicta. Quòd ex PP. ac Theologorum doctrinà habetur, eſt, quòd lumen propheticum iuſto communicatum excitat, elevat que dona, aut etiam fidem, ad contemplationem altiſsimam; quæ tamen minùs eminens ſit, quàm ſupereminens: & hoc iam à nobis conceſſum eſt. Nec negamus, quòd iſtud, quod proprium eſt cuiuſcumque graviæ gratis datæ cognoſcitivæ, ſpeciali quodam motivo attribuatur lumini prophetico, ut edocetur à D. Thom 2. 2. quæſt. 172. art. 4. ubi ait: *Ad primum ergo dicendum, quòd donum prophetiæ aliquando datur homini, & propter utilitatem aliorum, & propter propriæ mentis illuſtrationem. Et hi ſunt, in quorum animas ſapientia Divina per gratiam gratum facientem ſe transferens, amicos Dei, & Prophetas eos conſtituit. Quidam verò conſequuntur donum prophetiæ ſolùm ad utilitatem aliorum, qui ſunt quaſi inſtrumenta Divinæ operationis.* Vbi, ut vides donum prophetiæ aliquandò confertur, non ſolum ad aliorum utilitatem, ſed etiam *ad propriæ mentis illuſtrationem. Scilicèt* (ait Seraphinus ibi) *affectivam, vitæque æternæ meritoriam. Alioquin quibuſcumque datur prophetia, datur per propiæ mentis illuſtra-*

tio-

tionem ſpeculativam. Vndè ex hac parte poteſt eſſe principium contemplationis, quod non negamus; negamus tamen, quòd illa contemplatio ſit ſupereminens. ¶ Nec offendas in eo, quòd dixerim, hoc eſſe ſpeciale in lumine prophetico: nam ſpecialitas à nobis dicta non excludit alias gratias cognoſcitivas. Sed conſiſtit talis ſpecialitas in eo, quòd fides, ſapientia, & ſcientia gratis datæ habent in anima iuſti habitus correſpondentes, quos elevent: quod tamen verificari nequit de lumine prophetico; quia hoc nullatenùs communicabile eſt per modum habitus, ut modò ſupponi debet ex D. Thoma: & hoc eſt motivum, ob quod de illo ſpecialitèr dicitur, quòd poteſt quandoquè eſſe contemplationis principium.

74. Ad tertium reſpondetur, quòd ideo lumen propheticum nequit eſſe adeò perfectum, ut elicere queat contemplationem ſeraphicam, quia ex ſe ipſo non dicit incompatibilitatem cum peccato, quam quidem dicere debet principium contemplationis ſupereminentis. Vndè, quia illud lumen poteſt in peccatore reperiri, nequit eſſe principium ſupereminentis contemplationis; & quia poteſt quandoquè communicari *ad propriam illuſtrationem effectivam*, eſſe que manifeſtationem Spiritus Sancti inhabitantis mentem tale lumen ſuſcipientis; idcircò poteſt eſſe principium alicuius ſupernaturalis contemplationis modo dicto: & hoc ipſum de ſapientia, & ſcientia conceſſum eſt. Vndè patet ad totum illum diſcurſum, & etiam ad totum argumentum, pro cuius enodatione hæc omnia allata ſunt.

***

QVÆSTIO TERTIA.

QVODNAM SIT PRINCIPIVM ELICIENS ſupereminentem contemplationem?

QVæſivimus præcedenti quæſtione principium, à quo, tamquam à virtute proxima divina proles contemplationis ſeraphicæ ortum ducat. Quæſivimus, & inter gratias gratis datas invenire, non potuimus. Sed cum noſtri muneris ſit hoc principium aſsignare, cogimur perſeverare explanantes, an illud invenire poſsimus.

§. V.

Veram ſententiam ſtatuo, eamque brevitèr ſuadeo.

75. SIT noſtra concluſio: *Contemplatio ſupereminens eſt actus elicitus à ſcientia per ſe infuſa.* Quid ſit ſcientia per ſe infuſa, noſtra non refert examinare, ſed eius quidditatem, & celſitudinem ſupponere à Theologis Scholaſticis diſcuſſam in tertia part. qnæſt. 11. à quibus nonnulla mutuabimus diſp. ſequenti ad offerendum, quantum Scriptori myſtico datum fuerit, huius ſcientiæ genium, quo maior indè notitia contemplationis ſeraphicæ comparetur. In præſenti autem ſupponere debemus, ſcientiam per ſe infuſam eſſe nobiliſsimum habitum, cuius obiectum eſt, quidquid tàm intra ordinem naturæ, quàm intra ordinem gratiæ continetur. Quæ, quia loco citato dicenda ſunt, prætermittimus in præſenti. Ibi etiam videbimus, hunc nobiliſsimum habitum ob ſui celſitudinem non communicari puræ creaturæ niſi tranſeuntèr. Hæc, & alia ibi aperienda, ſunt motivum huius noſtræ reſolutionis. Quam eſſe de mente Div. Tho-

Thomæ, minimè dubitamus. Illam etiam amplectuntur N. Authores; nam licèt eorum aliqui, ut Philippus, & Directorium imitari non debeant in eo, quòd ſcientiam infuſam numerent inter gratias gratis datas: imitari tamen debent, dum ſcientiam per ſe infuſam fatentur, eſſe principium contemplationis ſupereminentis. In noſtra concluſione ſtabilienda non multùm occupabimur; quia præcipua difficultas, quæ curſum impedire poſſet; iam ex dictis quæſt. præcedenti ſupponitur ſuperata. Vndè paucis rem iſtam graviſsimam æquè ac iucundiſsimam abſolvemus.

76. Probatur primò aſſertio ex dictis quæſtione præcedenti. Contemplatio ſupereminens non eſt actus doni, aut gratiæ gratis datæ: ergo eſt actus ſcientiæ per ſe infuſæ. Antecedens pro prima parte certum eſt, ſupponitur que ab omnibus in præſenti; quia inquirentes: an contemplatio ſeraphica ſit actus principij, quod donis Spiritus Sancti ſuperius ſit? affirmativè reſpondent. Quocircà quamvis controverſia ſit circà principium, cuius ille actus ſit: nulla eſt in hoc, quòd donum non ſit; neque in hoc, quòd ſuperius donis ſit. Pro ſecunda parte liquet antecedens ex dictis tota quæſtione præcedenti, ubi nullam gratiam gratis datam huius ſanctiſsimi actùs principium eſſe, dictum eſt. Conſequentia autem probatur primò à ſufficienti partium enumeratione. Quoniam, excluſis donis, ac gratijs gratis datis, nullum aliud principium aſsignari poteſt ad elicientiam huius ſeraphici actùs niſi ſcientia per ſe infuſa. Vel cui noſtrum aſſertum non placuerit, deſſignet, quodnam aliud principium eſſe queat.

77. Probatur ſecundò conſequentia. Immò & aſſertio diſcurſu ſequenti. Etenim in ſcientia per ſe infuſa concurrunt omnia, quæ deſiderari poſſunt, ut ſit principium elicitivum contemplationis ſeraphicæ: ergo hæc eſt actus elicitus à ſcientia per ſe infuſa. Conſequentia tenet, & antecedens probatur primò. Scientia per ſe infuſa eſt habitus adeò nobilis, ut propter ſui eminentiam non conferatur, niſi tranſeuntèr homini purè viatori; & inſuper eſt habitus ſpectans ad gratiam gratum facientem: ergo in ſcientia per ſe infuſa concurrit quidquid requiritur, ut ſit principium contemplationis ſeraphicæ. Probatur antecedens pro prima parte ex dicendis diſput. ſequenti; ubi cum communiſsima SS. PP. ac Theologorum doctrina videbimus, nulli purè viatori collatam fuiſſe permanentèr ſcientiam per ſe infuſam; eoquòd huiuſcemodi ſcientia permanentèr indita non admodùm propria eſt ſtatui purè viatoris: quia, ut rectè vidit eximius Suarez, infrà allegandus, vel fidem Theologicam ab eodem ſubiecto excluderet; vel eius perfectioni derogaret. Vt quid enim fides myſteria propter extrinſecum teſtimonium credenda proponeret ei, qui per ſcientiam infuſam eadem myſteria quidditativè cognoſceret? Quocircà ſcientia hæc divina tranſeuntèr ſolummodò confertur, & rariſsimè communicatur. Quod omne eſt doctrina D. Bernardi ſequenti diſput. quæſt. 2. referendi.

Pro ſecunda parte probatur idem antecedens primò. Quia D. Paulus enumerans gratias gratis datas cap. 12. ex epiſt. 1. ad Corinth. ſcientiæ per ſe infuſæ non meminit. Quòd certè faceret; ſi ad gratias illas pertineret. Secundò, & præcipuè probatur ex diſcrimine totiès repetito inter gratias gratis datas, & gratiam gratum facientem. Primæ enim primariò tendunt ad utilitatem aliorum, & ſecunda primariò intendit propriam utilitatem: ergo cum ſcientia per ſe infuſa habentis utilitatem intendat per ſe primò: fit conſequens, quòd non ſit gratia gratis data, ſed gratum faciens. Quòd clariſsimè docent PP. Salmanticenſes tract. 21. in annotatione ad artic. 7. quæſt. 7. num. 7. Eſt ergo verum pro utraque parte illud antecedens. Ex quo rectè deducitur conſequentia. Quia, ut liquet ex dictis in tota hac diſput, principium contemplationis ſe-

phi-

raphicæ ea attributa habere debet, quæ in antecedenti recenſentur.

Confirmatur ratio facta. Inter ſcientiam per ſe infuſam, & actum ſeraphicæ contemplationis datur reciproca illa proportio, quam inter virtutem proximè elicientem actum, & actum ipſum ſuprà deſiderabamus: ergo contemplatio ſeraphica eſt actus proprius ſcientiæ infuſæ. Antecedens poſt multiplicitèr ſuaderi. Et primò probatur. Quia contemplatio ſeraphica propter ſui celſitudinem dici ſolet à PP. & Theologis *viſio*, ob propinquitatem ad viſionem beatificam, cuius lumen gloriæ principium eſt: ſed ſcientia per ſe infuſa eſt lumen adeò propinquum ipſi lumini gloriæ, ut aliqui ſignificare non renuant, eſſe eundem habitum cum illo, de quo videri poteſt Eximius Suarez in 3. part. diſput. 29. ſect. 4. Et quod negari non debet, eſt, quòd habitus ſcientiæ infuſæ eſt valdè propinquus habitui luminis gloriæ: ergo inter ſcientiam infuſam, & contemplationem ſupereminentem, datur illa proportio, ſeu correſpondentia, quæ adeſſe debet inter virtutem elicientem, & actum elicitum.

Probatur ſecundò antecedens. Contemplatio ſupereminens eius celſitudinis eſt, ut ab aliquibus multotiès habeatur pro contemplatione faciali, quæ eſt actus elicitus à lumine gloriæ: ſed habitus ſcientiæ infuſæ eſt adeò nobilis, ut queat, exiſtimari ipſum lumen gloriæ: ergo idem quòd priùs. Minor liquet ex opinione proximè memorata, apud quam tanti habetur habitus ſcientiæ per ſe infuſæ, ut pro habitu luminis gloriæ habeatur. Maior autem probatur exemplis ſuprapoſitis aliquorum perfectiſsimorum, qui tàm in tempore Legis gratiæ, quàm ante illud ad contemplationem ſupereminentem evecti ſunt, quorum ſublimis contemplatio facialis pluribus Theologis, & etiam SS. Patribus, viſa eſt. Quippè Iacob Gen. cap. 32. verſ. 30. dixit: *Vidi Deum facie ad faciem.* Clariſsimè innuere videtur S. Patriarcha, ſe Deum intuitivè videſſe; nec defuere, qui ſic opinarentur; decepti tamen ſunt: quia iuxta veriſsimam intelligentiam his verbis ſignificatur contemplatio, non intuitiva, ſed obſcura; adeò tamen ſub fide clara, ut facialis putaretur. Placet reproducere D. Thomam 1. part. quæſt. 12. art. 11. ad primum dicentem: *Hoc dicit Iacob ad deſignandam quandam eminentiam intelligibilem contemplationis ſupra communem ſtatum.* Contemplatio *ſupra communem ſtatum* illa eſt, quam ſupereminentem appellamus. Huius contemplationis eminentia aliqui decepti ſunt, & eam facialem eſſe dixerunt. Contemplationis celſitudo fuit deceptionis occaſio. Quod ipſum evenire relatè ad habitum ſcientiæ infuſæ, liquet ex dictis: Vt etiam in hoc fulgeat correſpondentia, quæ datur inter habitum ſcientiæ infuſæ, & ſeraphicam contemplationem.

Proſequentes antecedentis probationem, occurrit ſtatus iuſtitiæ originæ, in quo primus homo ſeraphicè Deum contemplatus eſt. Siquidem de illa contemplatione ait diſertiſsimè Seraphicus D. Bonaventura in 2. diſt. 23. art. 2. quæſt. 2. *Cognitio hominis in ſtatu innocentiæ media erat inter cognitionem ſtatus gloriæ, & ſtatus miſeriæ.* Hæc SS. ille Doctor, quibus planè oſtendit, contemplationem illam fuiſſe diverſam à contemplatione præſentis ſtatûs; atque ideò ſupereminentem. Vndè Magiſter in 4. ſentent. diſt. 1. inquit, *quòd homo ante peccatum Deum ſine medio vidit.* Et D. Damaſcenus lib. 2. ortodoxæ fidei cap. 11. ait: homo in ſtatu innocentiæ beatam vitam habuit, & omnem beatitudinem. Innumeris alijs encomijs utuntur Sancti, ut illius contemplationis celſitudinem manifeſtent. Et ſanè talis fuit ea ſupereminens contemplatio, ut pro intuitiva ab aliquibus haberetur, ut colligit D. Thomas quæſt. 18. de verit. art. 1. & quod magis eſt, Angelicus ipſe ibidèm non improbat opinionem aſſerentium, primum hominem vidiſſe Deum; cum

Deus ipſe in illum ſoporem miſit. Verba D Thomæ ſunt: *Ad 14. dicendum, quòd ſi intelligamus talem extaſim Adæ fuiſſe qualis fuit raptus Pauli: tunc dicimus, quòd illa viſio erat ſupra modum communem viſionis, qui ei tunc temporis competebat. Sed quia non expreſsè habetur, quòd illo ſopore Deum per eſſentiam viderit, poſſumus dicere, quòd in illa extaſi elevatus fuit, non ad ipſam Dei eſſentiam videndam; ſed ad cognoſcenda quædam profundiora de divinis myſterijs, quæ ſecundùm communem modum humanæ cognitionis tunc ſibi competebat.* Hæc Divus Thomas non poſitivè negans contemplationem illam eſſe intuitivam: quo evidentèr manifeſtavit ſublimitatem illius contemplationis, quæ abſdubio in opinione SS. Præceptoris fuit obſcura. Sed illo modo procedens motivum nobis obtulit, ut cognoſceremus mutuam ſimilitudinem inter illum actum, & habitum ipſum elicientem.

Denique (alijs plurimis prætermiſsis de quibus idem omninò ſentiendum eſt) cùm Div. Stephanus Actuum. capit. 7. verſ. 55. *vidit gloriam Dei*, habuit altiſsimam contemplationem, quam aliqui, etiam ex SS. Patribus, facialem dicunt; ut ità de illa verum ſit, quod de alijs priùs memoratis. Circa hanc contemplationem illud referre placet, quod Dionyſius Cartuſianus docet, ſcilicèt: *Hanc cognitionem mediam fieri per ſplendidiſſimam quandam irradiationem increatæ lucis in apice intellectus.* Vbi pro contemplatione ſupereminenti, qualis illa fuit, ut communiori ſententia ſupra diximus, principium, quod aſsignat, eſt *ſplendidiſsima quædam irradiatio increatæ lucis.* Et hæc increatæ lucis ſplendidiſsima irradiatio, nihil aliud eſt, niſi ſcientia per ſe infuſa, quæ tamquam principium tam ſublimi actui correſpondens, illum elicit.

78. Ab alijs probationibus abſtinemus, quia quas hactenùs propoſuimus, ſufficere iudicamus. Tum: quia intentum efficacitèr ſuadent. Tum præcipuè, quia quantum capio, nullus eſt mihi Adverſarius in hac parte. Illi quippè myſtici, quos contrarios quæſt. antecedenti habui, non renuunt fateri, ſcientiam per ſe infuſam eſſe virtutem proximè elicitivam ſupereminentis contemplationis, ut ſupra vidimus. Denegant tamen, quòd ſoli ſcientiæ infuſæ hoc conveniat: cùm aſſerant, etiam fidem, ſapientiam, & alias gratias gratis datas ad lineam cognoſcitivam pertinentes, principia eſſe talis contemplationis. Noſtra aſſertio habet virtualitèr duas partes. Prima eſt: contemplatio ſeraphica eſt actus ſcientiæ per ſe infuſæ. Secunda eſt: ſolius ſcientiæ per ſe infuſæ actus eſt ſeraphica contemplatio. Hæc, in qua à nobis diſſident, ſupponitur comprobata ex quæſt. antecedenti. Illa, in qua nobiſcum conveniunt, in præſenti quæſtione firmare conati ſumus.

§. II.

Argumenta.

79. CONtra concluſionem arguitur primò. Dona Spiritus Sancti non ſunt principia contemplationis ſeraphicæ: ergo nec ſcientia per ſe infuſa. Antecedens liquet ex omnibus, quæ hactenus dicta ſunt, ſupponitur que ob omnibus hanc difficultatem verſantibus: omnes enim illi negant, contemplationem ſupereminentem eſſe actum donorum. Probatur conſequentia. Scientia per ſe infuſa pertinet ad dona Spiritus Sancti, ſub illiſ que continetur, ut dicunt PP. Salmanticenſes tract. 17. diſp. 2. n. 127. ergo ſi contemplatio ſeraphica non eſt actus donorum, eoipſò neque ſcientiæ per ſe infuſæ actus erit.

Reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequentiam, cuius probatio non ſubſiſtit; quia ſcientia per ſe infuſa neutiquàm continetur ſub do-

nis

donis: neque PP. Salmanticenſes illud docent; ſed ſolùm referunt quorundam exiſtimationem, tenentium, ſcientiam infuſam ſub donis contineri. Sed nec illam approbant, nec in ea adhùc obitèr, perſeverant, nec potuere perſeverare; cùm ſit irregulariſsima excogitatio, cuius contrarium apud illos Theologos eſt omninò certum, ut videre eſt in arbore virtutum num. 29. & tract. 21. diſp. 17. 19 & 21. pluribus in locis, ex quibus ſolummodò aſsignamus numerum 30. diſputationis 21. ubi ità clarè loquuntur, ut de eorum mente vanum ſit dubitare. Et diſp. 20. num. 8. ſtatuunt, quòd ſcientia infuſa *comparatur per modum proprietatis ad ſcientiam beatam*: quod minimè convenire poteſt donis Spiritus Sancti. Vndè factum argumentum corruit.

80. Dices. Quidquid ſit de opinione PP. Salmanticenſium in hoc puncto, doctrina D. Thomæ eſt, quòd ſcientia infuſa non differt à donis Spiritus Sancti: ergo contemplatio ſupereminens eſt actus donorum, vel non eſt actus ſcientiæ infuſæ. Probatur antecedens. Quoniam Angelicus Doctor 3. part. quæſt. 11. art. 1. inquirit: Vtrum ſecundùm ſcientiam inditam, vel infuſam Chriſtus omnia ſciat? Cui quæſito affirmativè reſpondet, & incipiens ſuam reſolutionem probare ab argumento *ſed contra*, inquit: *Sed contra eſt, quòd dicitur Iſaiæ 11. quòd replevit eum ſpiritu ſapientiæ, & intellectus, ſcientiæ, & conſilij, ſub quibus comprehenduntur omnia cognoſcibilia: nam ad ſapientiam pertinet cognitio omnium divinorum: ad intellectum autem pertinet cognitio omnium immaterialium: ad ſcientiam autem pertinet cognitio omnium concluſionum: ad conſilium autem cognitio omnium agibilium: ergo videtur, quòd Chriſtus ſecundùm ſcientiam inditam ſibi per ſpiritum ſanctum habuerit omnium cognitionem.* Hæc S. Thomas. Ex quibus certiſsimum videtur eſſe, quòd in ſua opinione ſcientia per ſe infuſa non differt à donis Spiritus Sancti. Secùs enim defectuosè proceſsiſſe, dicendus eſſet; cùm ad ſtabiliendam ſcientiam infuſam in Chriſto, donorum meminiſſet.

Reſpondetur negando antecedens; cuius probatio debiliſsimæ entitatis eſt, ut ſuper illam ij Authores, quos anonymè allegatur PP. Salmanticenſes fabricam adeo extraordinariam conſtruerent. D. Thomas eo loci ſupponit, ſcientiam infuſam in Chriſti Domini animà; & eà ſuppoſità, veſtigans illius ſcientiæ extenſionem, ſtatuit; quòd ſe extendit ad omnia cognoſcibilia creata; atque ideò, media hac ſcientia, cognovit Chriſtus Dominus omnia ea cognoſcibilia. Et non qualitèrcumquè cognovit, ſed cognovit pleniùs, ac perfectiùs omnibus. Verba D. Thomæ ſunt: *Secundò verò per hanc ſcientiam cognovit Chriſtus omnia illa, quæ per revelationem divinam hominibus innoteſcunt, ſive pertineant ad donum ſapientiæ, ſive ad donum prophetiæ, ſive ad quodcumque donum Spiritus Sancti. Omnia enim iſta abundantiùs, & pleniùs cæteris cognovit anima Chriſti.* Cognovit Chriſtus per ſcientiam infuſam omnia cognoſcibilia. Et hoc probat S. Thomas in corpore articuli per hoc, quòd capacitas cognoſcitiva naturalis, & obedientialis Chriſti reducta perfectè fuit ad actum. Vndè per ſcientiam divinitùs infuſam cognovit Chriſtus omnia, quæ *ab homine cognoſci poſſunt per virtutem luminis intellectûs agentis.*

Deindè per eandem ſcientiam cognovit *omnia illa, quæ per revelationem divinam hominibus innoteſcunt.* Et hic eſt unus modus, quo Sanctus Doctor probat ſuam reſolutionem. Alio etiam efficaciſsimo uſus fuerat in argumento *ſed contra*, verbis ſupra datis: quem poſſumus ad hanc brevem formam redigere: Per Spiritus Sancti dona cognovit Chriſtus omnia cognoſcibilia: ergo etiam per ſcientiam inditam ea cognovit. Antecedens conſtat eſt progreſſu litteræ, & conſequentia probatur

Scientia divinitùs indita eſt lumen cognoſcitivum ſuperiùs donis : ſed donis cognoſcuntur omnia cognoſcibilia: ergo & ſcientiâ infusâ. Immò *omnia iſta abundantiùs , & pleniùs cæteris cognovit anima Chriſti*: quia cognovit per ſcientiam infuſam , quæ eſt lumen nobilius cæteris luminibus ſub fide. Hoc eſt D. Thomæ intentum in eo argumento *ſed contra* , & non illud, quod Angelico Præceptori illi Authores adoptare conantur.

81. Arguitur ſecundò argumento ſupra num. 25. poſito , & ad hunc locum remiſſo. Etenim contemplatio ſupereminens eſt actus inter omnes infrà fidem nobiliſsimus : ergo elicitur à principio infra fidem nobiliſsimo. Ergo non eſt actus ſcientiæ infuſæ. Antecedens, & prima conſequentia liquent ex his, quæ multotiès in hac diſp. dicta ſunt. Secunda verò brevitèr , & efficacitèr probatur. Scientia infuſa eſt lumen minùs nobile lumine fidei : ergo contemplatio ſeraphica non eſt actus ſcientiæ infuſæ. Probatur antecedens. Virtutes Theologicæ omnes alias virtutes, tam morales , quàm intellectuales , ſimplicitèr excedunt: ergo ſcientia infuſa eſt ſimplicitèr minùs nobilis fide.

Confirmatur urgentèr ratio facta. Inter contemplationem ſupereminentem , & virtutem proximè elicitivam debet dari proportio, ut probatum eſt in præcedentibus : inter dictam contemplationem , & ſcientiam infuſam dicta proportio non datur : ergo illa contemplatio non eſt actus talis ſcientiæ. Probatur minor. Contemplatio ſupereminens eſt actualis perfectiſsima unio animæ cum Deo ultimo fine ſupernaturali: ergo , ut illi proportionata eſſet ſcientia infuſa , deberet eſſe unio habitualis. Tunc ſic : ſed non eſt habitualis unio: ergo inter illam , & contemplationem ſupereminentem non datur ea proportio, quæ adeſſe debet inter actum elicitum, & facultatem illum proximè ilicientem. Omnes propoſitiones certiſsimæ ſunt: debet tamen minor ſubſumpta, non tam probari , quàm declarari. Declaratur autem ſic: Inter omnes virtutes proprium eſt virtutum Theologicarum, quòd mentem humanam Deo uniant immediatè; aliæ verò virtutes diſponunt ad iſtam unionem : ſed ſcientia infuſa non eſt virtus Theologalis, ut de ſe patet: ergo non eſt unio habitualis animæ cum Deo. Maior eſt inter Theologos certa, edoceturque à D. Thoma 2. 2. quæſt. 104. art. 3. in corpor. & 1. 2. quæſt. 68. art. 8. comparando virtutes Theologicas cum alijs omnibus virtutibus. Et conferendo ipſas Theologicas virtutes cum donis. Idem docet eadem quæſt. 68. art. 4. ad 3. ergo ſcientia infuſa non eſt habitualis unio animæ cum Deo, conſequentèrque actus ab ea elicitus nequit eſſe unio actualis.

Hoc argumentum cum ſua confirmatione demonſtrativum eſſe cenſemus. Vndè eius efficatia compellit, ut mentem noſtram in hoc puncto penitùs exponamus. Nam quidquid ſit, an inſinuata S. Thomæ teſtimonia comprehendant, vel non comprehendant ſcientiam per ſe infuſam: ſempèr tamen ſine hæſitatione tenendum eſt , fidem Theologicam eſſe ſimplicitèr perfectiorem ſcientiâ infusâ : atque ideò cùm actus inter actus omnes ſublimior expoſcat principium inter reliqua perfectius ; indè eſt, quòd ſcientia per ſe iuſuſa nequeat eſſe principium contemplationis ſeraphicæ, ut minùs, ea univerſalitate, ſub qua hucuſquè loquuti ſumus. ¶ Accedit, & colligitur ex immediatè dictis, quòd ſcientia per ſe infuſa nequit ex ſe unire animam Deo: hoc quippè virtutis Theologicæ privativè proprium eſt. Atque ideò ſcientia infuſa , quantumcumquè perfecta aſſeratur , impar eſt ad tantum actum producendum. Ad hæc tom. 2. diſp. 13. quæſt. 1. & ſequentibus ſtabilitum eſt: contemplationem infuſam eſſe actum fidei , non abſolutè ſumptæ , ſed donis illuſtratæ. Ponamus ergo ex una parte contemplationem ſupernaturalem cherubicam v. g. aut aliam minùs perfectam, dum-

mo-

modò infusa sit : ex parte alia ponamus contemplationem supereminentem, & supponamus absolutè, & simplicitèr oriri à scientia per se infusa. Inquiram: quæ ex his contemplationibus perfectior est? Si secundam dicas : habes contra te , quòd prima petit indispensabilitèr principium simplicitèr nobilius , scilicèt, fidem. Si primam asseras: in oppositum est , quòd secunda est supereminens , idest , quæ omnibus contemplationibus sub fide habitis eminet. Quem nodum post laborem intolerabilem neutiquàm enodabis. Etsi, ut par est, rectè hæc omnia perpendas , eadem inextricabili salebra illaqueabere , si ex parte alterius extremi non ponas contemplationem cherubicam , aut ex infusis aliam : sed quamcumque contemplationem acquisitam , quæ supernaturalis sit. Ratio est : quia etiam istius contemplationis fides principium est.

82. Vt autem ab ijs labyrinthijs liberemur , & proprium dictamen revelemus , in præsenti difficultate idem dicendum esse , iudicamus , quod circà contemplationem donorum statuimus loco allegato quæst. 3. Ibi enim diximus, quòd contemplatio illa donorum non est ab ipsis donis quoad substantiam , sed quoad modum. Substantiam verò talis contemplationis esse à fide, stabilivimus. Quo evitari diximus plurima inconvenientia , quæ contra eos, qui dona principia illius contemplationis ponerent, inevitabilitèr urgent. Sed nullum inconveniens timere debent, qui asserant: dona illustrare fidem , ut queat contemplationem elicere. Quæ fides habens iam illustrationem , quam ipsi dona contulere , elicit contemplationem, quæ , quoad substantiam correspondet fidei , & donis correspondet quoad modum. Quocircà ipsa contemplatio dicitur donorum , propter concursum illorum ad modum illius contemplationis. Et similitèr pro diversitate donorum est & contemplationum diversitas. Hæc ibi diximus, & stabilivimus , & modò eadem pariformitèr firmamus circà contemplationem , quam à scientia infusa provenire hactenùs dictum est.

83. Vndè contemplatio supereminens elicitur tamquàm à virtute principalitèr eliciente à fide infusa : non se solà , sed quatenùs elevata est per scientiam infusam : atque adeò fides concurrit ad substantiam contemplationis seraphicæ ; scientia verò infusa concurrit ad modum ipsius. Eo similimo modo, quo dona concurrunt ad contemplationem , quæ ab ipsis dicitur donorum. Et in hoc servatur etiam similitudo. Nam sicùt contemplatio , quæ simplicitèr est à fide , dicitur donorum concurrentium ad eius modum ; sic etiam contemplatio supereminens, quæ simplicitèr est à fide dicitur scientiæ infusæ admodum ipsius concurrentis. Ratioque est eadem utrobiquè. Quia , cum fides sit harum contemplationum generale principium , nequeunt ab ea congruè nominari ; eòque nomen sortiuntur ab illo , quod ipsarum differentiam ad invicem manifestat. Sic que alia est contemplatio à dono sapientiæ , alia à dono scientiæ , & alia , quæ est à donis , & alia , quæ est à scientia infusa: quæ sicùt donis perfectior est ; ita fidem elevat , ut eliciat contemplationem supereminentem , donorum contemplationem simplicitèr superantem.

Rem tibi summè arduam brevissimè , ni fallor , & clarissimè exposui. Superest , ut illam prorsùs explicemus obiectorum solutione. Ad argumentum igitur , concesso antecedenti , & primà consequentià , distinguo secundum consequens. *Scientiæ infusæ* , simplicitèr, quoad substantiam , concedo. Quoadmodum , nego consequentiam. Sic que solvatur totum argumentum. Termini liquent ex dictis: Nec putamus necessarium aliquid addere pro perfecta argumenti enodatione. ¶ Confirmatio eadem distinctione resolvatur. Et paritate donorum non oblità , nihil , specialem difficultatem continens , reperietur in omnibus illis , quæ in facta con-

confirmatione asseruntur. Nam sicùt dona non uniunt animam immediatè Deo, quia hoc est proprium virtutum Theologalium ; & tamen modificant fidem ad contemplationem donorum: hoc idem facit scientia infusa elevans fidem ad eliciendam contemplationem supereminentem, quæ dicitur actus scientiæ infusæ ; non quia sit actus illius quoad substantiam, sed quia quoad modum ei correspondet, ut dictum est. ¶ Nonnulla queunt adversùm hanc doctrinam opponi, fateor: sed quæ sine arduitate evanescant ; si omnia, quæ in his quæstionibus tradita sunt, maturè considerentur.

******
***

QVÆSTIO QVARTA.

QVOT SINT GRADVS CONTEMPLATIONIS supereminentis?

AD plenam intelligentiam supereminentis contemplationis quæsitum præsens dirigitur. Illius existentiam declaravimus quæst. 1. & postmodùm illius cognitionem agressi sumus à principio eam eliciente. In præsenti autem de ipsius gradibus contendere volumus, quo rem utilissimam, subtilissimam, ac æquè iucundissimam lectoribus offerimus. Monemus autem, quòd licèt in quæstionis titulo solummodò de numero graduum supereminentis contemplationis mentio fiat, aliquid plus resolutio comprehendet. In quo nemini iniurius sum ; si contra nostri sæculi morem plus dedero, quàm promissi.

§. I.

Post relationem eorum, quæ communitèr circunferuntur, statuitur conclusio.

84. IN præsenti controversia unum esse omnium Mysticorum dictamen, ipsorum scripta clamant, tametsi in modo, quo se explicant, non desit suum disidium. Non nemo quatuor ponit huiusmodi contemplationis gradus, quorum primus est, quandò lumen illud transiens infunditur, & species præexistentes in imaginatione divinitùs ordinantur, ut talia, vel talia mysteria cognoscantur, cum connotatione tamen, ad obiecta propria illarum specierum, *licèt ultimatè contemplatio sistat in contemplatione divinæ veritatis.* Secundus gradus est, quando dictæ species imaginariæ infunduntur, & cognoscitur mysterium per conversionem ad phantasmata. Tertius gradus est, quando dictæ species talitèr coordinantur in ordine ad repræsentandum mysterium, quòd illud possit cognosci, aut cum conversione ad phantasmata, aut sine illa. Vltimus gradus est, quandò tàm species, quàm lumen infunduntur à Deo, dicitur que proindè absolutè scientia infusa.

85. In huius verè docti Theologi sententia multa displicent. In primo gradu displicet, quòd incipiat ab specierum coordinatione, cùm tamen ante talem coordinationem specierum detur supereminens contemplatio elicita à lumine infuso sine mutatione aliqua ex parte specierum. Solùm enim datur maior comprehensio obiectorum, quorum eæ species vicariæ sunt. Quod ex duobus tibi notissimum erit. Primumsit. Quòd eadem eiusdem obiecti species, sive naturale, sive supernaturale sit tale obiectum, imperfectiorem cognitionem influit, perfectiùs que comprehenditur

ab

ab intellectu perſpicatiori, quàm à minùs perſpicaci; perfectius quippè lumen intellectivum, perfectiùs utiquè cognoſcit naturam in ſpecie repræſentatam, ut ratio, & experientia teſtantur: ergo cùm lumen tranſeuntèr infuſum intellectui clarius, lucidius que ſit, quàm lumen naturale intellectus, & alia lumina ſupernaturalia: ſit conſequens, quòd ex hoc lumine nanciſcitur intellectus perfectiſsimam cognitionem, nulla facta mutatione ex parte ſpecierum, ſed ſolummodò per maiorem earundem ſpecierum comprehenſionem ab indito illo lumine provenientem. ¶ Secundum, & præcipuum ſit, quòd contemplatio per inſpirationem internam eſt verè ſupereminens contemplatio, ut ex D. Thoma vidimus ſupra. Hæc eſt contemplatio illa, quam habuit Adam in ſtatu iuſtitiæ originalis, non quia alias ſuperiores ipſi denegemus; ſed quia hæc fuit una ex illis ſublimibus contemplationibus, & ut reor, frequentior, quibus ibi ditatus eſt: ſed contemplatio per inſpirationem internam provenit à lumine indito, nulla facta ſpecierum mutatione, nec enim ſempèr, quod Adam ex lumine indito contemplabatur, illi Deus ſpecies infundebat, aut præexiſtentes coordinabat: ergo per hoc ſolùm, quòd detur lumen inditum, habemus contemplationem ſupereminentem: ac ſubindè hic eſt gradus huius contemplationis, nec ipſum alius præcedere poteſt ex ijs, qui ab hoc lumine ſunt. Atque ita ſentiunt communiſsimè Myſtici, à quibus ſine fundamento, aut ab authoritate, aut à ratione par eſt non recedere. ¶ Inſupèr diſplicet in eodem primo gradu, quòd dicat, illam cognitionem haberi per comparationem ad propria obiecta imaginabilium ſpecierum, *licèt ultimò ſiſtat in contemplatione divinæ veritatis.* Horum graduum explicatio eſt veluti eorumdem diffinitio, per quam nobis id, in quo unuſquiſque conſiſtat, innoteſcit. Quòd contemplatio ultimò terminetur ad divinam veritatem, nihil nobis exprimit, quod non ſit communiſsimum cuicumque contemplationi, quæ eoipsò, quòd ſit contemplatio religioſa, eſt *ſimplex intuitus divinæ veritatis.* Vndè licèt initium habeat à ſenſu, terminatur tandèm ad Deum, ad quem ipſa phantaſmata manuducunt, ut fuſiſsimè dictum à nobis eſt, cùm de phantaſmatibus ageremus. Imò ipſa philoſophica contemplatio hoc ipſum habet: quandoquidèm, licèt Deum, aut Angelos apprehendamus inſtar corporum, numquàm tamen eſſe corpora iudicamus, ut probè docet N. Logica Complut. diſp. 6. quæſt. 3. numer. 16. Quid ergo privativè proprium primi gradus ſupereminentis contemplationis nobis revelat, quòd ultimò *ſiſtat in contemplatione divinæ veritatis.*

86. In ſecundo gradu diſplicet illa ſpecierum infuſio, cum animadverſione converſionis ad phantaſmata. Si ſpecies imaginariæ ſunt, certiſsimum eſt, quòd contemplatio erit per converſionem ad phantaſmata. Hoc tamen non concedit datus Theologus, cùm dicat, ad tertium gradum ſpectare contemplationem, quæ habetur per ſpecies talitèr coordinatas, ut poſsit haberi talis contemplatio cum converſione ad phantaſmata, vel ſine illa converſione. Et hoc eſt, quod maximè nobis diſplicet. Quia iſtæ ſpecies, ſive coordinatæ, ſive non coordinatæ ſunt imaginariæ: ſpecies imaginariæ non poſſunt non repræſentare phantaſmata; phantaſma enim eſt obiectum imaginationis, cuius eſt medijs ſpeciebus imaginarijs cognoſcere. Vndè, ſicut viſus nequit videre ſine ſpecie viſibili, nec iſta valet audibile, aut quodvis aliud obiectum, præterquàm viſibile, repræſentare: Sic nec phantaſia poteſt cognoſcere ſine ſpecie imaginaria, nec hæc valet repræſentare niſi phantaſma. Rurſùs, dum tertium gradum explicat dicens: *Præcedentes ſpecies talitèr coordinantur* &c. Quæ ſunt illæ præcedentes ſpecies? Debuiſſet enim exprime-

re,

re, quæ sint eæ *species*, & respectu cuius sint *præcedentes*. Quippè hæc præcedentia potest sumi relatè ad contemplationem, in quam influunt; vel refertur ad species, de quibus loquutus fuerat. Et tunc adhùc inquiremus: *Species* præcedentes sunt, quæ in primo gradu coordinantur, aut sunt quæ in secundo infunduntur?

De nullo alio videtur posse intelligi illa sententia; de quo autem dictorum sumi debeat, tarditas mea percipere non potest. Nequit referri ad species infusas in secundo gradu. *Primò*: quia simùl infunditur lumen, & species, & oppidò, quamquàm liberè, subsequitur contemplatio, pro qua sola deservit illa species, sicut & lumen: ergo non potest dici illa species relatè ad contemplationem præcedens, eo præcedentiæ genere, quod ad præsens deservire queat. *Secundò*: quia illa species infunditur à Deo: ergo ab ipso infunditur ordinata, vel sic, aut alitèr ordinata. Vt quid Deus speciem infundat non ordinatam, & postmodùm ordinationem infundat? *Tertiò*: quia quòd species imaginaria infusa talitèr ordinetur *in ordine ad repræsentandum mysterium, quòd illud possit cognosci aut per conuersionem ad phantasmata, aut sine conversione ad ipsa*: durissimum nobis videtur, quòd species imaginaria queat non repræsentare phantasmata. Infusio, & coordinatio non extrahunt illam speciem à linea speciei imaginariæ. Vndè quamquàm talis species milliès coordinetur, semper phantasmata repræsentabit. Quæ quia magna ex parte vera sunt relatè ad species primi gradus; idcircò ad alia transimus.

87. Quid ergo in hac parte tenendum sit, docet magisterio solito N. Thomas à Iesu de Divin. Contemplat. lib. 6. cap. 2. Et ex ipso Cathen. myst. column. 1. propos. 25. per totam, alij que, quos inter mirabilis est gravissimus quidam Magister fidelissimè laudatum nostrum Thomam transcribens hic, & in toto suo mystico compendio, Thoma verò nusquàm nominato. Hoc iam diù in nostra cathena mystica legeram, sed hactenùs quisnam ille esset, ignorabam. Hi ergo Authores docent, quatuor esse gradus contemplationis supereminentis. Primus eorum est, quandò infunditur lumen supernaturale, manentibus speciebus sicùt priùs, hoc est, quin species infundantur, aut divinitùs coordinentur. Vndè in hoc gradu tota novitas se tenet ex parte luminis; quia lumen præcedens erat habituale, & minùs clarum: hoc autem, quod modò confertur, est actuale, & clarissimum. Secundus gradus est, quandò species in imaginatione asservatæ coordinantur. Quocircà in hoc gradu datur duplex infusio, alia luminis, & alia coordinationis specierum, quæ à Deo imprimitur in ipsas species, qua coordinatione elevatæ repræsentare possunt ea, quæ sine illa neutiquàm repræsentaret. Tertius gradus est, quandò species imaginariæ de novo infunduntur; ac subindè in hoc gradu procedit intellectus ex lumine infuso, & infusis speciebus imaginarijs. Quartus, & ultimus gradus est, quandò ultra luminis infusionem datur etiam infusio specierum intelligibilium. Vndè, ut vides, in quocumque ex his gradibus datur lumen infusum, sine quo non datur contemplatio propriè supereminens, de qua loquimur. Ex parte verò specierum stat tota diversitas; nam ad ultimum gradum dantur species infusæ non imaginariæ, sed intelligibiles: ad præcedentes concurrunt species, non intelligibiles, sed imaginariæ, ad primum nec infusæ, nec coordinatæ, ad secundum coordinatæ, ad tertium denique infusæ. Hæc est illorum authorum doctrina. Et hæc etiam est

88. Nostra conclusio. *Gradus supereminentis contemplationis illi sunt, quos numero præcedenti memoravimus.* Probatur conclusio sic primò. Etenim gradus contemplationis supereminentis ij sunt, qui faciunt illam contemplationem differre ab omni alia, & insu-

per

pèr ſufficientèr inter ſe diſcriminantur: ſed in relatis gradibus hoc reperitur: ergo in illos dividitur ſupereminens contemplatio. Illatio bona eſt, & maior liquet. Nam ea, in quæ dividitur ſupereminens contemplatio, debent participare diviſum per aliquid propriè contractivum ipſius: undè in quolibet ipſorum debet relucere id, per quod iſta contemplatio differt ab omni alia; & ſimul debent inter ſe diſcriminari. Minor duas partes habet. Prima, quòd per quemlibet ex ijs gradibus oſtendatur contemplatio hæc differre ab omni alia, quæ non eſt ſupereminens contemplatio. Secunda, quòd ſufficientèr inter ſe differant, ita utqueant ad gradum, ſeu ſpeciem differentem pertinere. Probatur ergo quoad primam partem. Quoniam ex alijs contemplationibus una eſt ſuperior, & hæc eſt viſio beatifica, à qua in his gradibus oſtenditur differens: quandoquidèm in omnibus illis obſcura eſt; & quamquàm contemplatio ſupereminens quandoquè à PP. & Myſticis dicatur *viſio*, non eſt quia obſcura non ſit: ſed quia inter contemplationes obſcuras eſt, quæ magis ad intuitivam, eiuſdem celſitudinis æmula, accedit. Aliæ contemplationes ſunt minùs perfectæ, quod oſtenditur, quia illæ à principio habitualitèr in contemplante reſidente eliciuntur. Hæc autem in omnibus ſuis gradibus à principio tranſeunte, quod proptèr ſui celſitudinem non conceditur permanentèr viatoribus, modo tamen, quo quæſtione antecedenti dicebamus: ergo in omnibus ijs gradibus, quos recenſuimus, oſtenditur contemplatio ſupereininens diverſa ab omni alia contemplatione. Vndè vera eſt propoſita minor quoad primam partem.

Quoad ſecundam autem probatur. Quia contemplatio habita per ſpecies intelligibiles diverſa, & perfectior eſt contemplatione habita per ſpecies imaginarias, quod ita planum eſt, ut in eius probatione immorandum non ſit: ergo quartus gradus contemplationis ſupereminentis diſtinctus, & perfectior eſt tribus alijs. Deindè contemplatio, quæ habetur per ſpecies imaginarias infuſas diſtincta, & ſublimior eſt eà, quæ habetur per ſpecies acquiſitas, ut de ſe liquet: ergo tertius gradus divinæ huius contemplationis differt, & ſuperat duos præcedentes. Præterea: contemplatio, quæ eſt per ſpecies acquiſitas divinitùs ordinatas diſtincta, & perfectior eſt contemplatione, cuius ſpecies eam coordinationem non habent: ergo ſecundus gradus ſupereminentis contemplationis à primo differt, illum que excedit.

89. Confirmatur, & expenditur ratio facta loquendo ſigillatim de unoquoque ex dictis gradibus. Etenim contemplatio orta à lumine penitùs infuſo eſt ſupereminens, etiam ſi ſpecies nec quoad entitatem, nec quoad modum, ſeu coordinationem ſint infuſæ: ſed contemplatio, quam in primo gradu collocavimus, oritur à lumine penitùs infuſo: ergo. Probatur maior *primò*. Quia illa contemplatio eſt per inſpirationem internam: contemplatio per inſpirationem internam eſt ſupereminens: ergo. Illatio tenet, & præmiſſæ ſunt certiſſimæ. Vide dicta num. 7. & 85. Probatur *ſecundò* illa maior. Contemplatio illa ſuperat omnes contemplationes viatorum, quæ ſunt à principio habitualitèr in ipſis reſidente: ergo eſt ſupereminens. Patet iſta: nam per contemplationem ſupereminentem nihil aliud intelligimus, niſi contemplationem alias omnes viatorum contemplationes ſuperantem. Et antecedens probatur: quò principium contemplationis perfectius eſt, eò eſt & contemplatio perfectior: principium illius contemplationis ſuperat perfectionem principiorum aliarum contemplationum; & ideò dicitur procedere à principio dona excedente: & ideò etiam tale principium non compatitur habitualitèr cum noſtræ miſeriæ debilitate, ut liquet ex dictis: ergo. Hinc que evidentèr conſtat, quòd ſi contemplatio hæc, quæ à lu-

lumine infuso oritur sine specierum imaginabilium mutatione, est supereminens potiori iure supereminens erit contemplatio, quæ habetur per species imaginarias infusas, aut quoad modum, aut quoad entitatem: & etiam, & maximè, illa, quæ est per infusionem specierum intelligibilium. Vndè data ratione ostenditur, omnes contemplationes, ad quatuor gradus propositos spectantes, fore supereminentes. Verùm quia noster animus est, non solùm statutum assertum suadere, sed etiam differentiam inter dictos gradus versantem assignare; idcircò reliquos tres gradus lustramus, sicut polliciti sumus.

Rursus: Contemplatio, quæ oritur à lumine illo dona superans concurrentibus speciebus imaginarijs, quoad modum infusis, nedùm superat alia contemplationum genera, verumetiam ipsam primi gradus contemplationem superat: ergo est supereminens. Antecedens pro prima parte liquet ex dictis & pro secunda probatur. Etenim contemplatio, cuius species perfectiores sunt, est perfectior: contemplatio procedens per species quoad modum infusas, seu divinitùs ordinatas, habet species perfectiores: ipsa quippè coordinatio divinitùs facta ipsas species elevat, seu perficit: ergo. Cætera constant, & minor est Div. Thomæ 2. 2. quæst. 173. art. 2. cuius verba dedimus disputatione præcedenti, quæst. 2. Illis que docet, quòd sicùt ex diversa ordinatione litterarum resultant diversa significata; sic ex diversa coordinatione earumdem specierum resultant distincti intellectus: ergo illa coordinatio divinitùs facta perficit species, ut meliùs, & altiora repræsentent.

Prætereà, & ex eodem principio. Species, quæ sunt quoad entitatem infusæ superant species, quæ solùm quoad modum infusæ sunt: ergo contemplatio ab illis orta superat perfectionem contemplationis per species quoad modum infusas habitæ: ergo contemplatio tertij gradus superat præcedentium contemplationes: ergo hæc tertij gradus contemplatio ratione luminis est supereminens, & ratione specierum duas illas supereminentes excedit. Omnes consequentiæ sine calumnia sunt, & antecedens probatur. Species quoad entitatem infusæ habent ab intrinseco id, quod ab extrinseco habent species infusæ quoad modum: ergo illas superant. Patet ista: quia id, quod est tale ab intrinseco, potius est eo, quod ab extrinseco est tale.

Deniquè ex inculcatis motivis convincitur, contemplationem ortam ab speciebus intelligibilibus infusis esse supereminentem propter lumen infusum, & alijs supereminentibus præstare; duabus primis, quia est per species simplicitèr infusas, & omnibus illis; quia tales species sunt intelligibiles, quæ absdubio imaginarias excedunt. Sic que docet D. Thomas 2. 2. quæst. 174. articul. 2. quem integrum allegamus in comprobationem huius veritatis; solummodò hæc exscribentes: *Manifestum est autem, quòd manifestatio Divinæ veritatis, quæ fit per nudam contemplationem ipsius veritatis, potior est, quam illa, quæ fit sub similitudine corporalium rerum. Magis enim appropinquat ad visionem patriæ, secundùm quam in essentia Dei veritas conspicitur. Et indè est, quòd prophetia, per quam aliqua supernaturalis veritas conspicitur, secundùm intellectualem veritatem est dignior, quàm illa, in qua veritas supernaturalis manifestatur per similitudinem corporalium rerum secundùm imaginariam visionem.* Hæc S. Thomas clarissimè docens, quæ tradidimus.

90. Probatur secundò conclusio ex eodem Angelic. Præceptore, qui illam absdubio edocet dicta 2. 2. quæst. 173. art. 3. ubi in corp. ait: *Respondeo dicendum, quòd sicut dictum est, prophetica revelatio fit secundùm quatuor, scilicèt secundùm influxum intelligibilis luminis: secundùm immissionem intelligibilium specierum; secundùm impressionem, vel ordinationem imaginabilium*

bilium formarum; & ſecundùm expreſſionem formarum ſenſibilium. Propter hanc authoritatem Myſticos, quos ſupra dedi, ſectatus ſum, aſsignans cum illis quatuor gradus ſupereminentis contemplationis. Sin minùs non quatuor, ſed quinque gradus ipſius ſupereminentis contemplationis aſsignarem, cuius motivum §. ſequenti in primo argumento dabo. Ob reverentiam ergo SS. Præceptori debitam quatuor eſſe illos gradus, affirmavi. Et hoc eſt, quòd data authoritate convincitur. Qua obſervatione præmiſſa, ad enucleandam mentem D. Thomæ accedimus.

Etenim S. Doctor dicit, quòd contemplatio ſupereminens provenit à quatuor principijs. Primum eſt lumen intelligibile infuſum. Nec intelligas, D. Thomam cenſere, quòd infuſio huius luminis aliquem gradum ſpecialem diſtinctum ab alijs gradibus conſtituit. Sic enim ſibimetipſi contrarius foret; quandoquidèm cùm dixiſſet, contemplationem ſupereminentem fieri *ſecundùm quatuor*, mòx immediatè ſubiungeret quinque, ſecundùm quæ haberetur, ut potes in textu aſsignato enumerare. Senſus ergo D. Thomæ eſt: quòd data contemplatione, quæ ab hoc lumine infuſo oritur, eoipsò datur contemplatio ſupereminens diverſa à contemplatione faciali propter obſcuritatem, & ab alijs obſcuris ob principij celſitudinem. Vndè diſtinctivum contemplationis ſupereminentis non tam ſunt ſpecies, quàm lumen. Aſt quia, ſi intellectus elevatus lumine infuſo contemplatur, aliquod contemplatur obiectum: & ſi contemplatur aliquod obiectum, illud debet eſſe unitum ipſi intellectui: & ſi unitum intellectui eſt, debet eſſe media ſui ſpecie: idcircò impoſsibile eſt, quòd tale lumen producat contemplationem ſine ſpecie. Quapropter ſicùt, ut dictum eſt, lumen eſt primum diſtinctivum contemplationis ſupereminentis ab alijs contemplationibus; ſic præcipuum conſtitutivum, aut diſtinctivum graduum contemplationis ſupereminentis potiùs ſunt ſpecies, quàm lumen. Quod indè tibi ampliùs liquebit; quia contemplatio ſupereminens non conſtituit gradum ſpecialem: eſt quippè diviſum, cuius gradus, in quos dividitur, diſputamus. Vndè ſicùt illa contemplatio non eſt gradus determinatus contemplationis ſupereminentis, ſed res communis ad omnes illos gradus ſpectans: ſic & lumen ipſum primario conſtituens commune etiam eſt gradibus illis; nec ponit in numerum cum ipſis; aut aliquam peculiarem ſpeciem conſtituit.

91. Sunt ergo ſpecies, id à quo præcipuè venanda eſt differentia ſpecierum, ſeu graduum ſupereminentis contemplationis. Et iſtæ ſpecies concurrunt quatuor modis à nobis ſupra aſsignatis, & modò à D. Thoma edoctis, licèt ordine inverſo: quia Angelic. Doctor incipit à perfectioribus. Primus modus ſupereminentis contemplationis habetur cum ad ipſam concurrunt ſpecies purè intelligibiles: *Secundùm impreſsionem intelligibilium ſpecierum.* Et hæc contemplatio eſt inter ſupereminentes ſuprema, ut vidimus ex eodem D. Thoma num. 89. in fine. Secundus modus eſt, quandò cum lumine infuſo concurrunt ſpecies imaginariæ. Et hoc triplicitèr. Primò, quandò illæ ſpecies imaginariæ ſunt ſimplicitèr infuſæ: ſecundò quandò ſolùm quoad modum, ſeu coordinationem, infuſæ ſunt. Tertiò tandèm, quandò nullatenùs ſunt infuſæ. Hos tres modos, quibus ſpecies imaginariæ concurrunt, offert laudatus D. Thomas datis verbis. Duos primos ibi: *Secundùm impreſsionem, vel ordinationem imaginabilium formarum.* Et tertium ibi: *Et ſecundùm expreſsionem formarum ſenſibilium.* Horum trium modorum primus ſecundum ſuperat, & ultimo ſecundus præſtat. Eſt igitur verum, quòd gradus, ſeu ſpecies contemplationis ſupereminentis ſunt quatuor. Et quòd noſtrum aſſertum eſt doctrina D. Thomæ,

§. II.

Argumenta.

92. IN præcedenti §. non ſolùm aſſertum propoſuimus, & ſuadere conati ſumus: verùm etiam exceſſum repertum inter gradus ſupereminentis contemplationis oſtendimus, & alia recimus, quæ nec ſcopo principali obeſſe, certum eſt: nec voluimus ſeorſim diſputare. Contra illa omnia procedent argumenta, quorum primum eſt. Ex coordinatione ſpecierum intelligibilium reſultat gradus contemplationis ſupereminentis diſtinctus ab alijs: ergo gradus huius contemplationis ſunt quinque: ac ſubindè diviſio tradita eſt diminuta. Probatur antecedens: ex coordinatione ſpecierum imaginabilium reſultat contemplatio ſupereminens diverſa ab alijs, ut patet ex dictis: ergo pariformitèr ex coordinatione ſpecierum intelligibilium. Nec facilè erit aſsignare diſcrimen inter ſpecies imaginarias, intelligibileſ que.

Ob hoc argumentum dixi num. 90. quòd ſi non mediaret authoritas ibi illata D. Thomæ, quinque aſſererem, eſſe ſpecies ſupereminentis contemplationis. Verùmenimverò vi huius argumenti non cogimur aſſertum illud deſerere, ſed ſolùm compellimur, mentem SS. Præceptoris exponere, quòd brevitèr præſtare curabimus. Igitur ad hoc argumentum reſpondemus, concedendo antecedens, & primam conſequentiam, ſed negamus ſecundam. Concedimus, quòd ex coordinatione ſpecierum intelligibilium reſultat diſtincta ſupereminens contemplatio, quod pervium tibi erit, ſi conſideres, quòd modi, in quos dividitur contemplatio ſupereminens, deſumpti ſunt à modis, quibus procedit naturalis cognitio, quæ non ſolùm habetur ex coordinatione ſpecierum imaginabilium, ſed etiam ex coordinatione intelligibilium ſpecierum in memoriæ theſauro aſſervatarum. Quocircà, cùm non ſint ſpecies intelligibiles minus coordinabiles, quàm imaginariæ: imò magis coordinabiles ſunt, quò ſpiritualiores, & univerſaliores. Et aliundè cùm lumen infuſum poſsit meliùs coordinare intelligibiles, quia ſibi viciniores; fit conſequens, quòd ſi ad imperium illius luminis poſſunt ſpecies imaginariæ ordinari, ita ut perfectior contemplatio habeatur; potiori titulo ex ipſius luminis motione ſpecies intelligibiles coordinari queunt, ut indè reſultet eminentior contemplatio. Vndè datur hic quintus gradus contemplationis ſupereminentis, qui nec à D. Thoma, nec à nobis omiſſus fuit, quamquàm non fuerit explicitè traditus. Ex quo enim lumen infuſum poteſt ordinare ſpecies minùs ſibi propinquas, & minùs ad ſuſcipiendam ordinationem idoneas: evidentèr habetur, quod ſpecies magis idoneas, & viciniores coordinet, & quòd ex illis diſtincta contemplatio reſultet. Et hæc eſt ratio, ob quam D. Thomas illius contemplationis non fecit expreſſam mentionem, quem ſequutus idem feci. Videatur Cajetanus inibi, cuius eſt tota hæc expoſitio, & doctrina, & ait, quòd ſicut D. Thomas ijs verbis *ſecundùm impreſſionem, vel ordinationem imaginabilium formarum* duplicem gradum cognitionis expreſsè tradidit: ſic in illis *ſecundùm immiſsionem intelligibilium ſpecierum* alium duplicem docuit, unum expreſsè, & alium, qui in primo ex immediatè dictis cognoſcitur. Ac ſubindè negavimus, quòd diviſio illa graduum huius contemplationis diminuta ſit: quandoquidèm ſivè implicitè, ſivè explicitè omnia dividentia recenſet. Quarè licèt ſempèr dicamus gradus, ſeu ſpecies contemplationis ſupereminentis eſſe quatuor; hoc tamen iuxta datam explicationem intelligendum volumus.

93. Arguitur ſecundò. Contemplatio ſeraphica reſultans ex unione fruitiva animæ cum Deo, eſt contemplatio ſupereminens: ſed illa ad nullam ex aſsignatis ſpeciebus ſpectat: ergo illa

divi-

diviſio adæquata non eſt. Maior liquet, quia eſt propriè myſtica Theologia. Minor verò probatur : Illa contemplatio elicitur à dono ſapientiæ : ergo eſt diverſa à quatuor aſsignatis. Conſequentia bona eſt , & antecedens ſupra admiſsimus cum Dionyſ. Carthuſ.

Reſpondetur diſtinguendo maiorem , quæ vera eſt de contemplatione illa , ſi per modum affirmationis procedat , ut ſupra cum N. Thoma à Ieſu dicebamus ; falſa tamen eſt , ſi loquatur de contemplatione per remotionem procedente. Hæc enim eſt propriè contemplatio cherubica. Et licèt ſupra conceſſerimus , quòd ipſa contemplatio ſeraphica poſsit elici à ſapientiæ dono. Eo ipſo negamus , illam contemplationem ad præſentem controverſiam pertinere. Modò enim ſolummodò loquimur de illa contemplatione , quæ ab auxilio , ſeu lumine tranſeunte eſt , & quæ per modum affirmationis procedit. Vndè contemplatio , quæ per affirmationis modum non eſt , elicitur que à principio permanenti , non attinet ad præſentem controverſiam , quantumvis perfectiſsima aſſeratur. Nec unquàm poterit æquare perfectionem contemplationis petentis procedere à principio , quod ob ſui celſitudinem non poteſt habitualitèr reperiri in viatore. Vndè contemplatio illa , quam conceſſimus , provenire à dono ſapientiæ , ſpecialiſsimè per irregularem illuſtrationem elevato , licèt dicatur myſtica Theologia , non eſt contemplatio ſupereminens , de qua loquimur.

94. Arguitur tertiò. Dantur plures contemplationes ſupereminentes , quæ ad nullum ex aſsignatis gradibus pertineant : ergo diviſio facta eſt diminuta. Probatur antecedens. Nam contemplatio *modi neſcia* , contemplatio *ebria* , & aliæ ſunt abſdubio ſupereminentes : & tamen non eſt aſsignabilis gradus aliquis ex quatuor dictis , ad quem ſpectent : ergo

Reſpondetur : Quòd ſi illæ contemplationes ſupereminentes ſunt , verè ad aliquam ſpeciem ex illis quatuor pertinent : quæ quidèm non ſunt infimæ , ſed ſubalternæ. Vndè ad unumquemque ex illis plures contemplationes ſupereminentes attinere ambigendum non eſt. Diximus : *ſi illæ contemplationes* &c. quia reverà eæ contemplationes non ſemper ſunt ſupereminentes , de quo agendum modò non eſt. Vnico verbo. Si contemplatio non eſt à lumine infuſo tranſeunte ; non eſt ſupereminens. Si ab illo lumine fit , nequit non aliquo ex modis dictis haberi. Si ab alia ad eundem gradum ſpectante ſpecificè differat : non eſt , quia illi gradus plurificentur ; ſed quia ſubalterni ſunt.

95. Arguitur quartò. Non poſſunt ſpecies coordinari à lumine infuſo , ut media coordinatione influant in contemplationem ſupereminentem : ergo non datur gradus huius contemplationis proveniens ab ſpeciebus coordinatis. Probatur antecedens. Species , prout deſervientes contemplationi , præcedunt lumen : ergo nequeunt ab illo coordinari. Probatur antecedens. Acceptio in contemplatione præcedit iudicium : ſed ſpecies pertinent ad acceptionem , & lumen attinet ad iudicium : ergo. Maior eſt certa ; quia priùs debet intellectus accipere , quo contempletur , ſeu obiecto uniatur , quàm , quòd eliciat contemplationem. Vndè cum media ſuſceptione ſpeciei uniatur obiecto , & media contemplatione iudicet : priùs eſt ſpeciei ſuſceptio , quàm iudicium. Minor autem eſt paſsim tradita à Div. Thoma , liquet que ex modò dictis.

Reſpondetur negando antecedens. Ad probationem diſtinguo antecedens. *Lumen* , ut eſt efficiens , concedo : ut eſt diſpoſitio , nego antecedens. Memento eorum , quæ diſp. 19. diximus contra P. Ripalda , videlicèt , quòd habitus ſupernaturales , ſive per modum habitus communicati , ſivè per modum diſpoſitionis impertiti , duplicem cauſalitatem habent : quandoquidèm talis habitus , & elicit activè actum , & diſponit

ponit potentiam, ut obiecto media ſpecie uniatur, & eundem actum eliciat, ſicut lumen gloriæ, quod, vel habitualitèr, vel tranſeuntèr communicatum, elicit quidèm viſionem, ſed priùs diſponit potentiam, ut poſsit uniri Divinæ eſſentiæ vices gerenti ſpeciei. Sic ergo lumen infuſum, de quo loquimur, [illegible] ſupplet, quod pertinet ad iudicium, ſpecies coordinat, diſponit que intellectum, ut ſpecies coordinatas, ſeu ſpecierum coordinationem recipiat, & hoc ad acceptionem ſpectat. Vndè & acceptio præcedit iudicium, & lumen infuſum, ut ordinans ſpecies, diſponens que intellectum, ut ſpecies ſic ordinatas recipiat, ſe ipſum præcedit, prout contemplatur. Per quæ explicata manet diſtinctio data, & totum argumentum ſolutum.

96. Sed contra, & arguitur quintò. Specierum coordinatio dirigitur ad repræſentandum aliquod obiectum, quod priùs non repræſentabant: ſed implicat, ſpeciem repræſentare modò obiectum, quod priùs non repræſentabat: ergo & quòd coordinetur. Ergo non datur contemplatio, quæ proveniat ab ſpecierum coordinatione. Cætera conſtare videntur, & minor probatur. Nequit ſpecies repræſentare modò obiectum, quòd priùs non repræſentabat, quin elevetur: implicat, quòd ſpecies elevetur: ergo. Probatur minor: Tum, quia continer doctrinam NN. Salmanticenſ. tract. 7. diſp. 6. dub. 4. fol. 1. Tum, quia ſpecies ex natura ſua repræſentant obiectum: ergo ſine elevatione.

Hoc argumentum ideò poſui, ut remiſsivè ſolverem: de hac enim difficultate egimus tom. 2. diſp. 14. quæſt. 1. fol. 2. & ibi plura continentur, quæ contra huiuſmodi ſpecierum coordinationem urgeri queunt: ſed ea ibi paritèr ſolvimus. Vndè videri debent ibi dicta, ne vel actum agere compellamur, vel plura pro præſenti materia utilia deſiderentur. Ex ibi ergo dictis reſpondetur argumento. Maiorem eſſe veram de obiecto terminativo, non de motivo. Motivum enim obiectum ſine coordinatione, ſine elevatione, aut illo ab extrinſeco ſibi adveniente, repræſentat ſpecies; quæ ex coordinatione, aut elevatione habet, quòd extendatur ad repræſentandum obiectum terminativum, quod priùs non repræſentabat, nec unquàm repræſentare poſſet. Per quæ totum argumentum ſolvitur: quippè PP. Salmanticenſ. de obiecto motivo loquuntur, quod ex natura ſua repræſentat ſpecies, non autem de obiecto terminativo; hoc enim non niſi ex elevatione repræſentatur.

97. Arguitur ſextò. Species imaginariæ ſine coordinatione nequeunt deſervire ad perfectiorem contemplationem: ergo non datur contemplatio ſupereminens, quæ non ſit ab ſpeciebus infuſis, ſeu coordinatis. Probatur antecedens. Vt ſpecies imaginaria influat in contemplationem perfectiorem, debet repræſentare obiectum illius contemplationis: ſed ſine coordinatione, aut elevatione nequit repræſentare obiectum contemplationis altioris: ergo. Probatur minor. Sine elevatione nequit ſpecies ræpræſentare niſi obiectum, à quo deſumpta eſt: ergo nequit repræſentare obiectum altioris contemplationis.

Confirmatur, & declaratur ratio hæc. Quòd lumen infuſum ſit valdè penetrativum, ſolùm probat, quòd cognitio ab illo elicita ſit magis comprehenſiva, quàm cognitio elicita à lumine inferiori; non tamen arguit, quòd illa ſpecies aliquid aliud repræſentet, præterquàm obiectum, quod illam immiſsit; ergo ſine elevatione nullum aliud obiectum repræſentare, aut connotare queit. Probatur, expenditur que antecedens. Etenim ſpecies, ſeu phantaſma Leonis poteſt cognoſci à lumine naturali tardo, & ab alio perſpicaci; poteſt etiam cognoſci à lumine ſupernaturali minùs, aut magis perfecto: ſed à quocumque eorum cognoſcatur, nunquam

quàm phantaſma illud repræſentabit Equum, hominem, Angelum, aut Deum: ſed ſolummodò Leonem: ergo licèt lumen ſublimius perfectiùs cognoſcat Leonem, numquàm tamen poterit aliquid diſtinctum à Leone cognoſcere.

Hoc argumentum difficultate non caret. Reſpondemus ergo negando antecedens. Reliquæ propoſitiones, & ſimùl confirmatio ſolvendæ ſunt ex clariſſima doctrina D. Thomæ ubi ſupra art. 2. ubi ad 2. ait, quòd contemplatio ſupereminens *quandoquè à formis imaginatis reſultat ſecundùm adiutorium prophetici luminis, quia ex eiſdem formis imaginatis ſubtilior cognoſcitur veritas ſecundùm illuſtrationem altioris luminis.* Itaque ex phantaſmatibus vi intellectus agentis reſultant ſpecies intelligibiles, & quò perfectior eſt intellectus agens, eò perfectiores ſunt ſpecies intelligibiles. Hinc que provenit tarditas, aut perſpicacia intelligentium. Fatemur autem, quòd à phantaſmate Leonis, & intellectu agente, quantumvis efficaciſsimò, nunquàm poteſt reſultare ſpecies intelligibilis aliquid aliud, præter Leonis naturam repræſentans. Aſt, ſi accedat illuſtratio luminis infuſi, referantur plures, eæque celſiſsimæ veritates, quas nunquàm cognoſcere poſſet lumen naturale. V.g. Modo dicto habetur ſpecies intelligibilis Leonis, ſpecies mundi, ſpecies hominis, ſpecies Dei &c. in quibus, & ex quibus lumen infuſum cognoſcit Leonem de Tribu Iuda, mundum, ſeu hominem redemiſſe à faucibus tartarei Leonis. Seu Deum hominem mundum à Leonis infernalis unguibus liberaſſe. Et ſic de alijs. Audiatur Caietanus ſic D. Thomam exponens. *Hinc ſiquidèm apparet, quòd in eiſdem phantaſmatibus, putà Leonis, hominis Salvatoris &c. Latent multæ apparitiones poſsibiles indè extrahi, quia latent in eis multæ veritates poſsibiles ex eis, & in eis inſpici: ad quas apparitiones, & veritates extrahendas, & illuſtrandas non ſufficit naturale lumen noſtrum, ſed ſuperveniente lumine altiori apparebunt nova. Et indè fient novæ ſpecies intelligibiles, & novæ veritates, putà, quòd Leo de Tribu Iuda ſalvat mundum.*

Per quæ patèt ad ſingulas facti argumenti propoſitiones. Antecedens, ut dictum eſt, negamus, & minorem probationis, & huius antece[illegible] ex dictis ad confirmationem amplius liquebunt. Ad quam diſtinguatur antecedens *præter quàm obiectum* &c. Secundùm omnia, quæ dicit, concedo: ſecundùm aliqua præcisè, nego. Leo immittit ſpeciem cognoſcenti; ſi Leonis ſpecies, ſeu phantaſma cognoſcitur à lumine naturali, reſultat ſpecies repræſentans naturam leoninam: & quò perfectior fuerit intellectus agens, eò & ſpecies intelligibilis, atque ideò cognitio intellectus poſsibilis, erit perſpicacior. Aſt quia ille ipſe Leo, qui ſpeciem immittit, propter ſui rapacitatem, ſævitiam que repræſentat illum, *qui tanquam Leo rugiens circuit quærens, quem devoret* ex D. Petro cap. 5. Propterea ex phantaſmate Leonis *ſecundùm illuſtrationem altioris luminis*, reſultat ſpecies, quæ non ſolùm repræſentat Leonis naturam, verumetiam Dæmonis aſtutiſsimam fraudulentiam. Similitèr dicimus de eodem Leone, inſpecta ipſius generoſitate, ac fortitudine, ob quas Leonem de Tribu Iuda repræſentat, alium illum ſtrangulantem, & conculcantem. Similitèr dicimus de alijs, in quibus omnibus plurima ſignificata obvelantur, *non niſi ſecundùm illuſtrationem altioris luminis cognoſcibilia.*

98. Et ne ſuſpiceris, datam doctrinam ſolummodò quoad ſenſus myſticos veritatem habere, recole, quæ diximus tom. 1. diſp. 1. quæſt. 6. §. 1. ubi ex Sacra Scriptura, ex D. Thoma, ex D. Athanaſio, & fuſè, ac profundiſsimè ex noſtro Extatic. Doctore firmavimus hanc ipſam doctrinam, quam modò præ manibus habemus: oſtendentes, quòd omnia entia, etiam vilia, quæ contrectamus, continent in ſe miri-

ſi-

rissima, quibus *secundùm illustrationem altioris luminis* perspectis, in mirabiles contemplationes mens assurgat. Ipsa enim dependentia, connexio, quàm inter se servant; dependentia intima, quam à prima causa dicunt; ipsa elevabilitas, qua gaudent, ut ad ordinem, totum naturæ ordinem transcendentem, [illegible]tur, plurima nobis offerunt, quibus in contemplationem Dei rapiamur. Et quò lumen, quo hæc attinguntur, subtilius, ac sublimius est, eò plures, & celsiores extrahuntur intellectus. Si namque lumen naturale potest res creatas attingere; ita ut ex ipsis in Creatoris cognitionem perveniat: nil mirum, si attactis ijs *secundùm illustrationem altioris luminis* in contemplationem ipsi altiori lumini correspondentem assurgamus, experientes, catholicam illam veritatem à David Psalm. 18. vers. 2. edoctam, videlicèt: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum.*

99. Si dicas: hoc ipsum, quod dicimus, verum est: ast quòd sine elevatione phantasmatis, aut speciei fiat, non est verum. Falleris: quia tunc species elevatur, quandò virtute elevationis habet, quòd repræsentet illud, quod sine tali coordinatione, aut elevatione neutiquàm repræsentaret In nostro autèm casu adest in intimis rei visceribus idipsum, quod tantummodò *secundùm illustrationem altioris luminis* cognosci potest. Vndè lumen ipsum altius nihil imprimit in obiectam, quo elevetur, sed ea, quæ in ipso obiecto abscondita sunt, cognoscit. Sicùt lumen philosophicum cognoscit ex ente creato Creatorem, non quia in ens creatum aliquid à lumine philosophico derivetur; sed quia ipsum à philosophico lumine veluti exenteratur.

100. Arguitur septimò contra factam graduationem secundùm quam diximus, contemplationem, quæ est per species purè intelligibiles, esse omnibus præstantiorem. Etenim contemplatio, quæ est per species inteligibiles, & imaginarias, perfectior est, quàm ea, quæ solummodò per species intelligibiles fit: ergo non est perfectior contemplatio purè intelligibilis. Probatur antecedens. Perfectius est lumen, cum quo infunduntur species itelligibiles, & imaginariæ præ illo, cum quo solùm species intelligibiles infunduntur: ergo. Probatur antecedens *primò*: quia ille solus verè dicitur Propheta, qui species imaginarias, & intelligibiles recipit, non autèm ille, qui recipit solas species intelligibiles, ut ait D. Hieron. in prolog. lib. Reg. ergo. Probatur *secundò*: quia ex D. Augustino 12. super Genes. ad litteram. Minùs est Propheta, qui rerum signatarum solo spiritu videt imagines; & magis est propheta, qui solo earum intellectu est præditus; sed maximè propheta est, qui in utroque præcellit: ergo. ¶ Probatur tertiò: lumen, quod ad distantia se extendit, perfectius est: sed lumen propheticum ex se pertinet ad mentem: ergo quandò ultra illam se extendit ad imaginationem, perfectius est.

Respondetur negando antecedens. Ad probationem distinguo antecedens. *Lumen* absolutè, & simplicitèr, nego: cùm veritas revelanda est per species imaginarias, sub distinguo, *perfectius* est relatè ad illam prophetiam, concedo: absolutè, nego antecedens. Itaquè, ut constat ex Div. Thoma 2. 2. quæst. 173. art. 2. possunt alicui infundi species imaginariæ, sine cognotione tamen eorum, quæ repræsentant. Similitèr potest alicui infundi cognitio veritatis per illas species imaginarias repræsentata, quin huic tales imaginariæ species infundantur. Ac deniquè possunt alicui infundi species imaginariæ, & simùl cognitio veritatis, quam repræsentant. Primum patet in Pharaone, Nabuchodonosor, in Balthasare, & in duobus cum Ioseph incarceratis, & alijs pluribus. Secundum patet in ipso Ioseph somnium Pharaonis, & duorum secum incarceratorum edisserente, quin species imaginarias haberet. Tertium-

tium patet in Isaìa, Ieremia, & alijs, qui verè dicuntur prophetæ, qui quidèm, & ſpecies imaginarias habuerunt, & ſimùl cognitionem eminentiſsimam eorum, quæ per tales ſpecies repræſentabantur. Rurſus: cognitio prophetica poteſt conſiderari, vel relatè ad veritatem contemplatam abſolutè, & ſimplicitèr ſumptam; vel relatè ad veritatem, quæ per ſpecies imaginarias revelanda eſt.

Hæc in præſenti materia conſideranda ſunt, & ad ſingulorum explanationem deſcendentes, dicimus, quòd habentes ſpecies imaginarias, & carentes cognitione eorum, quæ in illis repræſentantur, non ſunt Prophetæ. Habentes cognitionem veritatis, & non ſpecies imaginarias, prophetæ ſunt. Aſt ſi veritas revelanda eſt per imaginarias ſpecies, excellit, illæ cui & ſpecies imaginariæ infunduntur, & veritas revelatur. Si autem cognitio illa abſolutè, & ſimplicitèr conſideretur; tunc perfectior eſt contemplatio purè intellectualis ab ſpeciebus purè intelligibibus proveniens. Quod docet, & aptiſſimo exemplo aperit D. Thomas quæſt. 174. art. 2. ſic: *Prophetia, per quam aliqua ſupernaturalis Veritas conſpicitur ſecundùm intellectualem Veritatem eſt dignior, quàm illa, in qua Veritas ſupernaturalis manifeſtatur per ſimilitudinem corporalium rerum ſecundùm imaginariam viſionem. Et ex hoc etiam oſtenditur mens prophetæ ſublimior ſicut in doctrina humana auditor oſtenditur eſſe melioris intellectus, qui Veritatem intelligibilem à Magiſtro nudè prolatam capere poteſt, quàm ille, qui indiget ſenſibilibus exemplis ad hoc manuduci. Vndè in commendationem prophetiæ David dicitur 2. Reg. 23. Mihi loquutus eſt fortis Iſrael. Et poſteà ſubdit: Sicut lux auroræ oriente ſole manè abſque nubibus rutilat.*

Et ex his conſtat intelligentia earum diſtinctionum, quas dedimus. Ad primam probationem antecedentis dicimus, vel quòd verè, & propriè dicuntur Prophetæ ij, quibus ſpecies imaginariæ infunduntur, quia ut in plurimùm, ſic contingebat prophetica revelatio, uti obſervat Caietanus: aut etiam, quia illud eſt verum relatè ad veritatem, quæ per illas ſpecies revelanda eſt, aut deniquè, & meliùs, dicebantur verè prophetæ, *quia prophetico ſpiritu fungebantur.* Vndè *ex perſona Domini loquebantur dicentes ad populum: hæc dicit Dominus.* Sic quæ Intelligendus eſt Div. Hieronymus inibi diſtinguens Prophetas contra Hagiographos. Et patet: quia inter Hahiographos accenſet David, qui verè habuit propheticum lumen, à quo denominatur anthonomaſticè propheta, & cuius cognitio adeò elevata fuit, ut modò vidimus.

Ad ſecundam probationem dicas: D. Auguſt. intelligendum eſſe de veritate, quæ per ſpecies imaginarias revelanda eſt. ¶ Ad tertiam diſtinguo maiorem: *Ad diſtantia* per ſe quæſita: concedo quæſita propter aliud, nego maiorem. Lumen intelligibile quærit per ſe cognitionem veritatis. Vndè illud eſt perfectius, quod plures veritates, remotiores cognoſcit. Species imaginariæ non quæruntur propter ſe, ſed ut medium ad obtinendam veritatis cognitionem: eòque non eſt perfectius lumen, quod indiget ſpecie imaginaria, ut queat cognoſcere veritatem. Solutio eſt laudati D. Thomæ ad 2. eam que declarat exemplo Medici, qui perfectior eſt, ſi plures, & paucioribus medicaminibus ſanat, quàm ſi paucioribus, & pluribus curat. Et ratio eſt: quia finis ab ipſo intentus eſt ſanitas: medicamenta autem media ſunt, quibus utitur ad conſequendum illum finem. Sic ergo lumen, quod plures veritates, & per ſolas ſpecies intelligibiles cognoſcit, perfectius eſt eo, quòd ultrà ſpecies intelligibiles requirit imaginarias.

****
**

DISPVTATIO XXI.

DE SCIENTIA PER SE INFVSA.

DISPVTATIONE antecedenti aliqua diximus de scientia per se infusa, occasione contemplationis supereminentis, quæ illius scientiæ actus est: nec potuimus huius ineffabilis scientiæ memoriam omnimodè ibi prætermittere: quia notitia, quam de contemplatione seraphica omnibus ibidèm offerre, nostri instituti erat, id necessariò exigebat. Neutiquàm enim actûs natura declarari valet, principio ipsius actus ignoto. Vndè ea precisè tunc tradere debui, quæ huic notitiæ deservirent, reservata ampliori discussione huius penitissimæ scientiæ usquè ad præsentem disputationem. In qua non omnia ea, quæ ad huius scientiæ quidditatem spectant, disputaturus sum, sed aliqua; ita ut naturam, & attributa scientiæ infusæ potiùs perstringere videar, quàm discutere. Ad quod motiva non parùm urgentia compellunt. Primum est. Quòd fermè omnia, quæ huius divinæ scientiæ propria sunt, à Doctoribus Scholasticis pertractantur 3. part. quæst. 11. Secundum motivum est. Quia de hac cælesti scientia ea solùm nobis discutere datum est, quæ conducere videantur ad contemplationis seraphicæ pleniorem notitiam comparandam: Ex quibus iam aliqua disputatione vigesima delibavimus. Restant modò alia, quæ à Mysticis communissimè circumferuntur, & cum ipsis eadem brevitèr oblaturus ingredior.

***

QVÆSTIO PRIMA.

VTRVM DETVR SCIENTIA PER SE infusa?

BRevissimè absolvam præsentem difficultatem, sicùt & omnes alias subsequentes, proùt in procœmio pollicitus sum: modò verò recta methodo à quæstione *an est* scientiæ infusæ incipio, proùt in similibus fieri solet.

§. I.

Datur scientia per se infusa.

1. ASsertio hæc adeò communis est, ut superfluum sit authores, qui illam propugnant, referre. Illam docet D. Thomas 3. part. quæst. 9. & 11. & pluribus alijs locis. Et antequàm assertionem probemus, oportet scire: rem posse duplicitèr infundi. Primò, per accidens. Secundò, per se. Id infunditur per accidens, quòd, nisi à superiori agente imprimeretur, posset acquiri industria, ac labore habentis. Sic que scientiæ naturales inditæ fuerunt primo generis humani Parenti: qui quidèm posset illas scientias proprio studio comparare; sed in ipsum impressæ à Deo fuere, antequàm in earundem comparatione occuparetur. Id infunditur per se, seu dicitur per se infusum, quod alitèr haberi non potest, nisi per infusionem à causa superiori,

riori. Vndè ſi hæc illud non conferat inferiori, nunquàm in illo invenietur: quia totus eius labor, induſtria, ac ſolicitudo inſufficientes ſunt, ad illam rem comparandam. Quæſitum noſtrum non procedit de infuſione per accidens, ſed de infuſione per ſe; ut vel ex titulo liquet. Qua animadverſione facta.

2. Probatur ſic noſtra concluſio. Datur ſcibile correſpondens ſcientiæ infuſæ per ſe: ergo datur ſcientia per ſe infuſa. Patet iſta à correſpondentia, quæ adeſt inter ſcientiam & ſcibile: inter potentiam, ſeu habitum, & obiectum. Vndè ſi datur viſibile, audibile &c. debent dari facultates, quæ illa cognoſcant. Antecedens autem probatur. Obiectum ſuperans capacitatem potentiæ, cognoſcibile quidditativè, ſeu per propriam ſpeciem, eſt ſcibile correſpondens ſcientiæ per ſe infuſæ: tale obiectum datur: ergo. Conſequentia bona eſt, & maior continet doctrinam communem, illud eſſe obiectum ſcientiæ per ſe infuſæ ſtabilientem. Minor verò probatur. Quia ſubſtantiæ immateriales, & effectus ſupernaturales, maximè ut cognoſcibiles quidditativè, & per proprias ſpecies, longè ſuperant capacitatem intellectus humani coniuncti: ergo relatè ad iſtum datur ſcibile correſpondens ſcientiæ infuſæ.

3. Confirmatur primò, & ſimùl expenditur ratio facta. Etenim quia Deus clarè viſus cadit ſub obiecto intellectùs hominis viatoris; ideò poteſt hic illum clarè videre, datur que lumen, quo illum videat: ergo pariformiter quia ſubſtantiæ immateriales, & ſupernaturales effectus cadunt ſub obiecto intellectus noſtri, poteſt hic elevari ad cognitionem quidditativam eorum, & per proprias ſpecies. Huiuſmodi autem cognitio eſt propria ſcientiæ infuſæ, ut omnes docent, aut ferè omnes: ergo datur hæc ſcientia, per quam ſcibilia illa cognoſcantur.

4. Confirmatur ſecundò. Intellectus noſter habet capacitatem ad recipiendum ſcientiam per ſe infuſam: ergo hæc dabilis eſt. Patet iſta: quia potentiæ correſpondet actus, & fruſtranea foret capacitas illa; ſi non eſſet dabilis actus, per quem expleretur. Antecedens probatur. Tum: quia ſic frequentèr edocetur à Theologis. Tum etiam, & præcipuè: quia, ut mòx videbimus, Chriſtus Dominus hanc ſcientiam habuit. Quod non fuit ob aliquod prædicatum nobis repugnantem oſtendens illam ſcientiam: ſed quia decens fuit, ut Dux, ac Legifer noſter, noſtræque gratiæ reparator haberet id ipſum, quod habere poſſunt, & alij. Ex qua doctrina duo colligenda ſunt. Primum eſt: poſſibilitas abſoluta huius ſcientiæ: quandoquidèm, ſi illam Chriſtus habuit, evidens eſt ipſius poſſibilitas. Secundum eſt: poſſibilitas huius ſcientiæ relatè ad nos, quod eſt huius quæſiti principale intentum. Et illam eſſe poſſibilem nobis, ſuadetur ex eo, quòd illam habuerit Chriſtus, cuius intellectus humanus alterius ſpeciei à noſtro intellectu non eſt. Vndè ſicut benè argueret, qui ex eo, quòd Chriſtus habuit ſcientiam beatam, deduceret, nobis illam ſcientiam eſſe poſſibilem, vel tranſeuntèr in ſolo, vel permanentèr in cælo: ſic etiam exquo idem Dominus noſter habuit ſcientiam per ſe infuſam, de qua loquimur: inferimus noſtrum intellectum habere capacitatem ad ſuſcipiendum hanc ſcientiam: & ex hac noſtri intellectùs capacitate deducimus talem ſcientiam nobis eſſe poſſibilem.

****

§. II.

Argumenta.

5. CONtra concluſionem arguitur primò: capacitas intellectus poſſibilis ſufficientèr reducitur ad actum per intellectum agentem: ergo non datur ſcientia per ſe infuſa. Antecedens liquet: quia intellectus agens eſt activum correſpondens potentiæ paſſivæ intellectùs poſſibilis. Vndè

per tale activum comp'etur eius capacitas. Et consequentia probatur. Si scientia per se infusa daretur, esset ad actuandam complendamque capacitatem intellectus possibilis : ergo cùm hæc actuetur, & perficiatur per intellectum agentem, superfluit scientia per se infusa.

Confirmatur primò. Non datur id, quo posito, redderet frustraneum intellectum agentem : scientia infusa redderet frustraneum intellectum agentem: ergo non datur. Probatur minor. Scientia illa faceret intelligibilia obiecta intellectus possibilis : ergo cùm hoc sit munus intellectus agentis, redderetur iste frustranens, ut potè ad nihil deserviens.

Confirmatur secundò. Intellectus possibilis hominis viatoris nihil potest intelligere sine concursu phantasmatum: ergo nihil potest intelligere per scientiam per se infusam. Antecedens constat ex fusissimè dictis dist. 17. quæst. 4. & consequentia probatur. Scientia per se infusa tenderet in obiecta, prout in se sunt, & non prout repræsentantur in phantasmatibus : ergo intellectus, qui nihil potest intelligere, quod in phantasmatibus non repræsentetur, nihil posset per scientiam infusam intelligere.

Argumentum, & confirmationes solvit elegantissimè Div. Thom. dict. quæst. 11. art. 1. ubi ait : *Est autem considerandum, quòd in anima humana, sicut in qualibet creatura, consideratur duplex potentia passiva. Vna quidèm per comparationem ad agens naturale. Alia verò per comparationem ad agens primum, quòd potest quamlibet creaturam reducere in actum aliquem altiorem actu, in quem reducitur per agens naturale : & hæc consuevit vocari potentia obedientiæ in creatura. Vtraque autem potentia animæ Christi fuit reducta in actum, secundùm hanc scientiam divinitùs inditam. Et ideò secundùm eam anima Christi primò quidèm cognovit quæcunque ab homine cognosci possunt per virtutem luminis intellectus agentis, sicut sunt, quæcunque pertinent ad scientias humanas. Secundò verò per hanc scientiam cognovit Christus omnia illa, quæ per revelationem divinam hominibus innotescunt : sive pertineant ad donum sapientiæ, sive ad donum prophetiæ sive ad quodcunque donum Spiritus Sancti. Omnia enim ista abundantiùs, & plenius cæteris cognovit anima Christi.*

Hactenùs D. Thom. quæ omnia ultroneus exscripsi, quia in illis continetur quicquid pro præsenti sciri debet. Et licèt Ang. Doct. loquatur de Christo Domino, eius tamen doctrina, quia iuxta naturam scientiæ per se infusæ procedit, cuilibet illam habenti, aut habere potenti, proportionabiliter applicanda est. Vndè respondemus ad argumentum, quòd capacitas obedientialis intellectus nostri non reducitur ad actum per intellectum agentem: sed per activum supernaturale : quod potest esse donum Spiritus Sancti gratia gratis data, & etiam scientia infusa. Capacitas autem naturalis nostri intellectus actuatur quidèm per intellectum agentem, quatenus intellectus noster procedit secundùm sibi propria. Si verò hæc capacitas naturalis procedat ex influxu agentis superioris, tunc actuatur per id, quod illud agens superius in ipsam imprimit. Et hoc perfectivum est scientia per se infusa, quandò cognitio est quidditativa, & per proprias species, attingensque ipsius rei cognitæ singularitatem.

Quapropter antecedens argumenti verum est de capacitate naturali intellectus nostri procedente iuxta sibi propria : falsum autem de capacitate naturali procedente supra sibi propria. Et potiori iure est etiam falsum de capacitate obedientiali. Per quæ patet ad probationes antecedentis, & consequentiæ. ¶ Patet etiam ad primam confirmationem : quandoquidèm intellectus agens longè alio, & inferiori modo facit res intelligibiles, quam prout à scientia per se infusa cognoscuntur. Vndè frustraneus non est. Se-

Secunda confirmatio petit repetitionem plurium, quæ iam tradidimus dicta disp. 17. quæ quidèm sine fructu fieret. Ex ibi dictis liquet, quòd intellectus noster cognoscit duplicitèr, primò per species à rebus acceptas, & pro harum denudatione, & illuminatione indispensabilis est concursus intellectus agentis. Secundò per species infusas, quæ, si purè intelligibiles sint, nullum est phantasma, à quo denudentur. Vndè ad hoc necessarius non est influxus intellectus agentis. Requiritur tamen ad excitandam phantasiam, ut offerat phantasma aliquod, per connotationem ad quod intellectus noster cognoscat obiectum. Vndè nec species illæ purè intelligibiles, nec lumen ex parte intellectus se tenens phantasmatibus indigent, si secundùm se considerentur: indigent tamen illis, quatenùs recipiuntur in subiecto phantasmatibus indigente. Et tunc sufficit illis concursus *phantasmatum qualiumcunque*, ut illa disp. ex D. Thom. diximus, & ponderavimus.

6. Hæc ergo confirmatio compellit nos, ut determinemus dubium, quod in illa disp. ad istam remittentes, indecisum relinquimus. An videlicèt contemplatio, quæ est à scientia per se infusa, fiat sine concursu phantasmatum? Ad quod non possumus sine distinctione respondere. Quoniàm illa contemplatio potest esse à scientia infusa habitualitèr impertita, sive ab ipsa transeuntèr communicata. Primo modo dubium non est, quòd illa contemplatio sit à phantasmatibus independens. Ratio que ea est, quia scientia per se infusa extrahit hominem, quatenùs illà utentem, à statu viatoris, facit que illum contemplari supra viatoris statum. Quod nihil aliud est, nisi quòd ille habitus adimit, vel suspendit dependentiam, quam intellectus viatoris habet à quidditate materiali tanquàm ab obiecto motivo. Sicut lumen gloriæ transeuntèr collatum adimit exercitam dependentiam à fide. Vndè habens habitum scientiæ per se infusæ, prout illo contemplatur, non habet, nec ex indigentia habere potest, dependentiam, tanquàm ab obiecto motivo à quidditate materiali. Poterit tamen, si voluerit, illam respicere, & cum phantasmatibus contemplari, ut de Christo Domino, ac Beatis diximus ex D. Thom. in eadem disp.

Non æquali fundamento procedere possumus circa hanc sacratissimam scientiam transeuntèr impertitam: quandoquidèm nulla implicatio reperiri potest in eo, quòd talitèr conferatur, ut recipientem non absolvat à dependentia exercita à suo obiecto, quod pro viæ statu respicit. Sic que communicata, & recepta ad modum recipientis in contemplatione ab ea, prout sic, elicita necessariò interveniet concursus phanthasiæ. Si verò ab illa exercita dependentia respicientem absolvat; idem dicimus de scientia per se infusa, sive transeuntèr, sive permanentèr conferatur. Et quia talem scientiam utroque modo conferri posse, censemus, videlicèt, cum absolutione traditæ dependentiæ, & sine illa: idcircò nequimus in individuo determinare, quæ contemplatio ab illa scientia proveniens sit dependens, vel independens à phantasmatibus. Nostro autem muneri plenè satisfacere credimus dicentes: quòd contemplatio absolvens contemplantem à præiacta dependentia est supra conditionem viæ; atque adeò sine phantasmatibus: quæ concurrunt ad contemplationem ab illa dependentia subiectum non absolventem, quia hæc est iuxta viæ conditionem.

Nec prætereundum putamus, quòd V. ac Sapientiss. N. Thom. à Iesu, qui adeò strenuè contra nostra asserta illius disputationis 17. dimicavit, modò agens de contemplatione, quæ est actus scientiæ per se infusæ lib. 6. de Contempl. Divin. cap. 2. in fine inquit: *In hac verò sublimi contemplatione, in qua veritas nudè conspicitur, quæ propriè visio intellectualis dicitur, nullam con-*

ver-

versionem mentis ad phantasmata intervenire, probabilissimum ex mente D. August. superiùs lib. 5. cap. 1. & 2. iudicavimus. Quæ cum ita sint, iucundissimum nobis est, quod hic insignis Theologus nobis contrarius non sit in puncto conversionis ad phantasmata circa omnes alias contemplationes, de quibus hæc disputabamus. Et quamquàm de hac, quæ est à scientia infusa iudicet *probabilissimum ex mente D. August.* quòd sine phantasmatibus exercetur. Nos autem probabiliùs iudicamus ex mente D. August. D. Thom. Div. Dionys. Arist. & aliorum, quos ibi dedimus, & ex ratione ipsa, quòd cùm scientia hæc confertur transeuntèr, & non elevat recipientem supra statum viatoris, non habetur sine connotatione phantasmatum.

Hæc pro determinatione illius dubij dicta sunt. Quatenùs verò ad præsentem materiam spectat: Respondemus ad secundam illam confirmationem omisso antecedenti, negando consequentiam: quia licèt intellectus agens requiratur pro illuminatione phantasmatis: à scientia verò per se infusa habet intellectus, quòd obiecta quidditativè, per proprias species, & quoad ipsorum singularitatem cognoscat. Vndè nec frustraneus est intellectus agens, nec scientia per se infusa repugnat.

7. Sed contra, & sit secundum argumentum. Si daretur scientia per se infusa, repugnarent in eodem intellectu scientiæ naturales: implicat, quòd intellectui hominis repugnent scientiæ naturales: ergo non datur scientia per se infusa. Probatur maior: Scientia naturalis est lumen imperfectum, & scientia per se infusa foret lumen perfectissimum: sed in conspectu luminis perfecti disparet imperfectum: ergo. Probatur minor primò ex D. Paulo 1. ad Corinth. cap. 13. dicente: *Cum venerit, quod perfectum est, evaquabitur, quod ex parte est.* ¶ Secundò, & ad mentem D. Pauli, probatur. Adveniente lumine gloriæ disparet lumen fidei, quod illo inferius est: ergo. ¶ Probatur tertiò. In præsentia luminis solaris disparet lumen candelæ, & hoc ideò est, quia lumen candelæ imperfectum est: ergo idem quòd prius.

Respondetur negando maiorem. Ad probationem negetur minor, cuius probationes facilè dispelluntur. Ad primam, & secundam respondet D. Thom. 3. part. quæst. 9. art. 3. sic: *Ad primum ergo dicendum, quòd visio imperfecta fidei in sui ratione includit oppositum manifestæ visionis; eo quòd de ratione fidei est, ut sit de non visis.* Vndè quandò lumen imperfectum privativè opponitur lumini perfecto, nequit in præsentia eius consistere. Et hoc est, quod textus ille Apostoli, & fidei exemplum convincunt: non tamen, quòd scientiæ naturales abeant in conspectu scientiæ perse infusæ; eo quòd inter illas nulla datur oppositio privativa. Vndè sicut remanent in Beatis; sic & in habente scientiam perse infusam.

Vltimam probationem dispellit Angelic. ipse Doct. inibi art. 1. ubi ait: *Ad secundum dicendum, quòd si duo lumina accipiantur eiusdem ordinis, minus offuscatur per maius, sicut lumen solis offuscat lumen candelæ, quorum utrunque accipitur in ordine illuminantis. Si verò accipiantur duo lumina, ita quòd maius sit in ordine illuminantis, & minus in ordine illuminati, minus lumen non offuscatur per maius, sed magis augetur.* Hoc ergo modo se habent lumen scientiæ naturalis, seu acquisitæ, & lumen scientiæ infusæ. Vndè primum non offuscatur à secundo, sed perficitur. Quod patet in Beatis, in quibus lumen scientiæ acquisitæ non offuscatur per lumen scientiæ beatæ. Patet etiam in luminibus scientificis naturalibus, & etiam in supernaturalibus, quorum minora non offuscantur, sed perficiuntur à superioribus.

***

QVÆS-

QVÆSTIO SECVNDA.

QVID SIT HÆC SCIENTIA PER SE INFVSA, quam dari diximus?

8. EXpedita difficultate circa posibilitatem scientiæ per se infusæ, statim pulsat animum desiderium videndi, in quo hæc scientia consistat? Non intendimus metaphysicè disputare, in quo huius scientiæ quidditas sita sit. Hoc quippè foret, controversiam excitare, quam plurimæ aliæ necessariò sequerentur. Quod nostro muneri extraneum esse, quis non videat? Vndè in præsenti resolutoriè procedam ad duo capita dicenda omnia reducens. Qui autem plura, aut alià methodo tradita velit, adeat Ang. Præcept. locis citatis, & eius Expositores, quos inter eminent insignis Caietanus, Eximius Suarez, Illust. Godoi, & illos referentes Salmant. NN. Ad duo ergo capita revocabo, quæ in præsenti dicenda sunt; ut sic exduplici hac radice notitia, quam intendimus, oriatur. Caput primum occupabitur in declarando quòmodo divina hæc scientia procedat, ad quæ obiecta se extendat, & alia huiusmodi. In secundo capite exhibebimus aliqua è penè innumeris, quæ de hac scientia tradunt SS. Patres, Mystici que Doctores. Ex quibus omnibus huius scientiæ natura, & attributa, tam in se, quam prout ad nostrum hoc opus spectat, dignoscentur.

§. I.

Primum caput.

9. SAcratissima igitùr hæc scientia perse infusa adeò eminet, ut fermè ens non sit, quod non sit obiectum ipsius, præter Deum clarè visum. Cognoscit quippè scientia hæc quicquid cognoscibile est per lumen intellectus agentis. Vndè se extendit ad cognitionem omnium, quæ ad scientias humanas spectat, uti supra à D. Thom. audivimus numer. 5. quod idem est ac dicere, quòd extenditur ad omnia entia naturalia cognoscenda. Mens Ang. Præcept. in hac parte clarissima est: sic que hoc ipsum tuentur Thomistæ omnes, & alij plures.

10. Nec Scotus, qui in 3. d. 14. quæst. 3. & alij, qui contrarium opinati sunt, aliquid difficultatem continens invenerunt, quo fundamentum D. Thomæ, ac Thomistarum diruerent. Opponunt enim primò. Ad cognoscendum id, quod pertinet ad scientias humanas, sufficiunt ipsæ humanæ scientiæ: ergo scientia perse infusa non se extendit ad eius cognitionem. ¶ Rursùs: Scientia perse infusa est supernaturalis: ergo ens naturale non est ipsius obiectum. Patet ista: quia obiectum, & scientia sunt eiusdem ordinis. ¶ Item: Scientia commesuratur speciebus, quibus in obiecti cognitionem procedit: sed species obiecti naturalis est naturalis: ergo scientia cognoscens obiectum naturale naturalis est: ergo scientia infusa, quæ supernaturalis est, nequit cognoscere obiecta naturalia.

Hæc tamen debilia sunt, nec debuerunt subtilissimum commovere. Ad primum dicimus, scientiàs naturales sufficere quidèm ad cognoscenda entia naturalia, prout naturalitèr, & per species à rebus acceptas, cognoscibilia sunt: non verò prout cognoscibilia sunt modo supernaturali, & per species infusas. Vide, quæ num. 5. diximus ad solvendum argumentum. Nec insolitum quid est, sed potiùs ipsis rerum na-

raturis consentaneum, quòd lumen inferius nequeat cognoscere obiectum luminis superioris: quamquàm hoc ex eo, quòd superius est cognoscat obiectum luminis inferioris: sub modo tamen elevatiori. Sicque videmus, visum non cognoscere obiectum sensùs communis, & hunc cognoscere obiectum visùs. Intellectum utriusque obiectum attingere, & neutrum cognoscere obiectum intellectus.

Ad secundam dicas: Ens naturale non esse obiectum principale scientiæ infusæ; atque ideò non petit, quòd sit eiusdem ordinis cum illa: hoc enim est proprium principalis obiecti. Præterquam quòd ens naturale, prout substernitur enti supernaturali sufficientem supernaturalitatem induit, ut petat cognosci ab habitu supernaturali, & non nisi per species supernaturales repræsentetur. Per quod patet ad ultimam probationem.

11. Cognoscit scientia per se infusa entia naturalia, quæ lumine intellectus agentis cognosci possunt, attinent que ad scientias naturales. Et longè superiori ratione illa cognoscit: quandoquidèm ope intellectus agentis solummodò secundùm rationes communes cognoscuntur. Intellectùs enim agentis studium, ac labor est conditiones individuantes depurare, & speciem prædicata specifica repræsentantem construere. Scientia verò infusa ipsa etiam singularia cognoscit. Hinc que cognoscitur celsitudo huius scientiæ. Quam labefactare non potest laudatus Scotus, & aliquot ipsius assecla recurrentes ad vulgatissimum illud, videlicèt, quòd de singularibus non datur scientia iuxta placitum Philosophorum. Vndè scientia perse infusa nequit immediatè cognoscere singularia.

Hoc tamen aereum est: quia licèt scientia naturalis nequeat esse de singularibus: scientia tamen supernaturalis, qualis est scientia perse infusa, de singularibus est. Quod ex manifestis discriminibus versantibus inter scientiam perse infusam, & scientiam naturalem, clarum est. Primò enim scientia naturalis perficit intellectum nostrum ad modum ipsius intellectus: cuius est quidditatem attingere, ut pote obiectum motivum ipsius: ad singularia non nisi indirectè, & per reflexionem attendit, ut diximus disp. 17. Ast scientia infusa perficit intellectum, ipsum elevans ad cognoscendum more Angelorum, quorum est obiecta materialia directè cognoscere. ¶ Secundò scientia naturalis utitur speciebus naturalibus, quæ, ut dictum est, construuntur ab intellectu agente. Intellectus agens nequit fabricare speciem repræsentantem directè singularia: quin potiùs, ut dictum est, tota ipsius solicitudo in id collineat; ut singularitatem eliminet. Vndè scientia naturalis, quæ eà specie utitur, nequit singularia cognoscere. Scientia perse infusa utitur specie supernaturali, quæ, quia superior, eò ad ipsa etiam singularia terminatur. Quæ singularia etiam considerat scientia infusa, quæ media illa specie procedit. ¶ Tertiò tandèm. Quia individua materialia, ut inse sunt, sunt variabilia, nullamque necessitatem important. Quocircà de ipsis, prout sic, non datur scientia, quæ debet esse de necessarijs, aut non expositis mutationi. Scientia verò perse infusa respicit hæc singularia, quatenùs subsunt scientiæ Dei, ab ipso que revelantur. Et proùt sic sufficientem necessitatem præseferunt; ut terminent actus scientiæ infusæ, sicut etiam assensus infallibiles fidei, & Theologiæ terminant.

12. Pergimus huius divinæ scientiæ efficaciam describentes, & dicimus: extendi etiam ad cognoscendum cogitationes cordium, & futura contingentia. Sic D. Thom. quem eius discipuli, alij que plurimi sequuntur. Hoc præclarissimum scientiæ infusæ privilegium, quod tot Doctorum dictamine fulget, tot gravissimarum rationum momentis fulcitur, & exemplo Christi Domini comprobatur, habet contra se præclaros aliquos

quos Theologos, ut ſunt Scotus, Lorca, & alij: habet etiam contra ſe plura, ea que urgentiſsima argumenta, quorum propoſitio, & enodatio plurimum curſum noſtrum retardarent, & aliundè nobis non adeò neceſſaria eſſe videntur, quibus ſat eſt ſcire, hanc divinam ſcientiam cordium cogitationes cognoſcere, & futura contingentia: & Lectores remittere ad Theologos ſupra memoratos, in quibus illa omnia argumenta ſoluta non ſine fructu videbunt.

13. Vnam ſolummodò difficultatem expedire neceſſe eſt, tum: quia prætermiſſam video. Tum: quia eius enodatio infra erit nobis proficua. Etenim cognoſcere cogitationes cordium, & futura contingentia attinet ad diſcretionem ſpirituum, & ad revelationem propheticam, quæ ſunt gratiæ gratis datæ: ergo horum cognitio non eſt actus ſcientiæ perſe infuſæ.

Eximius Suarez tom. 1. in 3. part. diſp. 21. ſect. 1. loquutus de Chriſto Domino inquit, quòd ipſius prophetica cognitio non fuit diſtincta à cognitione ſupernaturali, quam habuit per ſcientiam beatam, aut ſcientiam perſe infuſam. Vndè cognitionem futurorum, & etiam ſpirituum diſcretionem, quæ pars prophetiæ eſt, ut ſupra diximus, docet que Suarius ipſe, eſt actus à Chriſto habitus per ſcientiam infuſam. Qui opinandi modus nonnulla contra ſe habet, quibus, nec arduè, poteſt falſitatis convinci.

14. Vndè conſiderans ſcientiam per ſe infuſam ex ſe, & ſine determinatione ſubiecti, in quo ſit, diſputo ſic primò. Etenim prophetia nec eſt, nec eſſe poteſt habitus, ut ſuprà cum D. Thom. 2. 2. quæſt. 171. artic. 2. diximus: Sed ſcientia perſe infuſa eſt habitus, ſic que communicata fuit Chriſto Domino, poteſt que alijs conferri, ut infra videbimus, docet que Theologus, cum quo diſputamus: ergo lumen propheticum eſt exſe diverſum à lumine ſcientiæ infuſæ. Subindequè ipſorum actus ſunt diverſi.

15. Diſputo ſecundò. Lumen propheticum ex ſe, & præciſivè ſumptum, non petit claram notitiam obiecti, nec *quoadquid eſt*, nec *quoad an eſt*, ſed compatitur cum obſcuritate, ut modò ſupponi debet; atqui lumen ſcientiæ infuſæ dicit poſitivè evidentiam Dei *quoad an eſt*, ut infra cum eodem Suario dicemus: ergo inter ipſa lumina, actuſque eorum diverſitas magna adeſt.

16. Diſputo tertiò, & ex modò dictis deducitur. Dicta lumina habent obiecta valdè diverſa: ergo & ipſa lumina diverſa ſunt. Probo antecedens. Obiectum primarium ſcientiæ perſe infuſæ eſt ſolus Deus cognitus evidenter *quoad an eſt*: ſed obiectum primarium prophetiæ nec petit determinatè, ut vidimus, cognoſcere Deum evidenter *quoad an eſt*, nec eſt ſolus Deus, ſed omne à Deo revelabile: ergo.

17. Diſputo tandèm, & urgentèr. Prophetia eſt gratia gratis data, ut patet per Apoſtolum ſupra datum: ſed ſcientia perſe infuſa non eſt gratia gratis data, ut rectè docent NN. Salmant. tract. 21. in expoſit artic. 7. quæſt. 7. D. Thom. ergo nec prophetia eſt ſcientia perſe infuſa, nec huius actùs actus illius eſt, aut eſſe poteſt. Minor, de qua, immerirò tamen, poſſet aliquis dubitare, probatur, tum: quia non reſpicit utilitatem aliorum, quod eſt indiſpenſabile in gratia gratis data, ut ex ſupradictis liquet; ſed dirigitur in commodum habentis. Tum etiam: quia gratiæ gratis datæ enumerantur à Div. Paulo loco ſupra adducto ex Epiſt. 1. ad Corinth. cap. 12. & inter illas nec veſtigium eſt ſcientiæ perſe infuſæ. Quod ſi adeſſet, eſſet ex parte ſcientiæ, quæ eſt gratia gratis data, non autem ex parte prophetiæ. Vndè ſempèr verum eſt, quòd prophetia, & ſcientia infuſa diverſa lumina ſunt, in actus diverſiſsimos influentia.

18. Præter hæc, & alia, quæ præterimus, Doctori Eximio acquieſcere non valemus. Nec difficultas num. 13.

propoſita adeò magna eſt, ut propter illam inconvenientia exhibita, aut quodvis aliud devorare compellamur. Reſpondemus ergo, quod ad ſcientiam per ſe infuſam attinet cognitio futurorum, & omnia alia cognitio, quæ haberi poteſt per lumen intellectus agentis, ſeu per revelationem divinam ſive *pertineat ad donum ſapientiæ, ſive ad donum prophetiæ, ſive ad quodcunque donum Spiritus Sancti* prout docuit nos D. Thom. num. 5. datus. Aſt ſicut cum cognitione pertinente ad ſcientias humanas, quæ procedunt ex lumine intellectus agentis, compatitur cognitio ſcientiæ infuſæ, propter huius eminentiam: ſic etiam ob eandem proportionabilitèr rationem cum alijs cognitionibus procedentibus per revelationem divinam, quòmodo procedit cognitio prophetica, compatitur cognitio ſcientiæ per ſe infuſæ: eo quòd hæc ſcientia eſt lumen ſuperius ad lumen propheticum, ut liquet ex ijs, quæ contra P. Suarez diſputantes urgebamus. Vndè & diverſa ſunt illa lumina, & nullum ex illis redundare, liquet. Nec aliter ſalvari poſſe, videtur, quòd in Chriſto Domino dentur omnes gratiæ gratis datæ, & etiam habitus ſcientiæ infuſæ. Sinamquè cognitio futurorum, quæ eſt proprijſsimus actus prophetiæ, non ab hac, ſed à ſcientia infuſa procedebat, ad quid in reparatore noſtro data fuiſſet prophetia, quæ eſt una ex illis gratijs: ſi actus eius non ab ipſa, ſed à ſcientia perſe infuſa eliciebatur. Indidèmque ſuperfluè Chriſtus habuiſſet dona alia cognoſcitiva: quandoquidèm per ipſam ſcientiam infuſam cognoſcebat quicquid per illa cognoſcibile ſupernaturalitèr ab ipſo fuit. Dicendum ergo omni certitudine eſt, quòd Chriſtus cognovit per habitum ſcientiæ infuſæ omnia à ſe cognoſcibilia, & cognita per lumen intellectus agentis, & per revelationem divinam. Aſt quia ſcientia perſe infuſa procedit elevatiori modo, & reſpicit obiectum ſuperius: idcircò non impedit, ſed perficit actum prophetiæ, & ipſum propheticum lumen.

19. Expediti ab hac difficultate iter noſtrum celeriùs adhùc proſequentes dicimus. Scientiam infuſam eſſe virtutem certò, & evidentèr cognoſcitivam omnium entium creatorum ſupernaturalium. In hoc conveniunt communitèr Theologi, ut teſtatur Alvarez diſp. 61. num. 3. Vndè lumine huius divinæ ſcientiæ cognoſcibilis modo dicto eſt gratia ſanctificans, & virtutum, ac donorum chorus ſacer ab ipſa dimanans: cognoſcibilis eſt viſio beatifica, & ipſa unio hypoſtatica. Quæ omnia & nobis certiſsima ſunt, & minus ardua apparebunt ex ijs, quæ ſubiicimus.

20. Eminet adeò hæc divina ſcientia, ut illam habens cognoſcat ipſum Deum Authorem ſupernaturalem evidentèr evidentiâ *quoad an eſt*. Hoc etiam aſſertum edocetur communitèr à Theologis. Et ex præcedenti ſuadetur. Etenim cognito effectu certò, evidentèr, quidditativè, & comprehenſivè, non poteſt non cognoſci cauſa ipſius evidentèr, ut minùs evidentiâ *quoad an eſt*: & ſimilitèr de reſpectu relatè ad ſuum terminum: ſed virtute ſcientiæ infuſæ cognoſcibiles ſunt evidentèr, quidditativè, & comprehenſivè, omnes effectus ſupernaturales, qui à Deo ut ſupernaturali Authore procedunt, & in ipſum, tanquàm in finem ultimum ſupernaturalem ordinantur: ergo ex horum cognitione reſultat cognitio dicta Dei Authoris, & finis ſupernaturalis. Illatio tenet. Minor conſtat ex numer. præced. edocetur que à NN. Salmant. diſp. 19. citata dub. 3. & à pluribus alijs, & maior ſuadetur paritate effectus procedentis à Deo ut Authore naturali: quo effectu cognito, cognoſcitur ipſe Deus, ut Author naturalis eſt: ergo pariformitèr cognito, & comprehenſo effectu procedente à Deo, ut Athore ſupernaturali, & qui in ipſum Deum Authorem ſupernaturalem refertur, cognoſcitur ipſe Deus Author, & finis ſu-

per-

pernaturalis. Nec aſſertum limites ad cognitionem Dei, ut unius, ſed etiam ad ipſius, ut Trini cognitionem extende. Quæ omnia videre poteris in adductis Theologis, maximè in Salmant. NN. qui dicta diſp. 19. à dub. 1. uſque ad quartum incluſivè rem profundiſsimè verſant, nervoſiſsimè fulciunt, & ab impugnationibus ſolidiſsimè redimunt.

Ex dictis ergo non levem notitiam habes ſcientiæ per ſe infuſæ, ipſiuſque celſitudinis, petitam iam ab altiſsimo modo, quo ſupra omnia lumina alia, infrà lumen gloriæ, procedit: iam ab ſpeciebus, quibus utitur: iam ab obiecto excelentiſsimo, quod eſt ipſe Deus evidentèr *quoad an eſt* cognitum. Quæ omnia, & ſingula huius diviniſsimæ ſcientiæ maieſtatem demonſtrant, & ad hoc primum caput ſpectant.

****

§. II.

Secundum caput.

21. AD hoc ſecundum caput attinere diximus plurima, quæ SS. PP. ac Magiſtri ſpirituales docent de hac Divina ſcientia ſermonem facientes, nec unquàm ad æqualitatem. In primis ergo hùc pertinere fatemur ea, quæ diſput. præcedenti quæſt. 1. diximus de contemplatione, quam in ſuo arcano ſopore, à Deo immiſo, habuit Adam, & illam, qua Iacob, ſe Deum facie ad faciem vidiſſe, faſſus eſt. Hæc, & alia ibi dicta huius ſcientiæ infuſæ propria ſunt. Nos enim cum videamus, Myſticos Scriptores attribuere gratijs gratis datis, quæ propria ſunt huius ſcientiæ, & è contra, ut liquet ex proœmio huius diſputationis, & infra magis liquebit: idcircò ibi plura diximus, quibus præſens caput exornari debet. Vt autem hæc perſpecta habeantur, & ſingula ſuis proprijs ſedibus correſpondeant, placuit hoc obſervare, & aperire, quòd etiam proœmium præcedentis diſputationis, diſputationis præſentis proprium eſt. Nec propter hoc cenſurari debemus; cùm Myſticos doctiſsimos inſequamur.

Ad ea verò, quæ huius capitis propria ſunt, devenientes, ultrà dicta loco citato, ab ore D. Bernardi mellea verba deſumimus: ſic enim ait Theodidactus Pater ſerm. 8. in Cantica: *Hodiè de ſummo oris oſculo diſputare propoſitum eſt: Audite attentiùs quod ſapit ſuaviùs, & guſtatur rariùs, & intelligitur difficiliùs.* Agit S. Pater, ut iam videbimus, de hac divina ſapientia ſub metaphora oſculi, pro quo clamabat Sponſa Cant. 1. verſ. 1. dicens: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* De hac ſapientiſsima ſcientia (ſic eam nominat Carthuſianus) ſermonem habiturus maiorem aſtantium attentionem ſolicitat: *Audite attentiùs.* Et quid ſit illud, quod attentiùs audituri ſunt exprimere incipit addens: *Quòd ſapit ſuaviùs.* Theologiam myſticam, & quia ſapientiam, & quia myſticam, ſapidam eſſe, pluriès in hoc noſtro curſu traditum eſt. Et quia contemplatio, quæ eſt à ſcientia per ſe infuſa, perfectior eſt inter omnes exilij contemplationes: idcircò *ſapit ſuaviùs.* Hæc iſta ſcientia *guſtatur rariùs*, nedum quia ſolis perfectiſsimis, qui pauciſsimi ſunt, conferturs verùm etiam & propriùs, quia ipſi perfectiſsimi non frequentèr, ſed rariſsimè oſculum huius ſcientiæ experiuntur. Etiam *intelligitur difficiliùs.* Non ab habentibus experientiam; hi enim facilimè, & certiſsimè percipiunt ſcientiæ huius ſuavitatem. Verùm *intelligitur difficilius* ab auditoribus inexpertis Theologia myſtica arcana de ſe eſt: *myſticum* enim idem eſt, ac occultum, ut alibi cum Div. Thoma dicebamus: quocircà cùm hæc ſcientia ſit ſummum in hac vita myſticæ Theologiæ; idcircò occultior eſt: ac proindè *intelligitur difficiliùs.*

Ex his ergo Div. Bernardi verbis colligere poteris, quid ſit ſcientia per

ſe infuſa? In quo præſentis controverſiæ quæſitum conſiſtit. Sunt quippè data verba veluti huius almæ ſcientiæ diffinitio. Vndè nemo te noſtro iudicio condemnabit, ſi dixeris: ſcientia per ſe infuſa, aut contemplatio indè orta eſt, *quod ſapit ſuaviùs, & guſtatur rariùs, & intelligitur difficiliùs.*

22. Idem argumentum proſequitur S. Pater ſermone ſequenti introducens Sponſam loquentem cum ſodalibus Sponſi, dicentem que: *Non quieſco*, ait, *niſi oſculetur me oſculo oris ſui.* Gratias de oſculo pedum, gratias de oſculo manùs: ſed ſi cura eſt illi ulla de me, oſculetur me oſculo oris ſui. Non ſum, ingrata, ſed amo. Accepi, fateor, meritis potiora, ſed prorsùs inferiora votis. Deſiderio feror, non ratione. Ne quæſo cauſemini præſumptionem, ubi affectio urget. Pudor ſanè reclamat, ſed ſuperat amor. Nec ignoro, quòd honor Regis iudicium diligit, ſed præceps amor, nec iudicium præſtolatur, nec conſilio temperatur, nec pudore frænatur, nec ratione ſubiicitur. Rogo, ſupplico, flagito, oſculetur me oſculo oris ſui. En gratia ipſius multis iam annis caſtè, ſobrièque vivere curo, lectioni inſiſto, reſiſto vitijs, orationi incumbo frequentèr, vigilo contra tentationes, recogito annos meos in amaritudine animæ meæ. Sine querela me arbitror, quantum in me eſt, converſari inter fratres. Superioribus poteſtatibus ſubdita ſum, egrediens, & regrediens ad imperium Senioris. Aliena non cupio; mea potiùs, & me paritèr dedi. In ſudore vultus mei comedo panem meum. Cæterùm quod in his omnibus eſt, totum conſtat de conſuetudine, de dulcedine nihil. Quid niſi, iuxta Prophetam vitula Ephraim ſum docta diligere triturам? Deniquè in Evangelio, qui hoc ſolùm, quod facere debet, facit, ſervus inutilis reputatur. Mandata forsàm ut cumquè adimpleo, ſed anima mea ſicut terra ſine aquà in illis. Vt igitur holocauſtum *meum pingue fiat, oſculetur me*, quæſo, *oſculo oris ſui.*

Hæc D. Bernardus de hac feliciſſima ſcientia tradit ſub nomine oſculi, cui Sponſa cordicitùs inhiabat. De quo oſculo Sanctus ipſe dixerat ſerm. 3. *Ego arbitror*, neminem facilè ſcire, quid ſit oſculum, niſi qui accipit: eſt quippè manna abſconditum, & ſolus qui edit, adhùc eſuriet, & ſolus qui bibit, adhùc ſitiet. Non eſt cuiuslibet hominis: ſed ſi quis ſemèl ab ore Chriſti ſuſceperit, habet proprium experimentum, quod profectò ſolicitat, & cogit ampliùs ad petendum. Hoc oſculo ſola, & rarò perfectio experitur. Oportet enim huiuſmodi amare caſtè, ut ipſum Sponſum ſolùm, & non alium amet, petat, vel quærat: amare ſanctè, quia non in concupiſcentia carnis, ſed in puritate ſpiritus: amare ardentèr, ut ita amore Sponſi inebrietur, quòd maieſtatem non cogitet. Hoc oſculum nihil aliud eſſe credimus, niſi Spiritum Sanctum ad conſolationem animæ ſanctæ miſſum: ſicut enim oſculorum ſpiramen ſe permiſcet, ut unus anhelitus iudicetur: ſic Spiritus Sanctus noſtro ſpiritui dulcitèr immiſſus, fit unus ſpiritus cum eo; quæ ſcilicèt unio deificationem animæ mirabilitèr accelerat, quæ nimirùm deificatio ſuper omnem rationem, & intellectum experientia fæliciſsima ſentitur impleta, *undè nec ratio valet attingere.*

Prolixus forem, ſi vel ſolius Div. Bernardi teſtimonia exhiberem, in quibus de hac ſuperna ſcientia loquutus, miriſsima docet, ex quibus in ipſius notitiam pervenire valeamus. Concludam tamen melliflua eius dicta offerens, quod ſerm. 12. in eadem Cant. tradit diſſertiſsimis hiſce verbis: *Moriatur anima mea morte Angelorum, ut præſentium memoriam excedens, rerum ſe inferiorum, non ſolùm cupiditatibus ſed & ſimilitudinibus exuat, ſit que pura cum eis converſatio, cum quibus eſt puritatis ſimilitudo.*

23. Venerab. ac Doctiſsim. Arphius mira ſcribit circà præſens argumentum: audiri debet lib. 3. de myſtic. Theolog. part. 3. cap. 23. ubi ait: *Dilectus*

meus

meus interim ſaltèm oſculetur me oſculo oris ſui, quoniam in tenebris oſculari poteſt, licèt videri non ita. Tunc Pater miſericordiarum, qui tribuit omnibus abundantèr, & non improperat: dulcitèr ſe inclinat, ut oſculum conferat, ideſt, immediatam ſuam ignotam præſentiam ad amandum profluа prodigalitate funditùs exponit. Ac anima illicò ſuſpenſis ſuſurijs, & deſiderijs univerſis, os ſuum, nudam ſcilicèt, & ſimplicem ſuam præſentiam in Deum proclinat amorola quadam profundatione ſui ipſius, ibi que invicem ſe invicèm *oſculantur Deus, & anima.*

24. Plurima eandem veritatem confirmantia mitto. Sed prætermittere nequeo, quòd oſculum, de quo datæ authoritates loquuntur, & pro quo Sponſa ſuſpirat, eſt diviniſsima contemplatio, quam elicit ſcientia infuſa. Et hoc eſt, quod perſpicuè oſtendere conantur dati authores. Sed ne aliquis ſcrupuloſus, quorum plures gignit critica noſtra ætas, in hoc offendat, videat Seraphicam Matrem noſtram in Cant. primum illum verſum exponens. Videat etiam myſticum noſtrum Doctorem lib. 2. Noct. cap. 23. in expoſitione penultimi verſus cantionis ſecundæ. Præterea Cornelius circà eandem materiam in expoſitione ſup. Cant. inquit: *Myſtici, & contemplativi per oſculum hoc accipiunt ſummum contemplationis gradum.* Affert que in huius confirmationem viſionem illam ſublimiſsimam, ad quam Deus evexit Seraphicam Matrem noſtram, illam que refert ipſius SS. Thereſiæ verbis Manſ. 7. cap. 1. & 2. *Animæ*, ait, *in illo centro manenti* viſione intellectuali myſterium Sanctiſsimæ Trinitatis, omnel que tres Perſonæ manifeſtantur: præcedit tamen hanc manifeſtationem ſuaviſsima quædam ſpiritus inflammatio inſtàr lucidiſsimæ cuiuſdam nubis, ibi que notitia quadam admirabili percipit, qua ratione tres Perſonæ ſint una ſubſtantia, una potentia, una ſapientia, & unus Deus; ita ut quod fide tenemus anima *quodammodò intuitivè cognoſcat.*

Hæc docet SS. Doctrix de celſiſſima illa contemplatione, pro qua animam ſuſpirare, dum ait: *Oſculetur me oſculo oris ſui*, docet Cornelius. Et ipſam contemplationem eſſe illam, quæ eſt à ſcientia per ſe infuſa, tradunt Myſtici noſtri Scriptores, ut infrà videbimus.

25. Poſtquam autem quid verbis ſuis dati authores nos doceant, viderimus: reſtat, ut factis eos loquentes audiamus. Et in primis occurrit Seraphica Thereſia nobis aperiens, quid ſit ſuperna hæc ſcientia, ac indè orta celſiſſima contemplatio, verbis modò exhibitis, in quibus docet id ipſum, quod experta eſt. Verùm quia de hac cæleſti viſione ite ùm infrà loquuturi ſumus, tranſimus ad alia.

De D. Ioanne Evangeliſta, inquit Origines Homil. 2. in div. *Ioannes intimæ Veritatis inſpector* ultra omne zelum in paradiſo paradiſorum, hoc eſt, in cauſa omnium audivit unum verbum, per quod facta ſunt omnia, & licuit ei illud verbum dicere. Et poſtmodùm ſubvectus in ea, quæ ſuperiora ſunt ſecreta, videlicèt, unius eſſentiæ in tribus ſubſtantijs, & trium *ſubſtantiarum in una eſſentia ingreſſus eſt.* Et quia de alijs contemplationibus cæleſtis huius ſcientiæ mòx agendum præcisè eſt; idcircò finem huic capiti ſecundo imponimus.

****
***

*** *** *** *** *** ***
*** *** *** *** ***
*** *** *** ***
*** *** ***
*** ***
***

QVÆSTIO TERTIA.

VTRVM SCIENTIA PER SE INFVSA ALICVI conceſſa fuerit?

INter pauciſsima illa, quæ de ſcientia perſe infuſa diſputamus, ſubiectum ipſius præcipuum eſt. Ad hoc enim de ipſa agimus, ut ſubiectum ipſius exploremus: ſinminùs nobis extranea cenſeretur.

***

§. I.

Poſt tituli explicationem ſtatuitur prima concluſio.

26. MVltiplex eſt ſubiectum, de quo dubitare poſſumus, an ipſi collata fuerit ſcientia infuſa. Primò enim dubitari poteſt, an communicata fuerit Chriſto Domino? Secundò, an Beatiſsimæ Virgini? Tertiò an alijs? De omnibuſque agendum nobis eſt in hac quæſtione. Rurſùs: poteſt conſiderari ſcientia, vel in eſſe habitus, vel in eſſe illuſtrationis, aut diſpoſitionis. Vndè expoſitum dubitationi eſt, quo ex his duobus modis impertita fuerit, ſi alicui ex aſsignatis ſubiectis collata eſt. Ad horum declarationem deſervient §§. diverſi huius quæſtionis, in qua.

27. Sit noſtra concluſio prima. *In Chriſto Domino fuit habitus ſcientiæ infuſæ.* Aſſertio hæc communiſsima eſt, eam que tenet D. Thom. 3. part. quæſt. 9. art. 3. & probatur primò authoritate D. Paul. ad Coloſſenſ. cap. 2. dicentis de Chriſto Domino: *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi.* Sinamque in Chriſto ſunt *omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ*: ergo in ipſo fuit ſcientia perſe infuſa. Patet iſta: quia ſcientia perſe infuſa ſpectat ad theſauros ſapientiæ, & ſcientiæ, ſine qua theſauri iſti completi, ac perfecti cenſeri non debent.

28. Probatur ſecundò aſſertiò ratione deſumpta ex laudato D. Thom. Decens prorsùs fuit, quod intellectus Chriſti non fuiſſet imperfectus: ergo decens fuit, quòd haberet ſcientiam perſe infuſam. Ergo illam habuit. Secunda conſequentia liquet ex prima, quia iuxta receptiſsimam doctrinam Theologorum Chriſtus habuit, quicquid decens fuit, ipſum habere. Prima conſequentia ex antecedenti colligitur: quandoquidèm ſcientia infuſa eſt maxima perfectio intellectus, & hac perfectione caruiſſet humanus Chriſti intellectus, ſi ſcientiam infuſam non habuiſſet. Antecedens autem probatur primò: quia ratione unionis hypoſtaticæ decentiſsimum fuit, quòd Chriſtus nullam imperfectionem habuiſſet: ſed ſi humanus eius intellectus imperfectus fuiſſet, iam Chriſtus habuiſſet aliquam imperfectionem: ergo. ¶ Probatur ſecundò antecedens. Propter perfectionem intellectus Angelici influxæ illi fuerunt ab inſtanti ſuæ creationis ſpecies, quibus in actum poſſet exire: ergo ſimilitèr Chriſto Domino influxæ ſunt ſpecies, & habitus eis correſpondens, quibus perfectus omninò eſſet.

Confirmatur, & expenditur ratio facta. Quicquid eſt in potentia, eſt imperfectum, donec reducatur in actum: ergo in Chriſto Domino datus fuit habitus ſcientiæ infuſæ. Antecedens eſt perſe notum, & conſequentia probatur. Chriſtus habuit capacitatem ad attingendum omne id, quod per ſcientiam infuſam attingibile eſt: ergo imperfectus fuiſſet, ſi caruiſſet ſcientia infuſa, qua cognoviſſet omne

id,

id, quod per ipſam attingibile eſt. Antecedens eſt certum, & conſequentia liquet: quia tunc fuiſſet in potentia, ac proindè imperfectus.

29. Probatur tandèm concluſio. Habere ſcientiam per ſe infuſam poſſibile fuit Chriſto, ad ipſius perfectionem ſpectabat, nec nobis nocivum fuit: ergo de facto illam habuit. Patet iſta: quia negandum non eſt, Chriſtum habuiſſe id omne, quod habet conditiones in antecedenti poſitas. Antecedens pro prima parte eſt evidens, & pro ſecunda certiſsimum, ut vidimus num. præced. Pro tertia verò parte inde conſtat, quòd nemo ſanæ mentis dicere audebit, finem noſtræ reparationis impediri, retardari, aut minùs idoneè conſequi, ex eo quòd Chriſtus ſcientiam per ſe infuſam habuiſſet. Et licèt Chriſtum Dominum aliquas imperfectiones admiſiſſe, certum ſit. Inter illas tamen computari non debet, quòd ſcientia per ſe infuſa caruiſſet, primò: quia, ut rectè obſervavit Caietanus, imperfectiones, quas admiſit, fuerunt ex parte corporis, ut quòd paſsibile fuiſſet: non autem ex parte animæ, ad quam pertinet ſcientia. Secundò; quia imperfectiones illas admiſit propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, quam nobis ſua glorioſiſsima morte non contuliſſet, ſi non fuiſſet paſsibilis. Ex eo autem quòd Chriſtus ſcientiam per ſe infuſam habuiſſet, nullum detrimentum paſsi ſumus: nec aliqua utilitas nobis obveniret ex eo, quòd hac ſcientia careret.

***



§. II.

Argumenta in concluſionem, & ea quibus probata eſt.

30. CONtra noſtram aſſertionem ſentiunt aliqui, pro quibus arguitur primò. Si Chriſtus Dominus habuiſſet capacitatem ad habendam ſcientiam per ſe infuſam; vel talis capacitas fuiſſet naturalis; vel obedientialis: neutrum poteſt dici: ergo eam capacitatem non habuit. Probatur minor pro prima parte: quia illam capacitatem ponit D. Thom. ad cognoſcenda obiecta ſupernaturalia: ſed ad horum cognitionem incapax eſt capacitas naturalis: ergo. Probatur eadem minor pro ſecunda parte primò: quia ut docet D. Thom. in ipſo articulo, quem pro noſtra ſententia attulimus, capacitas, de qua ibi agit, completur, ac perficitur per opus intellectus agentis: ſed intellectus agens non complet capacitatem obedientialem: ergo. ¶ Probatur ſecundò: quia Div. Thom. probat habuiſſe Chriſtum illam capacitatem authoritate Philoſophi in 3. de anima: ſed Philoſophus nullam notitiam habuit capacitatis obedientialis: ergo.

Propter hoc argumentum diverſimodè ab aliquibus Theologis intellecta eſt littera D. Thomæ, ſuper quam ratio noſtra conſtructa eſt: alijs dicentibus D. Thomam intelligendum eſſe de capacitate naturali intellectus humani ob ea motiva, quæ probationes minoris pro ſecunda parte repræſentant. Alijs verò è contra opinantibus intelligi debere de capacitate obedientiali, quod convincere, dicunt, probationem minoris pro prima parte. Nobis autem dicendum eſt cum Caietano, ac noſtris Salmant. litteram Div. Thomæ, factumque à nobis diſcurſum procedere de utraque capacitate tam naturali, quàm obedientiali intellectus noſtri. Seu, ut propriùs, aut for-

formaliùs, loquar, de capacitate correſpondente intellectui noſtro, quà intellectus eſt, præſcindit que à ſtatibus, & ordinibus. Explico iſta.

Etenim noſter intellectus poteſt conſiderari ſecundùm ſe; vel in ſtatu ſeparationis; & proùt corpori paſsibili coniunctus. Inſupèr poteſt conſiderari, proùt operatur intra ordinem naturæ; & intra ordinem gratiæ: quandoquidèm noſter intellectus & valet in ijs ſtatibus reperiri, & in utroque illo ordine operari. Quocircà actus correſpondens iutellectui noſtro ſecundùm ſe non coarctatur ad ſtatum coniunctionis, nec ad ſtatum ſeparationis, nec ſimilitèr ad ordinem naturæ, nec ad ordinem gratiæ: ſed ab ijs ordinibus, ſtatibuſque præſcindit. Intra ordinem gratiæ operatur per revelationem, ac per ſpecies infuſas. Intra ordinem verò naturæ diſtinguendum eſt. Nam vel eſt coniunctus, vel ſeparatus. Si ſeparatus: cùm ſenſibus careat, medijs quibus ſpecies ſibi comparet, habet ſpecies infuſas à cauſa ſuperiori; ut in actum exire queat. Si coniunctus: intelligit per ſpecies à rebus acceptas. Sic; & in his ordinibus capax eſt intelligendi noſter intellectus. Vndè intellectus ille, cui aliquid horum deficiat, eſt imperfectus privativè: quatenùs caret perfectione illa, quam habere natus eſt. Quia que intellectus Chriſti Domini ab omni imperfectione privativa immunis cenſeri debuit, idcircò ponitur in actu ſibi, ſecundùm ſe conſiderato, correſpondente. Ac proindè habuit ſcientiam per ſe infuſam, qua inſe ipſis cognovit entia naturalia, quæ ſine illa non, niſi in phantaſmatibus, cognoſceret; & entia ſupernaturalia inſe ipſis etiam, ac per proprias ſpecies, cognovit, quam cognitionem non haberet ſine illa ſcientia. Hanc que eſſe mentem D. Thomæ, liquet manifeſtè ex illo articulo, & ex Caietani expoſitione. Videantur adducti NN. Salmant.

31. Arguitur ſecundò. Chriſtus per ſcientiam beatam cognovit in verbo entia ſupernaturalia, & per lumen intellectus agentis cognovit omnia entia naturalia: ergo ſine ſcientia infuſa fuit in actu reſpectu omnis actùs ſuo intellectui, ſecundùm ſe ſumpto, correſpondentis: ergo non habuit ſcientiam infuſam. Antecedens eſt omninò certum, & ſecunda conſequentia conſtat ex prima, quæ probatur. Nam omne, quod Chriſtus intellexit, ſpectabat vel ad ordinem naturalem, vel ad ſupernaturalem: ergo cum ſine ſcientia infuſa fuiſſet in actu reſpectu entium naturalium, & ſupernaturalium, ſine tali ſcientia fuit in actu reſpectu actùs proportionati ſuo intellectui, ſecundùm ſe accepto, correſpondentis.

Reſpondetur diſtinguendo antecedens. *Omnia*, & non omnimodè, concedo: & omnimodè, nego antecedens, & iuxta hanc diſtinctionem totum argumentum reſolvendum eſt. Itaquè entia ſupernaturalia poſſunt cognoſci, & cognita fuerunt à Chriſto Domino in verbo; erat enim conprehenſor: & entia naturalia cognoſci poſſunt lumine intellectus agentis, ea que ſic cognovit Chriſtus; erat enim viator. Sed inſupèr utraque entia cognoſcibilia ſunt inſe ipſis, ac per proprias ſpecies, modo dicto quæſt. antecedent. §. 1. Si autem Chriſtus ſic ea entia non cognoſceret, imperfectus foret intellectus ipſius, quia non eſſet in actu, ſed in potentia relatè ad illa, prout ſic cognoſcibilia. Ad quam imperfectionem eliminandam ponitur ſcientia infuſa. Et ſic verificatur textus ſupra datus Apoſtoli dicentis, in Chriſto *ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ.* ¶ Et ſanè Scotus, in 3. d. 14. quæſt. 3. & Durandus ibidem quæſt. 3. & 4. qui concedunt in Chriſto ſcientiam per ſe infuſam reſpectu rerum, quæ ſuperant naturalem capacitatem intellectus humani: minùs conſequentèr proceſsiſe videntur; dùm hanc ipſam infuſam ſcientiam denegant reſpectu entium naturalium. Ratio eſt: quoniàm omnia entia tam naturalia, quàm ſupernaturalia cognoſcebat Chriſ-

tus in verbo : ergo si illa cognitiò admisit secum cognitionem , quæ est à scientia infusa relatè ad entia supernaturalia : paritèr admisisse censenda est cognitionem , quæ est ab eadem scientia infusa respectu eorum , quæ non superant humani intellectus capacitatem naturalem. ¶ Vrgetur hoc : Ideò respectu entium supernaturalium admittunt isti DD. scientiam infusam in Christo; quia ultramodum cognoscibilitatis, quem habent in Verbo, habent alium cognoscibilitatis modum , videlicèt inse ipsis ; foret que humanus Christi intellectus imperfectus ; si illa secundùm hunc alium modum cognoscibilitatis non cognosceret : sed etiam entia naturalia sunt inse ipsis cognoscibilia : ergo etiam respectu illorum habuit scientiam perse infusam.

32. Sed contra , & arguitur tertiò. Ideò Christus Dominus habuisset scientiæ perse infusæ habitum , ut verificetur , quòd in ipso fuerunt *omnes thesauri sapientiæ , & scientiæ* , aut, & est idem , ne imperfectus fuisset humanus eius intellectus : sed vel non est inconveniens , quòd eius humanus intellectus imperfectus fuisset ; vel ex carentia huius habitus talem imperfectionem non habuisset : ergo nulla ratio adest , ut in ipso ponatur habitus scientiæ perse infusæ. Cætera liquent , & minor probatur multiplicitèr. Primò. Christus non cognovit omnia possibilia; imò nec potuit illa cognoscere , ut docent cum communissima nostrorum Thomistarum sententia NN. Salmant. tract. 21. disp. 19. dub. 5. §. 2. sed carentia talis cognitionis , vel non arguit imperfectionem in humano Christi intellectu; vel si illam arguit , nullum reputatur inconveniens , illam imperfectionem admittere : ergo similitèr de scientia infusa.

Probatur secundò minor. Christus ut homo , nec habuit , nec habet notitiam comprehensivam Dei , sed hoc vel non est imperfectio ; vel si est , admittitur à nobis : ergo idem quòd priùs.

¶ Probatur tertiò etiam concesso in Christo habitu scientiæ perse infusæ, debemus concedere , quòd non semper fuit in actu ipsius scientiæ : ergo vel non est imperfectio , quòd intellectus non sit in actu , vel talis imperfectio nullum continet inconveniens. Probatur antecedens : quia quòd semper sit in actu , est privativè proprium scientiæ beatæ : ergo non convenit scientiæ infusæ. ¶ Probatur tandèm. Humanus Christi intellectus imperfectus non fuit exeo, quòd non semper fuisset in actu respectu prophetabilium ; vel si hoc fuit imperfectio , admittimus illam in Christo; quandoquidèm non ponimus in ipso lumen propheticum per modum habitus, sed per modum illustrationis , ut supra diximus : ergo pariformitèr non est in ipso necessarius habitus scientiæ perse infusæ , sed sufficiet illustratio quædam per modum transeuntis pro quolibet actu correspondente illi scientiæ.

Respondetur negando minorem, quæ nulla ex ijs probationibus comprobatur. Ad primam dicimus , quòd se ipsam interimit. Si namque Christus non potuit cognoscere omnia possibilia, nulla imperfectio privativa suo humano intellectui ex illa cognitionis carentia resultavit. Humanum Christi intellectum caruisse aliquibus sibi indebitis, non negamus : negamus tamen habuisse ignorantiam privativam , qualis fuisset, si non habuisset cognitionem , quæ est à scientia perse infusa : quia ex unæ parte intellectus , ut dictum est , extendi potest ad cognoscenda entia inse ipsis : & ex alia hæc cognitio debita Christo erat ratione unionis. Cognitio autem omnium possibilium , nec est actus correspondens nostro intellectui , nec Christo erat ullo titulo debita. Vndè nulla adest paritas.

Per quod patet ad secundam probationem. Cognitio enim comprehensiva Dei , etiam est indebita ; immò & impossibilis intellectui creato. Vndè nullo titulo potuit esse debita Christo Domino. ¶ Tertia probatio æquivo-

cè procedit. Dùm enim dicimus, intellectum esse imperfectum, si non sit in actu, non loquimur de actu secundo, seu exercitio potentiæ; hoc enim est proprium scientiæ beatæ, ut benè ibi dicitur. Sed sermo est de actu primo expedito per species potentiæ infusas, & lumen, quod ijs speciebus utatur, quotiès placuerit lumen, speciesque habenti. Et hoc modo fuisse in actu per habitum scientiæ infusæ humanum Christi intellectum, dicimus.

Ad ultimam probationem ex dictis ad primam, & ad secundam respondetur. Lumen propheticum per modum habitùs repugnare, sicùt & qualitas ad patranda miracula ob rationes, quas supra obtulimus. Vndè nullam imperfectionem privativam humanus Christi intellectus contraxit ex carentia luminis prophetici per modum habitùs sibi collati: nemo enim imperfectus esse potest (etiam ipse Deus in propria natura existens) per hoc, quòd non habeat id, quod absolutè repugnat. Erat tamen Christo debitum ob suam incomprehensibilem dignitatem, quòd prophetaret, & miracula faceret, quotiès vellet: & hoc habuisse fatemur cum nostris Salmant. loco supra citato ex 3. part. quæst. 7. in Expositione art. 7. Habitus autem scientiæ per se infusæ possibilis est, & intellectus noster illum recipere potest. Vndè quotiès intellectus illo caret in actu non est, in potentia est, imperfectus est, non quacunque imperfectione, sed privativà, quæ propriè imperfectio est: hanc que ab humano Christi Domini intellectu relegare, contendimus per infusionem habitus huius sacratissimæ scientiæ, quem habuit ab instanti suæ sanctissimæ, & nobis necessarijssimæ, conceptionis.

*****

§. III.

Alia asserta pro subiectis alijs.

33. PErsistimus in consideratione scientiæ per se infusæ in esse habitus, illamque comparamus ad alia subiecta ex assignatis num. 36. Vndè sit secunda conclusio: *Nulli hominum unquàm communicata fuit habitualitèr scientia per se infusa.* Non loquimur in hac conclusione de Beatissima. Virg. de qua mòx loquuturi sumus. Assertio hæc ita communis est inter omnes Doctores, ut superfluum omninò sit aliquem in particulari nominare. Sicut etiam supervacaneum foret in illam suadendo tempus insumere: cum ex dicendis pro conclusione sequenti præsens omnimodè comprobetur.

34. Tertia conclusio. *Habitus scientiæ per se infusæ non communicatus fuit Virgini glorioſissimæ.* Loquimur de hòc habitu simplicitèr, & perfectè considerato; nam de illo considerato secundùm aliquam sui participationem postmodùm sermo erit. Hanc assertionem consentaneam antiquioribus Theologis vocat Par. Suarez tom. 2. in 3. part. disp. 19. sect. 3. in fine, ubi illam tuetur. Et tom. 2. de Relig. lib. 2. cap. 17. & 19. ipsamque esse de mente Div. Thom. ac nostrorum Salmant. locis mòx exhibendis censemus. Immò PP. ac Theologi, qui pro adversa opinione adduci solent, nobis directè non contrariari quoad assertum præsens, docet laudatus, & erga Beatissim. Virg. maximè affectus, Suarez.

Probatur ergo conclusio nostra ratione eruta ex D. Thom. etenim Ang. Doct. 3. part. quæst. 9. art. 3. & quæst. 11. art. 1. & Opusc. 2. cap. 116. & quotiès agit de habitu huius scientiæ infuso animæ Christi Domini, sempèr recurrit ad illud principium, quòd videlicèt, decens fuit, quòd anima, cui hypostaticè unita erat natura Divina, hac scientia perfectè, ac permanentèr gauderet. Quam doctrinam expressiùs tradens opusc.

opusc. citato inquit: *Convenienter autem præter cognitionem, qua* (anima Christi) *Dei essentiam videt, triplex alia cognitio est ei attribuenda. Una quidem experimentalis &c. Alia verò divinitus infusa ad cognoscendum omnia illa, ad quæ naturalis cognitio hominis se extendit, vel extendere potest. Conveniens enim fuit, ut humana natura à Dei verbo assumpta in nullo à perfectione deficeret, utpotè per quam tota humana natura restauranda esset. Est autem imperfectum omne, quod in potentia existit, antequàm reducatur ad actum. Intellectus autem humanus est in potentia ad intelligibilia, quæ naturalitèr homo intelligere potest. Omnium igitur horum scientiam divinitùs anima Christi per species influxas accepit per hoc, quòd tota potentia intellectus humani fuit reducta ad actum. Sed quia Christus secundùm humanam naturam non solùm fuit reparator humanæ naturæ, sed & gratiæ propagator, adfuit ei etiam tertia cognitio, qua plenissimè cognovit quicquid ad mysteria gratiæ potest pertinere, quæ naturalem hominis cognitionem excedunt.* His verbis & prima conclusio mirissimè fulcitur, & pro hac tertia comprobanda nobis fundamentum offertur, quod ad hanc formam reducimus.

35. Conveniens fuit, animam Christi Domini habere habitum scientiæ per se infusæ, quia ipsius Christi humana natura erat *à Dei verbo assumpta*, & quia ipse Christus erat *Reparator* naturæ humanæ, & gratiæ *Propagator*: sed in Virgine glorioſissima nullum ex his motivis adfuit, ut dicamus, fuisse conveniens habitum scientiæ per se infusæ habuisse: ergo illum non habuit. Minor, de qua dubitari poterat, certissima est: quia nec Virginis Sanctissimæ natura assumpta fuit a Verbo Dei; nec ipsa fuit humanæ naturæ reparatrix; aut gratiæ propagatrix in eo sensu, quo posset fundare ius, aut titulum exigentiæ ad infusionem habitualem huius scientiæ.

Confirmatur primò hæc ratio, & vis ipsius ostenditur. Etenim quòd habitus scientiæ infusæ alicui impertiatur, duo dicit. Vnum se tenens ex parte habitus, qui impertitur; & aliud ex parte subiecti, cui communicatur. Ex parte habitus requiritur, quòd habitus ipse sit in esse habitus communicabilis. Ex parte subiecti necessarium est aliquod ius, seu exigentia, ut sibi habitus ille conferatur. Et quocunque ex his deficiente non adest motivum urgens, ut infusionem illius habitus concedamus. Ex defectu primi liquet, quòd quamvis subiectum sit celsitudinis summæ non habebit permanentèr illud, cui repugnat, quòd sit habitus: quocircà vidimus supra, Christum Dominum non habuisse permanentèr lumen propheticum, nec gratiam miraculorum, eo quod his donis repugnat conceptus habitùs ob motiva, quæ ibi expendimus. Quòd autem ex parte subiecti necessaria sit illa exigentia orta ex aliquo titulo speciali, constat: quia aliàs ex mera possibilitate infusionis luminis gloriæ viatori per modum transeuntis posset quis pro suo libito asserere, hunc, aut illum, aut omnes homines superstites Deum quandoquè intuitivè vidisse. Supponimus enim, ut prorsùs certum, possibilem esse infusionem scientiæ perse infusæ cuicunque homini. Debemus etiam supponere, quòd ex parte eius, cui infusio fit, debet esse aliquod motivum speciale, ut illi infusam dicamus scientiam, quam omnibus infundi posse, concedimus. Motivum hoc debet esse aut aliquis textus, aut Sanctorum, ac Theologorum consensus, aut deniquè aliqua exigentia ex parte subiecti recipientis. Textus non adest, nec hactenùs ostensum est, Scripturam, Ecclesiam, aut Concilium docere Beatissimam Virg. habuisse habitum scientiæ perse infusæ. Vndè devolvitur litigium ad exigentiam ex parte ipsius Virginis glorioſissimæ. Hanc exigentiam in ipsa Angelorum Regina non adfuisse, dicimus: eo quòd talis exigentia fundatur

in eo quòd natura illam ſcientiam recipientis ſit aſſumpta à Verbo Divino, & recipiens ipſe ſit reparator naturæ, & gratiæ Propagator. Vndè cum in Beatiſsima Virg. datum non fuerit hoc fundamentum : idcircò non habuit illam exigentiam : atque ideò nec habitum ſcientiæ perſe infuſæ.

Confirmatur ſecundò. Quoniam NN. Salmanticenſes mentis D. Thomæ ſolertiſsimi Exploratores, ac illuſtratores perpetui, agentes de habitu ſcientiæ infuſæ, quem collatum fuiſſe Chriſto Domino, diximus quæſt. præcedent. inquiunt tract. 21. diſp. 17. numer. 54. *Scientia infuſa convenit Chriſto ratione unionis hypoſtaticæ* : ergo unio hypoſtatica, ſeu quòd natura recipientis habitum ſcientiæ infuſæ ſit aſſumpta à Verbo Divino, fundat exigentiam ad illam infuſionem. Ergo ubi non adeſt illa unio, nec exigentia adeſt : ac ſubindè nec infuſio talis habitûs. Ergo cùm in Sanctiſsima Virg. illa non inventa fuerint : & habitum paritèr ſcientiæ perſe infuſæ non habuit.

36. Dices : In Chriſto Domino exigentia dicta verè orta fuit ex unione hypoſtatica, & hoc eſt, quod docet D. Thom. Hoc tamen non tollit, quod dentur alij tituli, intuitu quorum ſcientiæ perſe infuſæ habitus conferatur. Et hoc nec negat Div. Thom. nec negari debet Virgini glorioſiſsimæ, quæ ſupra omnem puram creaturam evecta, omnium earum Regina eſt, ac Magiſtra, dicitur que à D. Anſelmo mundi reparatrix, alijſ que titulis celebratur à Sanctis, qui poſſunt fundare ius, ut ei habitus ſcientiæ perſe infuſæ conferretur. Si ergo collatio hæc eſt poſsibilis, & ex parte huius diuiniſsimæ Dominæ exigentia eſt ex illis titulis orta, iniurioſum ineffabili ipſius celſitudini eſt, hanc ei prærrogativam denegare.

Reſpondetur. Stemmata huius cæleſtis creaturæ adeò ſublimia eſſe, adeò rara, & adeò plurima ; ut comprehendi nequeant ab omnibus alijs creaturis, nec ab ijs pro meritis celebrari ; etiam ſi cuique linguæ centum eſſent, oraque centum, & omnia ipſarum membra verterentur in linguas. Nec reſpuendum à Matre divinæ veritatis putamus ; ſi pro veritate decertemus. Itaquè ſi formaliſsimus, ac magiſtraliſsimus Div. Thomas aliud fundamentum agnoſceret, à quo oriretur dicta exigentia, utiquè expreſsiſſet. Sin minùs diminutè proceſsiſſe, diceretur ; cùm pro unico præiactæ exigentiæ fundamento aſsignaſſet, quod, quamquàm fundamentum ſit, non eſt unicum. Vnio hypoſtatica eſt id, quod unicè fundat ius ad habitum ſcientiæ infuſæ, quantum ex D. Thom. ſcimus. Vndè ubi hoc fundamentum deeſt, deeſt etiam ſcientiæ infuſæ habitus. Quòd autem Virgo Beatiſsima dicatur mundi reparatrix, magnum fundamentum habet deſumptum ex ipſius maternitate. Verumenimverò nec hoc encomium ſupponit in ipſa, ſicut in Sanctiſsimo ſuo Filio, unionem hypoſtaticam, quod erat neceſſarium ; nec meus IESVS conſortium habuit in mundi reparatione, dicente ipſo : *Torcular calcavi ſolus.* Et quamquàm ante Crucem patientis Filij ſtans Virgo Sanctiſsima putaret ſe aliquid publico addituram muneri : aſt *IESVS non egebat adiutore ad redemptionem omnium, qui omnes ſine adiutore ſervavit. Vndè & dicit: Factus ſum ſicùt homo ſine adiutorio inter mortuos liber. Suſcepit quidèm affectum parentis, ſed non quæſivit alterius auxilium.* Inquit elegantiſ. Ambroſ. epiſt. 25. ad Vercell. Eccleſ. In his verbis continetur motivum, ut Virgo Beatiſsima dicatur mundi reparatrix, nempè ipſius affectus : & ſimùl oſtenditur, illud non eſſe ſufficiens ad fundandam exigentiam dictam. ¶ Quòd verò Sancti tot encomijs Glorioſiſsimam Virginem extollant, argumentum non eſt, ut ipſa habitum huius ſcientiæ habuiſſe, dicatur : ſed oſtendit ipſius meritum, & inenarrabilem ſanctitatem ; ad cuius perfectionem neceſſaria non eſt ſcientia per ſe infuſa habitualitèr impertita, ut rectè vidit laudatus P. Suarez, apud quem

alios

alios discursus in comprobationem asserti nostri reperies.

§. IV.

In quo agitur de scientia infusa transeuntèr communicata puræ creaturæ.

37. DIstinximus num. 36. scientiam infusam in eam, quæ communicatur permanentèr, & in eam, quæ transeuntèr confertur. Etiam inibi vidimus, subiecta, de quibus dubitari poterat, esse animam Christi Domini, & animam Sanctissimæ Virginis, ac deniquè animas aliorum hominum. De scientia infusa in esse habitùs diximus in prima conclusione, animæ Christi Domini collatam fuisse, & hoc ipsum alijs denegabimus conclusione secunda, & tertia. Explorandum restat, an ipsa scientia communicata fuerit transeuntèr Virgini gloriosissimæ, aut animæ alterius puræ creaturæ? Qua in re

38. Nostra quarta conclusio. *Animæ Beatissimæ Virginis communicata fuit transeuntèr scientia per se infusa frequentiùs, ac perfectiùs alijs: immò in ipsa fuit habitualitèr aliquod participium scientiæ per se infusæ.* Trimembris conclusio est, quæ, quad primam, & secundam partem, probatur brevitèr, & efficacitèr. Etenim scientia per se infusa quandoquè confertur aliquibus perfectissimis: ergo & animæ Beatissimæ Virgin. collata fuit frequentiùs, & perfectiùs. Antecedens constabit ex dicendis conclusione sequenti. Et consequentia quoad collationem liquet: nam si data fuit non adeò perfectis, illi, cuius perfectio chorum specialem inter omnes puras creaturas constituit, cur non impertiretur? Vndè sicùt conclusione secunda probavimus, nulli puræ creaturæ humanæ communicatam fuisse habitualitèr hanc scientiam, quia Beatissimæ Virgini communicata non fuit: sic eadem certitudine dicimus modò, quòd collatio huius scientiæ permodum transeuntis alijs facta demonstrat, ipsam animæ Sanctissimæ Virginis fuisse paritèr impertitam. Et hinc etiam habetur, quòd ipsi frequentiùs, ac perfectiùs conferretur. Quandoquidèm si perfectio recipientis, accedente benignitate largitoris, in causa est, ut minùs perfectis hæc scientia interdùm conferatur. Quarè perfectissima inter omnes filias Hierusalem hanc gratiam non experiretur frequentiùs, & abundantiùs.

39. Vltimam partem conclusionis proposui sequutus Eximium Suarez locis citatis. Verumtamèn explicationi primæ illius non acquiesco. Talem enim scientiam perse infusam animæ Sanctissimæ Virginis adstruit, quæ sit à lumine infuso, & per species paritèr infusas; sub fide tamen, & cum omnimoda independentia à phantasmatibus, eo quòd fides de se phantasmata non exposcit, ut visum est in Angelis, & in anima separata, nondùm glorioſa.

In hac huius præclari Theologi opinatione inspiciendum brevitèr est, quid neget, & quid affirmet. Quantum ad primum: negat, hanc scientiam, quam habitualitèr animæ Sanctissimæ Virginis concedit, fuisse habitum scientiæ perse infusæ, de quo loquimur, diximus que in prima conclusione, repertum fuisse in anima Christi Domini. Moveturque: quia cognitio ab eo habitu procedens non est sub fide. Vndè hæc in conspectu illius otiosa fuisset, vel saltèm non adeò necessaria esset. Ecquòd cùm illa scientia supernaturalis sit, & perse infusa, esset eiusdem ordinis cum fide, & non minus certa: ergo superflua esset tunc fides, vel multum minui posset meritum, & exercitium eius. Deindè quia illa scientia necessaria non erat ad perfectionem sanctitatis, & meriti, nequè statui viatorum est accomodata.

40. Hactenùs P. Suarez negantem vidimus, rationi consentaneum est, ut affirmantem paritèr videamus. Affirmat enim, scientiam animæ Sanctissimæ Virgi-

ginis infusam fuisse aliquam participationem habitùs scientiæ per se infusæ. Sic ait cap. 17. citato num. 4. Quam participationem citata sect. 3. ex tom. 2. in 3. partem, ita explicat, ut videatur asserere, esse ipsum lumen perfectissimæ fidei cum speciebus penitùs infusis, medijs quibus speciebus, & lumine perfectissimo anima, etiam corpori passibili coniuncta, queat contemplari sine conversione ad phantasmata. Eo quòd necessitas speculandi phantasmata potest provenire vel à speciebus, vel à lumine, vel à contemplante, cuius intellectus, cùm coniunctus sit, phantasmata speculari debet. In præsenti autem ex nullo capite adest necessitas phantasmata speculandi. Non à primo; quia species non sunt à rebus desumptæ, sed infusæ: non à secundo; quia fides de se non petit phantasmatum concursum, ut dictum est. Non à tertio, quia hæc est gratia, quæ conceditur ei, cui hæc scientia infunditur, videlicèt, ut obiecta fidei per altiores species ipsi proponantur more Angelico, hoc est, independentèr à phantasmatibus. Et huiuscemodi scientiam vocat participationem quandam scientiæ per se infusæ, hanc que concedit, habitualitèr extitisse in Beatissima Virgine: sic que intelligit, aut facilè intelligi posse, tradit, Authores edocentes, animam Virginis Glorioſissimæ præditam fuisse habitu scientiæ per se infusæ. Vt autem hanc suam excogitationem stabiliat, fundamenta cudit, quorum.

41. Primum est. Quia hic cognitionis modus possibilis, & facilis est, & multum conferre potuit ad maiorem, & perfectiorem usum gratiæ sanctificantis, nec excedit limites viatoris; quin potiùs in viatotibus Angelis repertus est: ergo valdè credibile est, concessum fuisse Beatæ Virgini.

42. Secundùm. Multa privilegia concessa creduntur Beatæ Virgini, quæ vel hunc modum cognitionis requirunt; vel, eo posito, faciliùs, & commodiùs intelliguntur: ut quòd in primo instanti suæ Conceptionis fuerit per propriam dispositionem & conversionem in Deum sanctificata. Item: quòd toto tempore infantiæ habuerit usum rationis circa res divinas. Item: quòd tempore somni occupari posset in Dei contemplatione, & amore. Quæ omnia facilè intelliguntur posito illo modo cognitionis per se infusæ, & sine illo intelligi nequeunt absque alijs permultis miraculis.

43. Tertium. Hoc modo rectè etiam intelligitur, potuisse Virginem in statu viæ nunquàm desistere ab actuali aliqua divinarum rerum consideratione, absque corporis impedimento, aut defatigatione; corpus enim non defatigatur, nisi propter eius cooperationem, & phantasmatum concomitantiam.

44. Quartum denique. Hoc etiam modo intelligitur, potuisse Virginem altiùs, & perfectiùs ex vi cognitionis, & amoris divini, quem perpetuò habebat, prævenire in se, & cohibere omnem inordinatum motum: requiritur enim ut potissima causa intrinseca huius perfectionis independentia mentis Virginis à corpore in divina cognitione, & sapientia. Ex quibus rationibus colligitur, Virginem habuisse hoc genus cognitionis ab initio suæ sanctificationis. Hoc enim consequentèr probant rationes factæ, si alicuius sunt momenti.

45. Hæc ultima verba: quibus Pat. Suarez suum discursum, & primam conclusionem obsignat, illum nobis repræsentant non admodùm sibi complacentem in sua illa doctrina. Quæ nobis prorsùs displicet propter multa, quorum seriam impugnationem tempus non patitur. Videtur tamen doctus iste eam scientiam per se infusam, seu scientiæ per se infusæ eam participationem introducere, quæ sit cognitio elicita à perfectissimo fidei lumine, medijs extraordinarijs speciebus infusis, & more Angelico, seu sine concursu phantasmatum. Hæc est participatio illa scientiæ per se infusæ, quam Suarez in anima

Bea-

Beatiſsimæ Virg. repertam fuiſſe, contendit.

Contra quam tam abſolutè, quàm ex ab eodem negatis num. 49. plura ſe ſe offerunt, quorum aliqua breviſsima manu attingemus. Etenim ſi ſcientiam perſe infuſam negat, fuiſſe habitualitèr in anima Sanctiſsimæ Virginis, quia illa ſcientia. *Statui viatorum non eſt accommodata*: etiam non eſt accommodata ſtatui viatoris hominis illa ſcientiæ perſe infuſæ participatio, quam fabricat. Viator ex conceptu viatoris non petit cum phantaſmatibus operari: ſicùt nec fides ex conceptu fidei phantaſmatum conſortium petit. Et hoc, negante nemine, probat repetitum illud fidei Angelorum, & ipſorum Angelorum exemplum. Aſt viator homo, & ipſius fides petunt poſsitivè phantaſmata ob ſupra fuſiſsimè inculcata motiva. Eſt ergo participatio illa ſcientiæ infuſæ non magis accommodata hominis viatoris ſtatui, eiuſque fidei; quàm ipſa ſcientia perſe infuſa. Vndè non ita benè, hac negatà, illa conceditur.

46. Rursùs. Scientia perſe infuſa differt, nedùm gradualitèr, ſed ſimpliciter ab alijs luminibus, quæ ſcientia infuſa non ſunt: ſed lumen fidei, quantumvis perfectiſsimum aſſeratur, ſolùm gradualitèr differt à lumine fidei minùs perfecto: ergo lumen fidei, quacunque perfectione fulgens, nequit eſſe ſcientia infuſa. Sed nec ipſius ſcientiæ infuſæ participatio. Tum: quia participatio alicuius debet convenire cum re, quam participat. Quæ convenientia inter fidem, & ſcientiam infuſam non facilè reperietur: cùm una procedat propter extrinſecum teſtimonium dicentis, & alia ſit evidens, ac comprehenſiva, uti diximus quæſt. 2. §. 1. Tum etiam: quia participare, ut ſolent Theologi dicere 1. 2. in tract. de gratia, eſt partem capere, & partem relinquere. Quam autem partem, ſive conceptum, ſcientiæ perſe infuſæ proprium, ſibi aſſumat fides perfectiſsima, non aſsignat P. Suarez. Tum deniquè: quia fides perfectiſsima, & fides non adeò perfecta, & fides ſimpliciter, eadem fides eſſentialitèr eſt, ſolummodò cum diſtinctione graduali: ergo vel quicunque habet fidem habet participationem ſcientiæ perſe infuſæ: vel fides illa perfectiſsima ſcientiæ perſe infuſæ participatio haùd eſt.

47. Nec proderit recurſus ad independentiam à phantaſmatibus, cum qua confertur fides illa perfectiſsima. Quia fidei ſecundùm ſe ſumptæ accidentale prorsùs eſt phantaſmatum conſortium, ut etiam hic Theologus obſervavit. Quod autem ſit participatio ſcientiæ perſe infuſæ, debet ei ab intrinſeco convenire. Præterquamquod fides hominis viatoris, & ipſe viator homo, poſſunt quidèm quandoquè ſine phantaſmatibus dari. Aſt quòd detur viator homo, qui habitualitèr elevatus ſit ad contemplandum ſine dependentia à phantaſmatibus, non minùs inſuetum eſt, ac ſolido fundamento deſtitutum, quàm ponere in ipſo purè viatore habitum ſcientiæ perſe infuſæ. Et, ut verum fatear, ſi aliqua ex his ſcientijs concedenda præciſè foret animæ Sanctiſsimæ Virgin. priùs concederem habitum, quàm habitùs participationem. Quia nec ex parte habitùs minora fundamenta occurrunt; nec contra participationem pauciora, aut debiliora ſunt argumentorum ſpicula.

48. Nec motiva, quæ à num. 51. ex P. Suarez retulimus, eius intentum ſuadent. Ad primum conſtat ex dictis, illum diſcurrendi modum tranſcendere limites viatoris hominis. Vndè vanum eſt illud Angelorum exemplum, ad quorum inſtar elevari poſſe hominem, ut ſine phantaſmatibus contempletur, concedimus. Quod autem hoc ſit vi alicuius intrinſeci habitualitèr in eo reſidentis, negamus. Hic enim contemplandi modus accommodatus non eſt ſtatui ac fidei viatoris hominis. Sicut nec illi accommodatum, docet P. Suarez, habitum ſcientiæ perſe infuſæ, qui accommodatus Angelis fuit. Vndè ſicut viator

tor homo poteſt elevari ad videndum Deum tranſeuntèr, & implicat quòd permanentèr elevetur, quod mòx videbimus, Virgini Sacratiſsimæ contigiſſe: ſic etiam poteſt virtute gratiæ conſcendere ad tranſeuntèr ſine phantaſmatibus contemplandum.

49. Sed priuſquàm ulteriùs progrediamur, ſcrupulum occurrentem diſpellere oportet. Ex paritate enim inducta viſionis beatificæ videtur colligi, impoſsibile eſſe, quòd viator homo habitualitèr habeat habitum ſcientiæ infuſæ: contra ea, quæ ſuperius ſtatuta ſunt. Aſſumptum ſuadet paritas: quandoquidèm lumen gloriæ implicat quòd habitualitèr viatori conferatur.

Reſpondemus tamen. Aliud eſſe, quòd homo viator operetur ſupra id, quod petit ſtatus viatoris: & aliud, quòd amittat viatoris ſtatum. Primum dicit formam non impoſsibilem cum forma conſtitutiva ſtatus viatoris; illum tamen elevans ad contemplandum ſupra id, quod petit ſtatus ille. Secundum verò dicit formam incompoſsibilem: propterea que vi huius formæ amittitur ſtatus viæ, qui vi primæ formæ non amittitur. Lumen gloriæ eſt forma incompatibilis cum fide, quæ ſtatum viatoris conſtituit. Vndè nequit alicui permanentèr conferri, quin illum extrahat à viæ ſtatu. Habitus ſcientiæ per ſe infuſæ compatibilis eſt cum fide, & fide hominis: eòque licèt hominem viatorem, ſi in illo daretur, elevaret ad contemplandum ſupra proprium ſtatum, & propriam fidem; non extraheret illum à ſtatu viæ: & propter hoc dicimus, collationem habitus ſcientiæ infuſæ eſſe poſsibilem homini viatori, cui impoſsibilis eſt collatio habitùs luminis gloriæ. Si verò habitus ille ſcientiæ infuſæ homini conferretur, non extraheret illum à proprio ſtatu: ſed quia illum faceret operari ſupra proprij ſtatus conditionem: idcircò non eſt accommodatus ſtatui viatoris hominis, nec ipſius fidei. Quod verò tranſeuntèr elevetur ad contemplandum ſupra proprij ſtatus, & fidei conditionem; nec extrahit illum ad alium ſtatum; nec regulari modo operandi à proprio ſtatu petito contradicit. Et in hoc ſtat paritas allata luminis gloriæ, quod tranſeuntèr collatum non oponitur fidei, illi verò conforme non eſt; ſi habitualitèr conferatur; quamquàm ultra hoc addat lumen gloriæ fidei excluſionem.

50. Expediti ab hoc ſcrupulo P. Suarez argumenta ſolventes dicimus ad ſecundum ex num. 52. quòd omnes immunitates Sacratiſsimæ Virg. impertitæ nec requirunt illum modum cognoſcendi, nec cum illo faciliùs, & commodiùs intelliguntur. Omnes quippè gratiæ illæ ſunt à fide intenſiſsima, à charitate fervidiſsima, & à ſcientia infuſa, quam mòx explicabimus. Vndè non expoſcunt modum illum ſcientiæ infuſæ ab opinione adverſa excogitatum. Nec permulta miracula ad hoc concedere neceſſe eſt. Sed quòd Beatiſsima Virgo faceret in primo inſtanti ſuæ puriſsimæ Conceptionis, tempore infantiæ, & tempore ſomni id ipſum, quòd nos alijs temporibus facimus cum minori fide, cum inferiori charitate, & ſine ſcientia illa infuſa, quam Virginem Sanctiſsimam habuiſſe, dicemus.

Ad tertium reſpondetur. Quòd ſicùt multotiès in ſuperioribus dictum eſt, quò purior eſt contemplatio, eò eſt minùs perceptibilis phantaſmatum concurſus. Subindequè cùm contemplatio Virginis Sacratiſsimæ adeò puriſsima fuiſſet; ideò illi erant phantaſmata pene imperceptibilia. Vndè eorum ſpeculatio nec fatigabat, nec impediebat. Adde: quòd cùm Beatiſsimæ Virgini ſcientia infuſa tranſeuntèr communicaretur frequentiùs alijs, ut dictum eſt, virtute huius ſcientiæ facientis illam contemplari ſupra viæ conditionem, hoc eſt ſine phantaſmatibus, poterat frequentèr eſſe altiſsimæ contemplationi dedita ſine ulla defatigatione. Adde etiam: quòd ad Deum, creaturæ adeò cæleſtis Creatorem, & gratiæ tam incomprehenſibilis benigniſsimum largi-

to:

torem ſpectabat, res ita attemperare; ut phantaſmatum ſpeculatio, ratione ſtatus indiſpenſabilis, ex vi præcedentis gratiæ non fatigaret.

Ad ultimum dicas: Mentem Beatiſsimæ Virginis ſufficientiſsimam independentiam habuiſſe à corpore; ut ex ea independentia, tanquàm à cauſa intrinſeca, effectus ille oriri intelligatur. Nec valdè intelligibile eſt, qualitèr ſpeculatio penè imperceptibilis phantaſmatum obeſſe queat animæ, quæ frequentèr contemplabatur ſine ullo prorsùs phantaſmatum concurſu. Et aliundè ab ipſis phantaſmatibus, & corpore dependebat; dùm operabatur medijs ſpeciebus acquiſitis.

51. Exploſa igitur illa participatione ſcientiæ infuſæ à P. Suarez introducta, dico cum eodem citata ſect. 3. Virginem Sacratiſsimam habuiſſe ſapientiam Theologicam ſibi infuſam permanentèr, illàque diſtinctiùs cognovit myſteria fidei, & veritates, ſeu concluſiones in illis contentas. Et hoc eſt, quod dixi in ultima parte concluſionis propoſitæ num. 48. Hanc que Theologicam ſapientiam appello participium aliquod ſcientiæ perſe infuſæ, quam in eſſe habitùs denegavimus Sanctiſsimæ ipſi. Nec offendas in eo quòd propriè, aut impropriè ſit Teologica illa ſapientia participatio ſcientiæ perſe infuſæ. In hoc quippè vim non facimus; ſed in eo quod hæc ſapientia Theologica infuſa fuerit ipſi Virgini Glorioſiſsimæ.

Et hoc aſſertum probatur ijs omnibus, quibus Pat. Suarez probat illam ſuam opinionem, quam exploſimus: illa enim, ſi quid probant, hoc ſolùm convincunt. Probatur etiam ijs, quæ ab alijs Doctoribus afferuntur; ut habitum ſcientiæ perſe infuſæ adſtruant: quandoquidèm fermè omnia, quæ tradunt, noſtrum hoc aſſertum, & nihil aliud ſuadent. Vndè in hoc ſenſu intelligo D. Bernardin. tract. de B. Virgin. ſerm. 4. art. 1. capit. 4. dicentem: *In prima ſanctificatione quantum ad rationem & intellectum, tanta ei ſapientiæ claritas à Deo ſuperinfuſa eſt, quòd perfectè intelligebat creaturas, & Creatorem, & Spiritus, & omnia bona amplectenda, & mala fugienda.* Et Dionyſium Richel. Cant. 5. ubi ait: Sanctiſsimam Virginem habuiſſe *ſplendidiſsimam, & exuberantiſsimam ſapientiam ſibi infuſam.* Sic iſti Doctores loquuntur, quorum dicta poſſunt de infuſione Theologicæ noſtræ ſapientiæ congruè interpretari, ita ut nil aliud ipſi aſſerant ultra id, quod Homil. 4. *ſuper miſſus eſt* aſſeruit D. Bernardus dicens: Sanctiſsimam Virginem *à principio fuiſſe cælitùs, ac plenè de omnibus myſterijs inſtructam.* Idem docent D. Anſelm. & D. Bonavent. in lib. de Laudib Virg. cap. 8. quos tres Sanctos Doctores P. Suarez pro noſtra opinione adducit. Vndè & alij pro ipſa allegari poſſunt, cùm eodem modo procedant.

52. Sit ultima noſtra concluſio: *Perfectiſsimis animabus ſolet Deus quandoquè concedere ſcientiam perſe infuſam tranſeuntèr.* Aſſertio hæc receptiſsima apud omnes eſt. Et probatur primò ex dictis diſput. præced. ubi vidimus, contemplationem, quam habuit in ſua extaſi Adam, fuiſſe elicitam à ſcientia per ſe infuſa per modum illuſtrationis data. Sic ex D. Thom. vidimus: ſicut etiam ex eodem Sancto Doct. tradidimus, quòd contemplatio illa, de qua Iacob dixit: *Vidi Deum facie ad faciem*, fuit ab eodem principio. Et idem diximus cum Origine, & Carthuſiano de D. Ioanne Evang. ac D. Stephano. Hæc omnia liquent ex diſput. præced. quæ modò ſic inſinuaſſe ſufficiat, ut ſciamus, Deum aliquandò concedere per modum illuſtrationis perfectiſsimis ſcientiam perſe infuſam.

53. Et ut ad alia tranſeamus, audienda ſunt verba illa, quæ continentur in Regul. Monach. cap. 26. ac Div. Hieronymo tributi Ioannes Fab. in proœmio lib. Triumvirorum, ubi dicitur: *Scio quid loquor, chariſsimè; nam ut meam inſipientiam loquar, ego humunculus*

culus ſic abiectus, ſic vilis in domo Domini, adhuc vivens in corpore, ſæpè Angelorum choris interfui, de corporeis per hebdomadas nihil ſentiens, divinæ viſionis intuitu: poſt multorum ferè dierum ſpatia præſcius futurorum, redditus corpori flebam. Quid ibi manens felicitatis habebam, quid innenarrabilis dignitatis ſentiebam, teſtis eſt ipſa Trinitas, quam cernebam, neſcio quo intuitu. Vbi Sanctus Doct. per illa verba *cernebam, neſcio quo intuitu*, explicat illa alia data priùs: *Divinæ viſionis intuitu*, & oſtendit, ſe ad contemplationem, quæ eſt à ſcientia infuſa, elevatum: quæ contemplatio ob ſui celſitudinem, & propinquitatem ad viſionem beatificam, dicitur *intuitus*: quod ſupra dicebamus, eſſe communem ſententiam Myſticorum hanc contemplationem *viſionem* appellantium. Et hæc eſt, quod aliàs docuit Sanct. Thom. 1. 2. quæſt. 98. art. 3. ad 2. *Per viſionem faciei intelligitur quædam eminens contemplatio infra eſſentiæ divinæ viſionem.*

Aut fortaſsè D. Hieronym. Vt inſignis Theologus per primam phraſim ſubſequentem declaravit. Introſpici quippè debet energia illius clauſulæ: *De corporeis per hebdomadas nihil ſentiens divinæ viſionis intuitu.* Vbi & ponitur *viſio*, & *intuitus*, non tanquam actus, & actus; ſed tanquàm actus, & obiectum actùs: hoc eſt, ponitur viſio divina, ſeu beatifica, tanquàm obiectum intuitus, ſeu contemplationis à D. Hieronym. tunc habitæ. Quod ut perfectè calleas memento eorum, quæ dictavimus quæſt. 2. §. 1. Vbi cum ſelectiſsimis Theologis diximus, ſcientiam infuſam cognoſcere ipſam viſionem beatificam cognitione evidenti, quidditativa, & comprehenſiva, ex cuius viſionis cognitione habetur cognitio evidens *quoad an eſt* Dei, ut eſt cauſa, & obiectum ipſius viſionis. Vide ibi dicta num. 19. & 20. Modò autem hæc adducimus, ut explicemus, D. Hieronymum per illuſtrationem ſcientiæ infuſæ quandoquè elevari ad cognoſcendam ipſam viſionem beatificam. Et hoc eſſe, quod illis verbis oſtendit: *Divinæ viſionis intuitu.* Ex quo viſionis intuitu elevabatur ad videndam ipſam Sanctiſsimam Trinitatem, non clarè, ſed *quoad an eſt.* Sive hoc, ſive alio modo, verba D. Hieronymi intelligantur, ex ipſis liquet, ipſum interdùm habuiſſe contemplationem, ortam à ſcientia infuſa, ſibi tranſeuntèr communicata.

54. Verùm, ut interim alios perfectiſsimos omittamus, illos ad diſp. ſubſequentem reſervantes, probanda eſt aſſertio noſtra ex Sacra Scriptura. Igitur Iob cap. 4. dicitur: *Quaſi furtivè ſuſcepit auris mea venas ſuſurri eius.* Vbi perfectiſsimus iſte ſibi ſcientiam perſe infuſam tranſeuntèr aliquandò communicari, fatetur. Quod & data verba liquidò manifeſtant, & D. Gregor. lib. 5. Moral. luculentiſsimè declarat dicens: *Venas ſuperni ſuſurri auris corde furtivè ſuſcipit, quia ſubtilitatem locutionis intimæ afflata mens & raptim, & occultè cognoſcit.* Eandem doctrinam tradit S. Doct. lib. 24. Moral. cap. 5. ubi agens de hac eadem ſcientia inquit: *Priùs à mentis acie exurente, triſtitia interpoſita, malorum caligo detergitur; & tunc reſplendente raptim coruſcatione incircunſcripti luminis illuſtratur. Quo utcunquè conſpecto, in gaudio cuiuſdam ſuavitatis abſorbetur, & quaſi poſt defectum vitæ præſentis ultra ſe rapta, in quadam novitate aliquo modo recreatur ... Hæc ipſa tamen per contemplationem facta non ſolida, & permanens viſio, ſed, ut ita dixerim, quaſi quædam viſionis imitatio, Dei facies dicitur.* Hactenùs D. Gregor. quibus & datam ſcripturam exponit, & noſtrum aſſertum ſuadet.

Simili ſpiritu actus D. Bernard. inquit lib. de dilig. Deo. *Quandò huiuſmodi experitur affectum, ut divino inebriatus amore animus oblitus ſui, factusque ſibi ipſi tanquam vas perditum, totus pergat in Deum, & adhærens Deo, unus cum eo ſpiritus fiat, & dicat:*

De-

Deficit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea, Deus in æternum. Beatum dixerim, & Sanctum, cui tale aliquid in hac mortali vita rarò interdùm, aut vel semèl, & hoc ipsum raptim, atque unius vix momenti spatio experiri, donatum est. Clarissimè, & elegantissimè docet melifluus Doct. quòd Iob in suo exhibito textu, nos que in nostra assertione tradidimus. His que finem imponimus huic gravissimæ, & utilissimæ disputationi à nobis, veluti per modum transeuntis pertractatæ; quia non aliud munus nostrum exposcere iudicamus.

***

DISPVTATIO XXII.

DE CONTEMPLATIONE FACIALI, quæ omnium suprema est.

AD CONTEMplationem, cuius Deus clarè visus obiectum est, sermo noster ascendit. Pauca de hac divina contemplatione dicemus, quia res valdè Scholastica est, & ab omnibus disputata cum Magistro in 4. d. 49. ubi Div. Thom. quæst. 2. art. 7. cuius Expositores eandem materiam versant 1. part. quæst. 12. art. 11. & 3. contra Gent à capit. 53. Nos autem unum, vel alterum dubium disputabimus; ne in nostro hoc opere res adeò superna, quamquàm manu levissima attacta, desideretur.

****
***
***

QVÆSTIO PRIMA.

VTRVM SVPERSTES POSSIT DEVM intuitivè contemplari?

DIsquirere possibilitatem visionis beatificæ, & alia huiusmodi, supervacaneum in præsenti foret, & muneri nostro prorsùs extraneum. Vndè supponimus huius divinæ contemplationis possibilitatem: sicut etiam supponimus, quòd viribus naturæ nequit contemplatio ista haberi; sed requiruntur vires vigorosissimæ gratiæ. Nec loquimur de contemplatione faciali permanentèr habita; sed transeuntèr elicita. Quocircà tota difficultas devolvitur ad id, quòd titulus repræsentat,

§. I.

Post brevem observationem statuitur vera sententia.

1. IN hac difficultate eo modo procedam, quem D. Thom. 1. part. quæst. 12. art. 11. in ea enucleanda observavit: Vndè ly *possit* in titulo positum non debet sumi prout est idem, ac non implicare contradictionem; sed prout est idem, ac sine miraculo. Quocircà titulus sic intelligendus est. An sine miraculo interveniente, queat homo

mo ante mortem Deum intuitivè videre? Sic enim procedit Ang. Doct. ut liquet ex littera, & Caietani expositione. Quid autem dicendum sit, cùm miraculum intercedit: quæstione sequenti disceptabimus.

2. Sit nostra conclusio: *Impossibile est animæ hominis secundùm hanc vitam viventis essentiam Dei videre.* Assertum proposuimus, illud que simùl probavimus authoritate Div. Thom. cuius sunt ipsius asserti verba dicto art. 11. in corpor. ubi etiam ait: *Respondeo dicendum, quòd ab homine puro Deus videri per essentiam non potest, nisi ab hac vita mortali separetur.* Vbi præter illum hominem, qui simùl viator, & comprehensor fuit, nullum alium viventium Deum posse videre, docet. Et concludit corpus illius art. dicens: *Quòd ergo anima elevetur usque ad supremum intelligibilium, quod est essentia Divina, esse non potest quandiù hac mortali vita utitur.*

3. Dices: Sanct. Thom. loqui de visione Dei permanenti, quæ absdubio in homine puro compati nequit cum statu viæ: non autem loquitur de visione transeunti, ad quam habendam nullam repugnantiam dicit superstes. Quod autem sic intelligi debeat Ang. Doct. liquet ex ijs verbis: *Respondeo dicendum, quòd ab homine puro Deus videri* &c. In quibus ostendit, excludi à sua resolutione hominem illum, qui etiam Deus est, in quo non transeuntèr, sed permanentèr contemplatio intuitiva divinæ essentiæ inventa est.

Respondetur. Div. Thomam intelligendum esse de utraque Dei intuitiva visione, permanenti scilicèt, & transeunti. Primum patet primò ex dictis in obiectione. Secundò patet ex statim subijciendis. Secundum liquet primò ex solutione ad primum, in quo de contemplatione transeunti sermo est, illam que ex inibi assertis negat fuisse intuitivam. Liquet secundò ex tota articuli doctrina, quæ consistit in natura animæ corpori mortali conjunctæ, quæ contemplari nequit, nisi materialia, vel per ordinem ad materiam. Quod fundamentum æquè probat de contemplatione transeunti, ac permanenti. Quandoquidèm nec permanentèr, nec transeuntèr queit Deus contemplari intuitivè per ordinem ad materiam. Vndè implicat ex ipsa doctrina D. Thom. quòd viator Deum videat, adhùc transeuntèr.

4. Replicabis: Disputatione præcedenti quæstione ultima diximus, posse hominem superstitem elevari ad contemplandum ex scientia sibi transeuntèr infusa, quæ non speculatur phantasmata, sed cognoscit res quidditativè, ac per proprias species: ergo pariformitèr potest eleuari ad visionem transeuntem Dei. Patet ista. Sinamque non posset, esset propter necessariam illam ad phantasmata conversionem: sed hanc dependentiam aufert Deus ab anima contemplante ex scientia sibi infusa: ergo.

Huius replicæ plena enodatio pendet ex dicendis quæst. sequenti. Modò autem dicimus cum laudato D. Thom. ad 2. quòd Deus præter communem ordinem, & præternaturalitèr solet elevare *mentes aliquorum in hac carne viventium, sed non sensibus carnis utentium.* Ex quibus, quæ loco citato enucleanda sunt, duo colligere debemus. Primum est, quòd elevatus ad contemplandum ex scientia infusa, si illa scientia non recipiatur ad modum recipientis, contemplatur *præter communem ordinem, & supernaturalitèr.* Vndè nil mirum, quòd non cognoscat per connotationem ad materialia. Secundum est, quòd verè non utitur sensibus carnis, quamvis in carne vivat, qui infusà scientià contemplatur, ut liquet ex dictis in toto hoc cursu. Quocircà illi, qui scientiam infusam habent, & non admodum recipientium, excluduntur ab illa generali regula edocente, animam purè viatoris per conversionem ad phantasmata contemplari. Cuius exceptionis fundamentum est, quòd

isti

isti *præternaturaliter*, seu *præter communem ordinem* contemplantur: & licèt in carne vivant, *non sensibus carnis utuntur*. Vndè facta replica nostræ doctrinæ ingens confirmatio est. Quoniam si contemplatio, quam scientia infusa elicit, quæ contemplatione faciali inferior est, haberi nequit, nisi Deus *præter communem ordinem* cum contemplante concurrat, & ipse contemplans talitèr in carne vivat, quòd *carnis sensibus non utatur*. Multò magis hæc necessaria esse debent ad contemplationem intuitivam, quæ est omnium contemplationum suprema.

5. Probavimus assertionem ex Div. Thom. modò autem ex eodem in argumento *sed contra* probamus illam ex Sacra Scriptura. Etenim Exodi cap. 33. vers. 21. dicitur: *Non videbit me homo, & vivet*. Vbi Glos. *Quandiù hìc mortaliter vivitur, videri per quasdam imagines Deus potest, sed per ipsam naturæ suæ speciem non potest.* Inquibus & modus, quo viator Deum contemplari queat, ostenditur, & modus, quo non valeat, declaratur. Possumus enim Deum per quasdam imagines contemplari; ipsum autem intuitivè in hac vita videre, nobis impossibile est.

6. Hanc ipsam doctrinam tradit Extaticus N. Doct. pluribus in locis, è quibus aliquos textus adducemus. In primis enim lib. 2. Ascens. cap. 8. inquit: *Intellectus noster nec dispositionem, nec capacitatem habet in carcere corporis ad recipiendam notitiam Dei claram: hæc enim notitia huius status non est. Vndè vel debet homo mortem subire, vel illam notitiam non habere.* Suam, & nostram resolutionem probat Myst. Doctor ibidem ex Isaìa capit. 40. vers. 18. & 19. ubi Propheta ait: *Cui ergo similem fecistis Deum? Aut quam imaginem ponetis ei? Nunquid sculptile conflavit faber? Aut aurifex auro figuravit illud, & laminis argenteis argentarius?* Vbi Sanctus Doct. per fabrum intelligit intellectum, *cuius munus est formare species, & illas à phantasmatum ferro denudare.* Per aurifi cem intelligit voluntatem, *quæ recipit delectationem causatam ab auro amoris à se causati.* Per argentarium intelligit memoriam cum sua imaginatione, in quam memoria ipsa notitias imprimit obiectum repræsentantes.

Quibus suppositis sic cum ipso Doct. Myst. discurrimus. Nequit intellectus possibilis hominis viatoris Deum contemplari, quin concurrat memoria cum imaginatione phantasmata ministrans; & intellectus agens denudans imagines illas à conditionibus indibiduantibus, & extrahens species intelligibiles, ac deniquè voluntas percipiens suavitatem, ac delicias indè haustas: sed per hæc, aut ex his nequit Deus facialitèr videri ab intellectu possibili hominis viatoris: ergo iste nequit Deum facialitèr contemplari. Illatio tenet, & maior est certa, quia intellectus possibilis hominis viatoris operari nequit, suo modo connaturali attento, nisi concurrentibus ijs, quæ in maiori continentur. Minor verò ex allegato textu probatur: nam quicquid, memoria, quæ argentarius est, potest imprimere; & quicquid intellectus agens, qui faber ferrarius est, potest fabri care, & quicquid voluntas, quæ aurifex est, quæ figurare, omnia illa nequeunt Deum perfectè repræsentare: ergo ijs medijs nequit Deus intuitivè videri. Ergo ex quo viator homo nequeat sine illis cognoscere; fit consequens, quòd non valeat Deum facialitèr contemplari.

Probatur adhùc assertum nostrum ex eodem Mystico N. Doct. qui in suo cælesti cantico sic Cant. 11. modulatur.

Descubre tu presencia,
I matame tu vista, y hermosura:
Mira, que la dolencia
De amor no bien se cura,
Sino con la presencia, y la figura.

Vbi ponderandum maximè est, quòd Sanctus Doct. appetat, & petat mortem: *I matame tu vista, y hermosura*, hoc est: *Te videns moriar*. Cur autem

hìc.

hìc mortis meminerit: oſtendit oportuniſsimè dicens in expoſitione primi, & ſecundi carminis, quòd quia in primo verſu Deum clarè videre exoptat: *Deſcubre tu preſencia*, ideſt, *oſtende mihi faciem tuam*: Et illam faciem videre ſe ante mortem non poſſe, probè ſcit; idcircò mortem appetit, ut Deum ſuum facialitèr contemplari, conſequatur. Vide in explicatione illius cantinelæ profundiſsimam, ac nervoſiſsimam pro re præſenti doctrinam.

Eandem tradit in flamma cæleſtis charitatis rogo ignitiſsimo ambuſtus ita pangens Cant. 1.

O llama de amor viva,
Que tiernamente hieres
De mi alma en el mas profundo centro,
Pues yà no eres eſquiva,
Acaba yà ſi quieres,
Rompe la tela de eſte dulce encuentro.

In ultimo verſu precatur Sanct. Doct. ſeu anima, cuius vices gerit, mortem; ſeu diſſolutionem unionis nectentis materiam, & formam. Et hanc diſſolutionem, cui natura ipſa refragatur, exoptat, cognoſcens eſſe medium neceſſarium, ut ſuum Dilectum clarè videre, queat. Ad cuius perfectam intelligentiam obſervandum eſt ex eodem Myſ. Doct. inibi (iamque à nobis alijs in locis obſervatum eſt) triplex velum obſtare, ne Deum clarè videre, poſſimus. Primum eſt temporale, quod comprehendit creaturas. Secundum eſt naturale, & conſiſtit in operationibus, ac inclinationibus purè naturalibus. Et utrunque hoc velum abruptum ſupponitur ab anima in ſtatu perfectionis conſtituta, qualis eſt, quæ carmina huiuſcemodi profert. Et tametſi hæc anima, quæ utrunque illud velum diſrupit, altiſsimè contempletur; ſuum tamen Dilectum videre nequaquàm poteſt, donec tertium velum perduret. Hoc velum eſt ſenſitivum, & conſiſtit in unione animæ ad corpus: qua durante, Deus non videtur; quocircà querula gemit, ut velum hoc abrumpatur.

Ex dictis affatim communitum eſt aſſertum noſtrum, quin alia deſiderentur ad ipſius comprobationem: maximè cum verbis ipſius animæ, viſionem ſui dilectiſsimi Sponſi anhelantis, illud fulciremus. Vndè ad alia tranſire oportet.

***

§. II.

Reſpondetur argumentis.

8. PRimum argumentum contra concluſionem conficitur ex varijs Sacræ Scripturæ locis, in quibus de diverſis hominibus dicitur, vidiſſe Deum clarè tempore, quo in hac mortali vita degebant. Quod ita eſſe probatur primò. Nam Geneſ. 32. dixit Iacob: *Vidi Dominum facie ad faciem*: ſed videre Dei faciem, eſt ipſum clarè videre, iuxta Apoſt. 1. ad Chorinth. cap. 13. dicentem: *Videmus nunc per ſpeculum, & in ænigmatæ: tunc autem facie ad faciem*: Ergo Iacob, viator cùm eſſet, Deum vidit. ¶ Secundò probatur ex Iob cap. 42. dicente: *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te.* In quibus liquidò oſtendit, quòd ſicùt priùs Deum abſentem cognoverat per auditum, qui abſentium rerum eſt: ſic ergo modò per viſum, qui præſentium eſt, ipſum clarè intuebatur. ¶ Probatur tertiò ex Iſaia cap. 6. qui ait: *Vidi Dominum ſuper ſolium excelſum, & elevatum, &c.* Similia de alijs pluribus referuntur in Scripturis Sacris: dicta tamen ſat fuerint ad oſtendendum non eſſe impoſsibile, ſuperſtitem Deum videre.

Reſpondetur ex D. Thom. 3. cont. Gent. capit. 47. ubi tria, quæ obiecta ſunt, & alia, quæ opponi poſſunt, ſolvit dicens: *Quòd autem in Sacra Scriptura aliqui Deum vidiſſe dicuntur, oportet intelligi hoc fuiſſe per aliquam imaginariam viſionem, ſeu etiam corporalem, prout ſcilicèt, per aliquas corporeas ſpecies vel exteriùs apparentes, vel interiùs formatas in imaginatione, di-*

vinæ virtutis præsentia demonstrabatur. Per quæ solvuntur omnia obiecta. Primum quidèm, quia visio Iacob fuit imaginaria, vel corporalis, ut docet idem Sanct. Thom. in 4. d. 49. quæst. 2. art. 7. ad 2. Vndè licèt dicat, se vidisse Deum facie ad faciem, non dicit hoc, quia à mortali homine *Deus videri possit, sed formam vidit, in qua Deus loquutus est ei*, ait inibi Glossa. ¶ Aut fortasse intelligendus est Jacob de supereminenti contemplatione, quæ sit actus scientiæ infusæ, sit que media inter contemplationem viæ, & patriæ, ut disput. præced. dicebamus cum Div. Thom. dicto artic. 11. ex 1. part. ¶ Ac per hoc patet ad secundam, & tertiam probationem: idem enim est de Iob, & Isaia, ac dictum est de Iacob in prima solutione. Idem que dicendum est de quocunque alio, qui in divinis Scripturis dicatur, vidisse Deum, ut liquet ex allato Div. Thom testimonio, nisi adsit speciale aliquod motivum, ut dicatur, Deum intuitivè videsse, de quo quæst. seq.

9. Arguitur secundò. Potest voluntas hominis viatoris Deum immediatè, & prout est in se diligere: ergo & intellectus ipsius potest Deum, prout est inse contemplari. Antecedens certum est, & consequentia probatur. Magis corrupta est voluntas per peccatum, quàm intellectus, ut modò supponi debet ex tractatibus de peccatis, & gratia: ergo si voluntas cum maiori vulnere queat Deum immediatè amare: meliùs poterit intellectus ipsum immediatè cognoscere.

Respondetur conceſſo antecedenti, negando consequentiam, ad cuius probationem omittatur antecedens, & negetur consequentia. Ratio, ob quam intellectus hominis viatoris nequit clarè Deum videre, non est ignorantia per peccatum causata: cuius evidens ratio est, quòd nec primus homo in statu innocentiæ, nec Angeli, dum viatores fuere, Deum intuitivè viderunt, nec videre potuerunt: omnes enim viatores purè tales comprehenduntur in nostro asserto. Motivum autem, ob quod possit voluntas immediatè ferri in Deum, & non intellectus, elegantèr traditur à D. Thom. loco citat. ex 4. sententiar. vbi ait: *Ad 7. dicendum, quòd in omnibus potentijs adinvicem ordinatis hoc est necessarium, ut ubi terminatur actus prioris potentiæ incipiat actus secundæ. Vndè cum voluntas præsuponat intellectum, voluntas fertur in illud, in quod intellectus terminatur. Intellectus autem quamvis Deum in statu viæ, non nisi per effectus cognoscat; tamen eius operatio in ipsum Deum terminatur secundùm quantulamcunque cognitionem, quam de ipso accipit. Et ideò affectus non indiget, ad hoc, quòd referatur in Deum, quòd redeat in illa media; sed potest statim in ipsum Deum ferri, in quem intellectus devenit.* Hæc ergo est ratio, obquam voluntas immediatè feratur in Deum independentèr omninò à præsuppositione peccati. Intellectus etiam hominis viatoris, sive præsupponatur, sive non præsupponatur peccatum, non potest ferri immediatè in Deum; eo quòd non potest intelligere, nisi per ordinem ad phantasmata, qua cognitione implicat, quòd Deus, prout est inse, cognoscatur.

10. Dices: Ergo Angeli viatores, & idem est de anima separata, potuerunt Deum intuitivè videre. Probas consequentiam. Angeli, & anima separata non intelligunt per conversionem ad phantasmata: ergo vel ratio illa, quam ex D. Thom. desumpsimus, est insufficiens: vel Angeli viatores manentes in statu viæ potuerunt Deum intuitivè videre.

Respondetur negando consequentiam. Ad cuius probationem dicas: D. Thomam non solùm de homine viatore agere, dum negat, possibilem ei esse contemplationem intuitivam. Loquitur enim de omni pura creatura, ut liquet ex art. 7. citato ubi ait: *Nulla pura creatura in statu viæ existens videre potest Deum per essentiam.* Postea

verò

verò quia creaturæ de quibus dubitari poterat, sunt homo, & Angelus, assignavit motiva cuique propria. De homine viatore negavit, posse Deum videre; quia eget phantasmatibus per connotationem ad quæ nequit Deus videri. De Angelo hoc ipsum negavit; ob aliud tamen motivum, quòd inibi expressit dicens: *Intellectus etiam Angeli in statu viæ per omnes dispositiones naturales, vel etiam gratuitas non potest in aliquid amplius, nisi ut intelligat omne, quod intelligit, per formas creatas, ad quas naturalis facultas intellectus eius determinatur, ut ex dictis patet. Deus autem in essentia sua videri non potest, nec per aliquam formam à sensu abstractam, nec per aliquam creatam ut ex dictis patet. Vndè patet quòd nullus intellectus puræ creaturæ in statu viæ existentis potest in visionem Dei per essentiam per aliquam dispositionem sibi inhærentem.* Nos autem quia de hominibus loquimur, desumpsimus ea, quæ hominibus propria sunt: Resolutio tamen tam homines, quàm animas separatas, ac demùm Angelos comprehendit.

11. Arguitur tertiò: Deus cognoscitur à viatore visione intellectuali: ergo per propriam speciem. Ergo intuitivè. Secunda consequentia constat ex prima, quæ infertur ex antecedenti: quia, ut disp. præced. diceb amus, cognitio intellectualis habetur per propriam speciem rei intellectæ. Et antecedens probatur. Visione intellectuali videntur ea, quæ sunt in anima per suam essentiam: sed Deus est per suam essentiam in anima viatoris: ergo ab illo videtur visione intellectuali. Illatio bona est, & minor certa. Maior autem est Div. Augustini lib. 12. super Genes. ad litteram.

Respondetur negando antecedens. Ad probationem explicetur maior hac distinctione: *quæ sunt in anima*, tanquàm formæ intelligibiles in intellectu, concedo: alio modo, nego maiorem. Et sub eadem distinctione minoris, negetur absolutè consequentia. Itaque res, quæ per suam essentiam est in anima, sicut intelligibile in actu est in intellectu, ab habente illam videtur visione intellectuali. Deus autem non est hoc modo in anima viatoris, sed per essentiam, præsentiam, & potentiam. Vndè non sequitur, quòd à viatore, sic illum habente, videatur. Solutio est D. Thomæ locis adductis ex 1. part. ad 4. & ex 4. sententiar. ad 6. Et sanè si Div. Augustinus intelligendus esset eo modo, quo arguens vult, vel ipsi peccatores Deum per essentiam viderent, cùm dicto modo sit Deus per suam essentiam in ipsorum animabus.

****

QVÆSTIO SECVNDA.

VTRVM VIRTVTE DIVINA QVEAT VIATOR elevari ad intuitivam Dei contemplationem?

SIcut quæstione præcedenti loquuti fuimus de viatore in sensu composito viatoris, sic & in præsenti loquimur, & exploramus, an viator, quin statum viatoris amittat, elevari miraculosè valeat ad contemplandum Deum facie ad faciem.

§. I.
Vera sententia.

12. SIT nostra conclusio affirmativa. Sententia hæc est communissima inter Doctores, illam tenet Div. Thom. locis citatis, cuius verba postmodùm offeremus. Myst. N. Doct. lib. 2. Ascens. capit. 24. & alibi idem docet. Et hos præclarissimos DD. sequuntur nostri mystici Th. a Iesu de divin. Contemplat. lib. 6. Philip. à SS. Trinit. 2. part. Theolog. myst. tract 3. art. 5. & discursu sequenti art. etiam 5. Anton. à Spiritu Sanct. de via illum. tract 3. disp. 3. sect. 12. & disput. 4. sect. 5. & alij.

Probatur ergo conclusio primò authoritate D. Thom. qui 1. part. quæst. 17. art. ... it: *Ad 2. dicendum, quòd sicùt Deus miraculosè aliquid supernaturalitèr in rebus corporeis operatur: ita etiam & supernaturalitèr, & præter communem ordinem mentes aliquorum in hac carne viventium, sed non sensibus carnis utentium usque ad visionem suæ essentiæ elevavit, ut dicit Augustin. 12. super Genes. ad litteram. Et lib. de videndo Deum.*

Eandem doctrinam tradit ipse Doct. Sanct. artic. 7. citato ex 4. sententiar. ubi in corpore, postquàm probaverat, intellectum viatoris non posse, secluso miraculo, Deum intuitivè videre, quod diximus quæst. præterita, inquit: *Contingit aliquandò divina virtute, quòd aliqua res miraculosè producitur in aliquid, in quod nullo modo potest per aliquas dispositiones sibi inhærentes, sicùt quòd Virgo pariat, quòd ignis in aqua comburat: & similitèr potest miraculosè fieri, quòd divina virtute aliquis intellectus creatus non habens nisi dispositionem viæ elevetur ad videndum Deum per essentiam. Nec tamen ex tali visione potest dici beatus simplicitèr, sed secundùm quid tantùm, in quantum scilicèt communicat in actu beati. Sicut enim aliquod corpus in statu gravitatis existens, potest miraculosè participare actum agilitatis, vel impassibilitatis, sicut de Abac. legitur Daniel. ultimo, & de tribus pueris conservatis in fornace Daniel. 3. nec tamen eorum corpora erant gloriosa. Ea autem, quæ fiunt miraculosè, non dicuntur possibilia secundùm naturam, in quæ fiunt, sed secundùm virtutem facientis tantùm. Non enim dicimus, propriè loquendo, quòd cæcus potest fieri videns; sed quòd Deus potest eum facere videntem. Et ideò dicendum est, quòd nullæ puræ creaturæ in statu viæ existens, potest Deum per essentiam videre* (& hoc fuit assertum quæstionis antecedentis) *sed Deus potest facere, quod illum videat, adhuc in statu viæ manens.* Et hoc est assertum præsens.

13. In hoc testimonio egregiè docet D. Thom. nostram conclusionem, illam que probat similibus lucidissimis, & ratione fundamentali, qua brevissimè ad formam subsequentem redacta, probamus secundò conclusionem. Etenim quòd viator simplicitèr videat transeuntèr Deum, nullam contradictionem

nem involvit : ergo potest à Deo fieri. Patet ista : quia cuique notissimum est, Deum posse facere quicquid contradictionem non implicat. Probatur antecedens. Visio beatifica transeuntèr habita compatibilis est cum statu viatoris simplicitèr : ergo. Probo antecedens. Compatibile est, quòd aliquis sit simplicitèr viator, & beatus secundùm quid : sed visio beatifica transiens solummodò secundum quid constituit beatum : ergo possibilis est cum statu viatoris simplicitèr. Illatio tenet, & maior omninò certa est, minor que edocetur à Div. Thom. ut modò vidimus: potest que haùd difficultèr suaderi. Quoniàm actus proveniens à forma non constitutiva status beatifici simplicitèr non constituit simpliciter beatum : sic est visio beatifica transiens ; quandoquidèm provenit à lumine gloriæ transeuntèr impertito, qualitèr non est forma constitutiva status simplicitèr beatifici : ergo.

Confirmatur primò. Visio beatifica transiens non oponitur directè formæ constitutivæ status viatoris simplicitèr : ergo inveniri potest in illo. Probatur antecedens. Fidei, quæ est forma constitutiva status viatoris, non opponitur directè visio ; nam visio est actus, & fides est habitus ; habitus, & actus non opponuntur directè ; sed habitus opponitur habitui, & actus actui : ergo.

Confirmatur secundò. Potest corpus grave actu non gravitare, sed actum proprium agilitatis habere ; & similitèr potest corpus passibile actu non pati in presentia activi passionem inferre potentis. Ergo potest viator actu esse beatus, seu habere visionem beatam transeuntem in concursu fidei. Antecedens liquet ex ijs, quæ nobis retulit D. Thom. de Habacuc, cuius corpus grave cùm esset, *Apprehendit eum Angelus Domini invertice eius, & portavit eum capillo capitis sui, posuitque eum in Babylone supra lacum in impetu spiritus sui.* Ac de tribus pueris missis infornacem ignis ardentis succensum *septuplam quàm succendi consueverat.* Cæterùm Angelus Domini *excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium* fornacis quasi *ventum roris flantem, & non tetigit eos omninò ignis, neque contristavit, nec quidquam molestiæ intulit.* Daniel. cap. 3. vers. 19. 49. & 50. Deindè probatur consequentia. Ideò, quæ in antecedenti continentur, vera sunt, quia corporis gravitati non opponitur actus transiens agilitatis ; sed ipsa agilitas permanens : & corporis passibilitati opponitur impassibilitas permanens, non autem actus transiens impassibilitatis : ergo nec habitui fidei opponitur visio beata transiens. Ac subindè compati queunt.

14. Dices : Visio beata transiens provenit à lumine gloriæ : sed lumen gloriæ directè opponitur fidei : ergo non stat visio beata in habente habitum fidei.

Respondetur distinguendo maiorem à *lumine* transeunti, concedo : permanenti, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Sicut gravitati, & passibilitati non opponuntur agilitas, & impassibilitas transeuntes : & ideò potest corpus simplicitèr passibile, & grave actu non gravitare, nec pati : sic habitui fidei non contrariatur lumen gloriæ transiens : & ita queit fides compati cum visione transeunti.

Replicabis : Nequit [illegible] compati cum habitu luminis gloriæ : ergo nequit actus luminis gloriæ compati cum habitu fidei.

Respondetur omisso antecedenti, distinguendo consequens, quod verum est de lumine gloriæ, quòd sit habitus : quia cum habitus huius luminis excludat fidem : idcircò nequit actus luminis gloriæ compati cum fide, non quia ipse habitui fidei directè opponatur ; sed quia principium talem actum eliciens cum fidei habitu pugnat. Est tamen falsum, si loquatur de lumine gloriæ transeuntis

quia

quia tunc nec ipse actus visionis, nec lumen à quo elicitur, opponuntur habitui fidei, ut dictum est. ¶ Omisimus antecedens: quia vel fit suppositio, quòd actus fidei petit indispensabilitèr ad sui elicientiam fidei habitum, vel non? Si sic: Implicat actus fidei cum habitu luminis gloriæ; eo quòd, ut supponitur, implicat actus fidei sine fidei habitu, & cum hoc est lumen gloriæ prorsùs incompatibile. Si non: Eodem modo implicat: quia habitus luminis gloriæ necessariò producit visionem, ita ut sine illa esse nequeat. Vndè cùm actus fidei, à quocunque proveniat, sit incompossibilis cum actu visionis: idcircò implicat actus fidei cum habitu luminis gloriæ. Contrarium evenit in habitu fidei, & actu visionis. Tum: quia visio non petit indispensabilitèr lumen gloriæ in esse habitùs, cùm possit ab ipso lumine in esse dispositionis procedere. Tum etiam: quia habitus fidei non petit esse sempèr in exercitio sui actus. Vndè ex parte utriusque discrimen manifestum adest.

§. II.

Argumenta.

15. COntra nostram conclusionem primum argumentum desumitur ex diversis scripturis, quarum primam in comprobationem conclusionis quæst. præcedenti stabilitæ attulimus num. 5. Continet que verba Dei ad Moysen dicentis: *Non videbit me homo, & vivet.* Vbi Glosa inquit, quòd Deus videri *per ipsam naturæ suæ speciem non potest.* Insuper epist. 1. ad Timoth. capit. 2. ait Apost. *Regi sæculorum immortali, & invisibili:* Deo eodem modo attribuens invisibilitatem, ac immortalitatem. Denique, pluribus alijs derelictis, quæ urgentior est, habetur in eadem epist. capit. 6. vers. 16. ubi idem Paulus ait de Deo: *Lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Nihil clariùs adduci potest contra nostram conclusionem: ergo est falsa.

Hæc testimonia Sacræ Scripturæ sunt præcipuum argumentum, quod in assertionem nostram fieri potest: idcircò diligenti attentione solvendum à nobis est, textus illos explanantes iuxta sanam doctrinam, quam accepimus à Magistris. Sed ut commodiùs, & utiliùs hoc fiat aliqua præmitenda sunt, ex quibus dicendorum intelligentia sine difficultate eruatur.

16. Supponendum est primò. Mortem, quoad præsens attinet, dupliciter sumi posse. Primò pro ipsa reali separatione formæ à materia: quæ quidèm separatio est mors simpliciter talis. Secundò sumitur pro separatione animæ à sensibilibus, & ab operatione erga illa. Et quamquàm præcedere debeat mors, ut Deus clarè ab homine videatur non requiritur determinatè mors, prout est separatio realis animæ à corpore; sed sufficit separatio à sensibilibus. Hoc prælibatum est expressum in D. Thomæ pluribus in locis. Num. 4. dedimus textum ex 1. part. citato articulo 11. ubi ad 2. supponit mortem illam, quam in separatione operationis erga sensibilia consistere, diximus. Verba Sanct. Doct. dedimus numer. 12. in quibus pro præsenti materia, & pro perfecta intelligentia eorum, quæ num. 4. dicta sunt, considerari debet illud: *Aliquorum in hac carne viventium, sed non sensibus carnis utentium.* Vbi utraque illa mors liquidò exprimitur.

Sed expressiùs loquutus est Ang. Doct. in quæst. 13. de verit. articul. 4. ubi ait: *Ad 2. dicendum, quòd vivere dicitur dupliciter. Vno modo ipsum esse viventis, quod relinquitur ex hoc, quòd anima unitur corpori, ut forma. Alio modo ponitur vivere pro operatione vitæ. Et sic distinguit Philosophus in 2. de anima vivere per intelligere, & sentire, & alias animæ operationes & similiter, cùm mors sit privatio vitæ,*

oportet, quòd similitèr distinguatur: ita quòd quandoquè designet privationem illius unionis, qua anima corpori unitur, ut forma; aliquandò verò privationem operum vitæ. Vndè Augustinus 12. *de Genes. ad litteram, ab hac vita inquit quisque moritur quodammodò; sive omninò exiens de corpore, sive aversus, & alienatus à carnalibus sensibus. Et sic accipitur mori in glosis inductis.* Est igitur nostrum hoc prælibatum doctrina expressissima Div. Thomæ.

17. Supponendum est secundò cum eodem Ang. Doct. tum super cap. 6. allegatum ex 1. Timoth. Tum, & præsertim in 4. d. 49. quæst. 2. art. 1. ad 1. quòd possumus excogitare triplex genus visionis in nobis erga Deum. Prima visio est corporalis. Secunda comprehensiva. Tertia quidditativa, & clara, quæ bipartitur in transeuntem, & permanentem. Inter quas visiones hoc interest. Quòd visio corporalis, & comprehensiva Dei in nobis est ab intrinseco implicatoria. Repugnat enim omninò, Deum ab oculo corporeo videri, aut à mente creata comprehendi. Visio quidditativa permanens est partim impossibilis, & partim possibilis. Est impossibilis purè viatori, quin præcedat separatio realis animæ à corpore: qua separatione præeunte, possibilis est ea visio, de facto que datur in beatis. Similitèr visio quidditativa transiens est possibilis purè viatori, quin anima ipsius realitèr separetur à corpore, impossibilis tamen, si non præcedat mors operationis sensitivæ, seu alienatio à sensibus, prout latè differuimus disp. 17. quæst. 3. Hæc doctrina quoad omnia desumpta est ex D. Thom. locis adductis, & ex N. Myst. Doctore lib. 2. Ascens. cap. 8. & 24. eos si tibi placet, vide: nobis quippè sat fuerit, doctrinam eorum obtulisse, & ubi ab ipsis traditur, insinuasse.

18. Ex his ergo ad factum argumentum respondemus, quòd si de visione corporali, ut comprehensiva sermo sit. Verissimum est, quòd Deum *nullus hominum vidit, nec videre potest.* Sic enim æque invisibilis est, ac immortalis. Vndè sicut in natura propriæ nequit mori; sic nec aliquo ex illis modis videri. Si autem sermo sit de visione quidditativa permanenti: sic nullus purè viator *Deum vidit unquàm*, ut ait Div. Ioan. Evang. *aut nullus hominum vidit, nec videre potest.* Sic enim æquè invisibilis est, ac immortalis. Est quippè prorsùs impossibilis huiuscemodi visio, quin præcedat realis separatio animæ à corpore; eo quòd *non videbit me homo, & vivet.* Si denique sermo sit de visione quidditativa transeunti non dabitur huiusmodi visio sine morte animæ à sensibus, & sensibilibus: quandoquidèm *non videbit me homo* (etiam transeuntèr) *& vivet* operatione sensitiva. Vita enim, quæ in operatione sensitiva consistit existente, *Deum nullus hominum vidit, nec videre potest*, sic quippè æquè invisibilis est, ac immortalis. Ast si hæc mors præcedat, etiam si separatio realis animæ à corpore non adsit, potest Deus videri transeuntèr ab homine viatore, uti ostendunt ea, quibus assertum probavimus.

19. Arguitur secundò. Implicat quòd viator sit simùl beatus: ergo & quòd Deum clarè videat. Consequentia bona est: quia Deum videns beatus est; nostra siquidèm beatitudo in Dei visione consistit. Antecedens autem probatur. Viator tendit ad terminum, & beatus quiescit in termino: sed implicat, quòd idem sit in termino, & simùl in terminum moveatur: ergo.

Respondetur distinguendo antecedens: *Beatus* simplicitèr, concedo: secundumquid, nego antecedens. Solutio patet ex dictis. Viator, qui elevatur ad transeuntem visionem Dei, est absdubio beatus secundumquid, & tantùm secundumquid est in termino, quòd non implicat in eo, qui simplicitèr in terminum movetur. Daretur tamen implicatio, si in termino simplicitèr quiesceret, & ad eundem simplicitèr moveretur.

Di-

20. Dices: Vt quis ſit ſimplicitèr beatus nihil aliud requiritur, niſi actus gloriæ, & dos gloriæ: ſed qui Deum clarè videt, habet actum gloriæ, ut ſupponitur, & dotem gloriæ, quæ eſt principium illius actus: ergo eſt ſimplicitèr beatus.

Reſpondetur diſtinguendo maiorem: *Actus, & dos* permanentèr, concedo: tranſeuntèr nego maiorem. Solutio ex dictis nota eſt. Actus gloriæ, & dos gloriæ, ſi permanentèr habeantur, faciunt habentem ſimplicitèr beatum: ſi verò tranſeuntèr habeantur, illum faciunt beatum ſecundumquid. Ab eo, de quo loquimur, tantummodò habentur tranſeuntèr: eòque non eſt beatus ſimplicitèr.

21. Replicabis: De conceptu eſſentiali beatitudinis eſt permanentia, ſeu perpetuitas: ſed viſio Dei eſt noſtra beatitudo: ergo viſio Dei dicit perpetuitatem. Ergo eſt ſimplicitèr beatus illam habens. ¶ Ad hæc: Habens in anima gloriam redundantem in corpus eſt ſimplicitèr beatus: ſic eſt quicunque Deum videt: ergo.

Reſpondetur ad replicam data ſolutione. Eſt quippè perpetuitas de conceptu beatitudinis permanentis, non autem de conceptu beatitudinis tranſeuntis. Ad additamentum ſimilitèr dicendum eſt, maiorem eſſe veram; minor tamen falſa eſt de eo, qui Deum tranſeuntèr videt: huius ſiquidèm gloria animæ non redundat in corpus. Omnia hæc deſumpta ſunt ex D. Thom. quæſt. 13. de verit. art. 2.

22. Arguitur tertiò. Si viator poſſet clarè Deum videre, hoc alicui conceſſum fuiſſet; nec aliud præſumendum videtur de divina liberalitate: ſed hactenùs nullus hanc facialem contemplationem habuit: ergo non eſt poſsibilis homini purè viatori.

Hoc argumentum duplicitèr ſolvendum eſt. Primùm negando ſequelam. Neque enim ex poſsibilitate huius contemplationis, deducendum eſt, ipſam aliquibus fuiſſe reipſa impertitam. Sicut nec ex eo, quòd tres Perſonæ Divinæ queant naturam Angelicam aſſumere, inferendum eſt, talem aſſumptionem celebratam fuiſſe. Nec hoc in aliquo derogat liberalitati divinæ, quæ tot vijs nobis manifeſta eſt. Solvitur ſecundò argumentum concedendo ſequelam, & negando minorem. Vt autem oſtendamus aliquibus illam contemplationem intuitivam communicatam eſſe exurgat.

****
*****
***

QVÆSTIO TERTIA.

VTRVM ALIQVIBVS VIATORIBVS, & quibus conceſſa fuerit contemplatio facialis Dei?

NVlla aptiori via poſſumus demonſtrare, an viſio clara Dei conceſſa aliquibus ſuperſtitibus ſit? Quàm oſtendendo, qui ſint illi, de quibus nobis conſtat, hoc privilegio claruiſſe. De pluribus plures hoc aſſerunt, pro ſua devotione, & affectu hoc irregulariſsimum decus veluti diſtribuentes. Alij è contra adeò parcè in hac materia procedunt, ut nulli, vel ſoli Virgini Sacratiſsimæ conceſſum fuiſſe, autument. Noſtrum iudicium ſequentes §§. declarabunt.

§. I.

§. I.

De Beatiſsima Virgine, eiuſque dulciſsimo Sponſo.

QVos Deus coniunxit, ego ſeparare non audeo. Ordo hypoſtaticus omnibus ordinibus præſtat: quocircà ab eo incipimus. Ad illum ſpectat Divina Trinitas Perſonarum IESVS, MARIA, IOSEPH: IESVS, & MARIA intrinſecè, ac ſimplicitèr; IOSEPH verò extrinſecè, ut rectè docet P. Suarez. De IESV nihil nobis dicendum, quia non fuit purè viator, de quo nobis ſermo eſt. Reſtat ergo, ut illum inſtituamus de Cælorum Regina, & meo Sanctiſsimo Patriarcha.

23. Qua in re dicimus primò, eſſe valdè probabile, ac pium, Beatiſsimam Virginem apud nos degentem Deum clarè vidiſſe. Sic ſentiunt communiſsimè Sancti PP. ac DD. In huius comprobationem non offerimus diſcurſus metaphyſicos, aut textus ex aliqua regula fidei, quibus abſdubio deſtituimur: rem quippè ſolummodò piam, ac probabilem proponimus. Cæterùm mihi certiſsima eſt ob motiva, quibus nititur. Hæc ſunt Sanctorum authoritates & Theologorum conſenſus. Atque ita ſentit Div. Cyprian. ſerm. de Nativit. ubi ait: *Vndè & Matri plenitudo gratiæ debebatur, & Virgini abundantior gloria, quæ carnis, & mentis integritate inſignis ſpirituali, & corporali intùs, & extra Chriſti præſentia fruebatur.* Vbi notandum eſt, Virginem Beatiſsimam dici Chriſti præſentiâ *intus*, & *extra* decoram. Hoc eſt intuitam eſſe Chriſtum quà hominem, & quà Deum: quà hominem converſatione permanenti, & quà Deum contemplatione tranſeunti.

Clariſſimè loquitur Hugo Victor apud Pint. de Concept. Anthologia 7. §. 6. num. 484. *Ad hanc ergo*, inquit, *contemplationis lucem mens MARIÆ ſublevata fuerat, quæ cæleſtis patriæ dulcedinem in verbis ſuis tam mirabiliter expreſsit, quàm ineffabiliter comprehendit; nam, cùm ſe Dominum magnificare perhibuit, venerandam illam, reverendamque univerſis æterni numinis maieſtatem contueri ſe manifeſtè declaravit. Cùm verò ſe in ſuo ſalutari exultare aſſeruit, guſtum ſe internæ dulcedinis percepiſſe, oſtendit.* Quibus Beatiſsimam Virginem Deum intuitivè videſſe, & beatitudinis gaudia indè ſibi comparaſſe, ex verbis ipſius Virginis colligit.

Idem docet P. Damian. Homil. 1. de Nativit. Virgin. per hæc verba: *Conſidera, quia ipſa eſt, quæ in contemplativæ dignitatis ſupervecta dulcedinem, in ipſius ſubſtantiam lucidiores fixit obtutus.* Quo reſpexit Euſebius Gallican. Homil. de Aſſumpt. dicens: *Ipſa eum non ſolùm ſecundùm humanitatem: verumetiàm ſecundùm divinitatem, contemplari, & plus omnibus cognoſcere meruit.*

D. Antonin. 4. part. titul. 15. capit. 17. §. 1. inquit: *Fortè in ipſo conceptu, vel partu illi datum eſt ad horam, ut videret myſterium huiuſmodi, ut in patria, ſicut Paulus vidit Deum in raptu.* Innumeras authoritates hoc idem ſuadentes prætereo, & ex Sacris Expoſitoribus Vnum Rupertum adduco, qui lib. 3. in Cantic. ſic ait: *Sanctiſsimam Virg. raptam eſſe in tertium cælum, & vidiſſe arcana myſteria, quæ non licèt homini loqui, perfectiùs, & excellentiùs, quàm Paulum.*

24. Si ad Theologos deveniamus eandem ſententiam tenet Sapientiſsimus, ac in hoc puncto ſcrupuloſiſsimus, Mag. Zumel 1. part. quæſt. 12. artic. 11. diſp. unica. concluſ. 2. Suarez 3. part. quæſt. 37. art. 4. diſput. 19. ſect. 4. referens D. Bernardum, D. Albertum, Dionyſium Richel. Gerſonem, Vbertinum, D. Thomam à Villanova, Medinam, & alios. Tenet etiam Mag. Ferre 1. part. quæſt. 14. §. 4. pro eadem ſententia allegans D. Hieronym. D. Bonavent. addit que, quòd eſt ita commune hoc inter Theologos, *ut vix ſine*

nota temeritatis posit dici oppositum. Solet que hoc assertum indè probari, quòd privilegium gratiæ alicui Sanctorum concessum potiori iure Sanctis. Virg- intelligitur communicatum. Vndè cum D. Paulo, & Moysi concessum sit, quòd in carne mortali viventes Deum viderint, ut infra videbimus; hoc ipsum non debemus Virgini Sanctissimæ denegare.

Hac congruentia solet assertio nostra suaderi: quam pro qualitate materiæ sufficientissimam iudicamus. Illa tamen ostendit, quod priùs monebamus, videlicèt, nos in præsenti textu alicuius ex fidei regulis, aut ratione convincenti, destitutos esse: quandoquidèm ad congruentiam recurrimus, & talis conditionis, ut assumatur ad assertionem suadendam id ipsum, quod mòx probaturi sumus; nec est apud omnes certum; cùm plurimi, ijque gravissimi Theologi, & aliquot è Sanctis PP. negent, Moysen, & Paulum Deum viventes in carne mortali vidisse. Vndè congruentiam propositam dupliciter intelligendam esse, censemus. Primò absolutè. Secundò facta suppositione, quòd alicui viatori concessa interdùm fuerit visio beatifica. Primo modo non multum roboris habet; sed tunc recurrendum est ad Theologorum frequentissimũ consensum, à quibus sine temeritatis nota recedere, non valemus, ut aiebat Ferre: Si fortè Theologi illa congruentia absolutè acceptà ducti sint. Secundo modo sumptà congruentià, urgentissimus est discursus factus, iamque ad superiorem certitudinis clasem elevatus probat urgentissimè, Virginem Beatissimam Deum quandoquè vidisse: non est quippè suspicandum, Deum hanc gratiam Virgini Deiparæ denegasse, & ipsam alijs contulisse.

25. Verumenimverò adhùc secundo modo accepta non omnibus placet illa congruentia: causantur que quia principium in ea assumptum tenet in ijs, quæ spectant ad propriam perfectionem, & sanctitatem, ex quibus, quæ per alios dispersa sunt, in unum colecta tenet purissima Virgo. Non tamen tenet in ijs, quæ gratis conceduntur, & ad utilitatem aliorum ordinantur: hæc quippè conferuntur his, qui aliorum Magistri sunt, quales in sententia D. Thom. fuere Moyses relatè ad Iudaismum, & respectu Gentilismi D. Paulus. Sanctissima Virgo, fœmina cùm esset, magisterium non exercuit; undè nec illi concessa fuit hæc gratia gratis data videndi in hac vita Deum.

Hoc autem, ad quod nonnulli recurrunt, est valdè ruinosum, & facillimè convincitur falsitatis. Nam in primis falsum est, quòd visio beatifica, etiam transeuntèr concessa, non sit gratia gratum faciens. Etenim, ut supra dicebamus, gratia gratum faciens ea est, cuius præcipuum munus est propriam habentis utilitatem respicere. Quod in visione beata certum est, reperiri: quandoquidèm videns Deum, pro eo tempore, quo ipsum videt, est summè unitus ei: in quo tota nostra felicitas sita est. Et hoc unum sufficiebat, ut diceretur gratia gratum faciens, cuius est, habentem cum ultimo suo fine copulare: ad differentiam gratiæ gratis datæ, cuius est, esse medium, ut alij suum ultimum finem consequantur. Præterquàm quòd transacta illa visione, remanent in anima, & eius memoria, species, quibus ad fervidissimum Dei amorem, & solicitum virtutum exercitium excitetur, qui semèl, & raptim Deum vidit. Quæ evidentèr suadent, ipsam Dei visionem ad gratiam gratum facientem spectare.

Sed age, & demus sic sentientibus, visionem beatificam transeuntèr concessam fore gratiam gratis datam, nec alijs præterquam Magistris aliorum impertiri. Eoipso collatam fuisse Virgini Sanctissimæ indè liquet, quòd ipsa fuit, & est sapientia, quæ habitat in consilio, & eruditis intereſt cogitationibus. Ipsa fuit, & est Stella maris, cuius lucem, qui fidelitèr observat, securus cantat inter huius mundi maris tempestuosi procellas, nostræ ruinæ,

quan-

quantum ad ipſas attinet, cauſatrices. Ipſa denique, ut unico verbo rem abſolvam, fuit ipſorum Apoſtolorum, qui totius mundi Magiſtri fuere, Magiſtra. Sic enim & appellatur à Sanctis, & ab omnibus admittitur. Et hoc magiſterium exercuit præcipuè poſt mirabilem Aſcenſionem eius Sanctiſsimi Filij, ac Domini noſtri Ieſu Chriſti. Si ergo rationi conſentaneum fuit, quòd D. Paulus, eo quòd in gentium Magiſtrum deputabatur, Deum intuitivè contemplaretur: Cur hanc gratiam non conceſſam ſine hæſitatione affirmabimus ipſius D. Pauli Magiſtræ illuminatiſsimæ? Si Div. Paulus fuit hac gratia decorus, quia *vas electionis*: potiùs hanc ipſam gratiam contemplor in MARIA, quæ fuit *vas Divinitatis*: Sic eam appellat D. Bernardin. tom. 4. ſerm. 36. part. 3. dicens: *Virginem pluſquam Paulum raptam uſque tertium cælum, quia ſi eſſent tot Pauli, quot creaturæ, non attingerent eius contemplari: nam Paulus fuit vas electionis, MARIA fuit vas Divinitatis.* Si deniquè iuxta dictamen D. Thomæ, de quo poſtea, improbabile eſt, Div. Paulum Deum non vidiſſe, ex ſuppoſitione quod illum viderit Moyſes: etiam improbabiliſsimum erit, quòd ipſum non viderit MARIA, ex ſuppoſitione quòd ipſum viderint Moyſes, & Paulus.

26. Sciſcitaberis: Si Virgo Beatiſſima Deum clarè vidit, ſic que omnium, etiam Apoſtolorum Magiſtra evaſit, ſicut Iudæorum Moyſes, & Paulus Gentilium; cur Apoſtoli illam non vocaverunt ad Concilium Hieroſolimitanum, ut quæſtionem ſolveret cum contentione ſuſcitatam circa ceſſationem legalium?

Reſpondent aliqui: ipſam Virginem Sacratiſsimam iam tunc temporis obiiſſe. Hoc tamen tanquàm falſum communitèr reſpuitur. Vndè dicendum eſt, & ſupponendum, quòd eo tempore adhùc ſuperſtes erat. Rupertus verò lib. 1. in Cantic. circa medium docet: Virginem Sanctiſsimam concilio illi interfuiſſe, excitatam que litem ſua doctrina, ac magiſterio ſedaſſe.

Non arridet Eximio Suarez dictum Ruperti, tum: quia in Scriptura non legitur. Tum: quia non eſt conſentaneum ijs, quæ in Actibus Apoſtolorum narrantur. Tum deniquè: quia ſexui fœmineo hoc interdictum erat, nec conſtat Sanctiſsimam Virginem diſpenſationem aliquam habuiſſe. Maximè, quia tunc indicabatur forma ſervanda in futuris concilijs; & oſtendebatur Eccleſiæ modus ab ipſa obſervandus in definiendis fidei quæſtionibus. Vndè congruum non fuit, Virginem Sanctiſsimam concilio interfuiſſe: *Quamquàm fieri potuerit, ut Apoſtoli privatim Virginem conſuluerint, & ab illa fuerint inſtructi.*

Hæc contra Rupertum Suarez, contra quem nolumus in præſenti diſputare; quia nobis obeſſe haùd poteſt, quòd Sanctiſsima Virgo interfuiſſet, vel non interfuiſſet concilio. Sed tamen quæ P. Suarez obiicit, aerea reputamus. Vndè dicimus, quòd Cælorum Regina ex viſione clara Dei Magiſtra Apoſtolorum evaſit, ita ut ab ipſis vel privatim conſuleretur, ut in dirimendis controverſijs inſtruerentur ab illa: vel ab illis vocata fuiſſet ad concilium, ut illi adfuiſſet, imò & præfuiſſet. Contra hoc non refert, quòd de hoc nihil in ſcriptura legatur, in qua etiam non legitur, quòd Deipara Deum viderit; & tamen ipſum vidiſſe, nobiſcum tenet Suarez. Quòd ſi mulieribus interdictum eſt publicum Magiſterium: etiam de mulieribus, ac de omnibus ſuperſtitibus dictum eſt. *Deum nemo vidit unquàm, ſed nec videre poteſt.* Et tamen nobiſcum Suarez docet, ipſam Sanctiſsimam in carne mortali Deum vidiſſe. Si ergo in hac generaliſsima lege cum hac Divina fœmina diſpenſatum eſt, ut quid illa alia interdictione catenabimur?

Quòd tunc temporis indicabatur forma futurorum conciliorum, fatemur. Sed etiam probè ſciebant Apoſtoli, non

eſſe

esse aliam Deigenitricem mòx futuram, aut illam, quam tunc in terris venerabantur, sempèr in Militante Ecclesia habitaturam. Quòd si illa superstes foret, peream, si ad concilia non vocaretur, & ab ipso Ecclesiæ capite non consuleretur. Ad quod enim visibile oraculum potiùs recurreret Summus Pontifex, quàm ad Sacrarium Spiritus Sancti, & Templum totius Sanctissimæ Trinitatis? Vndè meritò laudatus D. Antonin. inquit: *MARIA Doctorum Doctrix, & Apostolorum illuminatrix, & Magistra.* Et V. Beda in quadam Homil. non minùs propriè, quàm elegantèr dixit: *Apostoli ad ipsam Virginem, tanquàm ad arcam sapientiæ, recurrebant, & ipsam de omnibus dubijs interrogabant; omnia enim quæ de Domino, & à Domino dicta, vel acta cognoverat, Mater Virgo in corde retinebat, & solicitè cuncta memoriæ commendabat, ut cum tempus prædicandæ, vel scribendæ Incarnationis eius adveniret sufficientèr universa, prout essent gesta, quærentibus explicare posset.* Hoc de MARIA relatè ad omnes Apostolos, & Apostolorum Principis dicitur. Vide, si modò Principis Apostolorum Successor idem faceret. Vndè nihil crediderim, habuisse Apostolos, quod caverent, ut Virginem Sanctissimam ad suum concilium advocarent.

Quod verò hoc consentaneum non sit narrationi libri Actuum Apostolorum, ait Pat. Suarez; contrarius tamen est Insignis Iesuita Canisius lib. 5. de Virgine cap. 1. propè finem §. *Quid* Vbi non solum docet, quòd nihil est in illo libro, quòd huic Virginis assistentiæ adversetur, verumetiam dicit, quòd illi concilio præfuit, quod nos priùs dicebamus. Verba ipsius sunt: *Quid quòd Melanchthon*, in 2. part. Chronicorum, & in locis communibus Manlij, palam pronuntiat, MARIAM fuisse, quæ post Ascensionem Domini suis concilijs rexit Apostolos, & primum illum credentium cœtum. Hoc si verum est, ut sanè videtur consentaneum, non tam interfuit, quàm præfuit privatis, & publicis conventibus, in quibus tempore illo difficillimo maximis de fidei negotijs Apostoli, alij que Seniores subindè consultarunt, atque definierunt. Quod ut minus mirum esse videatur, eruditus Author Rupertus lib. 1. in Cant. perspicuè tradit, cùm ad primum concilium Hierosolymis celebrandum Apostoli convenissent, nec MARIAM suo muneri defuisse, quam non modò Magistram Magistrorum, idest Apostolorum, sed etiam fidei, & religionis Magistram appellat. Nec quia Actor. 15. Vbi facta seditione propter cæremonias Iudaicas convenerunt Apostoli, & Seniores videre de hoc verbo, nullam tui mentionem Scriptura fecit; idcircò putandum est, quòd conventus ille te omiserit, & Sanctum de tuo pectore, de tuo ore, spiritum non consuluerit. Immò & illis, & in cæteris agendis, tu Princeps omnem solvisti quæstionem; quia tu es sola Virgo, *quæ universam hæreticam pravitatem interemisti.*

27. Hæc gravissimus iste Doctor, quibus & obiecta à P. Suarez dispelluntur, & propositæ interrogationi respondetur. Habet tamen resolutio nostra principalis còntra se ea omnia, quibus generalitèr ex Sacra Scriptura probatur, nullum superstitem Deum videsse. Hæc autem iam evacuavimus quæst. præced. ubi illos textus loqui diximus de lege ordinaria. Vide, quæ scripta à nobis sunt num. 18.

28. Adhùc tamen obijci contra illam specialitèr potest, quòd D. Athanasius serm. de Virgin. Sanctis. negat, ipsam in die Incarnationis vidisse Verbum, & Incarnationis Mysterium, prout in se est. Hoc verò nobis non obest, qui adhùc non determinavimus, sed nec determinare possumus, quandò Deipara Sacratissima ad huiusmodi contemplationem intuitivam assumpta fuerit. Vndè negans illam in die Incarnationis non negat ipsam in instanti Conceptionis Dominæ nostræ, aut quandò nobis edidit Salvatorem, aut in die Resurrectionis

nis. In quibus diebus, non excluso Incarnationis die, communitèr dicitur, ipsam sanctissimam contemplatione intuitiva Dei fuisse decoratam. Sed res est omninò incerta, quoad determinationem temporis, uti prudentèr observavere, cum quibus sentimus, Suarez, & Ferre. Et hæc de Virgine Sacratissima.

29. Tanquam Sponsus procedens de thalamo suo occurrit nobis post Sanctissimam Sponsam meus Patriarcha D. IOSEPH Sanctissimus & ipse. De hoc ergo viro verè mirabili dicimus; quòd in terris habitans Deum interdùm facilitèr contemplatus est. In hoc asserto comprobando nihil immorabimur; sed solummodò afferemus Authores, qui in ea sententia sunt, à quibus accipiendum est fundamentum. Itaque hanc sententiam tenet Petrus Morales in Matth. cap. 1. lib. 1. tract. 1. num. 14. ubi illam probat ex D. Bernardo Homil. 2. super *missus est*. Et ex Isolano 2. part. cap. ultim. Tenet etiam V. N. Gratianus lib. 3. de Excellentijs Sanctissim. IOSEPH. cap. 5. num. 9. Vbi in huius comprobationem tanquam fundamentum adducit quædam verba dicta Sanctæ Birgitæ à Beatissima Virgine. Eandem sententiam fusiùs docet Hieronym. Perez de Nueros tract. 1. sect. 26. per totam, in qua ea principia tradit, ex quibus assertum suadere nititur. Videantur illi Authores, & allegati ab ipsis.

Nos autem ex duplici principio deducimus, Sanctissimum Patriarcham hoc privilegio claruisse. Primum est illud, quod pro Beatissima Virgine expendimus, quodquidèm & eius dulcissimo Sponso queit proportionabilitèr applicari. Sinamque incredibile, & improbabile reputatur, Beatissimam Virginem non fuisse hac gratia decoram, ex quo supponatur, Moysen, & Paulum illam habuisse. Ita, proportione debita, debemus, hanc ipsam gratiam in Sanctissimo IOSEPH recognoscere, ex quo facta supponatur alijs, propter maiorem propinquitatem ad Christum huiusmodi gratiæ largitorem, propter dignitatem Sponsi Deigenitricis, qua supra cæteros eminebat, & quia, ut supra diximus, ad ordinem hypostaticum spectabat. Hoc que discursu moventur dati Authores, ut nostram sententiam tueantur.

Secundum principium altius, nec adeò usitatum est. Credimus namque cedere in SS. Virginis perfectionem, quòd SS. eius Sponsus hac immunitate fulgeret. Non nihil perfectionis B. Virgini veluti deesset, si eius SS. Sponsus Deum superstes non vidisset. Pluribus probari hoc poterat ex iure veri matrimonij petitis. Ea tamen omnia prætereo, ut interim dicam: quòd Soror D. Gregorij Nacianzeni longè inferioris charitatis erga Deum fuit, & pietatis in proprium maritum, quàm B. Virgo. Et tamen de illa refert suus S. Frater orat. 11. de Gorgonia, quòd ultrà gratias sibi à Deo collatas, aliam summoperè cupiebat, & assiduè flagitabat, videlicèt, *ut maritus quoque perficeretur: ut sic tota corpore consecraretur, ac non dimidia tantùm ex parte initiata discederet ipsius que aliquid imperfectum relinqueretur*. Vt vera Sponsa existimavit Gorgonia, marito imperfecto, ipsam non esse perfectam. Perfectionem desiderabat, quàm, ut perfectè consequeretur, mariti perfectionem precata est, & obtinuit; sic que completè perfecta evasit. Idem desiderium contemplor in B. Virgine, ut dulcissimus Sponsus eius torrente voluptatis Dei facilitèr contemplati potaretur. Quod desiderium impletum vidisse credimus, & hoc est quod affirmamus.

****

****

§. II.

An Adam in ſtatu innocentiæ, & SS. Patriarcha Parens N. Elias, Moyſes, & Div. Paulus Deum viderint?

30. VTrumque noſtrum primum Parentem in hoc §. coniungimus. Adamum, qui noſtri generis primus Parens eſt, & Magnum Eliam, qui primus Parens eſt Monaſtici noſtri Inſtituti. De utroque dupliciter loqui poſſumus: quia Adamum poſſumus conſiderare, vel quatenus ad ſtatum iuſtitiæ origineæ pertinebat, vel quatenùs irregularem gratiam recipiebat, qua elevaretur ad videndum Deum, ut quando Deus miſsit ſoporem in ipſum. Similitèr SS. Elias conſiderari poteſt, vel ante, vel poſt raptum in paradiſum. De omnibus tamen dicemus; pauciſsima tamen; quia res non aliud poſtulat.

Dicendum eſt primò. Quòd Adam ratione ſtatus originalis iuſtitiæ Deum non vidit. Concluſio hæc certiſsima eſt, illam que expreſsè docet Div. Thomas 1. part. quæſt. 94. art. 1. & alibi. Probatur ratione eiuſdem Ang. Præceptoris. Etenim Adam, ut ploramus, quotquot ab illo ſumus, peccavit: ergo Deum non vidit. Probatur conſequentia. Quia viſio clara Dei voluntatem neceſsitat: ergo videns Deum peccare non poteſt. Vndè, ſi Adam Deum ratione ſui ſtatus videret, nec in illo ſtatu peccaret, nec moreretur, nec viator foret. Quæ planè abſurda ſunt, & contra fidem.

31. Dicendum eſt ſecundò. Adamum numquàm ex privilegio ſpeciali Deum vidiſſe, dum viator fuit. Hæc concluſio ita certa non eſt, ac præcedens. Illa tamen communiſsimè edocetur à PP. & Theologis, paucos ſi excipias. Et probatur. Si namque Deum aliquandò vidiſſet, maximè, quando Deus miſsit in illum ſoporem: Tunc Deum non vidit: ergo numquàm. Probatur minor primò: quia ſic docet D. Thomas quæſt. 18. de verit. art. 1. ubi ait: *Ad 14. dicendum, quòd ſi intelligamus talem extaſim Adæ fuiſſe, qualis fuit raptus Pauli, tunc dicemus: quòd illa viſio erat ſupra modum communem viſionis, qui ei tunc competebat. Sed quia non expreſsè habetur, quòd in illo ſopore Deum per eſſentiam viderit, poſſumus dicere, quòd in illa extaſi elevatus fuit non ad ipſam Dei eſſentiam videndam ſed ad cognoſcenda quædam profundiora de Divinis Myſterijs, quæ ſecundùm communem modum humanæ cognitionis tunc ſibi competebant.* Vbi clariſsimè docet S. Doctor, non adeſſe fundamentum, ut extaſis Adæ aſsimiletur raptui D. Pauli, qui in illo Deum intuitivè contemplatus eſt.

Probatur ſecundò illa minor ex dictis numero præcedenti. Etenim vix raptus tranſierat, & iam Adam annuens mulieri, deliquerat. In quo nullam repugnantiam invenio: etiam ſi Deum clarè vidiſſet: quippè tranſactæ viſione, poterat abſdubio peccare: non tamen veriſimile apparet, inquit, & rectè Magiſter Ferre de viſ. quæſt. 14. §. 3. num. 1066. quòd ſi Deum vidiſſet, non ſibi comparaſſet ex ijs, quæ viderat, ſpecies, quibus præoccupatus per aliquod tempus, contemneret mulieris ſuaſionem. Eventus ergo ipſe deſignavit, ipſum in ſuo illo raptu minimè Deum vidiſſe. Videatur allegatus Ferre, & etiam ſupra adductus Zumel, qui incredibile reputat, quòd Adam vidiſſet in ſuo ſopore Deum, eodem motivo ductus, quod modò expreſsimus, cui tantùm detulit, ut concludat: *Et ita abſque temeritate dici non poteſt iſta ſententia.*

32. Videndum tamen nobis eſt, quo modo expediri debeant aliquæ maximæ notæ authoritates, quæ contradicta opponi ſolent. Prima eſt Magiſtri in principio 4. lib. ſent. ubi ait: Adamum vidiſſe Deum *ſine medio*: ergo clarè: Medium enim eſt, quod impedit nobis, ut Deum facilitèr videamus. Et

hæc authoritas eſt contra primam concluſionem. ¶ Contra ſecundam ſtat Divus Bernardus ſerm. 2. Septuageſ. dicens : Adam in raptu obdormiſſe *intuitu incommutabilis veritatis.* Et Divus Auguſtinus lib. 9. de Geneſ. ad litteram cap. ultimo, ubi ait: Adam in ſopore illo curiæ Angelorum interfuiſſe. Quibus Bergomenſis in tabula aurea verbo *Adam* addit D. Thomam 1. part. quæſt. 94. artic. 1. & 2. de verit. quæſt. 18. art. 1. ad 13. & 14. Et art. 5. in fine corporis. Et ad 2. veluti dicentem: *Non inconvenit, Adam vidiſſe divinam eſſentiam ſupernaturaliter.*

His tamen non obſtantibus, ſententia à nobis propoſita tenenda eſt. Et uthoritati Magiſtri reſpondemus, illam hac diſtinctione explicantes. *Sine medio* argumentationis, concedo: abſolutè, nego antecedens. Solutio eſt D. Thomæ in 2. diſt. 23. quæſt. 8. art. 1. ad 1. ubi ait: quòd cognitio Dei poteſt haberi à nobis, vel per effectum nobis à Deo infuſum, vel per ſpecies deſumptas à rebus, & medijs illis per cognitionem creaturarum deveniendo in cognitionem Creatoris. Vtraque cognitio medium habet: aſt ſecunda habet medium collativum, venativum, & argumentativum: quocircà eſt minùs perfecta, quàm prima, cuius medium eſt purè intellectuale. Hoc que medio utebatur Adam in ſtatu innocentiæ. Videatur allegatus modò Div. Thomas, qui Angelicam doctrinam tradit, quà hæc plenè percipiuntur.

Authoritatem D. Bernardi, prout iacet, admittimus. Eſt quippè contemplatio virtuoſa, *ſimplex intuitus incommutabilis, ſeu divinæ veritatis,* prout ſuo loco dictum eſt. Vndè ſenſus D. Bernardi eſt, quòd in illo ſopore habuit Adam contemplationem altiſsimam, in qua profundiſsima myſteria, & oracula abditiſsima ſibi revelata ſunt, extra verbum tamen: nec aliud ex iis D. Bernardi verbis colligere licet. Eodem modo interpretandus venit D. Auguſtinus: loquitur enim de contemplatione, quæ eſt per inſpirationem internam, & non per creaturarum cognitionem, ſed per intelligibiles effectus, quos eminenti contemplatione percipiebat ex irradiatione divinæ veritatis. Vndè Angelicus Doctor ſic D. Auguſtinum exponit quæſt. 13. de veritat. artic. 2. ad 9. ubi ait: *Et ſic fuit extaſis Adæ, ut dicitur Geneſ. 2. in Gloſ. quæ extaſis rectè intelligitur ad hoc immiſſa, ut mens Adæ particeps Angelicæ curiæ, & intrans in Sanctuarium Dei, noviſsimè intelligeret.* Hoc ipſum docuit D. Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 1. ubi inquit: *In paradiſo quippè aſſueverat homo verbis Dei perfrui, & beatorum Angelorum ſpiritibus cordis munditia, & celſitudini viſionis intereſſe.* Hæc autem omnia ſignant altiſsimam, infuſam contemplationem; non tamen viſionem claram.

Ad illud, quod ex Div. Thoma ait Bergomenſis, dicimus, quòd ne aliquis minùs cautus in illis verbis offendat, diſtinctione opus eſt. Nam ſi dictum illud ſolùm ſignificet, quòd Adam in ſtatu innocentiæ potuit elevari ad viſionem claram Dei, ſicut & alij homines viatores poſſunt, concedendum eſt. Sic & à D. Thoma traditur, & nobis non opponitur; res enim eſt de ſe liquidò manifeſta. Si verò dictum illud ſignificet, Adamum in ſuo ſopore, aut aliàs Deum vidiſſe, falſum eſt: nec tale dictum apud D. Thomam reperies, ut aſſatim oſtendit textus, quem ex ipſo dedimus num. præcedenti.

33. Iam verò ſermo noſter convertitur ad inſignem Protoparentem N. Eliam, de quo ſunt, qui dicant, videre eſſentiam Divinam, ex quo raptus eſt in paradiſum, ut tom. 2. diſp. 5. quæſt. 5. num. 114. diximus. Sic tenent Procopius Gaz. in Geneſ. Auguſtinus Eugubin. in recognitionibus veteris teſtamenti ad caput 2. Gen. & Catherin. opuſc. de conſummat. gloria Chriſti. Eidem opinioni favere videntur D. Hieronymus ad Pamachium dicens: *Eliam*

frui

frui divino consortio, & cibo cælesti. Quod de solis Beatis dici posse videtur. Et D. Epiphanius hæres. 64. ubi ferè idem dicit.

Ast quia talem opinionem loco citato explosimus, dicimus cum D. Augustino lib. 9. de Gen. cap. 6. *Neque enim arbitrandum est, Eliam vel sic esse iam, sicut erunt Sancti. Vel sic quemadmodùm sunt homines, qui ex ista vita nondùm migrarunt. Iam itaque aliquid melius habet, quam vis nondùm habeat quod ex hac vita rectè gesta in finem habiturus sit.* His ostenditur magnum Thesbitem adhùc non esse beatum: esse tamen in statu adeò felici, & eminenti, *ut soli Deo vivat, soli vacet intelligendo, diligendo, fruendo*, ut scribit D. Bernardus serm. 6. de Ascens. Domini.

34. Cæterùm quamquàm dictam opinionem reiiciamus, ex allatis tamen movemur ad suspicandum Mag. Eliam in paradiso interdùm divina visione frui. Hoc suapte natura exprimit phrasis illa D. Hieronymi: *Frui divino consortio*, & illa D. Bernardi: *Intelligendo, diligendo, fruendo.* Quandoquidèm Deo, eiusque *Divino consortio* frui proprium Beatorum est. Vndè cùm ex una parte Parens noster Elias non videat Deum permanentèr: & ex alia Sanctos adductos in vero, ac proprio sensu loquutos intelligere debeamus: eorum dicta sic interpretor, ut adstruant, Eliam Deo, ac *divino consortio* interdùm frui. Sic enim & dictum D. Augustini salvatur, & alij Sancti in sensu proprio accipiuntur. Et hoc opinabile reputat historia prophetica lib. 1. cap. 28.

35. Præcipuum quod explorare debemus de N. Patriarcha in præsenti controversia est, an Deum quandoquè viderit ante raptum? Et huic quæsito affirmativè respondemus cum N. Mystico Directorio de via illuminat. tract. 3. disput. 4. sect. 5. num. 298. & alijs plurimis è Nostratibus. Nec hoc sufficeret nobis ad propositam assertionem, si alij ex extraneis hoc ipsum non docerent. Docet quidèm inter alios Doctus Camartus de rebus Eliæ, quam opinionem Extaticus Nost. Doctor D. Joannes à Cruce non improbat, sed potiùs eam esse dicit aliquorum Theologorum in suo Cant. Cant. 14. in explicatione ultimi vers. ubi ait: *Iudicant aliqui Theologi, N. Parentem Eliam vidisse Deum in sibilo auræ tenuis, à se percepto in Monte Horeb.* Et mòx loquutus de D. Paulo ad tertium cælum rapto, veluti ex propria sententia ait: *Dicitur Paulus vidisse Deum in raptu, sicut Parens noster Elias in sibilo*: atqui D. Paulus clarè vidit Deum in raptu, ut modò ex D. Augustino, & ex Div. Thoma suppono, est que expressa sententia eiusdem Mystici nostri Doctoris: ergo in eius sententia P. N. D. Elias in sibilo vidit clarè Deum.

Rursùs lib. 4. Ascens. capit. 24. idem Doctor Extaticus conferens visionem Pauli, Moysis, & nostri Eliæ ait: *Hæ autem visiones adeò substantiales, sicut fuit visio Pauli, Moysis, & Eliæ Patris nostri cum faciem pallio operuit in conspectu sibili suavis Dei, raptim, & rarissimè, & ferè numquàm pauciss imis que conferuntur: quia hoc privilegium concedit Deus Proceribus spiritùs Ecclesiæ, legis que Divinæ, quales fuere illi tres, quos memoravimus.* Parumpèr gradum sistè in consideratione huius textus, & fateberis, Parentem Eliam clarè Deum in Horeb vidisse in sententia S. Ioannis à Cruce. Primò, quia comparat eius visionem cum visionibus Moysis, ac D. Pauli, quas fuisse intuitivas in sententia eiusdem S. Doctoris verum est. Secundò: quia loquitur de contemplatione, quæ *raptim, rarissimè, aut ferè nunquàm, pauciss imis que conferatur.* Quæ contemplatio alia non est, nisi intuitiva: aliæ enim illa attributa omnia non habent.

36. Ex dictis habes, non esse entitatis exiguæ fundamentum, quod habemus, ut maximum Eliam vidisse Deum in Monte Horeb asseramus. Quando-

qui-

quidèm invenimus Hieronymum, & Epiphanium num. 23. datos hoc insinuantes. Imò & N. Mystic. Doctorem dicentem, sic opinari aliquos Theologos, & etiam ex propria sententia hoc ipsum affirmare. Ad quod etiam comprobandum non deest haùd invenusta ratio congruentiæ. Etenim iuxta Div. Thomam consentaneum fuit, Moysen, & Paulum, adhùc viventes, Deum vidisse, quia primus fuit Magister Iudæorum: secundus verò Gentilium: atqui hæc congruentia, etiam viget in SS. Elia, qui fuit Doctor, Ductor, Institutor que nostri Monachalis Instituti, fuit que Princeps Religionis, cuius cæleste distinctivum est cælestium contemplatio: ergo consentaneum fuit, ut Deum facilitèr videret, omniumque supremam contemplationem experiretur.

37. De Moyse, ac D. Paulo verissimum est, ipsos clarè Deum in hac mortali vita vidisse iuxta sententiam D. Augustini, D. Thomæ, ac D. Joannis à Cruce, quos innumeri sequuntur. Videatur Ang. Doctor locis citatis ex 1. part. & de verit. Videatur etiam 2. 2. quæst. 175. art. 3. Et 2. ad Corinth. capit. 12. ubi de hoc dissertissimè disputat. Et quia circà hoc dubium alicuius entitatis non est; idcircò hæc sufficere iudicamus. Qui autem plura desiderat videat in fonte testimonia, quæ, ut contrarium suadeat, affert ex Augustino Suarez, & reperiet, mirabitur que, illa esse contra producentem. Adeat etiam ad supra laudatum Zumel, & plura argumenta sententiæ nobis contrariæ nervosè soluta comperiet. Nobis autem, qui occasione cuiusdam argumenti hæc attingimus, dicta sufficiant.

***

DISPVTATIO XXIII.

DE VNIONE FRVITIVA.

VENIMVS AD fruitivam unionem animæ cum suo dilectissimo, quæ est illud suavissimum osculum cui Sponsa amore æstuanti percita inhiabat dicens: *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.* De quo suavissimo osculo melifluus Bernardus sic scribit serm. 3. in Cantic. *Est quippè manna absconditum, & solus qui edit, adhùc esuriet. Est fons signatus, cui non communicat alienus, sed solus, qui bibit adhùc sitiet.* Vnio fruitiva est, in qua consistit eminentissimus animæ status, qui via unitiva dicitur, est que huius viæ felicitas; imò & futuræ: quandoquidèm in unione intima, & fruitiva cum Deo ultimo fine stat felicitas animæ vel consummata in gloria, vel inchoata in via. Quapropter sacratissima hæc unio dicitur via unitiva, *unitiva*, per quod designatur terminus, & *via*, per quod ostenditur, terminum illum non esse ultimatè adeptum, sed initiativè consecutum. Vndè hæc unio, quæ in exilio est via unitiva, in patria iam non erit via, sed terminus perfectus, & unio simplicitèr, & absolutè. Plurima, quæ in antecedentibus dedimus, mysticam hanc unionem supponunt: quandoquidèm ad illam subsequitur seraphica contemplatio, uti ex superioribus liquet. Verùm ne contemplationum ordinem, ac differentias abrum-

abrumperemus, de ipsis usque ad facialem disputavimus : & modò regredimur ad tractandum de unione fruitiva. De qua egimus in Isagoge lib. 1. Syntagm. 4. & ex ibi , & alibi dictis gravissimam , paritèrque utilissimam hanc disputationem, Deo largiente complebimus.

***

QVÆSTIO PRIMA.

AN DETVR VNIO FRVITIVA animæ cum Deo ?

VT meliùs naturam , geniumque huius felicissimæ unionis aperire postmodùm valeamus , incipimus ab hac quæstione , quæ , hoc motivo circumscripto , debuisset , tanquàm notissima , prætermitti.

§. I.

Vera sententia proponitur , & ex multiplici capite suadetur.

1. SIT nostra conclusio affirmativa , quam nemo est, qui , contrarium prudentèr sentiens, impugnet. Dixi *prudentèr* , quia non defuere imprudentes Theologi , qui dicerent, fruitivam unionem, de qua agimus, esse inventum Mysticorum sine Evangelij , aut alterius scripturæ , Patrumve authoritate introductum. Verùm hi Theologi ex illis sunt , de quibus doctus Bancel ait : *Non meretur nomen Theologi, qui ex quolibet actu Theologiæ non excitat se ad maiorem Dei admirationem , simùl & amorem.* Si namque ex quolibet actu Theologiæ, quam profitentur , excitarentur *ad maiorem Dei admirationem , simùl & amorem* , cognoscerent , unionem fruitivam non esse figmentum mysticorum. Vide à nobis dicta tom. 1. disp. 1. quæst. 8. num. 178. Propter hos Theologos , qui in vanum Theologorum nomen sibi arrogant , præsentem quæstionem excitamus , ultrà motivum , quod initio ipsius expressimus. In qua sententia nostra proposita iam est in conclusione, quam probare curabimus ex Sacra Scriptura , ex Patrum testimonijs , & aliquibus discursibus.

2. Probatur ergo primò conclusio ex Sacra Scriptura Genes. cap. 2. vers. 21. dicente : *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam.* In quibus verbis iuxta omnium Patrum sententiam declaratur mens Adæ elevata ad eminentissimam contemplationem , in qua more Angelorum contemplans , ut docet D. Thomas de verit. quæst. 13. artic. 2. ad 9. erat intimè unita ipsi Deo, quem contemplabatur. Et hæc est unio, quam fruitivam dicimus. Est *unio* , quia non posset Adam Deum adeò eminentèr contemplari , quin ei intimè unitus esset. Est *fruitiva* , quia in illa cælestium deliciarum imbre perfundebatur. Hoc tunc expertus est Adam ; & ex hoc liquet dari unionem fruitivam. Nihil enim aliud per unionem fruitivam intelligimus , nisi illam , quam Adam, extasim illam patiens , habuisse dicitur.

3. Probatur secundò assertio ex Cant. lib. quem totum in ipsius comprobationem allegare valemus. Vel à libri Exordio incipit hæc veritas apparere ; ibi enim introducitur Sponsa dicens : *osculetur me osculo oris sui.* Vbi doctus Cornel. ait : *Mystici , & contemplativi per osculum hoc accipiunt summum contemplationis gradum , quo anima priùs diù , multumque in humili-*

militate, oratione, meditatione, patientia, cæteriſque virtutibus exercitata, à Deo elevatur ad immediatam & intimam ſui contemplationem, & unionem, qua fit, ut ipſa iam, nec in virtutibus, nec in conſolationibus Divinis, nec in diſcurſibus, vel phantaſmatibus, nec in ulla re creata, ſed immediatè in ſolo Deo per contemplationem, & amorem conquieſcat, dicat que: in pace in id ipſum dormiam, & requieſcam. Ecce Doctorem non myſticum doctrinam myſticorum circa unionem fruitivam adducentem, approbantem, que, & illam non ſolùm eſſe Myſticorum, ſed etiam Sanctorum PP. aſſerentem verbis, quæ immediatè ſubiungit: *Hæc unio*, ait, *fit per illapſum divinum, ut docet Sanctus Dionyſius, & ex eo Sanctus Bernardus, S. Bonavent. Hugo, Richard. Gerſon, Laurentius Iuſtinianus, Taulerus, Rusbroch. Harphius, Suſo, & ſimiles, qui de Myſtica Theologia ſcripſerunt.* Hic divinus illapſus in animam eſt unio illa, quam fruitivam dicimus. Et hunc illapſum fatentur D. Dionyſius, & alij, ipſumque illapſum recognoſcunt appeti, & peti à Sponſa ijs verbis: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Vndè dato textu probatur reſolutio noſtra.

Cap. 8. verſ. 1. eiuſdem libri petit anima eandem cum ſuo Sponſo unionem fruitivam ſub eodem oſculi nomine hiſce verbis: *Quis mihi det te fratrem meum ſugentem ubera Matris meæ, ut inveniam te foris, & deoſculer te, & iam me nemo deſpiciat.* Videatur Myſticus Noſt. Doctor lib. 2. noctis capit. 23. ubi de contemplatione unitiva ſub oſculi nomine loquutam Sponſam docet. Videatur etiam in Cantico Cant. 24. verſu 2. Inſuper cap. 1. verſ. 15. inquit eadem Sponſa: *Lectulus noſter floridus.* Vbi eodem Seraph. Doctore interprete, loco immediatè allegato, nomine *lecti* unio fruitiva intelligitur; ideòque Sponſam pangentem introducit:

Nueſtro lecho florido,
De cuevas de Leones enlazado,
En purpura teñido,
De paz edificado,
De mil eſcudos de oro coronado.

Plura alia in eodem libro continentur, quibus hæc eadem veritas declaratur. Illa tamen prætermittimus, quia dicta ſufficiunt ad comprobandam aſſertam veritatem.

4. Quam etiam docet Iſaias pluribus in locis, & præſertim cap. 58. verſ. 10. ab ijs verbis: *Orietur in tenebris lux tua*, uſque ad illa: *Et ſubſtollam te ſuper altitudines terræ, & cibabo te hereditate Iacob.* Quem textum ad noſtrum intentum exponit Seraph. noſter Doct. in Cant. in declarat. prævia ad Cant. 34.

5. Denique quia illi Theologi, apud quos malè audit unio fruitiva, quam Myſtici docent, ſpeciatim nominant Evangelium, in quo, dicunt, talis unionis mentionem non fieri: idcircò, innumeris prætermiſsis ex alijs ſacris libris, imò & pluribus ex ipſo Evangelio, audiendus ſolummodò eſt Chriſtus Dominus apud D. Ioannem cap. 14. qui poſtquam dixerat: *Rogo, Pater, ut unum ſint, ſicut ego, & tu unum ſumus.* Subiunxit: *In illo die vos cognoſcetis, quia ego ſum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.* In quibus verbis ſcire oportet, ſermonem non eſſe de ſtatu gloriæ, ſed de præſenti tempore, prout docent D. Chryſoſtomus, & Euthimius, quos refert & ſequitur Toletus in Ioan. annotat. 23. qui etiam rectè docet, Chriſtum loquutum fuiſſe de perfectiſsima cognitione, quam poſt adventum Spiritus Sancti habituri erant Apoſtoli de Trinitatis Myſterio, videlicèt, qualitèr Filius ſit in Patre, & Pater in Filio: & ſimilitèr qualitèr Filius, & tota Trinitas ſit in eis, & ipſi in Trinitate, non per unionem ſubſtantialem, ſed per intimam amoris unionem, de qua loquimur. Qua amoris unione Deum perfec-

tiſ-

tissimè contemplaturi erant Apostoli, & quasi tactu spirituali percepturi.

Placet audire D. Thomam textum propositum sic exponentem : *In illa die post resurrectionem meam cognoscetis, quia ego sum in Patre, & hoc cognitione fidei : quia tunc videntes eum resurrexisse, & esse cum eis, certissimam fidem de eo habuerunt præcipuè qui acceperunt Spiritum Sanctum, qui omnia eos docebat::: sed quid cognoscent? Duo, quæ dicit supra. Vnum scilicèt, quòd Pater in me manens ipse facit opera. Et quantum ad hoc dicit : quia ego sum in Patre meo, scilicèt per consubstantialitatem naturæ. Aliud &c. Et quantum ad hoc dicit, & vos in me, & ego in vobis. Vbi attendendum est, quòd quia hìc Dominus videtur similem habitudinem ponere sui ad Patrem, & discipulorum ad ipsum : volebant Arriani, quòd sicut discipuli sunt minores Christo & non consubstantiales ei, ita esset Filius minor Patre, & alterius substantiæ ab ipso. Et ideò dicendum est, quòd hoc, quod dicit, ego sum in Patre meo, dicitur per consubstantialitatem naturæ::: Hoc autem quod dicit, & vos in me, intelligitur::: Vos in me, & ego in vobis, suple sumus per mutuam dilectionem. Quia hoc dicitur primæ Ioannis 4. Deus charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo. Et hæc vobis ignota erant, sed tamen in illa die* (in qua à mortuis resurgam) *ea cognoscetis.* Hæc D. Thomas de unione fruitiva, seu *per mutuam dilectionem*, quam ab Apostolis cognoscendam post ipsius resurrectionem pollicetur Christus; & tamen post Christi resurrectionem, & prædicationem Apostolorum illi Theologi cognoscere renuunt.

6. Nostram resolutionem suadere promisimus non solùm ex Sacra Scriptura, sed etiam ex Sanctis Patribus, quorum iam plura testimonia dedimus, in expositione textuum, quos attulimus, alia, pauca quidèm, subiiciemus. Et in primis Princeps Mysticæ Theologiæ D. Dionysius clarissimè loquitur de hac materia locis ad aliud intentum multotiès ponderatis. Lib. de Div. Nomin. cap. 7. inquit : *Est iterùm divinissima Dei cognitio, in qua ipse cognoscitur per ignorantiam, quandò scilicèt mens ab omnibus intellectualibus, & intelligibilibus recedens, & tandèm se ipsam excedens, unitur radijs æternæ sapientiæ.* Vbi ab intima unione cum Deo divinissimam ipsius Dei cognitionem procedere, docet. Rursùs. cap. 1. Mystic. Theologiæ ait : *Adhùc restat principalior Dei cognitio, qua mens intrat in caliginem ignorantiæ, & unitur incomprehensibilitati divinæ:::: Et per eam omnis unitus Deo, qui est super omnia, constituitur in excellentia quadam, quam neque ratio investigat, nec intellectus speculatur, & ab omnibus, & quasi à se ipso segregatur, & per unionem dilectionis, quæ effectiva est veræ cognitionis, unitur Deo intellectualitèr ignoto cognitione multò meliori, quàm sit cognitio intellectualis, in eo quòd intellectualem cognitionem derelinquit, & super intellectum, & mentem Deum cognoscit.* Præterea eodem libro de Mystic. Theolog. Timotheum ad perfectionem instruens scribit : *Ignotè consurge ad eius unitionem, qui est super omnem substantiam, & cognitionem.*

7. Aug. Præcept. hanc ipsam veritatem docet plurimis in locis. In 3. d. 27. quæst. 1. artic. 1. ad 4. ait : *Ex hoc enim quòd amor transformat amantem in amatum, facit amantem intrare ad interiora amati, & è contrà, ut nihil amati amanti remaneat non unitum, sicùt forma pervenit ad intima formati.* Insuper opusc. 61. amoris scalam declarans perveniens ad gradum octavum, qui est *stringere indissolubilitèr* ait : *Omnia præcendentia fieri possunt in distantia : verùm hìc primùm est coniunctio amantis cum amato.* Quandoquidèm, ut ibi docet Sanctus Doct. *In præcedentibus*

gradibus anima amat, & amatur: quærit, & quæritur: vocat, & vocatur. In hoc autem gradu quodam miro, & indicibili modo rapit, & rapitur: tenet, & tenetur: ſtringit, & ſtringitur, & una uni per amoris copulam ſociatur. Et poſtmodùm de hac copula dicit, quòd *omnem artem, & facultatem tranſcendens copulat animam Deo, creaturam Creatori, finitum infinito: ſemper congruè, ſemper verè, ſemper benè.*

Alijs eiuſdem Sancti Doctoris uti nolumus, & quia dicta rem comprobant, & quia adhùc audiendus in ſubſequentibus eſt. Obquod etiam non adducimus aliorum Sanctorum textus, in quibus noſtram fruitivam unionem dari docent. Videri tamen debet Seraphica N. Doctrix Manſ. 5. cap. 1. & Manſ. 7. capit. 1. ubi hoc ipſum docet. Repete, quæ diſput. antecedenti numer. 43. ſcripſimus. De noſtro Exatico Doctore ambigendum non eſt, ipſum ubique hanc ipſam unionem nomine unionis docere. Sufficiat referre, quod in ſuo Cantico Cant. 13. verſ. 1. tradit: *Ab hac felici die*, inquit, *non habet anima impetus vehementes, & amoris querelas, quibus priùs torquebatur. Bonis autem, quæ retuli, venuſta frui incipit pace, delicijs, & amoris ſuavitate. Et ſui dilecti cognoſcens magnalia, quibus media unione ſponſalitij gaudet, iam non in impetus, & amaritudines explicatur, ſicut antea; ſed in dulcedine, ac ſuavitate amoris, quem participat, conquieſcit.*

8. Probatur deindè concluſio à ratione ſic primò. Anima queit conſequi in hac vita ſuam felicitatem inchoatam: ergo queit uniri ſuo ultimo fini. Ergo datur unio fruitiva. Antecedens liquet: quia idipſum quod poteſt anima perfectè conſequi poſt hanc vitam, idipſum in hac vita conſequitur inchoatè. Prima conſequentia indè conſtat, quòd perfectio cuiuſcunque rei, ac ſubindè perfectio, ſeu felicitas animæ conſiſtit in unione ad ſuum ultimum finem. Hinc-que patet ſecunda conſequentia: quia nihil aliud per unionem fruitivam intelligimus, niſi coniunctionem animæ cum ſuo fine ultimo, ſive perfectam in futuro, ſive inchoatam in præſenti.

Confirmatur. Datur via unitiva: ergo & fruitiva unio. Antecedens eſt certum, conſtat que ex D. Thom. 2. 2. quæſt. 24. art. 9. Et ex unanimi conſenſu Doctorum viam ſpiritus dividentium in purgativam, illuminativam, & unitivam, prout diximus in Iſagoge lib. 1. à num. 25. Conſequentia autem probatur. Quia nomine unionis fruitivæ viam unitivam intelligunt Myſtici, vel quia unio eſt ipſa via unitiva, aut, & melius, quia via unitiva eſt, in qua exercetur unio. Videndus eſt N. Thomas à Ieſu de orat. ſuperm. lib. 4. cap. 1. cuius titulus eſt: *Quid nomine unionis, ſive viæ unitivæ intelligatur?*

9. Probatur tandèm aſſertio. Anima contemplativa flagrat Dei amore: ergo ei unita eſt. Antecedens eſt per ſe notum. Et conſequentia probatur ex D. Thom. 1. 2. quæſt. 28. art. 1. ubi ait: *Amor facit unionem, vel effectivè movens ad deſiderandum, & amandum præſentiam amati, quaſi ſibi convenientis. vel formaliter, ut amor amicitiæ, qui eſt talis unio, vel nexus.* Hoc ipſum docet Div. Auguſtinus lib. 8. de Trinit. dicens: *Amor eſt quaſi iunctura quædam duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem ſcilicet, & quod amatur.* Vbi edocemur, amorem duplicis unionis cauſam eſſe earum una affectiva eſt, & alia realis. Affectivam cauſat ut *copulans*; realem verò ut *copulare appetens.* Ex hoc enim quòd effectivè moveat ad deſiderandum præſentiam Dilecti, habet, quòd dum iſte præſens eſt, ſit realis unio cum ipſo. Et ex utroque capite habet, quòd ſit unio. Ex primò, quòd ſit unio affectiva, & ex ſecundò, realis. Quò reſpexit David Pſalm. 41. dicens: *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus, Sitivit anima mea ad Deum for-*

fortem, vivum. Et hæc eſt unio affectus, quam amor effectivè cauſat. Subjungit autem: *quandò veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Ei ſcilicèt præſenti unitus; & hæc eſt unio realis, de qua Sanct. Auguſtinus, lib. 5. confeſ. cap. 5. ait: *Quis mihi dabit, ut venias in cor meum, & inebries illud, ut obliviſcar mala mea, & unum bonum meum amplectar te? Noli abſcondere faciem tuam; moriar, ne moriar, ut eam videam.*

§. II.

Argumenta.

10. ALiqui Theologi, quos, ſuppreſſo nomine, refert laudatus noſter Thomas contrarij ſunt. Et quia nos non tam eorum fundamenta diruere, quàm eorum poſitionem deſtruere per contrariam aſſertionem curavimus; idcircò & modò, quæ in illam opponi poſſunt, adducimus, ut ſic veritas illius perfectiùs ſtabiliatur. Arguitur ergo primò. Si hæc unio daretur, vel ab amore cauſaretur, vel conſiſteret in amore: ſed amor nec eſt, nec cauſat unionem: ergo hæc unio non datur. Maior liquet ex numero præcedenti, & minor probatur; Quia iuxta D. Dionyſium capit. 7. cælestis Hierarch. amor eſt actus, fervidus, liquefactivus, & Extaticus: ſed quod has proprietates habet, nec eſt, nec cauſat unionem: ergo. Probatur minor. Quia acutum cauſat diviſionem penetrando, fervidum per exhalationem reſolvitur, liquefactivum cauſat liquefactionem, quæ diviſionem ſonat, oppoſitam congelationi, in qua unio maximè viget, ac denique extaſim patiens extra ſe ipſum ponitur: ergo.

Confirmatur. Amor magis ſalvatur in diſſimilitudine, quàm in ſimilitudine: ergo nec eſt unio, nec unitivus. Conſequentia eſt prorsùs legitima, & antecedens probatur experientia, videmus enim, quòd artifices unius artis frequentiùs rixantur inter ſe, quàm cum aliarum artium artificibus: ergo.

Reſpondetur argumento negando minorem, ad cuius probationem negetur etiam minor. Et ad illius probationem dicas; amorem, etiam in ſententia D. Dionyſij, & eſſe, & cauſare unionem. In unione autem, quam cauſat, multiplex diviſio intervenit: quippè amor ipſe ex eo, quod unitivus eſt, diviſionem cauſat. Dividit, quatenùs acutus eſt; quia acuti eſt, intima penetrare dividendo. Et ideò amor, qui amantem facit penetrare uſque ad intima amati, & amatum uſque ad intima amantis; ita ut nihil ſit in amato non amatum ab amante, nec in hoc ab illo non redamatum; cauſat diviſionem, ut ſic queant amans, & amatum reciprocè penetrari, ac totaliter uniri. Vndè illa diviſio eſt medium, quo amoris finis, qui unio eſt, obtinetur. Et à fine dicitur unio, ſeu unitivus; non à medio diviſio, ſeu diviſivus.

Hanc diviſionem penetrationis præcedit neceſſariò alia diviſio: quia ut aliquis in alterum transformetur, debet à ſe ipſo ſeparari, & in amatum tendere: quod eſt à ſe exire, & recedere. Et ob hanc diviſionem, quam cauſat amor, dicitur extaticus, & fervidus; *quia quod fervet, extra ſe bullit, ſeu exhalatur,* ait D. Thom. in 3. d. 27. quæſt. 1. art. 1. Ac deniquè quia nihil à ſe recedit, niſi ſoluto eo, per quod intra proprios terminos continebatur: idcircò amor dicitur liquefacere cor, quia liquidum non continetur intra proprios terminos. Ex quibus conſtat, quòd amor ſit liquefactivus, fervidus, extaticus, & acutus: quæ omnia diviſionem dicunt: quia verò eſt diviſio ad unionem tendens; propterea ab unione dicitur unitivus, ut illum ipſe Dionyſius appellat. lib. 4. de Divin. Nomin.

Ad confirmationem, quæ iam alibi occurrit, diſtinguatur antecedens, *magis ſalvatur*, per accidens, concedatur: per ſe, negetur antecedens. Radix amoris per ſe loquendo eſt ſimili-

tudo inter amantem, & amatum. Per accidens tamen contingit, quòd similitudo amorem rescindat, ut apparet in exemplo appositò artificum eiusdem artis, qui rixari adinvicem solent, quia unus impedit lucrum alterius. Hoc tamen per accidens, & adventitium est. Videatur adductus D. Thom. à quo hæc omnia desumimus.

11. Arguitur secundò, & potest esse replica. Si amor esset unio, vel illam causaret inter amantem, & amatum, ubicunquè datur amor, daretur, & unio: sed non datur unio amantis ad amatum, ubicunquè datur amor: ergo hic non est, nec causat unionem. Cætera liquent, & minor probatur primò. Incipientes, & proficientes Deum certè amant, & quandoquè fervidissimè: & tamen uniti Deo non sunt; secùs enim Perfecti forent, & ad viam unitivam spectarent: ergo. ¶ Probatur secundò ipsa minor. Anima, ex quo incipit ascendere amoris scalam, de qua supra citato libro tertio egimus, amat Deum: sed usque ad gradum octavum ipsius scalæ, qui est *stringere indissolubiliter*, non unitur Deo: ergo hæc unio nec est amor, nec causatur ab amore. Illatio bona est, & minor probatur eadem authoritate D. Thomæ, quam supra dedimus: *Omnia præcedentia*, inquit, *fieri possunt in distantia: verùm hic primùm* (ideſt in gradu octavo) *est coniunctio amantis cum amato.* Maior autem liquet. Tum: quia tota illa scala est amoris; undè in quocunque gradu est amor, verèque amat, qui in illo constitutus est. Tum etiam: quia ex septem præcedentibus gradibus primus est *Languere utiliter*, quem languorem esse amoris effectum, patet ex dictis num. præced. Et ex confessione illius, quæ fervido amore rapta dixit: *Adiuro vos, filiæ Hierusalem, si inveneritis Dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo.* Cantic. cap. 5. Et ex illo ipsius: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Secundus gradus est *quærere incessanter*, tertius *operari indesinenter*, quartus *sustinere infatigabiliter*, quintus *appetere impatienter*, sextus *currere velociter*, septimus denique *audere vehementer.* In quibus omnibus dari verum, fervidissimumque amorem, quis negabit?

Respondetur distinguendo maiorem: *datur amor* perfectus, concedo: imperfectus, & impellens ad unionis desiderium, nego maiorem, & hac distinctione resolvatur totum argumentum. Itaque amor, ut ex dictis liquet, duplicitèr unit amantem cum amato. Primò effectivè, quatenus amantem movet, ut appetat amatum: & hic non datur unio, nisi affectiva, quam causat amor, qui adhùc perfectus non est. Vndè verificatur amor, sed non perfectus: & paritèr verificatur unio affectiva, sed non formalis, & realis, quæ amati præsentiam dicit, & consistit in amore perfecto, de quo ait D. Thom. 1. 2. quæst. 28. art. 2. *Amans non est contentus superficiali apprehensione amati, sed nititur singula quæ ad amatum pertinent, intrinsecus disquirere, & sic ad interiora eius ingreditur.* Et per hoc patet solutio ad totum argumentum.

12. Arguitur tertiò. Vnio fruitiva, quam ponimus inter animam, & Deum, supponit animam fruentem Deo: sed usque ad futuram vitam anima Deo non fruitur: ergo usque ad vitam futuram non datur unio fruitiva. Probatur minor primò. In fruitione Dei stat animæ beatitudo: usque ad futuram vitam anima non consequitur beatitudinem: ergo nec Deo fruitur. ¶ Probatur secundò. Non potest idem Deo frui, & ipsum simùl desiderare; primum enim supponit Deum præsentem, & secundùm absentem supponit: sed anima in hac vita Deum habere desiderat: ergo eo non fruitur.

Respondetur distinguendo maiorem, *fruentem* fruitione viæ, concedo: patriæ, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, negetur consequentia.

tia. Ad primam probationem minoris diſtinguo maiorem, quæ vera eſt de fruitione patriæ, & beatitudine perfecta, & etiam de fruitione viæ, & beatitudine inchoata: non autem de fruitione patriæ, & beatitudine inchoata; aut de fruitione viæ, & perfecta beatitudine. Itaque anima fruitur Deo & imperfectè, ſeu fruitione viæ; & perfectè, ſeu fruitione patriæ. Vnicuique fruitioni correſpondet ſua beatitudo: ita ut perfectæ correſpondeat perfecta, & imperfectæ correſpondeat inchoata. Prima ſecum non admittit rei, qua fruitur, deſiderium: quod ſecum ſecunda admittit; immò ex ipſa imperfecta fruitione accenditur deſiderium fruendi Deo perfectè, habendi que perfectam beatitudinem. Per quod patet ad ſecundam probationem.

Solutio eſt D. Thom. 1. 2. quæſt. 69. art. 2. quod etiam luculentiſsimè edocetur à D. Bonav. proceſ. 7. Relig. capit. 15. ubi ait: *Hæc eſt homini in hac vita* ſublimior perfectio, ita uniri Deo, ut tota anima cum omnibus potentijs ſuis, & viribus in Deum collecta, unus ſpiritus fiat cum eo, ut nihil meminerit niſi Deum, nihil ſentiat, & intelligat niſi Deum, & omnes affectus in amoris gaudio uniti in ſola conditoris fruitione ſuavitèr quieſcant. Imago enim Dei in anima in his tribus potentijs expreſſa conſiſtit, videlicèt, in ratione, memoria, & voluntate: & quandiù iſtæ non ſunt ex toto impreſſæ, non eſt anima Deiformis. Forma enim animæ Deus eſt, cui debet imprimi ſicut ſigillo ſignatum. Hæc nunquàm plena eſt, niſi cum ratio perfectè iuxta capacitatem ſuam illuminatur ad cognitionem Dei, qui eſt ſumma veritas, & voluntas perfectè afficitur ad amandum ſummum bonum, & memoria plenè abſorbetur ad intuendam, & fovendam, & tenendam ſummam felicitatem: & quia in horum conſummata adeptione conſtat gloria beatitudinis, quæ perficietur in patria, licèt, quòd iſtorum perfecta inchoatio *eſt perfectio viæ in hac vita.* Hactenùs Seraphicus Doctor doctrinam datam confirmans, egregio que magiſterio procedens.

13. Arguitur ultimò. Si daretur unio fruitiva, vel permaneret in anima, vel citò tranſiret: neutrum poteſt dici: ergo non datur. Minor pro prima parte nempè, quòd non ſit habitualitèr in anima, probatur: quia talis unio, ut dictum eſt, eſt animæ beatitudo inchoata: ergo eſt actus. Ergo non eſt habitualitèr in anima. Prima conſequentia continet doctrinam D. Thomæ 1. 2. quæſt. 3. art. 2. à nobis pluribus in locis admiſſam. Secunda conſequentia indè liquet, quòd ſola beatitudo patriæ, eſt, quæ non interrupta perſeverat. ¶ Quoad ſecundam partem, ſcilicèt, quòd ſi daretur illa unio, deberet perſeverare, probatur ipſa minor. Vnio illa conſtitueret ſtatum Perfectorum, qui ab illa dicerentur uniti: ergo perſeveraret. Patet iſta: quia ſtatus firmitatem dicit, ut alibi ex D. Thom. vidimus: ac inſupèr non datur denominatum ſine forma denominante: ergo nequiret dicta unio conſtituere ſtatum Perfectorum, nec illos habitualitèr unitos denominare, ſi tranſiret.

Confirmatur. Si daretur hæc unio, vel eſſet eadem cum illa, cuius naturam, & genium oſtendimus diſput. 19. quæſt. 8. per totam; vel diverſa? Si primum: ergo in tota hac quæſtione actum egimus. Et inſupèr poſtquam determinavimus, in quo ea unio conſiſtat, modò eiuſdem poſsibilitatem exploravimus: quod ingens abſurdum eſſe, quis non videat? Si ſecundùm: ergo talis unio non datur. Patet: quia unio fruitiva diverſa ab unione ibi explicata non eſt imaginabilis.

****

****
****
*****
***
*

§. III.

§. III.

Occaſione huius argumenti explicatur in quo conſiſtat unio fruitiva.

14. FActum argumentum cum ſua confirmatione compellunt nos, ut de quidditate unionis fruitivæ differamus. Quod ut expeditiùs exequamur, inſpiciendum maximè eſt, unionem fruitivam formalitèr, ac præciſivè ſumptam attinere ad voluntatem. Omnes quippè facultates rationales unibiles Deo ſunt, in huncque ſcopum collimat totus Aſcetarum labor, videlicèt, ut rationales facultates idoneas reddant, ut Deo uniantur. Quòd verò unio ſit fruitiva, eſt proprijſsimum voluntatis: eo quòd fruitio eſt voluntatis actus: quod tametſi ab aliquibus negetur, qui illam eſſe actum intellectus autumant; habent tamen iſti contra ſe rationem, & D. Thomam 1. 2. quæſt. 11. art. 1. de quo videri poteſt Monteſin. ſuper illum articulum. Eſt ergo fruitio actus proprius voluntatis, ſicut gaudium, & delectatio. Vndè unio fruitiva formalitèr, & præciſivè conſiderata, ad nullam aliam facultatem, præterquàm ad voluntatem ſpectat.

Hoc ipſum ſuadet genium huius ſacratiſsimæ unionis: illa enim in id tendit, ut Dei præſentis, intimèque animæ uniti delitias experiatur, ac deguſtet. Guſtare quippè eſt actus proprius guſtùs. Vndè ſicut guſtabile materiale guſtu corporeo percipitur; ſic guſtabile ſpirituale guſtu ſpirituali deguſtatur. Guſtus ſpiritualis voluntas eſt: ad illam igitur ſpectat Dei animæ coniuncti ſuavitates guſtare.

15. Multiplicitèr Deus animæ coniungitur, ſeu illabitur. Primò per eſſentiam, ſicque ratione ſuæ immenſitatis omnibus adeſt; ita ut perirent, ſi abeſſet. Secundò illabitur in animas Beatorum: quod tametſi nonnulli Theologi negent, nullum alium illapſum in patria agnoſcentes præter illum, qui, media gratia iuſtificante, in via datur. Veriùs tamen Ven. N. Thomas à Ieſu, & NN. Salmant. tract. 9. diſp. 1. numer. 12. talem illapſum concedunt: non quo Deus illapſus novam gratiam iuſtificantem conferat; ſed quo gratiam præexiſtentem roborat imprimens intrinſecum novum modum, vi cuius gratia illa conſummatur, fitque inamiſsibilis, ac potens, vt ab ipſa lumen gloriæ, viſio que beatifica oriantur, prout in tractatibus de gratia, & charitate dici ſolet. Tertiò unitur naturæ creatæ per modum ſubſiſtentiæ, ſeu hypoſtaticè. Sicque unitus fuit Sanctiſsimæ humanitati Chriſti Domini. Quartò in animas Iuſtorum viatorum illabitur per gratiam, virtutesque infuſas, ac dona.

His modis illabi Deum dicimus; & nullus ex ijs illapſibus nobis prodeſſe queit. Non primus, quia generaliſsimus, & etiam inanimatis conveniens, in quæ ratione ſuæ immenſitatis Deus illabitur. Non tertius, quia particulariſsimus, & ſolummodò in Chriſto Domino inventus. Non ſecundus, quia in Beatis ſolummodò reperitur, noſter autem ſermo de viatoribus eſt. Non deniquè ultimus, quia communis eſt omnibus iuſtis viatoribus, qui non omnes Perfecti ſunt.

16. Vndè explorandum nobis eſt, an detur alius modus, quo Deus illabi dicatur, valeatque nos conducere ad expeditionem difficultatis, quam præmanibus habemus. Quod conſequi haùd infelicitèr ſperamus, ſi ea, quæ de Beatis diximus, attentè conſideremus. Illabitur Deus in Beatorum animas, non quia novam eis gratiam infundat, ſed quia præexiſtentem roborat, ut conſummata ſit, & ab ipſa prout ſic conſummata, dimanet lumen gloriæ facialis contemplationis origo. Sic Myſtæ, ac Theologi, præter illos, quos paulò ante ſine nomine excluſimus. Et hoc pari modo philoſophandum eſt, ſe habere Deum cum viatoribus Perfectis, in quos illabi dicimus, non quia illis con-

ſe-

ferat novam gratiam, ſed quia præexiſtentem fulcit novo modo, vi cuius gratia præexiſtens redditur *perfecta*, ſicut in Beatis *conſummata*. Et ex illa oriuntur non virtutes novæ, ſed præcedentes iam ad gradum virtutum heroicarum ſublimatæ. Oritur etiam contemplatio non iam ex viſibilibus procedens, nec per ſpecies à phantaſmatibus deſumptas, ſed per ſpecies infuſas, & talis contemplatio, qualis in præcedentibus deſcripta eſt, & in præſenti deſcrivimus.

Dari autem hunc ſpecialem illapſum Dei in animas Perfectorum, indè conſtat, quòd in die Pentecoſtes Spiritus Sanctus hoc modo illapſus eſt in Apoſtolos, qui *repleti ſunt omnes Spiritu Sancto*. Act. capit. 2. Nec intelligas in illa die Spiritum Sanctum datum fuiſſe Apoſtolis ſolummodò in donorum, & chariſmatum communicatione: advenit quippè tunc Divinus Spiritus de novo per ſuam eſſentiam, & præſentiam Apoſtolis iuxta plurium SS. Patrum dictamen. Ex quibus Div. Gregor. Nazianc. orat. 44. de Pentecoſte, ubi poſtquàm dixerat, Spiritum Sanctum datum fuiſſe Apoſtolis ante Domini noſtri Paſsionem, poſt ipſius Reſurrectionem, & in die Pentecoſtes, ſubiungit: *Verùm obſcuriùs primùm in eis efficax erat: ſecundò expreſsiùs: nunc verò pleniùs; ut potè qui non iam actu* (hoc eſt effectu) *præſens ſit, vt priùs; ſed eſſentia, ut ſic loquar, adſit, ſimùlque verſetur.* Expreſsiùs autem loquutus eſt Div. Auguſtinus ſerm. 185. de tempor. dicens: *Ergo Spiritus Sanctus in hac die ad præparanda Apoſtolorum ſuorum corda, velut imber ſanctificationis illapſus eſt, non iam viſitator ſubitus, ſed perpetuus conſolator, & cohabitator æternus. Nam ſicut de ſemetipſo Matthæi 28. Apoſtolis ſuis dixerat: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi, ita etiam de Spiritu Sancto Paraclitum, inquit, dabit vobis Pater, qui vobiſcum ſit in æternum. Adfuit ergo in hac die fidelibus ſuis, non iam per gratiam iuſtificationis, ſed per ipſam præſentiam maieſtatis: atque in vaſe non tam odor balſami, ſed ipſa ſubſtantia ſacri defluxit unguenti.*

Non potuit nobis clariùs, pulchriùsve oſtendi, Spiritum Sanctum illapſum in Apoſtolos fuiſſe, & talem illapſum fuiſſe per ſui præſentiam, & non iam per chariſmatum infuſionem. Simili modo illabi Deum dicimus in animas Perfectorum. Quod probat & data Apoſtolorum paritas, & omnia ea, quibus §. 1. probavimus, dari unionem fruitivam animæ cum Deo: ea enim non ſolùm de Apoſtolis loquuntur, ſed de omnibus Perfectis, qui congruè dicere queunt: *oſculetur me oſculo oris ſui*, quod interdùm conſequuntur.

18. Hunc tamen illapſum impugnare videtur, quòd Deus ratione ſuæ immenſitatis eſt in omnibus rebus, ob quod graviſsimi Theologi negant, ipſum illabi in Beatorum animas; quod ſi verum foret, à fortiori illapſus ille ſpecialis in animas viatorum improbaretur. Sed adhùc ratio hæc magis urget contra ſpecialem illum viatorum illapſum, qui eos nec à ſtatu viæ extrahit, nec ipſos ad faciale Dei contemplationem elevat.

Sed certè hac via incaſum impugnatur illapſus ſpecialis, quem explicuimus; quod ſine olei diſpendio cognoſcet, qui conſideret, illam illorum Theologorum opinionem à nobis admiſſam non eſſe. Quæ etiam poſſet facilitèr falſitatis convinci, ſi opus eſſet. Duo autem diſsimulare non poſſumus. Primum ſit. Quod illapſus ille, quo eſt Deus per eſſentiam ratione immenſitatis in omnibus rebus, eſt illapſus naturalis, Deo ut Authori naturali conveniens, à quo, prout ſic, provenire nequit viſio beatifica, quæ ſupernaturaliſsima eſt, nec contemplatio infuſa, quæ eſt paritèr ſupernaturalis. Secundum ſit. Quod etiam.

etiamsi Deus omnibus rebus præsens sit ratione immensitatis, concedunt illi Theologi, ipsum illabi in animas iustorum media gratia sanctificante: ergo, nisi inconsequentèr, negari non potest illapsus supernaturalis Dei in animas Beatorum, ac Perfectorum.

19. Supposito ergo illapsu Dei in animas Perfectorum, necessariò fatendum est, ipsum illabi in Perfectorum voluntates, illas in ratione summi boni sibi copulans, & in ipsorum intellectus, quos ad eam celsitudinem elevat, qua possint illum altissimè contemplari: ad hoc enim dirigitur illapsus iste, ut eo mediante voluntas fervidissimè diligat, tenerrimè que osculetur, & osculet Sponsum suum dilectissimum, experiatur que, aut pascatur gustu ineffabili cælestium deliciarum, quas ex reciproco isto osculo, intimùlque amplexu suavissimo lucratur. In quo, ut dictum supra est, stat unio fruitiva, de qua loquimur, si cum omni præcisione sumatur. Parique modo intellectus, vi illapsùs Dei in ipsum, assurgat in contemplationem divinissimam, qua Deum, ut à voluntate degustatum, attingit. Primum horum illapsuum concedit planè noster laudatus Thomas capit. 11. §. *Ille verò allapsus Dei* &c. Alium autem, hoc est illapsum in intellectum Perfectorum, ibidèm negat: ea ratione ductus, quòd si Deus in mentem illaberetur eo perfectionis modo, quo in voluntatem illabi, dictum est, nequiret intellectus non videre Deum, sibi adeò præsentem. Vndè licèt Deus voluntati Perfectorum illabatur, non illabitur, eorundem intellectui: quamquàm iste tunc luce mirabili illustratus eliciat altissimam contemplationem. Hæc Theologus ille verè sapiens.

20. In eius tamen doctrinæ impugnatione nolumus occupari; quia nobis sat sit, quòd Deus tempore unionis fruitivæ mentem adeò irregularitèr illustret, ut habeamus, ipsum Deum specialitèr tunc animæ unitum, unientemque sibi voluntatem, cui illabi concedit, & intellectum, media illa mirabili illustratione, qua sibi eum devincit. Aliundè autem remur, Deum etiam illabi intellectibus Perfectorum, sicut & ipsorum voluntati. Nec urgens motivum videmus, ut Deum sic intellectui illapsum intuitivè videri, concedamus. Vt enim ex dictis liquet, illapsus iste consistit in eo, quòd Deus, non iam per sua dona, sed per se ipsum in potentias animæ illabatur, ita ut præsens illis sit modo dicto num. 16. Posse autem Deum esse per se ipsum præsentem intellectui, quin ab ipso videatur, indè constat: quòd aliud est Dei præsentia, & aliud ipsius manifestatio. Addit quippè manifestatio supra præsentiam: quandoquidèm potest quis esse præsens illi ipsi, cui occultus est. Christus enim Dominus in Eucharistia nobis præsens est, occultus tamen. Cùm Moyses Deum precabatur: *Ostende mihi faciem tuam*, ipsum præsentissimum habebat, & suis potentijs misericorditèr unitissimum: & tamen non eum habebat facialitèr manifestum. Et absolutè nec umbra contradictionis est in eo, quòd Rex illum mihi honorem conferat, quòd iam mecum non agat medijs suis ministris, sed immediatè per se ipsum; in illo tamen loco constitutus sit, quo eum audiam, aut etiam attingam, neutiquàm tamen videam. Ad hunc ergo modum Deus unione fruitiva animæ copulatus ab ipsa experimentalitèr attingitur: quod voluntatis est. Et simùl altissimè cognoscitur, quin videatur: quod viatorum est.

21. Ex ijs, quæ fusè dicta sunt, tria iam colligere licet. Primum sit. Quod dictus illapsus est prorsùs necessarius, ut unio fruitiva celebretur: ille enim facit Deum præsentem animæ facultatibus, sic que potest esse obiectum proportionatum illarum, elicere que illæ possunt suas operationes, cuique proprias. Vndè sine hoc illapsu nequiret voluntas unione fruitiva Deo copulari; eo quòd hæc unio requirit Deum præsentem, quē voluntas deosculet, & à quo reciprocè

deos-

deosculetur. Quod proportionabilitèr dicendum est de intellectu. Præterquàm quòd contemplatio seraphica causatur ex ipsa unione fruitiva voluntatis, ut supra disput. 19. quæst. 8. dicebamus: quocircà si pro unione fruitiva necessarius est ille illapsus ex parte voluntatis, ipso etiam paritèr indiget intellectus: atque ideò, etiamsi ex parte intellectus non requireretur illapsus: ipse tamen intellectus sempèr debet præsupponere illapsum ex parte voluntatis: sine illo quippè dari nequit seraphica contemplatio.

Observa tamen: quòd dum dicimus: *Intellectus sempèr debet præsupponere illapsum ex parte voluntatis*: ly *sempèr* non omnes illapsus comprehendit, sed solùm illos, medijs quibus Deus infunditur animæ Perfectorum. Ratio est, quia in illapsu, quo iustis infunduntur gratia, virtutes, & dona, per prius decoratur intellectus, quàm voluntas. Quod similitèr evenit in Beatis: priùs enim illabitur Deus in ratione speciei ipsorum mentibus, ut ipsum videant, quàm in ratione summi boni, ut illum ament: vndè illapsus in intellectum non supponit illapsum in voluntatem; quin potiùs præsupponitur. In nostro autem casu è contra res se habet: quia actus intellectus, si sit seraphica contemplatio, debet supponere unionem fruitivam, quæ, ut dictum est, non habetur sine Dei præsentia: eòque ut intellectus seraphicè contempletur, debet supponere illapsum Dei in voluntatem.

Huius valdè mysticæ, & observandæ doctrinæ radix ea est; quòd contemplatio seraphica ex conceptu contemplationis Religiosæ debet procedere ex gustu, & affectuositate mystica, prout suo loco fusissimè ostensum est, quæ haberi nequeunt sine voluntate experiente, ac degustante. Ipsa autem seraphica contemplatio ex conceptu seraphicæ non respicit obiectum quomodocumque à voluntate gustatum, sed ab ipso ut gustatum, attactum que in se ipso: nequit autem Deus in se ipso à voluntate degustari sine dicto illapsu: hinc que provenit necessitas huius illapsus in voluntate, ut intellectus queat seraphicè contemplari. In Beatis autem è contrà res se habet; quia ibi contemplatio non oritur ex amore, sed potiùs amor ex Dei contèplatione intuitiva ortum ducit. Illa siquidèm facialis contemplatio non est mystica: ac subindè non provenit ab experientia voluntatis, nec tendit in Deum, ut degustatum, sed prout est in se, & absolutè, ut diximus disp. 13. num. 83. & 89. cum sequentibus.

22. Est igitur dictus illapsus omninò necessarius, ut intellectus, voluntas que Perfectorum valeant actus sibi correspondentes habere. Quod ultra dicta sequens discursus convincit. Etenim non sufficit illapsus Dei ratione suæ immensitatis in animam iusti, ut queat iste supernaturalitèr contemplari; nec sufficit illapsus Dei in animam ipsius iusti, medià gratiâ viæ, ut possit iste Deum intuitivè videre: ergo nec illapsus illi sufficiunt, ut Perfectus seraphicè contempletur. Ergo datur alius illapsus specialis; quo Deus specialitèr fit præsens potentijs Perfectorum. Secunda consequentia liquet tum, exsetum etiam: quia ideò requiritur novus Dei illapsus pro contemplatione faciali; quia non sufficit ad huius contemplationis elicientiam illapsus ille ratione gratiæ non consummatæ: ergo si hic etiam est insufficiens pro contemplatione Perfectorum, alius assignandus est.

Prima consequentia etiam est legitimè deducta. Ratio enim, proterquàm illapsus illi non sufficiunt pro contemplatione intuitiva, est huius contemplationis eminentia, & celsitudo status, ad quem spectat. Vndè cùm contemplatio seraphica sit etiam longè alijs huius status contemplationibus eminentior, status que Perfectorum, ad quem spectat, alios huius viæ status longè superet: fit consequens, quòd sit necessarius

ſarius illapſus ſpecialis, & ſuperior pro tali contemplationis elicientia. ¶ Iam verò antecedens facilè probari poteſt ex eo, quòd nec illapſus naturalis poteſt influere in contemplationem ſupernaturalem; nec contemplatio intuitiva Dei haberi poteſt ſine gratia conſummata, & lumine gloriæ: ſed illapſus Dei ratione immenſitatis naturalis eſt, & illapſus Dei in animam iuſti ratione gratiæ vialis non dicit gratiam conſummatam, aut lumen gloriæ; imò utrunque excludit: ergo &c.

23. Secundum, quod ex dictis colligere licet eſt, quòd quamvis unio fruitiva, cum præciſione ſumpta, ſolius voluntatis propria ſit: re tamen vera unio fruitiva non illa formalitate, ac præciſione conſiderata, dicit etiam unionem intellectus. Ratio eſt, quia cùm Deus unitur voluntati in ratione ſummi boni, ut ab ipſa voluntate amplectendus, ac deoſculandus, unitur etiam intellectui in ratione ſummæ lucis, uti ait laudatus noſter Thomas; ex qua luce, & ex guſtata dulcedine voluntatis, oritur eminentiſsima contemplatio, quam ſeraphicam dicimus, eſt que Theologia illa myſtica tot encomijs, & nunquam pro meritis, ab omnibus celebrata. Vndè unio fruitiva dicit etiam intimam unionem intellectus, hæc que eſt doctrina Sanctorum, ipſorum experientijs roborata. An autē unio intellectus præmineat unioni voluntatis, an è contrà res eſt valdè ſubtilis, quam tamen modò determinare nequimus, quia ad præcipuum huius §. intentum properamus. Curabimus tamen non penitùs præterire in diſputationis diſcurſu.

24. Vltimum, quod ex dictis colligitur, eſt, quòd unio fruitiva poteſt ſumi duplicitèr. Primò actualitèr. Secundò habitualitèr. Vnio fruitiva actualis dicit indiſpenſabilitèr actum, ut vel ipſa verba oſtendunt: à quo actu Perfectus dicitur actualitèr Deo unitus. Vnio habitualis dicit id, ratione cuius Perfectus ipſe eſt habitualitèr, & perſeveranter Deo copulatus. Primum patet: quia in unione fruitiva animæ cū Deo ſtat felicitas, ac beatitudo animæ quæ adhùc in hac vita illam inchoativè obtinet, ut patet ex dictis numer. 12. traditque D. Thom. 1. 2. cuius verba dabimus infra, docet que Philoſophus 1. Ethic. cap. 7. dicens, *quòd felicitas eſt operatio ſecundùm virtutem perfectam.* Hæc perfecta operatio eſt operatio intellectùs, & voluntatis, ut modò ſuponimus ex dicta 1. 2. quæſt. 3. ubi hæc à Theologis edocentur, nos que cum ipſis tradidimus tom. 2. & in hoc 3. diſp. 16. Vndè hoc corollarium quoad omne id, quod dictum eſt de unione actuali, certiſsimum eſt.

Pari certitudine liquet, qnòd unio fruitiva habitualis ſit id, ratione cuius Perfectus eſt habitualitèr Deo unitus. Quid autem hoc ſit ex dictis num. 18. 19. & 20. petendum eſt. Itaque gratia ſanctificans, non ut communis omnibus iuſtis, ſed prout dicit novum intrinſecum illum modum conſtituentem illam in ſtatu *perfectæ*, facientem que eſſe radicem virtutum heroicarum, & contemplationis, quæ non iam ex viſibilibus, ſed ex infuſis procedat, eſt id, ratione cuius Perfectus eſt habitualitèr unitus Deo. Vndè gratia iuſtificans, prout ſic ſumpta, eſt unio fruitiva habitualis. Quæ ſubdividitur in radicalem, & proximam. Radicalis eſt gratia ipſa *perfecta*. Proxima ſunt facultates ab ipſa gratia dimanantes, & ad unionem fruitivam actualem proximè concurrentes. Verùm de his iam ſatis.

25. Si vera ſunt, quæ ſcripſimus, uti vera eſſe putamus, minus arduum nobis iam eſt determinare in quo unio fruitiva conſiſtat. Quia ſi de unione habituali loquamur, conſiſtit planè radicalis in gratia dicente modum illum, à quo *perfecta* redditur: & proxima in charitate eundem modum dicente, ac ſimilitèr in fide, & donis. Reſolutio hæc certiſsima eſt, & patet ex dictis in fine numeri præcedentis. Et abſdubio negari non debet, quòd unio fruitiva habitualis patriæ ſita eſt in gratia *conſummata*,

mata, & virtutibus paritèr consummatis, ab illa *consummata* gratia profluentibus. Ita ut, si per possibile suspenderetur visio beatifica, maneret tamen anima Deo unita habitualitèr radicalitèr, media gratia, & habitualitèr proximè, medijs lumine gloriæ, & charitate, à quibus in dicta hypotesi nullus actus oriretur. Hoc ipsum dicimus de unione fruitiva habituali viæ: in quo philosophandi modo nullum inconveniens offendimus, sed maximam consonantiam.

26. Si autem de unione fruitiva actuali sermo fit, dicimus: Hanc felicissimam unionem consistere in actibus intellectus, voluntatis que, ab ijs potentijs elicitis, cùm Deus earum verticem tangens, illis illabitur modo dicto. Resolutio hæc certissima est, eius que veritas planior fiet, si ipsius singulas partes consideremus. Dicitur illa unio consistere in actu, quia cùm sit huius vitæ beatitudo, in actu consistere debet iuxta Philosophum num. 24. allegatum, & D. Thomam, quem communissimè Theologi sequuntur. Qui etiam conveniunt in eo, quòd beatitudo sita sit in actibus facultatum spiritualium, quales sunt intellectus, & voluntas: & ex harum potentiarum actibus in ijs, qui perfectissimi sunt. Ex his omnibus, quæ frequentissimè ab omnibus admittuntur, convincitur, beatitudinem inchoatam animæ consistere ex parte voluntatis in actu illo delicioſissimo, quo experitur sui dilectissimi osculum, quem ipsa paritèr deosculat: & ex parte intellectus in contemplatione illa seraphica, quæ habetur ex illapsu Dei in intellectum in ratione summæ lucis, & ex delicijs expertis à voluntate, in quam præsupponitur illapsus in ratione summi boni. Resolutio hæc, quæ in hac disputatione, imò & inter omnes mysticas, præcipua est, constat ex omnibus, quæ in præsenti §. dicta sunt.

Vt autem illam penitiùs calleas, inspicere debes id, quod supponimus, & illud, quod affirmamus. Supponimus enim, hominem posse in hac vita ad illum statum pervenire, in quo suam beatitudinem consequatur, non perfectam, & consummatam, sed inchoatam, & imperfectam. Et hoc, quod supponimus modò, multotiès assertum est in præcedentibus, constatque ex dictis num. 12. ubi à D. Bonavent. hoc audivimus. Estque doctrina expressa D. Thomæ 1. 2. quæst. 69. art. 2. ubi ait, quòd in præsenti datur *Aliqua inchoatio beatitudinis, sicut est in viris perfectis.* His addere possumus Gersonem de mystic. Theolog. considerat. 42. dicentem: *Per prædictam amorosam unionem, in qua mystica Theologia consistere videtur, anima quietatur, satiatur, & stabilitur in Deo: quod facilè est in primis ex priori deducere. Nam cum res quælibet sit in quiete, dum perfectionem suam adepta est, illique coniuncta, & spiritus noster unitur, & coniungitur in hac unione summo perfectivo per amorem perfectum, ut exindè quietetur, satietur, & stabiliatur, necesse est. Sic materia in forma habita, sic lapis in centro positus, sic res quælibet in adepto fine suo quietatur. Anima quippè rationalis, dum coniungitur, & unitur Deo, copulatur suo summo bono. Est enim Deus summum bonum eius, est centrum eius, finis, tota que perfectio.* Hactenùs gravissimus iste Doctor, quibus affatim probatum est id, quod supponimus, videlicèt, quòd in hac vita obtineri queat hominis felicitas inchoata.

27. Gradum facientes ad id, quod affirmamus, dicimus: unionem fruitivam actualem sitam esse in præactis perfectissimis actibus voluntatis, & intellectus. Resolutio hæc ex omnibus dictis clarissima est, potest que sic brevitèr suaderi. In actu correspondente gratiæ consummatæ stat unio actualis fruitiva patriæ: ergo in actibus correspondentibus gratiæ perfectæ viæ stat unio actualis fruitiva viæ. Antecedens certum est; quia unio actualis fruitiva patriæ consistit in visione, & amore

beatificis, qui actus correſpondent gratiæ conſummatæ. Conſequentiam verò ſuadet ineluctabilitèr paritas. Quam ſi negaret aliquis, diſparitatem oſtendere teneretur, & aſsignare in quo, aut quibus actibus unio illa actualis ſita ſit.

Et quamquàm reſolutio noſtra adeò perſpicua ſit, placet in ipſius maiorem comprobationem audire Carthuſianum lib. de myſtic. Theolog. cap. 9. ita diſertiſsimè procedentem: *Verumtamèn in hac contemplatione fertur apex mentis, & intelligentiæ vertex Deo uniri, tanquàm omninò ignotò, in omnimoda quoquè caligine fieri, nihilque penitùs de illo agnoſcere: non quòd ab illius inſpectione omnifariè vacet, præſertim cum iſta ſit altiſsima, clariſsima, perfectiſsima, ac profundiſsima Deitatis contemplatio, cognitio, viſio huic vitæ poſsibilis, ut ipſemet magnus Dionyſius, & Expoſitores ipſius teſtantur: ſed quia in hac contemplativa, & ſapientialiſsima, ac ferventiſsima unione cum Deo mens acutiſsimè, & limpidiſsimè concipit, quàm ſuperincomprehenſibilis, & ſuperſplendidiſsimus, & ſupergaudioſiſsimus, & ſuperluminoſiſsimus, & ſuperpulcherrimus ſit ipſe Dominus Deus omnipotens, & immenſus; atque quàm infinitè, & indicibilitèr à plena illius cognitione, & beatifica eius fruitione, viſione faciali, immediatè & clarè intuitiva, diſtet, deficiat, & occumbat. Ideò præadmiratione, & amore deficit, & defluit à ſe ipſa gaudioſè quoquè, & dulcitèr abſorbetur obdormit, & quieſcit in ſuperdilectiſsimo Deo Creatore, Salvatore, ac miſeratore, imò & ſupergaudioſiſsimo ſuo Sponſo, totius beatitudinis ſuæ ſupereminentiſsimo fonte, omnipotentiſsima, ac liberaliſsima cauſa.* Hæc Dionyſius, quibus omnia, quæ diximus, roborantur.

§. IV.

Solvuntur quæ num. 13. obiecta ſunt.

28. AD argumentum num. 13. poſitum reſpondetur, quod unio fruitiva patriæ, tam habitualis, quàm actualis non interrupta perſeverat. Vnio autem fruitiva viæ, ſi ſit actualis, tranſit, & per actuum repetitionem reproducitur. Si verò habitualis ſit, eadem perſeverat. Perſpicua hæc omnia ſunt, & clariſsimè conſtant ex omnibus, quæ occaſione huius argumenti adduximus. Ad probationem minoris pro prima parte dicas: unionem actualem fruitivam eſſe actum, qui abſque dubio continuus nequit eſſe in hac vita; habet tamè permanentiam ſufficientem pro beatitudine inchoata: quamvis pro conſummata non ſufficeret. Elegantiſsimè hoc docet D. Thom. 1. 2. quæſt. 3. artic. 2. ubi ait: *Ad 4. dicendum, quod cùm beatitudo dicat quandam ultimam perfectionem ſecundùm quòd diverſæ res beatitudinis capaces, ad diverſos gradus perfectionis pertingere poſſunt, ſecundùm hoc neceſſe eſt, quòd diverſimodè beatitudo dicatur: nam in Deo eſt beatitudo per eſſentiam. Quia ipſum eſſe eius, eſt operatio eius: quia non fruitur alio ſed ſe ipſo. In Angelis autem beatitudo eſt ultima perfectio ſecundùm aliquam operationem qua coniunguntur bono increato: & hæc operatio eſt in eis unica, & ſempiterna: In hominibus ſecundùm ſtatum præſentis vitæ eſt ultima perfectio ſecundùm operationem, qua homo coniungitur Deo. Sed hæc operatio nec continua poteſt eſſe, & per conſequens nec unica eſt: quia operatio interſcitione multiplicatur: & propter hoc inſtatu præſentis vitæ perfecta beatitudo ab homine haberi non poteſt. Vnde Philoſophus in 1. Ethic. ponens beatitudinem hominis in hac vita dicit eam imperfectam poſt multa concludens. Beatos autem dicimus ut homines: ſed provittitur nobis à Deo beatitudo perfec-*

ta . quoniam erimus ſicut Angeli in cælo: ſicut dicitur Matth. 22. Quantum ergo ad illam beatitudinem perfectam ceſſat obiectio: quia una, & continua, & ſempiterna operatione in illo beatitudinis ſtatu mens hominis Deo coniungitur: ſed in præſenti vita quantum deficimus ab unitate, & continuitate talis operationis, tantum deficimus à beatitudinis perfectione, eſt tamen aliqua participatio beatitudinis: & quantò operatio poteſt eſſe magis continua, & una, tantò plus habet rationem beatitudinis: & ideò in activa vita, quæ circa multa occupatur eſt minùs de ratione beatitudinis, quàm in vita contemplativa, quæ verſatur circa unum, ideſt, circa veritatis contemplationem. Et ſi aliquandò homo actu non operetur huiuſmodi operationem tamen; quia in promptu habet eam, ſemper poteſt operari. Et quia etiam ipſam ceſſationem putà ſomni, vel occupationis alicuius naturalis ad operationem prædictam ordinat, quaſi videtur operatio continua eſſe. Hac Div. Thom. doctrina veritas datæ ſolutionis apparet.

Ad ſecundam minoris probationem conſtat ex proximè dictis, actualem unionem fruitivam habere ſufficientem cõſiſtentiam, ut ſit inchoata beatitudo. Vltraquam datur unio fruitiva habitualis, quæ firmitatem ſufficientiſsimam habet, ut ſtatum perfectorum conſtituat. Perfecti enim non dicuntur ab actu exercito, in quo conſiſtit perfectio, ſed ab idoneitate ad illum actum eliciendum, ſeu ab illo actu ſignatè. Quod idem eſt ac unio habitualis, qua anima redditur capax, habilisque proximè ad eliciendum actum, in quo beatitudo inchoata ſita eſt. Vndè ſicut contemplativus non dicitur talis ab actuali exercita contemplatione, ſed à contemplatione ſignata, ſeu ab habilitate eliciendi contemplationem: ſic & Perfectus dicitur talis ab unione fruitiva habituali, & non ab actuali: ſecùs enim quotiès actualem unionem exerceret, Perfectus foret: quem ſtatum amitteret, quotiès non exerceret unionem actualem, quod deridiculum eſt.

29. Dices: Si à Beato auferrentur actus videndi, & amandi Deum non maneret Beatus, quamquàm remanerent in ipſo gratia, & charitas conſummatæ, & paritèr lumen gloriæ: ergo ablata unione fruitiva actuali à Perfecto, Perfectus non eſt. Conſequentiam ſuadet paritas. Et antecedens eſt certum: quia nemo Beatus eſt ſine beatitudine, quæ, ut dictum eſt, conſiſtit in actu.

Reſpondetur negando conſequentiam. Diſcrimen eſt: quòd Beatus inijt cum Deo matrimonium ſpirituale conſummatum. Perfectus verò matrimonium ſpirituale ratum. Inter quæ matrimonia hoc intereſt: quòd primum conſiſtit eſſentialitèr in actu. Vndè ablato actu, non remanet matrimonium conſummatum; ac ſubindè nec Beatus. Secundum matrimonium conſiſtit non in actu, ſed in habitu; quocircà manente habitu, ſeu unione habituali, manet illud matrimonium; atque ideò Perfectus. Solutio continet receptam doctrinam myſticorum ponentium matrimonium ſpirituale ratum in unione habituali conſiſtere. De quo infra agendum eſt. Interim tamen videri poteſt noſtrum myſt. Directorium tract. 4. diſp. 4. ſect. 4. Præquàmquòd iam vidimus ex D. Thoma dari aliquid actualitatis in unione habituali: quatenùs manet anima attenta Deo ſuo, à cuius actuali unione, ſeu contemplatione à nullo alio removetur, niſi ab obedientiæ imperio, à charitatis impulſu, à corporis gravitate, & à miſerijs huius vallis lachrimarum. Et hæc actualis erga Deum attentio ſat eſt pro matrimonio rato; quæ tamen pro conſummato non ſufficeret, ut dictum eſt. De his omnibus infra diffuſior ſermo redibit.

30. Ad confirmationem ex eodem num. 13. reſpondetur. Vnionem fruitivam, de qua modò loquimur, eſſe eandem, quam illa quæſt. 8. deſcripſimus ſub nomine *Theologiæ myſticæ*. Et hoc ſolum

ſolùm ſat fuiſſet, ut repetitio ſine calumnia fieret. Poſſet enim dubitari, an illa unio fruitiva, de qua ſub nomine myſticæ Theologiæ tunc egimus, ſit idem cum hac myſtica Theologia, de qua modò diſputamus: & ut hanc dubitationem tolleremus, de ipſa denuò tractamus. Iuxta dictamen Vlpiani, qui L. 1. §. *Sed ſciendum*, verſ. *Vitium que*, ff. *de edilitio edicto*. dixit: *Ego puto, Ædiles tollendæ dubitationis gratiâ, bis id dixiſſe.*

Quibus adde primò: rem, de qua agimus eſſe ſummè arcanam, ineffabilem que. Sic enim hanc divinam unionem appellat D. Bernardus epiſt. ad fratres de mont. Dei ſub finem, ubi ait: *Hoc ergo ineffabile, ideſt, hoc vinculum amoris, cum non niſi ineffabiliter videatur, qui vult videre, cor mundet.* Et Div. Auguſtin. lib. 83. quæſtionum quæſt. 61. & tractat. 7. in Ioan. inquit, hanc unionem fieri ineffabili, & incogitabili modo. Ac deniquè D. Thomas opuſc. 60. gradu 7. nominat unionem iſtam oſculum ineffabile, cuius altitudo guſtari poteſt; exprimi tamen nequit. Nil ergo mirum, ſi de re ineffabili ſermo reproducatur, ut vel ſic aliquis de illa conceptus efformetur.

Adde ſecundò. Hanc feliciſsimam unionem eſſe pulcherrimam; à Deo enim, qui eſt totius pulchritudinis fonte, in enarrabilem pulchritudinem habet: & etiam ex hac parte poteſt de illa ſermo multotiès inſtitui ſine nota, dicente Platone lib. 6. de legibus: *Bis, & tèr, quòd pulchrum eſt.*

Adde tandèm. Non eſſe ſuperfluam repetitionẽ apud cordatè ſentientes, cùm res repetita apertiùs proponitur, ut tenet Gloſ. in cap. 1. *de ſumma Trinitate* in Verbo, & Filio: aut cùm iam dictis aliquid additur Gloſ. in L. *Liberorum verbo, quod ſi in codicibus. ff. de legat.* 3. Quod autem, ſi à nobis factum ſit in præſenti, tuum erit iudicare, ſi quæ in illa quæſt. 8. diximus, cum his, quæ in hac quæſtione ſcripſimus, rectè conferis. Ex quibus omnibus liquet, quòd potuimus hìc ſine nota iterùm inſtituere ſermonem de hac feliciſsima unione, quod ut rectiùs fieret, ab eius poſsibilitate inſtituendus erat.

***

QVÆSTIO SECVNDA.

QVOTVPLEX SIT VNIO FRVITIVA.

31. POSTQVAM poſsibilitatem, & naturam unionis fruitivæ ſcripſimus, recta methodo ipſius multiplicitatem exploramus. Et quia plurima ſub brevi quæſtionis titulo decrevimus comprehendere; idcircò ad perfectam dicendorum intelligentiam illum, ſuccintè tamen, cogimur explicare. Itaque ly *quotuplex* in titulo poſitum, queit accipi multiplicitèr. Primò, pro ſpeciebus, aut quaſi ſpeciebus unionis Secundò, pro gradibus eiusdem ſpecificæ unionis. Tertiò, pro multiplicitate nominum, quibus unio hæc ſacra nominatur. Vndè iuxta primam intelligentiam ly *quotuplex* quærit, an unio fruitiva ſit unica, an verò dentur plures uniones, quæ fruitivæ ſint, aut de quibus dubitari queat, quòd ſint fruitivæ? Iuxta ſecundam acceptionem eiuſdem unionis gradus differentes inquirit. Et iuxta tertiam nomina, quibus inſignitur, explorat.

***

§. I.

De ſpeciebus, & gradibus unionis extaticæ.

32. VT autem de ipſa unionis ſpecie clariùs diſſeramus, operæpretium erit, modos, quibus Deus animæ copulatur, exponere, & ita intentum finem clariſsimè conſequemur. Primò enim unitur Deus animæ, quà creaturæ: ſic que eſt in illa per eſſentiam ratione ſuæ immenſitatis, illi conferens eſſe, & operari. Quod facit cum omni creatura, cui huiuſcemodi illapſu unitur ſecundùm conditionem, & genium ipſius creaturæ. Vndè in rationalibus eſt, ut dans illis eſſe, vivere, ſentire, locomoveri, & intelligere. De quo genere illapſùs loquutus eſt Apoſt. Act. 17. dicens, quòd nos in Deo *vivimus, movemur, & ſumus*, quem textum ſic explicat D. Thom. 1. part. quæſt. 18. art. 4. *Ad 1. ergo dicendum, quòd creaturæ in Deo eſſe dicuntur dupliciter. Vno modo in quantum continentur & conſervantur virtute divina, ſicut dicimus, ea eſſe in nobis, quæ ſunt in noſtra poteſtate. Et ſic creaturæ dicuntur eſſe in Deo, etiam prout ſunt in propriis naturis. Et hoc modo intelligendum eſt verbum Apoſtoli dicentis, in ipſo vivimus, movemur, & ſumus: quia etiam noſtrum vivere, & noſtrum eſſe, & noſtrum moveri cauſantur à Deo. Alio modo* &c. Hic tamen illapſus, aut unio Dei ad creaturam non eſt fruitiva, ut quæſtione præcedenti dictum eſt.

33. Secundò unitur Deus animæ, prout elevatæ ad ordinem ſupernaturalem. Et prout ſic animæ infundit gratiam ſanctificantem, animæque facultates ſupremas ornat infuſione fidei, charitatis, & aliarum virtutum ſupernaturalium, donorum que. Medijs quibus elicit anima actus ſupernaturales fidei, charitatis, & contemplationis: ijs que actu Deo unitur. Sed non adhùc unione fruitiva: quia illa unio communis eſt omnibus iuſtis, ſicut & gratiæ, & proximè facultates, à quibus provenit, communes ſunt.

34. Vlteriùs unitur Deus animæ per gratiam perfectiſsimam, quæ communis non eſt cuicunque iuſto, ſed eſt privativè propria illorum, qui Perfecti ſunt. Hæc gratia ſic perfecta principium, & origo eſt virtutum heroicarum, quas Deus animæ penitùs purgatæ, ac formoſæ infundit, ipſi que per intimum illapſum, quem ſupra expreſsimus, præſens fit. Tunc que Deo intellectum illuſtrante, elicit iſte contemplationem illam, quam cherubicam diximus diſput. 19. quæſt. 8. Cuius luce movetur voluntas, ardet que præſentià ſui Dilectiſsimi, ipſam dulcitèr amplexantis, oſcula ſuaviſsima imprimentis, in cuius ſinu dulciſsimè conquieſcit. Cui delicioſæ experientiæ, qua voluntas ineffabiliter paſcitur, conſequitur ex parte intellectus contemplatio illa ſeraphica, quæ dicitur Theologia Myſtica, eſt que altiſsima unio intellectus cum Deo, quem præſentem cognoſcit, quamquàm non videat. Et hæc eſt unio fruitiva, de qua loquimur, non ſolùm prout dicit operationem intellectus, verùm etiam prout dicit experientiam illam, & delectationem voluntatis. Imò per hoc, quòd unio fruitiva ſit, ad voluntatem ſpectat, quatenùs fruitio actus voluntatis eſt. Dicitur etiam vnio hæc fruitiva, prout ſe tenet ex parte intellectus, quia unio hæc intellectùs cauſatur ab unione fruitiva voluntatis: prout modò dictum eſt, iam que quæſtione illa 8. & alibi comprobavimus teſtimonio D. Dionyſij, & D. Thomæ.

Ex his unionibus illa, quæ eſt per gratiam iuſtis omnibus communem, iàm diximus, quòd non eſt fruitiva: poteſt tamen dici fruitiva fundamentaliter, quatenùs priùs eſt, quod homo habeat gratiam & virtutes ſupernaturales, quibus in vita activa ſe exerceat, & iuxta ſuum connaturalem operandi modum utatur, quàm quòd elevetur ad operandum ſupra illum

mo-

modum connaturalem ſibi. Poſtquam autem hæc præceſſerint, ſi anima fidelitèr, ac conſtantèr perſeveret in illa deprecatione myſteria plurima, & eximia ſub verbis pauciſsimis continente, videlicèt, *oſculetur me oſculo oris ſui*: tunc benigniſsimus Dominus, animam ſibi deſpondere volens, illam elevat ad ſtatum perfectionis. Quod fit per additionem novi intrinſeci modi, quo gratia præexiſtens, quæ omnibus iuſtis communis erat, perfecta redditur, eius que præcipuæ facultates elevantur ad exercitium virtutum heroicarum. Quam elevationem, & novi ſtatus celſitudinem obtinet anima, eiuſque potentiæ per intimum illapſum ipſius Dei in ipſas. Et hæc eſt unio fruitiva radicalis, & proxima; non tamen intelligitur adhùc unio fruitiva actualis: donec Deus ſic illapſus animam tenerrimè amplexatur, ac deoſculat, ab ipſa que labijs ſuæ ardentiſmæ voluntatis, vittam coccineam æmulantibus, reciprocè deoſculatur, & brachijs ipſius voluntatis ſtringitur. Et in hoc ſita eſt unio fruitiva actualis, prout ſe tenet ex parte voluntatis. Intellectus verò inſtructus ex ijs, quæ tunc patitur, agit que voluntas: ex ipſis, & ex Deo verticem ipſius tangente, Deum ipſum ut Sponſum Dilectiſſimum contemplatur. Et in hoc conſiſtit unio fruitiva actualis ſe tenens ex parte intellectus. Quæ omnia ex prius dictis nota ſunt: illa tamen modò adduximus, ut dicamus, quòd in hac intellectus ſublimi contemplatione, & fruitione voluntatis, ſtat unio fruitiva actualis, de qua loquimur, de qua que exploramus, an ſit una, vel multiplex?

35. Multiplicem eſſe, oſtendit celebris illa diviſio unionis fruitivæ, qua bipartitur in ſobriam, & ebriam, ſeu alijs terminis idem prorsùs explicantibus, in activam, & paſsivam. Vnio ſobria ea eſt, qua anima Deo conjungitur, amore quidèm ſupernaturali; ſed activo, aut humano modo habitu. Hac ſobria unione unitur anima Deo, cùm ipſius divinæ voluntati propriam voluntatem in omnibus conformare ſtudet, dicit que verè, & ex animo: *Fiat voluntas tua ſicu in Cælo, & in terra.* Dicitur à Myſticis ſobria hæc unio activa, quia in cuiuſcunque poteſtate eſt illam obtinere ex divinæ gratiæ adiutorio. Vndè ad illam conſequendam debent totis viribus conari quotquot ſuæ utilitati conſulentes propriam ſalutem exoptant. Videri poſſunt, quæ ſcripſimus in Iſag. lib. 1. Syntag. 4. tota ſect. 2. Sed præſertim audiri debet Seraph. noſt. M. D. Thereſiæ manſ. 5. capit. 3. ubi agens de utraque hac unione activa, & paſsiva, ſermonem dirigens ad activam, ſeu ſobriam ait: *Vera unio optimè obtineri poteſt ex adiutorio gratiæ, ſi illius conſecutioni inſudamus alligantes voluntatem noſtram divinæ voluntati. Et hac unione obtenta, non turbetur cor veſtrum, ſi aliam infuſam unionem non habueritis: quandoquidèm quod in illa æſtimabilius eſt, eſt, quòd ab iſta procedat, de qua loquor::: Hæc unio eſt, quam quoadvixi, deſiderari. Hæc eſt, pro qua ſempèr preces meas coram Domino effundo, & quæ clarior, ac ſecurior eſt.*

Vnio ebria illa eſt, quæ & paſſiva dicitur; eoquòd non eſt in poteſtate voluntatis illam habere: ſed illam habet ex infuſione Dei talem unionem penitùs gratiosè animæ conferentis. Vndè paſsivè concurrit anima ad illam unionem habendam: quamquàm in eius uſu activè, liberèque procedat, quod iam multotiès explicatum à nobis eſt, cùm ſimilis difficultas occurrit. Vide, quæ dicta ſunt diſp. 18. quæſt. 1. & diſp. 19. quæſt. 2.

Dari hanc duplicem unionem, conſtans apud Myſticos eſt, qui ſuam reſolutionem probant quoad utranque partem eadem ſcriptura ex lib. Cant. cap. 5. verſ. 1. ubi, prout dicunt, legitur: *Bibite, amici; inebriamini, chariſsimi.* Sic apud nonnullos è Myſti-

cis

cis Scriptoribus invenio : hoc textu ſuadentes quod eodem unionis potu *amici* ſobrij ſunt; *chariſsimi* verò ebrij: quapropter primis dicitur: *Bibite*, alijs autem: *inebriamini*. Verùm textus ſacer alius eſt, quem ij Authores, ex inadvertentia tamen, ut credimus, adulterarunt. Verba textus ſunt: *Commedite, amici, & bibite, & inebriamini, chariſsimi*. Vbi & amicis edere, & & chariſsimis bibere, & inebriari, præcipitur. Sed adhùc in hac ſcriptura veritas propoſitæ reſolutionis continetur, & quidèm vividiùs, quam in eodem textu, prout ab illis Myſticis oblato. In hoc enim ſuperni Sponſi Sympoſio fuit mira potùs, cibi que affluentia. Illis ſibi devincire cupiebat pientiſsimus Dominus ipſum inſectantes convivas: medio cibo, in cuius maſticatione non parùm ſumentes ipſum laborant, & medio potu, qui ſine ſumentis labore, aut fermè nullo, percipitur. In cibo ſignificatur unio ſobria, quæ laborioſa, & activa eſt. In potu ſignatur unio ebria, in qua, qui illam obtinet, ita ſuavitèr ſe gerit, ut nihil operari, ſed ſolummodò pati, ac recipere, videatur. Qui comedunt dicuntur amici, quia Deo per ſobriam unionem adhærent, cui etiam per ebriam copulantur, qui bibunt. Primi dicuntur *amici*. Secundi verò, ut potè ad altiorem gradum evecti *chariſsimi* nominantur.

Aut fortaſsè ijdem ſunt & *amici* & *chariſsimi*. Amici, dum comedunt, hoc eſt, dum quantum in ipſis eſt, ſatagunt, facere voluntatem Æterni Patris ipſorum, propriam voluntatem trucidantes, aut cum divina in omnibus conformantes. Hi profectò veri ſunt imitatores illius, cuius cibus erat, facere Patris ſui voluntatem, de quo in capite libri ſcriptum eſt, quod faceret voluntatem Dei. Ad hanc voluntatis humanæ cum divina conformitatem, ſeu unionem ingenti ſolicitudine, ac proprij amoris contritione opus eſt. Et hanc accuratam contritionem per cibi maſticationem dicimus adumbrari. Cibo accepto ſumitur potus, in cuius ſumptione nulla maſticatio, nullius labor intervenit. Et huic comparatur unio fruitiva ebria, quæ ad ſobriam, ſicut potus ad cibum, ſuſequitur. Vndè ſicut ijdem ſunt, qui priùs maſticantes edunt, & mòx ſine labore bibunt: ſic ijdem ſunt, qui priùs ingenti ſudore ſui unionem ſobriam nanciſcuntur, dicuntur que propterea *amici*: Et qui ſine labore, imò cum innenarrabili deliciarum ſuavitate, poſtmodum ad ebriam unionem elevantur, qui nominantur *chariſsimi*. Quomodocunquè autem ſit, illà ſcripturà diviſio aſsignata unionis fruitivæ in ſobriam, & ebriam comprobatur.

37. Probatur deindè teſtimonijs Authorum eximiæ notæ dari unionem ſobriam, ſeu activam, aut acquiſitam; & unionem ebriam, ſeu extaticam, aut infuſam. Et quidèm de acquiſita, ſeu ſobria, in qua poterat quis dubitare, certiſsimum eſt, dari huiuſcemodi unionem ex doctrina D. Thomæ in omnibus illis locis, quos dedimus tom. 2. diſp. 1. num. 80. Ex quibus ſolùm adducimus textum ex 1. 2. quæſt. 19. artic. 8. cuius corpus ſic concludit: *Ergo ad hoc, quòd voluntas hominis ſit bona, requiritur, quòd conformetur voluntati divinæ*. Loquitur Sanctus Doctor de bonitate, quàm obligatoriè habere debet voluntas humana, quæ bonitas eo ipſo, quòd obligatoria ſit, non eſt infuſa: & hanc bonitatem non alitèr obtineri, docet, præterquam cum conformitate ad voluntatem divinam, in qua conformitate abſdubio conſiſtit ipſa unio.

Prætereà: Seraphica N. Doctrix utranque hanc unionem docet, & explicat multotiès. Loco citato num. 5. mirè hanc doctrinam explanat. Videri debet ab omnibus propriæ ſaluti ſtudioſis. Similitèr ubicunque agit de oratione unionis, duplicem hanc unionem concedit.

38. Pulchrè D. Bernardus ſerm. 2. de Aſcenſ. in huius diviſionis confirmationem inquit: *Quidam trahuntur, qui dicere poſſunt: trahe me poſt te. Non-*

nulli ducuntur, qui dicunt: Introduduxit me Rex in cellam vinariam. Alij rapiuntur. Et primi quidèm felices, qui in patientia sua possident animas suas. Secundi feliciores, qui ex voluntate sua confitentur Domino. Tertij felicissimi, qui in profundissima Dei misericordia, quasi sepulta arbitrij libertate, in divitias gloriæ in spiritu ardoris rapiuntur, qui spreto, ac supergresso adminiculo rerum, ac sensuum, non ascensorijs gradibus, sed inopinatis, instantaneis que excessibus feruntur in Patrem.

Non minùs venustè Dionysius Carthusianus super mysticam Theologiam Areopagitæ ait: *Viri fideles, heroici, & perfecti longè sublimiùs mysticam Theologiam sortiuntur, experiuntur, venantur per supernaturalia charismata Spiritus Sancti, quòd & duplicitèr accidere solet. Primò, per eorum præparationem, cooperationem, & conatum ad hoc dando se ipsos ad abstractionem à cunctis creatis, & ad fervidam unionem cum Deo per recollectionem mentis suæ ad intra, & per affectuosissimam divini invocationem auxilij, ac considerando inflammativa divini amoris. Secundò fit istud modo mirabili, & eminentiori, quamvis forsàn non magis meritorio semper, videlicèt dum fervens amor absque conamine proprio, præparatione que prævia, repente prævenitur, præstingitur, inflammatur, & super se tollitur, contemplationis luce exuberantèr perfunditur, præoccupatur, ac vincitur; ut etiam si velit resistere, nequeat, neque evadere possit supergratiosissimi spirituum amplexum Sponsi, à quo in regionem luminis infiniti transfertur, in quo verè idem sunt regio, & habitator.*

Hactenus Dionysius, quibus affatim probata manet præiacta divisio. Nec supereſt alia aliqua unio, quæ propriè fruitiva sit, & ab ijs differat, quas expressimus. Vndè expleto primo capite ex tribus, quæ num. 31. proposuimus, ad secundum accedimus explorantes quot sint unionis fruitivæ gradus.

39. Igitur relicta unione sobria, aut acquisita, unionis fruitivæ, seu extaticæ triplex gradus communitèr distingui solet, ut videre est apud mysticum Director. tract. 4. disp. 1. sect. 4. Primus est, *quandò aliqua sensibilis gratiæ participatio ad vires sensitivas redundat*, ait num. 35. laudatum Directorium. Et non rectè. Ratio est quia ab unionis extaticæ primo gradu interdùm aliquid participant vires sensitivæ: & nihil quandoquè in ipsas derivatur. Vndè illa Directorij explanatione inexplicatus manet gradus ille, quem explicandum assumit. Quocirca dicimus, quòd unionis fruitivæ primus gradus est, quandò ex intuitu visibilium invisibilia ex ardentissimo amore contemplamur. Et ex ardore, ac suavitate huius contemplationis solent vires sensitivæ aliquid ita participare, ut eius vehementiâ alienentur. Secundus gradus est, cùm anima non iam ex visibilibus procedens divina immediatè contemplatur, illisque immediatè inhæret, supra se rapta ex amoris vehementia. Tertius gradus est, quandò per omnium, quæ cognoscere valet ablationem, negationem que, divinam caliginem ingressa, Deum purissimè contemplatur, ei que strictissimè copulata, in ipsum amoris impetu ineffabilitèr transformatur.

In primo, & secundò gradu procedit anima per affirmationem, in ultimo per negationem. Hic est proprius Perfectorum. Ex illis primus communicatur incipientibus: secundus proficientibus conferri solet. Primus perficitur in inferiori parte animæ. Secundus in superiori. Tertius verò in profundissimo animæ centro contingit. Omnium horum graduum unio extatica est: quippè loquimur de unione ebria. Ast in ultimo gradu causatur extasis ex perfectione amoris, & lucis, quibus anima extra se ponitur. In primo causatur ex imperfectione subiecti amoris impetum, & luminis celsitudinem (quod per-

perfectè purgatum poteſt) tolerare non valentis. In ſecundo deniquè habetur extaſis partim ex non adhùc perfecta ſubiecti purgatione, & partim ex ardoris, ac luminis celſitudine. De quo plura in Iſagoge dicta ſunt, modò prætereunda.

40. Hæc tamen doctrina, quæ inter Myſtas communiſsima eſt, aliqua ex parte videtur falſa. Sinamque fruitiva hæc unio ad omnes tres illos gradus ſpectans, eſt extatica. Videtur, quòd in primo gradu ante receptionem illius participij in vires ſenſitivas derivati, iam iſtæ ſuſpenſæ ſunt. Vndè alienari nequeunt vi illius, quod derivatur in ipſas: alienatus ſiquidèm alienari nequit. Quod ſi ſuſpenſæ non erant vires illæ antè participij receptionem: ergo unio non erat exſe extatica.

Dicimus tamen, unionem illam non ſempèr communicare viribus ſenſitivis illam redundantiam; ſed cum eſt ita magna, ut non ſolùm ſit animæ ſufficiens, ſed & redundans. Et ad diſcernendas huiuſcemodi uniones, redundantia illa deſignatur, tanquàm effectus oſtendens maiorem virtutem cauſæ. Sed ſive ille effectus detur, ſivè non, ſempèr unio abſtrahit animam à ſenſibus, quia ſempèr hæc, omni ſua activitate ſibi indigens, ſenſus deſerit. Vndè ex hac parte ſempèr ſenſus ſuſpenduntur. Cum autem unio ita activa eſt, ut etiam extendatur ad vires ſenſitivas: tunc iſtæ ſuſpenduntur ex duplici capite. Primum eſt abſtractio animæ, ſine cuius actuali influxu operari nequeunt. Secundum eſt participij receptio, qua ſola ſuſpenderentur, etiamſi à deſertione animæ hoc non haberent.

Vndè prudentiſsimè, & utiliſsimè V. N. Thomas à Ieſu dicto cap. 6. inſtruit animarum directores, ne decipiantur reputantes ut rem alicuius valoris quemcunque mentis exceſſum. Quandoquidèm cum exceſſus provenit ex ſubiecti imperfectione dicendus eſt imperfectio. Quod maximè notare debent, ne errent in animarum perniciem. Imò etiam ſi à Deo ſit ille exceſſus non extemplò cenſendus eſt nobiliſsimus, ac perfectiſsimus: eoquòd Deus, ut Author gratiæ, & donorum, ordinatè, & ad naturæ inſtar à minus perfecto gradu ad perfectiorem conſcendit. Et ob huius reflexionis defectum nonnullos animarum directores deceptos, & ad decipiendum idoneos ſe vidiſſe, teſtatur ſpiritualiſsimus hic Theologus.

41. Hanc ergo extaticam, & fruitivam unionem, quæ Perfectorum eſt propria, duplicitèr contingere, certum eſt. Primò enim animam Deo unit affectivè tantùm. Secundò autem etiam effective unit. Prior modus uniendi communis eſt, & alijs illis gradibus, qui, ut paulò ante dicebamus, inveniuntur in incipientibus, & proficientibus; diſcriminatur tamen ab ipſis, quia in hoc reperitur amor intenſior, fruitionis plenitudo, & luminis clariſsima copia, quæ in illis duobus gradibus minùs perfecta ſunt. Secunda unio propriè myſtica, ac fruitiva dicitur: Vndè illa eſt, quæ propriè ad noſtrum inſtitutum ſpectat. Præcipuum verò diſcrimen inter has duas uniones conſiſtit in eoquòd per unionem affectivam, licèt anima per ardentiſsimum, ac fruitivam amorem Deo inhæreat, ac in ipſum feliciſsimè transformetur: non tamen ipſi Deo immediatè unitur, hoc eſt eius præſentiam non percipit, aut deoſculationem, & amplexum experitur. Percipit quandoquè divinæ dulcedinis copioſiſsimam ſuavitatem; ipſum verò clariſsimum fontem in ipſam tot delicias corribantem non attingit. Hinc què ortum habent ſuſpiria illa, quibus ſui Dilectiſſimi præſentiam ſe exoptare manifeſtat, ac in ipſius brachijs ſuaviſsimè deliciari. Aſt per unionem effectivam habetur Deus immediatè unitus animæ arctiſsimam cum ipſo unionem anhelanti. Huic ſeſe benigniſsimus Dominus liberaliſsimè communicat, ipſi illabitur, illam deoſculat, & amplectitur, ac ſe deniquè offert ab illa tangendum, guſtandum,

dum, & fruendum. Vndè huic felicissimæ animæ nihil restat ulteriùs desiderandũ, nisi quòd ea ipsa, quæ tunc percipit, aperta luce, & sine fine percipiat. Hæc que unio, & huius unionis gradus istæ cæteris præclarior est, ac eminentior, de ipso que loquuntur scripturæ, & aliæ authoritates, quas dedimus quæst. prima.

42. Huius autem divinissimæ unionis tres alij gradus sunt. Eorum primus est, cum anima Deo unitur media desponsatione mystica: secundus, cum per mysticum matrimonium eidem Domino dulcissimè copulatur: Tertius deniquè, cum modo speciali coniungitur Christo sub speciebus Eucharisticis latenti. De his unionibus disputationibus sequentibus disseremus. Iam que de desponsatione, ac matrimonio actum à nobis est in Isagoge lib. 3. à num. 73. usque ad 90. Sed aliqua scitu dignissima, præcipuè circa matrimonium, disp. sequenti exhibebimus.

§. II.

De nominibus unionis extaticæ.

43. VIdimus quotuplex sit unio fruitiva quoad species, & quotuplex quoad gradus ipsius unionis extaticæ: supereſt, quotuplex sit quoad nomina videamus. Sic que promissa adimplebimus, & dicta, dicenda que in tota hac disputatione gaudebunt possibili claritate. Diversissima nomina sortitur unio fruitiva extatica, ut ex Scriptura, & Patribus colligere licet, passim que colligunt Mystici Scriptores. In primis enim dicitur *Theologia mystica*. Sic que illam nominat Seraph. M. N. D. Theresia supra adducta, & nost. Mysticus Doct. lib. 2. Ascens. cap. 8. & in Egloga Cant. 19. versu ultimo. Dicitur *Theologia*, quia verè est scientia de Deo, ut suo loco dictum est. Dicitur etiam *Mystica*, quia scientia amoris est: ac subindè arcana, & sapidissima. Sanctus Dionysius Areopagita pluribus in locis hanc unionem appellat *sapientiam*, sive *Dei divinissimam cognitionem* propter eminentissimum conceptum, quem tunc habet anima de Deo, cuius dulcedine pascitur, & cognitione deliciatur. De quo etiam suo loco actum à nobis est.

Dicitur etiam *Sponsatio* Dei, & animæ, & etiam dicitur *matrimonium*, de quo plurima in Sacris Scripturis habentur, ac præsertim in lib. Canticor. sufficiat allegare D. Bernardum videndum serm. 85. ibi: *Sed attente in spirituali matrimonio duo esse genera patiendi.* De quo etiam videri potest Extaticus N. Doct. verbo *Desponsorio, matrimonio, & amor unitivo.*

Etiam dicitur *osculum*, ut liquet ex decantatissimo illo ex lib. Canticor. cap. 1. vers. 1. *Osculetur me osculo oris sui.* Vbi Sponsam unionem istam postullare, concors est PP. & Interpretum sensus D. Gregor. Nissen. hom. 1. ait: *Quia verba sponsi spiritus sunt, & vita: quicunque autem conglutinantur spiritui, fit spiritus, & qui vitæ coniungitur, transit à morte ad vitam: propterea spiritualis anima desiderat appropinquare fonti vitæ, nempè ori sponsi, undè scaturientia verba vitæ æternæ implent os ea attrahens.* Dilucidiùs Sanctus Bernardus serm. 1. in Cant. introducit Sponsam dicentem de Verbo eius Sponso, *cuius utique sermo vivus, & efficax osculum mihi est, non quidem coniunctio labiorum, quæ interdùm pacem mentitur animarum, sed planè infusio gaudiorum revelatio secretorum, mira quædam, & quodammodò indiscreta commixtio superni luminis, & illuminatæ mentis. Adhærens quippè Deo unus spiritus est.* De hoc etiam osculo idem Sanctus dicit: *Osculum hoc non est strepitus oris, sed iubilus cordis, non sonus labiorum, sed motus gaudiorum; ideircò non competit animæ infantili, ac nuper ad Christum conversæ: sed iam provectæ, & quæ iam ad ætatem provectam, & nubiles perveniens annos*

(me-

(*meritorum, non temporum*) *facta eſt idonea cæleſtis ſponſi nuptijs.*

Inſupèr eodem Cantic. lib. cap. 5. Vnio hæc dicitur languor ijs Sponſæ verbis: *Amore langueo.* Vbi Abbas Vercellenſ. ait: *Languor iſte uſque ad mortem ducit: mors autem eſt plena ſeparatio vitalis ſpiritus à corpore & ſignificat plenam ſeparationem vitalis affectus per exceſſum mentis, & commodam unitionem ad Deum.* Eandem unionem *mortem* vocat D. Bernardus ſerm. 52. in Cant. dicens: *Vtinàm hac morte ego frequentèr cadam, ut evadam laqueos mortis.*

In lib. Apoc. cap. 8. dicitur *Silentium* ibi: *Factum eſt ſilentium in cælo, quaſi media hora.* Quod de hac unione intelligit D. Gregor. & Richard. in Pſalm. 25. capit. 4. addens, quod talis unio etiam eſt *ſomnus*, & *pax.* Hanc *quietem*, inquit, *Ioannes dicit ſilentium. O quam verè dicere poſſumus ſomnum, ſi excedit omnem ſenſum! Quid enim de eo dignè dici poſsit, qui omnem ſenſum excedit? Factum eſt, inquit, ſilentium in cælo, quaſi hora dimidia. Quàm rectè ſilentium dicatur, audivimus. Sed quo modo erit & ſomnus? Cogita quid faciat ſomnus exterior circa hominem exteriorem, hoc facit ſomnus huiuſmodi circa hominem interiorem. Somnus corporeus exuperat ſenſum corporeum, aufert enim officium oculorum, officium aurium cæterorumque ſenſuum, atque membrorum. Sicut autem per ſomnum exteriorem ſopiuntur omnes ſenſus corporis, ſic per hunc, de quo loquimur, interioris hominis ſomnum exuperantur omnes ſenſus mentis. Simùl enim abſorbet cogitationem, imaginationem, rationem, memoriam, intelligentiam, ut conſtet quod Apoſtolus ſcribit: Quæ exuperat omnem ſenſum. Huiuſmodi ſomnum anima inter veri Sponſi amplexus capit, cum in eius ſinu requieſcit. Vndè & dicit: læva eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Huius quietis in huiuſmodi reclinatorio iam firmam ſpem conceperat, qui cum tanta fiducia pſallebat: In pace in idipſum dormiam & requieſcam.* Hactenus Richardus, & quidèm eloquentiſsimè.

Sed ut plura alia nomina, quibus ſacra hæc unio inſignitur offeramus, audiendus eſt Gerſon ſerm. de Spiritu Sancto tom. 2. conſid. 2. ſcribens: *Hæc eſt pax quæ ſuperat omnem ſenſum manna abſconditum, quo Propheta Pſalm. 30. paſtus eructat: Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te! Hic eſt calculus filiorum Dei, habens nomen ſcriptum, quod nemo novit, niſi qui accipit. Hic in divinam caliginem inſtar Moyſis vocatur ſpiritus. Hic in ſibilo auræ tenuis ſentitur Dominus. Hic in thalamo dormit, & requieſcit. Salomon Pacificus, & Benjamin adoleſcentulus in mentis exceſſu. Hic guſtatur favus mellis: favus propter illuminationem, mel propter dulcorationem affectus. Hic Moyſes myſticus ducit gregem virium ſuarum in interiora deſerti. Hic ſedet ſolitarius, & levat ſe ſupra ſe ubi Dominus loquitur ad cor eius. Hic dicit Petrus: Bonum eſt nos hic eſſe, & Philippus: ſufficit. Et Maria Magdalena: Vidi Dominum, & hæc dixit mihi. Hic introducitur anima in cellam vinariam, ubi bibit ebriam ſobrietatem ſpiritus: ubi ſuſpirabunda epithalamium canens verba dimidiat: Dilectus meus mihi, & ego illi: Ego dormio & cor meum vigilat. Hic obteſtatus dilectus de dilecta: Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ne ſuſcitetis, vel evigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit.*

Æquali pulchritudine ac proprietate idem Gerſon tract. 9. *in Magnif.* tom. 3. ait, quòd unio, de qua loquimur, *dicitur manſio Dei in homine & hominis in Deo, ut hic. Dicitur vivificatio, & habitatio vitæ æternæ ſaltèm in radice, ut hìc &c. Dicitur & oſculum oris Sponſi, quod petit Sponſa. Dicitur lac, & vinum, & unguenta, & oleum effuſſum, & tractus, &*

pul-

pulſus ad Sponſum. Dicitur introductio in cellaria, coniunctio dilecti inter ubera Sponſæ tanquàm faſciculus mirrhæ. Dicitur ſuus decor, ſua quies in lectulo florido. Hoc eſt donum perfectum deſurſùm deſcendens, non aſcendens deorſùm. Hæc eſt ſapientia divinitùs inſpirata cum ſuis laudibus univerſis. Hoc divinum ſilentium: hoc ſibilus auræ tenuis: hoc ſuſurrium verbi abſconditi: hoc vox quaſi auræ lenis, imò & tonitrui magni. Et, ut ad unum colligamus innumera, quicquid ſonat manſionem, vel habitationem, vel inhæſionem, vel unitatem unius corporis, & unius ſpiritus, animæ cum Deo, Sponſæ cum Sponſo, unicæ cum unico, ſub gratiæ gratificantis nomine, & radice, principio, forma, & fine, unico vocabulo datur intelligi, quid eſt manere in Chriſto per mutuum gratiæ complexum.

44. Ex dictis habes quotuplex ſit quoad nomina unio fruitiva animæ cum Deo. Quæ cùm ita ſint, frequentiſsimè, alijs nominibus relictis, dicitur à Myſticis unio, quod & fecit D. Thom. opuſc. 6. dicens eſſe *copulam animæ cum Deo.* Et ratio eſt, quia nomen *unio* dicit extrema unita: & cùm unum ex huius unionis extremis Deus ſit: à dignitate huius extremi, & ut hæc ſignificantiùs oſtendatur, dicitur *unio.* Et quamquàm aliæ uniones ſint animæ cum Deo, ut liquet ex dictis in hac quæſtione, ubi etiam dictum eſt, dari huius unionis gradus alios; nihilominùs tamen in conſpectu huius ſacratiſsimæ unionis aliæ veluti uniones non ſunt, aut diſparent: quod etiam evenit alijs huius unionis gradibus collatis cum gradu illo, quem loco ſecundo obtulimus num. 41. Tanta eſt huius divinæ unionis, & gradùs celſitudo. Adde: quòd ad tollendam quamcunque dubitationem dicitur non ſolùm *unio*, *ſed fruitiva*, & *extatica*. *Fruitiva* ob innenarrabiles delicias, quibus, ad felicitatem illius ſacratiſsimæ unionis evecta, paſcitur ſuaviſsimè anima. Dicitur & *extatica*, quia omnes animæ ſenſus planè abſorbet, illam totum ſuarum virium, & activitatis nixum recolligere faciens, ut in Deum ſuum, quem præſentiſsimum habet, potentiſſimè feratur.

QVÆSTIO TERTIA.

VTRVM MIRABILIS FRVITIVA VNIO ANIMÆ cum Deo dicat ipſum Deum aliquo peculiari modo phyſicè præſentem animæ, diverſo ab eo, quo eſt in illa per immenſitatem? & in quo talis modus conſiſtat?

Præſentem controverſiam diſcutiunt Scholaſtici cum Magiſtr. in 1. d. 14. & 15. Et Theologi cum D. v. Thom. 1. part. quæſt. 8. & 43. art. 3. Et etiam aliqui Doctores Myſtici, ut ſunt Venerab. ac ſapientiſsimus noſt. Thomas à Ieſu de orat. ſupern. lib. 4. Magiſter Pizano in compend. myſtic. Theolog. lib. 4. capit. 6. & alij. Cum quibus à nobis ventilanda eſt in præſenti ad pleniorem intelligentiam huius ſacratiſsimæ unionis, qua perfectus Deo copulatur, ipſum que ſibi devincit.

§. I.

Nonnulla prælibo, ſententias offero, & ſeligo veriorem.

45. D. Opt. M. eſſe per immenſitatem in omni creatura, phyſicè ipſi præſentem, fide ſanctum eſt. Vndè cuicumque creaturæ adeſt illo decantatiſsimo modo, videlicèt, per eſſentiam, præſentiam, & potentiam. Eſt per eſſentiam in omnibus, quia omnibus eſt cauſa eſſendi. Eſt per præſentiam in illis, quia omnia nuda, & aperta ſunt oculis eius. Eſt deniquè in ipſis per potentiam, quia illi omnia ſubduntur. De quo videre poteris D. Thomam allegata quæſt. 8. & ibi ipſius Expoſitores maximè Caietanum. Quiaque homo iuſtus ad duplicem ordinem ſpectat, nempè naturalem, & ſupernaturalem: in ipſo, prout ad utrunque ordinem pertinente, eſt Deus illo triplici modo. In eo, prout homine, eſt per immenſitatem, quatenùs ei confert eſſe hominis. In eodem prout iuſto, eſt per immenſitatem, quatenus ei communicat eſſe iuſti, & amici. Quocircà in ipſo iuſto, quà tali, eſt Deus Author ſupernaturalis per eſſentiam (loquor cum graviſsimo Magiſt. Zumel. 1. part. quæſt. 43. art. 3. diſput. 1.) in quantum adeſt illi ut cauſa eſſendi, etiam ſecundum *eſſe* iuſti, & grati. Eſt in illo per præſentiam, in quantum iuſtus nudus, & apertus eſt oculis eius. Eſt tandèm in illo per potentiam, in quantum eſt ſub illius poteſtate humilis, & obediens factus, relictis omnibus rebus huius ſæculi, quæ ipſum ab illius ſubiectione, & amore impedire poſſent. Hæc doctiſsimus, & antiquus hic Thomiſta, qui Scholaſticum Theologum agens, ut verè Myſticus loquitur. Triplici ergo modo explicato eſt Deus ratione ſuæ immenſitatis in rebus. Vt autem Theologi diſtinguant inter res naturales, & ſupernaturales, diverſo modo conſiderare ſolent ipſum attributum immenſitatis. Primò enim conſiderant illud, prout præciſè terminatur ad *eſſe* naturale. Et ratione illius, prout ſic ſumpti, dicunt, eſſe Deum phyſicè præſentem homini, qua homo eſt, illo præſentiæ genere, quod commune eſt omnibus creaturis, prout attinent ad ordinem naturalem. Secundò conſiderant attributum immenſitatis, proùt terminatur ad lineam ſupernaturalem, & ratione illius, prout ſic accepti, aſſerunt, Deum eſſe phyſicè præſentem homini iuſto, qua iuſtus eſt: qua præciſione in ſubſequentibus indigebimus; & ideò illius in præſentiarum meminimus.

46. Sicut conveniunt Theologi in eo quòd Deus ſit in rebus creatis triplici illo modo, quem deſcripſimus: ſic etiam ſine controverſia admittunt, ipſum Deum eſſe in creatura rationali alio peculiari modo ſibi privativè inter alias conveniente. Qui modus, D. Thomam ſequuti dicunt, non eſt alius niſi quòd Deus eſt in creatura rationali (utiquè ad finem ſupernaturalem elevata) ut cognitus in cognoſcente, & amatus in amante, ratione gratiæ ſanctificantis, quam ei pijſsimus, & liberaliſsimus confert, à qua que habet, quòd queat elevari ad contemplandum, & amandum Deum Authorem & finem ſupernaturalem cognitione, & amore ſuperantibus naturalem virtutem creaturæ rationalis. In hoc, inquam, litigium non eſt. Adeſt tamen, & ſi ad voces ſpectes, non leve, in determinando, an hoc modo Deus ſit tantùm obiectivè in anima Iuſti? An verò ſit phyſicè, & realitèr præſens, præſentia diverſa ab ea, quam habere diximus per immenſitatem? Et huius dubij determinatio eſt totum præſens luctamen. ¶ Dixi: *Si ad voces ſpectes*: quia reverà in controverſia præſenti totum, aut, ut minùs, plùs eſt de nomine, & vocibus, quàm de re, & ſubſtantia. Vndè noſtra Theologia Salmantina tract. 1. diſp. 4. num. 43. inquit: *Modum dicendi Godoi non eſſe diverſum in re à modo dicendi aliorum.* Et num. 42. dixerat de modo, quo Illuſt. ille noſtros Salmant. intelligit: *Hæc enim eſt nimis*

cra

craſa intelligentia noſtrorum Authorum.

47. Sed antequam ad opinionum propoſitionem deveniam, operæpretium duxi, animadvertere, quòd Scholaſtici hanc materiam verſantes loquuntur frequentèr de Iuſto, quà Iuſtus eſt, hoc eſt, de Iuſto habente gratiam ſanctificantem, quamtumvis minima illa ſit. Myſtici verò loquuntur de Iuſto, qui perfectus eſt, aut de Iuſto, qui poſt oſculum pedum, & manuum, oſculum oris anhelat, unionemque fruitivam à ſuo Dilectiſsimo petit. Ego quia Myſticum ago, & Scholaſticum, myſtica tradens Scholaſticà methodo: de Iuſto ſub utraque conſideratione agere debeo. Aſt quia Myſticum agere, eſt munus præcipuum: idcircò de iuſto unionem fruitivam exambienti præcipuè diſputabo, iuſtum incipientem non omittens.

48. His ita ſtatutis. Circa præſentem difficultatem duplex è diametro contraria verſatur opinio. Prima docet, Deum, & Perſonas Divinas ratione gratiæ ſanctificantis eſſe tantùm obiectivè in anima Iuſti, ut obiectum ab ipſo cognitum, & amatum; quin ibi habeant aliquam præſentiam phyſicam, diverſam ab ea, qua per immenſitatem ſunt in rebus omnibus. Hanc ſententiam tenaciſsimè deffendit Illuſt. Godoi 1.part. quæſt. 43. tract. 14. diſp. 100. §. 2. qui adeò plura, & nullatenùs dulcia, dictat, inculcatque in favorem ſuæ opinionis, ut nos, vel nolentes, compellat ad faciendam digreſsionem ob veritatis amorem, & noſtrorum Authorum debitam reverentiam.

In primis enim noſtros Salmanticenſes reprehendit, quia pro eodem reputant, quòd perſonæ divinæ donentur Iuſtis, & quòd ipſæ perſonæ divinæ fiant Iuſtis præſentes realitèr, præſentia diverſa ab ea, qua ſunt realitèr præſentes omnibus creaturis: *Cum tamen*, inquit, *ſint longè diverſa.* Et huius indecoroſi erroris, ſuo iudicio certiſsimi, cauſam æquè indecoroſam, tametſi ſub aliquali dubio aſsignat numero 34. dicens: *Et forſàm ideò unum cum alio confundunt: quia ad ſuadendam perſonarum donationem plura extant teſtimonia Scripturæ, & Aug. Præcep. perſpicuæ, & manifeſtæ doctrinæ: cum tamen præſentia phyſica divinarum perſonarum, facta in vi donorum gratiæ, nec teſtimonijs Scripturæ probari poſsit, nec à D. Thom. inſinuetur.* Vndè ſecundùm iudicium huius præclari Theologi Patres Salmant. nervum difficultatis non attigerunt, & non valentes ſuum aſſertum communire teſtimonijs Scripturæ, Sanctorum PP. & Angelic. Præceptoris ad aliud recurrerunt, extra propoſitum loquentes, his omnibus abundans. O bene!

Si PP. Salmanticenſes authoritatibus utuntur, quibus probetur, perſonas divinas donari Iuſtis in vi donorum gratiæ, hoc fuit primò, quia ſic procedere, non fuit diverſa confundere, ſed methodicè, & admodùm magiſtralitèr procedere. Illi Patres dubium à Godoi citatum ſic excitant: *Vtrum in inviſibili miſsione eà ſolùm ratione dicantur mitti divinæ perſonæ, quia dona gratiæ ſanctificantis ab eis procedentia donentur?* Dubium eſt: an cum perſonæ divinæ mitti dicuntur, verè, & realitèr mittantur? An verò dicantur mitti, quia verè, & realitèr infunduntur Iuſtis dona ab ipſis divinis perſonis procedentia? Et huic quæſito omninò directè correſpondet prima pars aſſerti illorum Patrum, & authoritates, quibus illud ſtabilire ſatagunt, probantes quòd perſonæ divinæ non ea ratione dicuntur mitti, quia dona ab ipſis procedentia infundantur; ſed quia ipſæmet perſonæ verè, & realitèr mittuntur. In hoc procedendi modo nihil eſt non magiſtrale. Cur ergo in ſic procedentes adeò ſeverè proceditur? Illuſt. Godoi hoc ipſum facere nequivit: quandoquidèm dubium ſub terminis longè differentibus excitavit inquirens: *An ex vi miſsionis conſtituantur divinæ perſonæ realitèr præſentes animæ præſentia phyſica diſtincta à præſentia per*

im-

immenſitatem? Hoc aliud quæſitum eſt: undè nil mirum, ſi etiam aſſertum ſit aliud. Et qui ex his Theologis magis methodicè proceſſerit, alij videant. PP. Salmanticenſes ne tranſirent de extremo ad extremum ſine medio, diſputarunt, determinarunt que ipſas perſonas divinas mitti, & mòx egerunt de modo, quo Iuſtis præſentes ſunt. Godoi autem, quin inquireret, an divinæ perſonæ donentur Iuſtis? Diſputat de modo, quo in ipſis iuſtis, ad quos mittuntur, reperianrur. Scio, hunc Illuſtriſ. Theologum inſumpſiſſe 31. numeros, ut ſupponeret ante ſui quæſiti reſolutionem, quòd perſonæ divinæ reipſa mittuntur. Si ergo Godoi ſupponens, quod diſputare debuiſſet, non erravit: nec Patres Salmant. diſcutientes, quod diſputare debuerunt, erravere. An autem Sacra Scriptura doceat, Sancti Patres aſſirment, & D. Thomas inſinuet realem præſentiam divinarum perſonarum in anima Iuſti, non debemus ſilentio Pythagorico à Godoi accipere, ſed ab aſſertoribus illius realis præſentiæ, quod fiet poſtea. Et hæc eſt prima ratio, ob quam Patres Salmant. in illo dubio ſtatuerunt, perſonas divinas reapsè mitti, dum gratia ſanctificans infunditur.

Secunda ratio eſt: quia reverà ijs textibus probatur urgentèr præſentia phyſica divinarum perſonarum diverſa a præſentia per immenſitatem, qualem doctiſsimi illi adſtruunt, & quæ ſi placuiſſet Godoi, nihil reprehenſioni obnoxium; quin potiùs plurimum laude dignum in Salmanticenſibus reperiſſet. Qui ijſdem teſtimonijs, & diſcurſibus & primam, & ſecundam ſui aſſerti partem luculentiſsimè probavère.

Pergit Godoi, & realem hanc præſentiam ſuggillat de novitate, & quam in nullo expreſſam viderit ante Patrem Suarez, qui Doctorem pro ſe non allegat: & aliundè illam opinionem *piam appellat: fortè quia pietate magis quàm ratione fuit ad illam defendendam inductus.*

Quis fuerit illius aſſerti primus author, non poteſt evidentèr conſtare. Divinum eſſe, eius Patroni arbitrantur; cum videant illud ex Scriptura, ex Patribus, ex D. Thom. & ex Myſticis DD. uberrimè comprobari. Vnum quidèm eſt evidens, nempè, quòd Eximius Suarez Author ipſius non eſt. Tum, quia prælaudatus Mag. Zumel illud expreſiſsimè docet, quin poſſet à Suario illud audire. Tum, & præcipuè: quia Pater Suarez hanc ipſam veritatem fatetur lib. 12. de Trinit. cap. 5. num. 12. ubi ait: *Videtur mihi ſatis probabiliter, & piè ſentire, qui dicunt talia eſſe dona gratiæ gratum facientis, ut vi ſua, & quaſi connaturali iure poſtulent intimam, realem, & perſonalem præſentiam Dei in anima per talia dona ſanctificatà.* Vbi clariſsimè docet, alios ante ipſum eandem doctrinam, quam ipſe tunc tradidit, tradidiſſe. Nullum in particulari allegat: fateor: quod & omnes facimus in rebus, de quibus controverſia non eſt: tunc enim ſupervacaneum ducimus, Authores in particulari referre. *Piam* dicit P. Suarez illam opinionem, non diffiteor. Sed etiam dixit *ſatis probabilem.* Si; eo quòd *pia*, tibi diſplicet: ipſa, quia *ſatis probabilis*, alijs placet. Et qui opinionem ut *ſatis probabilem* recognoſcit, credendus non eſt *pietate magis quàm ratione ad illam defendendam inductus.*

Authores pro ſua opinione adducturus Godoi inquit, quòd videtur eſſe antiquorum Thomiſtarum. Quod difficultate non caret: Sinamque ante Patrem Suarez in nullo, quem Godoi viderit, invenitur expreſſa opinio illa, videtur, quòd illius non meminerint antiquiores Thomiſtæ, quos vidiſſe Godoi, par eſt credere: quandoquidèm, ſi de illa egiſſent mentionem antiquiores Thomiſtæ, apud ipſos, ut minùs ut exploſa, reperiretur expreſſa. Certùm in hac parte eſt, quòd omnes tam Thomiſtæ, quàm

alij, quos allegat Godoi, asserunt, Deum esse obiectivè in anima Iusti ratione gratiæ. Et hoc à nemine negatur. Dissidium est: an sit obiectivè tantùm: an verò sit etiam physicè? Clarius: an Iustus ex vi gratiæ cognoscat, & amet Deum, ut extra animam ipsius existentem, an verò ut in eàdem anima habitantem? Quæ diversissima sunt: & ab omnibus præsentia obiectiva admittitur, sed non ab omnibus physica præsentia negatur. Sicuti non negant, quos allegat Godoi, qui non debuit, res illas diversas confundere, nec pro eadem utranque reputare. *Et forsan unum cum alio confundit, quia ad suadendam personarum* obiectivam præsentiam *plura extant testimonia Scripturæ, Patrum dicta, & Angelici Præcept. perspicuæ, & manifestæ doctrinæ: cum tamen negatio præsentiæ physicæ divinarum personarum factæ in vi donorum gratiæ, nec testimonijs Scripturæ probari possit, nec à D. Thom. insinuetur.*

49. Secunda sententia affirmat, Deum, & personas divinas præsentes esse realitèr iusto ratione gratiæ, præsentia speciali, ac diversa à præsentia per immensitatem. Vndè iustus Deum ex gratia cognoscens, diligens que, non cognoscit, aut diligit Deum, ut extra se existentem, sed ut animam ipsius habitantem. Hæc sententia est prorsus consentanea Sacræ Scripturæ, Sanctis PP. & præsertim Div. Thomæ, qui illam clarè docet. Illum sequuntur NN. Salmant. tract. 6. disput. 19. dub. 5. Mag. Ioan. à Sancto Thoma 1. part. quæst. 43. disp. 17. artic. 3. Granados tract. 15. de Trinit. disp. 4. num. 5. Albelda 1. part. quæst. 8. disp. 18. N. Theologia Salmantina. Mag. Zumel, Exim. Suarez priùs laudati, alij que plurimi. Ex Mysticis Doctoribus idem sentiunt Seraphica N.M.N. Extat. Parens pluribus in locis, & præcipuè in flam. Cantic. 2. vers. 3. Et plures alios referens N. Nicolaus à Iesu Maria in elucidat. phrasium mysticarum 2. part. cap. 16. à num. 4.

Huius sententiæ defensores non eodem modo eam propugnant: nam Patres Salmant. & communissimè alij, maximè Mystici, tenent, quòd etiamsi Deus non esset ratione suæ immensitatis in iustis; adhùc in illis esset ex vi gratiæ præsentia illa speciali, qua adest ratione gratiæ. Quod explicat, & quidèm congruè exemplo unionis hypostaticæ, vi cuius ita Verbum divinum est præsens humanitati personando illam, ut si per impossibile ipsum divinum Verbum non esset præsens illi humanitati ratione immensitatis, adhùc ratione hypostaticæ unionis foret illi physicè præsens. Ast Mag. à S. Thoma ita asserit, Deum esse physicè præsentem iusto, ut hæc præsentia gratiæ debeat necessariò connotare physicam aliam præsentiam ratione immensitatis: Sin minùs specialis præsentia à gratia proveniens neutiquàm resultabit. Nec deest, qui Theologos illos ad concordiam revocare nitatur dictans Mag. à S. Thoma loqui de immensitate, ut terminata ad *esse* supernaturale iusti: Patres verò Salmant. intelligendos esse de ipsa immensitate, ut respiciente *esse* naturale hominis modo, quo num. 45. præmisimus: quocircà nulla adest inter ipsos oppositio. Verùm si Lisbonensis loquitur de præsentia ratione immensitatis, quæ, extinctà gratiâ, manet in peccatore, uti num. 35. videtur insinuare Godoi, ægrè illà, aut aliâ viâ oppositio cessabit.

50. Supra adductus Mag. Zumel substantiam propositæ sententiæ propugnans singularem viam excogitavit, qua illam tueretur. Concedit, Deum esse physicè præsentem iusto, ut tali, triplici illo modo, quem ex ipso dedimus num. 45. quibus addit quartum modum, quo ipsi iusto Deus etiam est præsens, scilicèt sicùt cognitus in cognoscente, & amatus in amante. Et ultra hos quatuor modos alium quintum introducere vult, omnes alios quatuor continentem, in quo unionem animæ cum Deo consis-

tere

tere ; autumat. Hoc quintum modum explicat per hæc verba : *Quos omnes modos essendi continet eminentèr unus quintus superior illis , scilicèt per admirabilem unionem , & modum essendi , qui alio modo à me nequit explicari , nisi dicamus , quòd est modus , quo iustus quasi transformatur , & quasi deificatur. Vndè Sanctissimus Præcep. dixit, quòd hoc modo dicitur esse Spiritus Sanctus , & Deus in creatura rationali , sicut in templo suo in quo colligitur , & veneratur , & in quo omnia illi subduntur &c. Quocircà ipsamet persona Spiritus Sancti secundùm substantiam est in iustis hominibus , cum dicitur ad eos venire , & ad eos mitti, ut explicatum est.* Hæc doctissimus hic Theologus , de cuius opinione nihil modo usque ad quæstionem sequentem dicemus , ne doctrinæ cursum disturbamus.

51. Sit ergo nostra conclusio: *Deus animæ ei unione fruitiva copulatæ est intimè , & physicè præsens præsentia diversa ab ea , quam habet ratione immensitatis: quæ præsentia specialis consistit in eo quòd Deus sit in dicta anima sicut cognitus in cognoscente , & amatus in amante.* Hanc conclusionem, quæ directè quæsito correspondet, statuo cum Authoribus secundæ opinionis positæ num. 49. contra Illustriss. Godoi, cum quo mihi specialitèr res erit. Quocircà , quoad possim , curabo ex Scriptura , ex Patribus , & speciatim ex D. Thom. assertum stabilire , & impetum contrarium retundere, enervem esse ostendens.

*****
***

§. II.

Propositam assertionem probo.

52. PRimùm probatur ex illa decantatissima scriptura habita in lib. Cantic. cap. 1. v. 1. *Osculetur me osculo oris sui , quia meliora sunt ubera tua vino , fragrantia unguentis optimis.* Anima perfectionis cupida hìc loquitur , iuxta communissimum Patrum , Interpretum que dictamen. Hanc ipsam animam petere unionem fruitivam cum suo Sponso , æquali certitudine tenendum est : quam fruitivam unionem *osculum* appellat ; & quidèm propriissimè ; nam ut docet Div. Thom. 2. ad Corinth. cap. 13. lect. 3. *Osculum est signum pacis : nam per os, in quo datur osculum , homo respirat. Et ideò quandò homines dant sibi mutua oscula , signum est , quòd uniunt spiritum suum ad pacem.* Conspirant Doctores uno ferè impulsu dicentes : animam his verbis poscere unionem fruitivam cum dilecto suo , quæ nihil aliud est , nisi quòd ipse illam deosculet , & ab ipsa ille paritèr deosculetur. In hoc nedum Patres , & Expositores conspirant, verum etiam & Mystici DD. Eorum doctrinis imbutus eruditus Cornelius ibidèm ait : *Mystici, & contemplativi* per osculum hoc accipiunt summum contemplationis gradum, quo anima priùs diù , multùmque in humilitate , oratione , & meditatione, patientia , cæterisque virtutibus exercitata , à Deo elevatur ad immediatam , & intimam sui contemplationem, & unionem , qua fit, ut ipsa iam neque in virtutibus , nec in consolationibus divinis , nec in discursibus , vel phantasmatibus , nec in ulla re creata , sed immediatè in solo Deo per contemplationem , & amorem conquiescat , dicatque in pace inidipsum *dormiam, & requiescam.* Hæc gravissimus iste Pater, qui suam hanc doctrinam desumpsisse videtur ex N. Mystic. Doctore lib. 2. noctis cap. 23. ubi illam mirificè tradit.

Habemus ergo ex dictis , animam sanctam petere unionem fruitivam , & etiam ex ipso textu habemus, quòd ipsam consecuta est. Constat; quia illa verba *osculetur me osculo oris sui* sunt, ut vidimus verba desiderantis. Illa verò *meliora sunt ubera tua vino* , sunt verba

ba poſsidentis: ideò priùs loquitur in tertia perſona, & poſtmodùm in ſecunda. Sed ne in re tanti momenti aliquid, vel minimum, proprio noſtro arbitrio tribuatur, audiendus eſt Div. Gregor. ſuper illum locum dicens: *Sponſa deſiderio æſtuans*, & in amplexum Sponſi ſui inardeſcens ait: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Ac ſi diceret, ille, quem ſuper omnia, imò ſolùm diligo, veniat, qui dulcedine ſuæ inſpirationis me tãgat: quia cùm eius oſculum ſentio, ſubita mutatione me derelinquo, & in eius ſimilitudinem illicò liquefacta transformor. Faſtidit quippè ſancta mens omnia, quæ per corpus ſentit, & in illa ſpiritualia tota tranſmutari concupiſcit: & dum iſta obſtrepunt, in illa fugit, ſeque abſcondere, ne hæc ſentiat, appetit. Ideòque oſculum Sponſi quærit; quia ſi ille graviſsimi amoris vinculo hanc non trahit, hæc vi ſuæ moleſtiſsimæ gravedinis detenta, quomodo ſe ad illum conferat, omninò non invenit. Sed pius Sponſus anxietatem eius ſentiens, amorem diligens, votum exaudiens, oſculum porrigit; & ne deſiderio laſſeſcat, guſtu ſuæ ſuavitatis lenit: & dum ſuam præſentiam exhibet, eam ad maius dilectionis oſculum accendit. Vndè hæc illum ſentiens ad eum ſe convertit: & quem præſentem habet, mòx gaudens voce mutatà alloquitur, & dicit: *Quia meliora ſunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.*

Hactenùs D. Gregor. elegantiſsimè, profundiſsimè, & clariſsimè. In data Scriptura duplicem ſtatum ſe habere Sponſa fatetur. In primo non eſt ſuo Sponſo unione fruitiva copulata: Quocircà huic unioni maximè inhians ſtudioſiſsimè clamat: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Cum abſente loquitur, ut ipſa verba demonſtrant. Et ſanè ſi Sponſus illi præſens eſſet; nec ipſius præſentiam Sponſa peteret, nec tanquam cum abſente loqueretur. Clamantem Sponſam vidimus: progrediamur. Poſtquàm ergo Sponſa ardentiſsimum illum clamorem emiſsit, *pius Sponſus anxietatem eius ſentiens, amorem diligens, votum exaudiens, oſculum porrigit*: hoc eſt, oſculum imprimens illam ſibi unione fruitiva copulat. Et tunc *ſuam præſentiam exhibet.* Et hac nova Sponſi præſentia aſcendit ad ſtatum perfectorum, ſeu unitorum Sponſa, quæ Sponſum ſuum hac nova præſentia ſibi præſentem *ſentiens ad eum ſe convertit, & quem præſentem habet, mòx gaudens voce mutata alloquitur, & dicit: quia meliora ſunt ubera tua vino.*

53. Ex quibus ſic in favorem noſtræ aſſertionis diſcurro. Dum anima Deo unione fruitiva copulatur, ex vi gratiæ, qua tunc decoratur, habet Deum ſpeciali modo ſibi præſentem: at hæc præſentia non eſt merè obiectiva, nec eſt illa, quæ provenit ab attributo immenſitatis: ergo eſt ſpecialis realis præſentia, qua Deus Sponſam ſuam honorat. Conſequentia legitima eſt, & maior liquet ex verbis datis ipſius Sponſæ, & expoſitione D. Gregorij. Minor verò probatur primò quoad utranque partem. Etenim Deus media unione fruitiva eſt præſens animæ modo, quo priùs non erat ei præſens: Sed ante unionem fruitivam erat animæ præſens obiectivè, & ratione immenſitatis: ergo præſentia Dei in anima poſt unionem non eſt obiectiva, nec per immenſitatem. Illatio eſt innegabilis, & maior per ſe nota; ſinamque media unione non eſſet Deus diverſo modo præſens, non clamaret Sponſa, & peteret præſentiam ex unione provenientem: nemo enim petit, quod poſsidet. Minor etiam liquet: quia anima ante unionem cum ſuo Sponſo loquebatur, ipſum que habebat in delicijs. Quæ non poſſe fieri, quin illum obiectivè præſentem haberet, certiſsimum eſt. Sicùt & quòd Sponſus erat præſens animæ ratione immenſitatis.

Probatur ſecundò minor principalis. Vnio fruitiva eſt ſpecialis, & realis: ſed unio per immenſitatem non eſt ſpecialis, ſed communiſsima, ut norunt omnes; & unio merè obiectiva non

eſt

eſt realis : ergo &c Minor pro ſecunda parte eſt ad mentem ſententiæ contrariæ, quæ illam unionem appellat affectivam, quia toto tempore, quo anima in via eſt, fide, ſpe, & deſiderio movetur in Deum, quem eo ipſo tunc habere nequit, niſi in affectu. Hoc principium eſt præcipuum fundamentum, ad quod ſæpè recurrit Dominus Godoi, & in quod noſtrum ſtudium dirigendum eſt. Maior autem pro prima parte eſt certa apud omnes, & pro ſecunda probatur ex Div. Thom. 1. 2. quæſt. 28. artic. 1. dicente : *Reſpondeo dicendum, quòd duplex eſt unio amantis ad amatum. Vna quidèm ſecundùm rem, putà cum amatum præſentialitèr adeſt amanti. Alia verò* &c. Sed vi unionis fruitivæ Deus *amatus præſentialitèr adeſt amanti* animæ : ergo illa unio ſecundùm rem, aut realis eſt.

54. Cætera liquent, & minor probatur primò ex textu quem dedimus Canticorum, & authoritate D. Gregor. illum explanantis. ¶ Secundò probatur ex D. Thom. opuſc. 61. ubi explicans amoris ſcalam, de qua egimus in Iſagoge lib. 3. perveniens ad gradum octavum, qui facit *ſtringere indiſolubilitèr*, ait, *omnia quidèm præcedentia fieri poſſunt in diſtantia. Verùm hìc primum eſt coniunctio amantis cum amato.* Et quia de hoc iterùm agendum eſt : ideò modò ſolùm dicimus, quòd iuxta Div. Thomam, licèt in alijs gradibus illius ſcalæ anima reſpiceret Deum ut à ſe diſtantem : in octavo, in quo ei fruitivè unitur, reſpicit ipſum ut ſibi modo ſpeciali præſentem. Subindè que unio fruitiva realis eſt. ¶ Probatur tertiò eleganti teſtimonio D. Bernardi, ſerm. 31. in Cant. ubi loquutus de anima à Deo dilecta, & pluribus gratijs ab ipſo ditata ait : *Non ergo* anima *ſic affecta, & ſic dilecta contenta erit omninò : : : niſi & ſpeciali prerogativa intimis illum affectibus, atque ipſis medullis cordis cælitùs illapſum ſuſcipiat, habeat que præſtò quem deſiderat, non figuratum, ſed infuſum ; non apparentem, ſed afficientem : nec dubium, quin eò iucundiorem, quò intùs, non foris. Verbum nempè eſt non ſonans, ſed penetrans, non loquax, ſed efficax ; non obtrepens auribus, ſed affectibus blandiens. Facies eſt non formata, ſed formans ; non perſtringens oculos corporis, ſed faciem cordis lætificans, grato quippè amoris munere, non colore. Non tamen adhùc illum dixerim apparere ſicuti eſt, quamvis non omninò aliud hoc modo exhibeat, quàm quod eſt. Neque enim vel ſic continuò præſto erit quamvis devotiſsimis mentibus ; ſed nec uniformitèr omnibus.*

Plurima ſunt in hoc Div. Bernardi eloquentiſsimo teſtimonio, quibus aſſertum propoſitum, & quæ hactenùs diximus, fulciantur. Loquitur de anima unionem fruitivam exambienti, in quæ ſupponitur Deus præſens ratione immenſitatis ut terminatæ ad *eſſe* naturale, & ad *eſſe* ſupernaturale ipſius : & nihilominùs illum adhùc alio modo præſentem deſiderat, videlicèt *ipſis medullis cordis cælitùs illapſum.* Si *illapſum* : ergo realitèr præſentem ; ſicut & præſens phyſicè eſt omnibus creaturis ob generaliſsimum illapſum in illas, & etiam iuſtis phyſicè præſens eſt ob illapſum ſpecialem gratiæ. Sic ergo illum præſentem exoptat, non iam figuratum, & apparentem, hoc eſt, non per interlocutores, aut imagines, in quibus repræſentetur ; ſed *infuſum*, & animam per ſe ipſũ *afficientem*, ac ſubindè *eò animæ iucundiorem, quò intus, non foris* : hoc eſt, quia non eſt cognitus, & amatus ab anima, tanquàm res extra ipſam exiſtens, *ſed tanquàm obiectum intimè unitum amanti, cauſans in illo cognitionem, & amorem ſui* ut ait præallegatus Zumel. Hæc autem ſolicita anima utique, quod appetit, conſequetur. Conſequetur tamen Sponſum ſuum præſentem habere *non formatum, ſed formantem*, hoc eſt, non clarè viſum, ſed obſcurè : quod propriè viatorum eſt : & ideò non apparebit, *ſicuti eſt* : aſt non aliud ab eo, quod eſt, tunc exhi-

exhibebit. Hæc ultima verba attenta reflexione digna ſunt. Animæ, cui fruitiva unione unitur Deus, non exhibet ſe *ſicuti eſt*; ſed nec omninò aliud ab eo, quod eſt, illi exhibet. Eſt dicere: exhibet ſe illi phyſicè præſentem, non tamen facialitèr videndum, ſed obſcurè contemplandum. Et in hoc videtur magnam æquivocationem paſſus Dom. Godoi: confundit enim præſentiam realem Dei cum eius viſione, ac ſi nequeat quivis cuivis eſſe præſens, quin ab eo videatur.

55. Probatur 4. ſupradicta minor authoritate P. N. D. Cyrilli Alexandrini lib. 10. in Ioan. cap. 3. ubi ait: *Cum non rectè à diſcipulo verba ſua intellecta Chriſtus videret, repetit rursùs, quod dixit, dilucidèque docet, non ſolùm cognitione iſta communi amicis ſe ſuis manifeſtaturum, ſed excellentiori quodam fulgoris modo. Nam rudiores ab impio idolorum cultu ad cognitionem Dei vocati, ſolummodò per fidem diſcunt, quòd unus Deus, qui nos creavit, collendus eſt. Qui verò omni virtute mentem ſuam purgando apti iam ad maiora facti ſunt, Spiritùs illuminatione recepta, oculis animi habitantem inſe Deum videbunt.* His verbis non ſolùm inſinuatur, quòd unio fruitiva eſt realis, ibi *Spiritùs illuminatione recepta*; & ibi *habitantem inſe*: ſed etiam oſtenditur modus, quo enerve demonſtratur quicquid in nos acumulat diffuſa manu Illuſtriſ. Godoi. Etenim Deus animam cuiuſcunque iuſti inhabitat: ſed non omnis iuſtus cognoſcit Deum *ut habitantem in ſe*: licèt omnes poſsint: quod ut percipias, attentè conſidera: quòd Deus duplicitèr queit cognoſci à iuſto, ut habitans in eius anima. Primò ex iuſti induſtria, ſeu acquiſitè: Secundò ex Dei ſpeciali gratia, aut infusè. Primum evenit, quando homo ob Dei miſericordiam conſiderans ſe in ipſius gratia ex ipſius gratiæ adiutorio, reflectit ſupra ipſum Deum, quem ex vi gratiæ præſentem phyſicè habet, illum que, prout ſic, cognitione, & amore ſupernaturalibus contemplatur, & amat. Et tunc eſt Deus ut cognitus, & amatus actu in cognoſcente, & amante actualitèr. Dum verò iuſtus hac reflexione non utitur, non eſt Deus ut actu cognitus, & amatus in cognoſcente, & amante actu, ſed habitu, ut diſertè docet Div. Thom. infra forſàm referendus. Et hæc non alia eſt noſtra phyſica præſentia, qua Deum eſſe habitu, vel actu in anima iuſti dicimus, ſuperquam nauſeat mens Illuſtriſ. Godoi, & quam nec leviſsimè tangunt tot ſpicula, quæ contra ipſam intorquet. ¶ Secundum contingit, quandò pijſsimus Deus in animam, quam ſibi fruitivè unit, vel quam unitam ſupponit, tactu ſubſtantiali, ac ſubtiliſsimo illabitur, illam teneerrimè amplexans, dulciſsimè deoſculans, favoribus que inenarrabilibus cumulans. Tunc anima Deum præſentem ſibi cognoſcit, & amat, non iam induſtria ſuæ reflexionis, ſicut priùs; ſed beneficio infuſæ communicationis: quà medià Deum iam pridèm in ea habitantem, ac denuò abundantiùs communicatum cognoſcit præſentiſsimum ſibi, aut, uti aiebat D. Bernardus, *intus, non foris*, ac ſubindè *iucundiorem*. Hunc Deum hoc modo ſibi realitèr præſentem *ſpiritùs illuminatione recepta*, cognoſcit cognitione adeò ſublimi, ut *viſio* à Parente N. D. Cyrillo nominetur. *Deum videbunt*. Ac de hac eminentiſsima contemplatione, & unione fruitiva, quæ paſsim *viſio* à Myſticis nuncupatur, hactenùs loquuti fuimus, ut mox deſcenderemus ad probandam eandem phyſicam Dei præſentiam, diverſam ab ea, quæ ipſi convenit ratione immenſitatis, in anima cuiuslibet iuſti, etiam minimà gratià ornati. Omnes quippè iuſti habent Deum hac phyſica præſentia ſibi ipſis præſentem: undè habitu, vel actu cognoſcunt illum, & amant. Quod ſi fiat propria induſtria cognoſcentis & amantis, cognitio erit acquiſita: ſimminùs infuſa erit. Et pro hac clamat anima ſancta, ſuſpirat que, ut ex dictis liquet,

Hæc

56. Hæc fermè inopinè anticipavi, dum verba Parentis N. S. Cyrilli expendebam. Revelato iudicio, propoſitum mutare compellor, & arma deponere, nec pauca erant, quæ paraveram, ut ſtatutam concluſionem fulcirem, in ſententiam oppoſitam procederem, noſtros que Authores vindicarem. Quandoquidèm doctrinà datà vel mediocritèr inſtropectà, & noſtrum aſſertum inconcuſsè ſuadetur, & Illuſtr. Godoi longè ire à mente noſtrorum Salmant. deprehenditur. Textus enim Scripturæ, & Patrum, quos allegant, diſcurſus, quos efformant, rectè, ac genuinè ſtabiliun bimembris aſſerti ſui utranque partem. Quarum prima eſt, quòd in vi donorum gratiæ ſanctificantis donantur iuſto verè, & realitèr Deus, & Divinæ Perſonæ. Ex hac verò deducitur veritas ſecundæ, quæ adſtruit, quòd modus ſpecialis, quo Deus, & Perſonæ Divinæ ſunt in iuſto, phyſicè ipſi præſentes, conſiſtit in eo, quòd ſint in anima ipſius tanquàm obiectum cognitum, & amatum, totam ſuperans facultatem naturæ in cognoſcente, & amante. Vndè textus illos etiam & nos allegamus, ut potè veritatem aſſertam ſuadentes, & præſertim ſi applicentur iuſto, qui unione fruitiva Deo unitus eſt, ut liquet ex dictis, docet que adductus Sanct. Cyrillus.

57. Nec ſolus egregius iſte Doctor hoc docet: eandem enim doctrinam elegantiſsimè tradit Seraphica M. N. manſ. 7. cap. 1. ubi iuxta tranſlationem latinam, quam ſequitur Cardinalis de Lauræa opuſc. 8. cap. 7. inquit: *Ingens illa delectatio, de qua ſupra mentio facta eſt, quam anima experitur, quando conſpicit ſe habere Deum* &c. Perpende emphaticam energiam illius phraſis: *quam anima experitur, quandò conſpicit ſe habere Deum.* Sempèr anima iuſti Deum habet, ſed non ſempèr *conſpicit ſe habere Deum.* Aſt *quando conſpicit ſe habere Deum,* eſt Deus phyſicè illi præſens, ineffabilem dulcedinem illi conferens, *quam anima experitur.* Eandem energiam habet in vulgari noſtra impreſsione antiqua, iuxta quam vertas: *quandò conſpicit ſe aproximari Deo.*

Nec mirum eſt, quòd ſic loquatur Cæleſtis Magiſtra quæ priùs eodem capit. dixerat: *Cum Deus incipit miſereri afflictionum, & laborum, quos anima, quam ſpiritualitèr ſibi in ſponſam elegit, paſſa eſt propter amorem ſuum, antequàm celebretur & conſummetur matrimonium ſpirituale (quod licèt in hac vita ingens ſit donum, non tamen ex omni parte perficitur, quia in hac vita ſempèr à Deo ſeparari poteſt) eam in ſua* (id eſt Dei) *manſione collocat, qui eodem modo, ac in Cælo propriam in anima manſionem, in qua ipſe immoretur, ſibi eligit.* Vide, quod Deus habet in anima iuſti propriam manſionem, quam inhabitet, *eodem modo ac in Cælo.* In Cælo eſt Deus phyſicè præſens ipſum facialitèr contemplantibus. Ex quo deducitur, quòd ſit phyſicè præſens menti, & voluntati iuſtorum illum ex beneficio gratiæ poſsidentibus. Secùs enim verùm eſſe nequit, quòd *eodem modo, ac in cælo* eligit in animam, quam in ſponſam aſſumit, propriam manſionem, in qua habitet.

58. Forsàm Sanctiſsima Doctrix alludit in hoc loquendi modo ad uſum repetitum in Scriptura, quæ animam iuſti dicit Templum Dei. Multotiès hoc affirmat Div. Paulus, qui in 1. ad Corinth. cap. 3. ait: *Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis?* Per quæ, teſte Div. Thom. ibi lect. 3. probat D. Paulus Spiritum Sanctum eſſe Deum: quia ſolius Dei eſt, quòd domus, quàm inhabitat, dicatur templum. Eſt ergo anima iuſti templum Dei: & cum Deus in templo ſancto ſuo ſit modo ſpeciali, ab eo, quo eſt in alijs locis: fit conſequens, quòd ſit in anima iuſti, & maximè in manſione, quam ſibi eligit, eo ſpeciali modo. Audiendus eſt D. Thom. *Eſt enim de ratione tem-*

templi, quòd sit habitaculum Dei, secundùm illud Psalm. Deus in templo sancto suo. *Vndè omne illud, in quo* Deus habitat, *potest dici templum.* Habitat autem Deus *principaliter in se ipso &c.* Habitat etiam Deus *in domo sacrata &c.* Habitat etiam Deus *in omnibus per fidem, quæ per dilectionem operatur.*: Vndè & *ad probandum, quòd fideles sint templum* Dei, *subiungit, quòd inhabitantur à Deo.* Cum dicit: & Spiritus Dei habitat in vobis *&c.* Ex quo patet, *quòd* Spiritus Sanctus *est* Deus, *per cuius inhabitationem fideles dicuntur templum* Dei. *Sola enim inhabitatio* Dei templum Dei facit, *ut dictum est.* Est autem considerandum, *quòd* Deus *est in omnibus creaturis; in quibus est per essentiam, potentiam, & præsentiam, implens omnia bonitatibus suis, secundùm illud Hierem.* 23. Cælum, & terram ego impleo. Sed spiritualiter dicitur Deus *inhabitare, tanquàm in familiari domo in Sanctis, quorum mens capax est* Dei *per cognitionem, & amorem, etiamsi ipsi in actu non cognoscant, & diligant; dummodò habeant per gratiam habitum fidei, & charitatis, sicut patet in pueris baptizatis. Et cognitio sine dilectione non sufficit ad inhabitationem* Dei. Habemus ergo ex D. Thom. quòd Deus est in anima iusti, *tanquàm in familiari domo sua*: & non solùm sub ea universalitate, qua est in omnibus rebus. Quam familiaritatem, *quandò*, anima, *conspicit se habere*, sive conspectu acquisito, sive infuso, habet Deum physicè sibi præsentem, quem prout sic, vel actu cognoscit, & amat, ut dictum est.

Extaticus N. Doct. mirè rem totam ediſſerit in ſua dulciſsima Egloga, ubi Cant. 11. triplicem modum, quo Deus eſt in creaturis diſtinguit. Primus, quem appellat *eſſentialem*, & *naturalem* eſt ille, qui ſibi convenit ratione ſuæ immenſitatis, de quo iam egimus. ſecundus eſt modus, quo Deus eſt in anima iuſti per gratiam: Tertius, qui ad ſecundum, ut *magis* ipſius, reducitur, conſiſtit in eo, quòd Deus quandoquè animam viſitat, ſe ipſum illi præſentem, obſcurè tamen, oſtendens. Et dum ſic ſe exhibet animæ, illam fauciat vulnere ineffabili amoris, vi cuius ſolicita deſiderat, habere intuitivè præſentem illum ipſum, quem præſentem obſcurè contemplata eſt. Vndè medellam exoptans clamat.

Deſcubre tu preſencia,
I mateme tu viſta, y hermoſura:
Mira, que la dolencia
De amor no bien ſe cura,
Sino con la preſencia, y la figura.

In ſecunda declaratione primi carminis profundiſsimè ſpatiatur S. Doctor, cuius verba cum paraphraſi interiecta offeram ob maiorem claritatem. Ait enim: *Quia huic animæ conſtat, illi* Deum *ſempèr præſentem eſſe, vt minus ſecundùm primum modum*, hoc eſt, ratione immenſitatis, ſeu per eſſentiam, præſentiam, & potentiam: *Idcircò non petit, quòd fiat illi præſens*; hoc enim iam habet: *ſed petit, quòd depoſito involucro tenebrarum, quibus obvelatus ſuam illi præſentiam exhibet, ſe illi clarè manifeſtet, ut ſic queat ipſum, eius que pulchritudinem intuitivè videre.* Hac clara præſentia ſatiabitur; *ſive* Deus *illi intuitivè oſtendatur ſecundùm eſſe naturale*, quo Deus eſt in omnibus creaturis; *ſive ſecundùm eſſe gratiæ*, quo eſt in iuſtis. *Sivè ſecundùm eſſe maioris gratiæ*, quo eſt in magis iuſtis. Quomodocunquè enim illum clarè videat, ſatiabitur eius deſiderium. Videri debet Doctor S. qui hanc materiam proſequitur egregia documenta propinans.

Ex quibus iam duo cognoſcere debemus. Primum, quod poteſt Deus phyſicè eſſe præſens animæ, quin hæc illum videat: quia poteſt eſſe realitèr præſens, & non videri: quod perſpicuè liquet ex inducta authoritate. Secundum eſt, quod ultra modum, quo Deus eſt in rebus ratione immenſitatis,

eſt

eſt alio ſpeciali modo præſens iuſtis ex vi donorum gratiæ ſanctificantis, ſub quo ſpeciali modo cognoſcitur, & amatur à iuſtis, ut dictum eſt.

60. Nec defuit graviſsimo ſententiæ adverſæ propugnatori doctrina Angelici Præcept. in qua noſtram recognoſceret. Etenim Doct. S. in ipſa quæſtione ubi de miſsione Divinarum Perſonarum agit. art. 6. ad 2. allegat Div. Auguſtinum lib. 4. de Trinitat. dicentem: *Tunc cuiquam mittitur filius, cum à quoquam cognoſcitur, atque percipitur, quantum cognoſci, & percipi poteſt pro captu, vel proficientis animæ in Deum, vel perfectæ animæ rationalis in Deo.* Hæc ſunt D. Auguſt. verba, quæ art. præced. eiuſdem quæſtionis 43. ex 1. part. adduxerat, licèt non omnia D. Thomas dicens: *Non igitur ſecundùm quamlibet perfectionem intellectus mittitur filius: ſed ſecundùm talem inſtitutionem, vel inſtructionem intellectus, qua prorumpat in affectum amoris, ut dicitur Ioan. 6. Omnis, qui audivit à Patre, & didicit venit ad me. Et in Pſalm. in meditatione mea exardeſcet ignis. Et ideò ſignanter dicit Auguſt. quòd filius mittitur, cum à quoquam cognoſcitur, atque percipitur. Perceptio autem experimentalem quandam notitiam ſignificat; & hæc propriè dicitur ſapientia, quaſi ſapida ſcientia.*

Vbi reflectere oportet ſupra illud adverbium *ſignanter*, quo utitur Sanct. Thomas. Dum enim Deus eſt in anima iuſti ex vi gratiæ, non ſolùm ut cognitus adeſt, ſed etiam ut perceptus: & nequit eſſe perceptus ſine experimentali notitia: quæ abſdubio petit præſentiam realem percipientis, & percepti: abſens quippè nec percipere, nec percipi valet. Nec ad hoc ſufficit præſentia obiectiva; ſed exigitur phyſica, & realis præſentia. Præſentia enim purè obiectiva cogniti & amati eſt utique illius dilectio, & cognitio, neutiquàm tamen eſt perceptio; quia hæc eſt experientia, ut dicitur in adductis authoritatibus, & experientia petit realem præſentiam obiecti. Sic nos ipſa experientia docet, & eſt doctrina Div. Thomæ ſuper Pſalm. 33. dicentis: *Experientia de re ſumitur per ſenſum; ſed aliter de re præſenti, & aliter de abſente* (intellige de diſtanti, ſeu non coniuncta potentiæ) *quia de abſente per viſum odoratum & auditum: de præſente verò per tactum, & guſtum, ſed per tactum de extrinſeca præſente, per guſtum verò de intrinſeca. Deus autem non longe eſt à nobis, nec extra nos, ſed in nobis. Ierem. 14. Tu in nobis es Domine. Et ideò experientia divinæ bonitatis dicitur guſtatio. 1. Petri 2. Si tamen guſtatis, quàm dulcis &c. Et Proverb. ultim. Guſtavit, & vidit quoniam bona eſt negotiatio eius.* Cognitio, qua iuſtus, ut talis, Deum contemplatur perceptio eſt; ac ſubindè experientia, & non quæcunque experientia, ſed quæ attineat ad guſtum ſpiritualem, qui voluntas eſt, qua, dono ſapientiæ concurrente, bonitas divina guſtatur à iuſto. Si ergo de ratione guſtus eſt, quòd obiectum eius non ſolùm ſit phyſicè præſens, ſed etiam intrinſecè in gultante: nullum motivum adeſt, ut hoc guſtui ſpirituali denegemus.

61. Conſonat Doctori Ang. Seraphicus Doct. qui Itin. 6. diſtinct. 1. p. 'eniſsimè hæc ediſſerens ait: *Experientia idem eſt, quòd notitia. Vndè experientia videtur eſſe obiecti cuiuslibet potentiæ præſentialis actus, & notitia: :: Vndè ſi omnes homines dicunt mihi hoc eſſe dulce: per hoc non habeo notitiam experimentalem de illa, etiam quantumcunque probent per rationes; ſed opinionem, vel fidem, vel ſcientiam poſſum habere: ſed ſi guſtus meus attingit guſtabile, vel attingitur ab illo, tunc habeo notitiam experimentalem illius. Similiter eſt de guſtu interiori, & alijs ſenſibus ſpiritualibus. Vndè ſi ego lego, vel audio ab aliquo quòd dulcis ſit Dominus: propter hoc non habeo notitiam experimentalem de hoc, niſi guſtus ſpiritualis attingatur à dulcedine divina,*

ut dicat cum Sponſa: Fructus eius dulcis gutturi meo. Vbi loquitur de guſtu ſpirituali, & experimentali, ut patet in Gloſſa. Et iſta notitia experimentalis perfectiſsimorum eſt. Vndè dicit Bernardus: Quicquid de tuis occultis ſumus, ò Domine Ieſu, aut Scriptura docente, aut te revelante, aut certè, quod perfectiſsimorum eſt, guſtando didicimus. Videatur idem S. Doctor in Diæta ſalutis titulo 6. de donis cap. 3. ubi hanc ipſam doctrinam tradit. Vndè quamquàm omnes Doctores Eccleſiæ, Eccleſia ipſa, Angeli, Deus mihi affirment dulcedinem bonitatis divinæ, ſi illam non guſtem, habebo quidèm opinionem, aut fidem, aut ſcientiam; experientiam tamen non habebo, nec perceptionem: ad quas neceſſaria eſt realis præſentia obiecti, nec ſufficit obiectiva; hæc enim ab opinante, ſciente, credente que habetur; & tamen non percipiunt, quia non experiuntur; nec experiuntur, quia non guſtant; nec guſtabunt, ſi obiectum phyſicè præſens non ſit.

62. Nec offendas in verbis Melliflui, ac Seraphici Doctoris hanc experientiam ſolis perfectiſsimis attribuentium. Loquuntur quippè de experientia proveniente ab unione fruitiva, quæ ſanè *perfectiſsimorum eſt.* Sed per hoc non negant experientiam minus nobilem in habẽtibus minus perfectam charitatem, cuius perfectio, aut imperfectio eſt menſura ipſius experientiæ. Eodem modo intelligendus eſt Ang. Magiſter num. 52. à nobis datus, qui declarans nobis gradus ſcalæ amoris, cum octavus gradus occurrit, dixit: *Omnia quidèm præcedentia fieri poſſunt in diſtantia. Verùm hic primùm eſt coniunctio amantis cum amato.* Hæc coniunctio eſt unio fruitiva, quæ facit *ſtringere indiſſolubilitèr.* Per hoc tamen non negatur, quòd in gradibus præcedentibus ſit etiam coniunctio amantis cum amato; atque ideò guſtus, experientia, & perceptio; ſed quæ longè diſtent à perceptione, experientia, & guſtu, quibus perfecti fruuntur. Ratio eſt, quia experiri, ac guſtare divinam bonitatem eſt proprium charitatis, & doni ſapientiæ. Vndè, cùm in quocumque gratiâ prædito reperiatur ſapientiæ donum: idcircò quicunque gratiam habens divinam bonitatem guſtat; ſecundùm menſuram gratiæ, quam habet, & ſolicitudinis, quam ex gratia ponit: aut etiam iuxta ſtatum, in quo eſt. Quod egregie docet D. Bonavent. tom. 2. tract. de reformat. ment. 1. part. cap. 12. ubi docet, qualitèr potentiæ animæ de die in diem perficiantur. Sunt ergo, ait, *in intellectu tres gradus: primus, credere ſimpliciter, ut ruſtici. Secundus penetrare intellecta. Tertius, quaſi videre, quæ creduntur. Primus pertinet ad habitum fidei. Secundus ad donum intellectus. Tertius ad gratiam gratis datam fidei et ad beatitudinem quintam: nempè Beati mundo corde, quia ipſi Deum videbunt. In voluntate ſunt etiam tres gradus. Primus eſt, reſiſtere vitijs, qui eſt ſtatus continentium. Secundus eſt, paſsionibus imperare, & pace frui. Tertius, Deo adhærere, & uniri, quando iam virtutes tranſeunt in affectum cordis. In memoria primus gradus eſt, animam cum labore ab evagationibus reprimere. Secundus eſt, meditationibus ſine pugna imaginationis inſiſtere. Tertius eſt, immobiliter in Deo ſtabiliri.*

63. Hi ſunt gradus, quibus anima inveniri poteſt in hac vita. Primum incipientium eſt. Secundus proficientium, & tertius perfectorum: In omnibus illis mediâ gratiâ ſanctificante, eſt anima unita Deo. Sed in duobus primis imperfectè, perfectè verò in tertiò. In omnibus illis clamat anima, ut ſuam beatitudinẽ obtineat: alitèr tamen, & alitèr: nam in tertio ſuſpirat pro beatitudine conſummata in gloria: iam quippè poſſidet inchoatam. In primo, & ſecundo appetit conſummatam; & inchoatam inquirit. Et donec illam conſequatur, ſuſpirat, quatitur, non quieſcit. Quæ omnia ſignant, ipſam Deo unitam eſſe mediâ gratiâ, licèt imperfectè, ut

dictum

dictum est. Et sanè tota hæc doctrina profundissimè comprehensa est à Div. Augustino, quem dedimus num. 60. Ibi enim ait, quòd tunc filius ad animam mittitur, quandò cognoscitur, & percipitur, quantum cognoscibilis, & perceptibilis est *pro captu, vel proficientis animæ in Deum, vel perfectæ animæ rationalis in Deo.* Anima proficiens in Deum est anima tendens ad obtinendum Deum, seu propriam supernaturalem beatitudinem, vel consummatam in patria, vel inchoatam in via. Anima perfecta in Deo, est anima, quæ iam Deo intimè unita est, vel ipsum intuens in gloria, vel eminentissimè contemplans in exilio.

Dicta sufficiant pro nostro asserto stabiliendo. Ex ijs non obscurè cognoscitur, nostram opinionem posse superabundatèr suaderi testimonijs Sacræ Scripturæ, Sanctorum que PP. innumeris, & clarissimis doctrinis. Et etiam cognoscitur, quòd D. Thomas non solùm illam insinuat; sed etiam clarissimè docet. Et quia facile cuique erit, discursus ex ijs, quæ diximus, efformare in comprobationem assertionis nostræ; idcircò in hoc immorari nolumus.

***

§. III.

Argumenta.

64. CONtra nostram conclusionem arguitur primò à D. Godoi. Etenim D. Thom. sempèr quòd agit de modo, quo Deus specialitèr est in anima iusti, explicat illum per hoc, quòd sit ut cognitus in cognoscente, & amatus in amante: sed ut aliquis sit cognitus, & amatus sufficit præsentia obiectiva; nec requiritur physica præsentia; cùm id, quod absens est, queat amari, & cognosci: ergo est contra D. Thom. ponere præsentem Deum iusto alio modo præter obiectivum.

Confirmatur, Si daretur physica præsentia Dei in anima iusti diversa ab ea, quæ ei competit ratione immensitatis, diminutè processisset D. Thom. qui nunquàm talis præsentiæ physicæ meminit: sed solam obiectivam constituit ut specialem iusto ratione gratiæ.

Respondetur argumento ex dictis à num. 60. explicando authoritates D. Thomæ, quæ hìc allegari solent, nos que infra dabimus, de cognito, & amato non speculativè, ut sic dicam cum D. Bonavent. laudato in numer. 61. in tract. de Diæta salutis: sed de cognito & amato perceptivè, experimentalitèr, & gustativè. Sic enim amatus, & cognitus debet esse præsens physicè amanti, & cognoscenti, cui ut speciali amico intimè uniri debet. Et ad sic exponendam mentem D. Thomæ ab ipso edocemur. Videantur, quæ ex eodem Ang. Mag. dedimus num. 60. Per quod patet ad confirmationem: sempèr enim D. Thom. illius specialis præsentiæ physicæ meminit: quia nunquàm sententia oppositæ probabit Sanctum Doct. loquutum fuisse de cognito, & amato speculativè: cùm ex eodem constet, loquutum fuisse de experimentalitèr cognito, & amato, & non de attacto sub frigida illa præsentia merè obiectiva.

65. Contra hanc doctrinam multiplicitèr insurgit Godoi. Primò sic: Ex hoc, quòd amicus intimè diligatur, non constituitur physicè præsens amico intimè diligenti, sed solùm affectivè, & obiectivè, ut obiectum intimè dilectum: sed quòd Deus à iusto percipiatur, est quòd Deus à iusto diligatur: ergo per hoc quòd D. Thom. dicat, iustum percipere Deum, non docet, quòd Deus sit modo peculiari physicè præsens iusto.

66. Objicit secundò. D. Thomas loquitur de amore, & cognitione, quibus ipsum iustus amat, & cognoscit in via; sed amor, & cognitio viæ non terminantur ad Deum, ut obiectum physicè præsens: ergo siniſtrè D. Thomam exposuimus. Cætera liquent, & minor probatur primò quoad actum amoris.

Quia amor vel eſt ſpecialitèr dictus, vel eſt actus deſiderij, aut delectatio: ſed primus ex ſe præſcindit à præſentia, & abſentia obiecti, ſecundus illam excludit, & delectatio viæ non eſt de bono habito in re, ſed in ſpe, & iure, ut paſſim docet D. Thom. ergo.

Probatur ſecundò minor quoad cognitionem, quæ ſi ſit cognitio *ex fide certiſsima eſt*, inquit Godoi. Si autem ſit cognitio doni ſapientiæ, probatur illa minor primò: Gratia iuſtificans unit iuſtum Deo, ut obiecto cognito per fidem, & amato per charitatem: ſed gratia ſic uniens iuſtum Deo non petit illius realem præſentiam: ergo recurſus ad cognitionem experimentalem doni ſapientiæ vanus eſt. Patet iſta: quia ante hanc cognitionem iam Deus ſupponitur in anima iuſti. Minor etiam liquet: quia ſi gratia exigeret cognitionem experimentalem Dei eſſet quatenùs eà media iuſtus unitur Deo: ſed cognitio fidei experimentalis non eſt: ergo. Maior verò eſt expreſſa Div. Thomæ in 1. diſt. 37. quæſt. 1. art. 2. dicentis, modum ſpecialem, quo Deus eſt in Sanctis, conſiſtere in operatione fidei, & charitatis.

Probatur ſecundò ipſa minor principalis. Cognitio experimentalis habita de Deo in via non exigit realem præſentiam: ergo quamvis concurſus doni ſapientiæ deſideretur, non eoipſo affirmatur, Deum eſſe realitèr præſentem iuſto. Probatur antecedens primò. Cognitio illa iuxta D. Thom. in 1. diſt. 15. quæſt. 4. art. 1. ad 1. eſt coniecturalis: ſed cognitio coniecturalis non petit realem præſentiam obiecti: ergo.

¶ Probatur ſecundò antecedens. Delectatio, & fruitio, quas iuſti viatores de Deo percipiunt, non ſunt de ipſo habito in re, ſed in ſpe, ut docet Div. Thom. 1. 2. quæſt. 11. art. 4. in corpor. & ad 1. ſed ſuavitas, & dulcedo, quam de Deo experiuntur iuſti, vel eſt fruitio, & delectatio, vel ad illas conſequitur: ergo.

67. Obijcit tandèm, Si gratia iuſtificans realem præſentiam Dei exigeret, foret ratione alicuius actus petentis illam realem præſentiam, cuius actus ipſa gratia principium eſſet: ſed talis actus non datur: ergo nec phyſica Dei præſentia in anima iuſti. Minorem tanquam certam ſupponit, & maiorem ſuadet paritate luminis gloriæ petentis Dei viſi præſentiam; quia eſt principium cognitionis intuitivæ, quæ neceſſariò petit ad Deum viſum terminari.

68. Plura his inculcat Godoi, quorum multa ſunt planè falſa: & alia ex plana æquivocatione procedunt. Ad primam obiectionem dicas: D. Thomam, & D. Auguſtinum illam perceptionem ex additione ad cognitionem ponentes, non loqui de amico, qui ſit obiectum ſecundarium charitttis; ſed de eo, qui charitatis obiectum primarium eſt. Loquuntur de amico increato: qui ſupponitur phyſicè præſens iuſto ratione immenſitatis, ut reſpicientis *eſſe* ſupernaturale gratiæ, quam iuſto confert, ut ſupra explicatum eſt. Et de iſto amico idem eſt, quòd ſit in iuſto ut cognitus, & amatus, ac quòd ſit ei realitèr præſens. Vide, quæ diximus num. 56. & ſequentibus. Vndè reſoluta ſecundùm hanc doctrinam maiori obiectionis, diſtinguatur minor: *diligatur* percepti vè, & experimentalitèr, conceditur: alitèr, negatur minor, & conſequentia. Termini ex dictis noti ſunt.

69. Ad ſecundam obiectionem conceſa maiori, negetur minor, ad cuius primam probationem dicas, eſſe penitùs falſa omnia, quæ in minori continentur. Etenim licèt amor exſe præſcindat à præſentia amati: amor perceptivus, experimentalis, & guſtativus, non præſcindit, uti docent D. Aug. D. Thomas, & D. Bonavent. num. 60. & 61. adducti, à quorum ſecuriſsimo magiſterio, & experientijs, hæc Dei arcana accipere debemus: minùs propriè idoneitati, quamquàm ſine controverſia inſigni, deferentes. *Quicquid de tuis occultis ſcimus, ò Domine Ieſu, aut Scriptura docente, aut te revelante; aut certè, quod*

quod perfectiſsimorum eſt, guſtando didicimus, aiebat ſupra D. Bonavent.

Illud, quod in eadem minori dicitur de deſiderio, maximè prout ab arguente affertur, etiam eſt falſum. Poteſt quippè res præſens deſiderari, quamquam non ſub ea ratione, qua eſt præſens. Latiùs patet, Deum eſſe præſentem, quàm eſſe viſum: queit namque eſſe præſens, quin videatur, quod etiam verificatur de quocunque viſibili. Vndè iuſtus habens phyſicè præſentem Deum, non deſiderat Dei præſentiam: ſed eum videre. Vidimus num. 59. Expertiſsimum N. Paren. D. Ioannem à Cruce dicentem, quòd anima incendio cæleſti percita clamet, ut Deus illi ſuam faciem oſtendat: *Deſcubre tu preſencia.* Et obſervat idem Doctor S. ut ibidèm diximus, quòd non petit à Deo, ut ſe illi præſentem exhibeat: hoc quippè iam conſecuta eſt, ut quid ergo peteret, quod habebat? Petit tamen, videre clarè illum, qui obſcurè præſens aderat. Vndè poteſt res eſſe præſens, & deſiderari. Hoc docet S. Ioannes à Cruce, hoc D. Gregor. D. Auguſt. D. Thom. D. Bernardus, D. Cyrillus, D. Bonavent. Seraphica Thereſia expreſiſsimis teſtimonijs, quæ exhibuimus, cum quibus ſentire volumus, & ſentimus, propugnantes Deum eſſe præſentem animæ iuſti, & huius deſiderium videndi ipſum, quem phyſicè præſentem habet.

70. Clariori falſitate procedit id, quod de delectatione dicitur in ultima parte illius minoris. Iuſtus viator percipit delectationem de Deo, & Deo fruitur perfectè, ſi ipſe perfectus ſit, & imperfectè, ſi adhùc perfectus non ſit; ſed tendat ad perfectionem. Et utroque modo, hoc eſt, ſivè perfectus ſivè imperfectus ſit viator iuſtus, fruitur Deo in re habito, quem etiam habet in ſpe; atque ideò movetur in ipſum, & ſimùl quieſcit in ipſo. Quod ex ijs, quæ de deſiderio dicebamus, liquet: nullam enim aliam difficultatem hoc addit, præterquam in verbis. Quieſcit, & fruitur Deo obſcurè præſenti: & non fruitur: ſed movetur in Deum clarè videndum. Itaque beatitudo *iuſti* duplex eſt. Alia abſolutè, & ſimplicitèr talis. Et hæc eſt beatitudo conſummata in gloria, quæ quidèm dicit Deum in re habitum, non qualitercumquè, ſed viſum: non enim conſiſtit hæc beatitudo in habitione reali, & præſentiali Dei utcunque, ſed in reali habitione ipſius ut viſi. *Quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt*, ut dicitur prima Ioan. 3. v. 2. Non dixit: quoniam præſens nobis erit, ſed: *quoniam videbimus eum*: quia loquitur de beatitudine gloriæ, ſeu abſoluta, & ſimplicitèr tali, quæ, ut dictum eſt, ultra præſentiam Dei dicit intuitivam ipſius manifeſtationem. De hac etiam beatitudine loquitur D. Thom. omnibus ijs textibus, quos arguens accumulat, & qui nobiſcum minimè loquuntur. Quandoquidèm non dicimus, iuſtum viatorem delectari, aut frui Deo clarè viſo in re, ſed in ſpe, in iure, ac deſiderio.

Habet ipſe viator iuſtus aliam beatitudinem, quæ intra viæ limites continetur. Et hæc quoquè in reali Dei habitione, ſed non intuitiva, conſiſtit. Què bipartitur in imperfectam, & perfectam. Illà gaudent tendentes ad perfectionem: hac potiuntur iam perfecti, qui unione fruitiva Deo ultimo fini ſupernaturali uniti ſunt, non in ſpe, ſed in re. Vndè ipſum Deum in re habent, *non formatum*, hoc eſt non clarè viſum; ſed *formantem*, hoc eſt, ſuis favoribus illos recreantem, ut num. 54. vidimus ex D. Bernard. qui etiam tunc nobis dixit, quod perfectis viatoribus ſibi unitis non apparet Deus *ſicuti eſt: quamvis non omninò aliud hoc modo exhibeat, quàm quod eſt.* Vndè ille ipſe, qui perfectis non apparet *ſicuti eſt*, eſt illis obſcurè præſens, & *non aliud, quàm quod eſt.*

71. Tota huius doctrinæ fabrica aliquibus principijs certè inconcuſis innititur. Primum eſt: quòd datur beatitu-

titudo ſupernaturalis viæ. Et hoc paſſim edocetur à D. Thom. ut videre eſt in 1. 2. quæſt. 109. art. 2. nbi ait: *Aliqua inchoatio beatitudinis eſt in hac vita in viris perfectis.* Plura alia ex ipſo S. Doct. tradidimus diſp. 16. quæſt. 12. ubi fusè probavimus, dari hanc ſupernaturalem beatitudinem viæ, qua fruuntur perfecti. Sed ubi Ang. Doct. adeò perſpicuis, & huius materiæ proprijs terminis loquitur, ut demonſtret, aeream eſſe totam ſolicitudinem obijcientis, eſt in eadem 1. 2. quæſt. 61. artic. 5. In quo ponit illam virtutis diviſionem, cuius meminimus in Iſagoge lib. 1. num. 150 & 151. Ex illa quadrimembri diviſione ad nos modò tantùm ſpectant virtutes *purgatoriæ, & purgati animi.* Et diſtinctivum inter virtutes purgatorias, & purgati animi aſsignans ait: *Neceſſe eſt ponere quaſdam virtutes medias inter politicas, quæ ſunt virtutes humanæ, & exemplares, quæ ſunt virtutes divinæ. quæ quidèm virtutes diſtinguuntur* (obſerva proprietatem, & profunditatem Magiſtri) *ſecundùm diverſitatem motus, & termini: ita ſcilicèt quòd quædam ſunt virtutes tranſeuntium, & in divinam ſimilitudinem tendentium. Et hæ vocantur virtutes purgatoriæ: ita ſcilicet* &c. *Quædam verò ſunt virtutes iam aſſequentium divinam ſimilitudinem, quæ vocantur virtutes iam purgati animi.* Vide, quòd virtus purgatoria eſt *tranſeuntium, & in divinam ſimilitudinem tendentium* ſeu, & eſt idem, eſt eorum qui movetur ad conſequendum Deum in re: & virtus purgati animi eſt *iam aſſequentium divinam ſimilitudinem*, ſeu eorum, qui iam habent Deum in re.

Forſam reberis, hos, qui Deum in re habent, eſſe beatos, qui cum Chriſto regnant: & rectè iudicas, ſi non ſolos beatos eſſe, ratus fueris; ſed etiam viatores, qui ad perfectionis faſtigium manu benigniſsima gratiæ evecti ſunt. Sic enim aſſerit Div. Thomas ſubiungens: *Quas quidèm* (purgati animi) *virtutes dicimus eſſe beatorum, vel aliquorum in hac vita perfectiſsimorum.* Dantur ergo in hac vita aliqui perfecti, qui *iam aſſequuntur divinam ſimilitudinem*, ſeu qui Deum in re habent, iuxta dictamen Angelici Præcept.

72. Secundum principium eſt; quòd non ſtat aſſecutio beatitudinis, ſeu vltimi finis ſine aſſequentis quiete, pace, delectatione, gaudio, & fruitione. Hoc principium inconculſum apud omnes eſt. Vndè tempus tererem, ſi illud ſtabilire conarer. Sat fuerit obſervare in proximo D. Thomæ teſtimonio ea verba, quibus deſignat diſtinctivum inter virtutes purgatorias, & purgati animi dicens: *Quæquidèm virtutes diſtinguuntur ſecundùm diverſitatem motus, & quietis.* Facit ergo virtus purgati animi, quòd illam habens quieſcat in termino, quem iam aſſecutus eſt; quòd de aſſecutione illius delectetur, & gaudeat; ac deniquè, quòd termino aſſecuto fruatur, ut oſtendit ipſe Div. Thom. 1. 2. quæſt. 12.

Cui addimus D. Bonavent. proceſſu 7. Religionis cap. 15. dicentem: *Hæc eſt hominis in vita ſublimior perfectio, ita uniri Deo, ut tota anima cum omnibus potentijs ſuis, & viribus in Deum collecta, unus ſpiritus fiat cum eo, nihil meminerit niſi Deum, nihil ſentiat, & intelligat niſi Deum, & omnes affectus in amoris gaudio uniti in ſola conditoris fruitione ſuavitèr quieſcant.* Et aliquibus interiectis, quæ etiam huius puncti propria ſunt, diſcurſum claudit ſic: *In horum conſummata adeptione conſtat gloria beatitudinis, quæ perficietur in patria; licèt, quòd iſtorum perfecta inchoatio, eſt perfectio viæ.* Obſerva in poſterum ly *perfecta inchoatio.*

Addimus etiam Gerſon. qui in myſtica Theolog. conſiderat. 42. ait: *Per prædictam amoroſam unionem, in qua myſtica Theologia conſiſtere* videtur, anima quietatur, ſatiatur, & ſtabili-

bilitur in Deo, quod facile eſt in primis ex priori deducere. Nam cum res quælibet ſit in quiete, dum perfectionem ſuam adepta eſt, illique coniuncta: & ſpiritus noſter unitur, & coniungitur in hac unione ſummo perfectibili per amorem perfectum; ut ex indè quietetur, ſatietur, ſtabiliatur, neceſſe eſt. Sic materia in forma habita, ſic lapis in centro poſitus, ſic res quælibet in adepto fine ſuo quietatur. Anima quippè rationalis, dum coniungitur, & unitur Deo, copulatur ſuo ſummo bono. Eſt enim Deus ſummum bonum eius, eſt centrum eius, finis, totaque perfectio. Quid ergo aliud ipſa requireret? *Aut ad quid aliud ipſa ulteriùs inhiaret?* Et poſt alia concludit: *Non habens quò ulteriùs tendat, aut quid ultra requirat, quietatur anima in Deo, atque ſtabilitur, poſsidens in eo omnia, cætera que contemnens, atque parvipendens.* Non dicas, dictis authoritatibus, & innumeris alijs, quas prætereo, non ſtabiliri aſsignatum principium: quandoquidèm ex ipſis conſtat evidenter, unionem fruitivam animæ cum Deo, quæ eſt perfecta inchoata beatitudo huius vitæ, ita eſſe conſecutionem ultimi finis ſupernaturalis animæ, ut in eo, ſic conſecuto, anima ipſa quietetur, gaudeat, ſtabiliatur, non iam habens quid ultra requirat: nam licèt adhùc deſideret ſummum ſuum bonum videre, non deſiderat aliud bonum diverſum ab eo, quod præſens habet, ſed illud ipſum deſiderat alio perfectiori modo. Videatur Myſticus N. Doct. lib. 2. noct. cap. 20. & in Eglog. Cant. 13. v. 1.

73. Vltimum principium, illud que maximoperè notandum, colligitur manifeſtè ex dictis. Conſiſtit que in eo quòd præſentia Dei phyſica, ſeu habitio Dei in re, eſt duplex: alia obſcura, & alia manifeſta. Hæc conſtituit verè beatos, extrahit iuſtum ab ſtatu viæ, ſubindè que non eſt compatibilis cum fide, & motu in finem ſupernaturalem; eo quòd conſtituit iuſtum abſolutè, & ſimpliciter in termino. Illa verò, quia non conſtituit ſimpliciter, & abſolutè iuſtum in termino, non extrahit illum ab ſtatu viatoris, nec eſt incompatibilis cum fide, & motu ſimpliciter tali in Deum, nec deniquè iuſtum beatum conſtituit. Inter hæc, & alia, indè ſcaturientia, diſcrimina, quæ inter has duas phyſitas ſpeciales Dei præſentias, ſeu habitiones in re ipſius Dei, datur aliud præ oculis habendum in præſenti, & reducitur ad hoc, quòd abſolutè loquendo, & extra limites rei aliud ex ſe exigentis: dum audimus, Deum eſſe alicui phyſicè ſpecialiter præſentem, ſeu, Deum ab aliquo in re modo peculiari haberi, extemplò nobis occurrit Deus facialiter viſus ab eo, qui dicitur, illum habere in re: quin tunc nobis ſe ſe offerat habitio obſcura Dei in re; aut phyſica ſpecialis ipſius præſentia obſcura. Hoc fatemur, ut per ſe notum, & experientiâ ipſa manifeſtum. Hincque ortum ducit, quòd ſi inter diſputandum occurrat talis phyſica præſentia, ſi materia controverſa aliud non petat, Deus clarè viſus ab eo, cui præſens eſſe dicitur, intelligamus, intelligatur. Cum quo tamen ſtat, quòd pari certitudine conſtet, quòd ſi materia diſputata concernat præſentiam Dei obſcuram: Tunc non ſerius diſputator foret, qui vel propugnans, vel impugnans, de præſentia faciali loqueretur.

Impræſentiarùm veſtigatur, an Deus ſit phyſicè præſens iuſto ex vi donorum gratiæ? Quæſitum procedit de iuſto viatore, in quo eſt fides, & qui poſt illam præſentiam phyſicam Dei in ipſo, perſeveret ſimpliciter mobilis in Deum. Vndè attenta natura huius controverſiæ, phyſica Dei præſentia, quæ exploratur, nequit eſſe facialis, ſed obſcura. Et qui quæſito affirmativè reſpondeant, debent aſſertum communire ijs fundamentis, quibus præſentia, ſeu habitio hæc obſcura adſtruatur. Quod an nos fecerimus? teſtimonia ipſa loquantur. Omnia enim illa clariſsimè de hac Dei præſentia loquun-

quuntur. Et hoc ipſum deſideratur in ſententia adverſa, quæ impugnat hanc phyſicam Dei præſentiam obſcuram ijs principijs, quæ propriè, & perſpicuè procedunt de præſentia faciali: aut quia de illa loquuntur; aut quia ex vi materiæ controverſæ non concernitur determinatè phyſica præſentia obſcura. Vndè doctrina procedit de intuitiva præſentia iuxta ea, quæ modò dicebamus.

74. Hæc licèt veriſsima ſint, debeant que pluribus, quibus ſententia oppoſita nos premere conatur, applicari; ijs tamen non indigemus, ut id, ad quod ſapientiſsim. obijciens veluti ovans recurrit num. 44. retundatur. In articulo ibi allegato inquirit D. Thom. *Vtrum fruitio ſit ſolùm finis habiti?* Hoc explorat poſtquam art. præcedenti determinaverat; fruitionem eſſe tantum ultimi finis. Vndè modò inveſtigat, ſi hic ultimus finis, quo fruitur illum obtinens, cauſet delectationem, aut fruitionem præciſè cùm in re habetur. Reſolutionem Angelici Præcept. tranſcribo: *Reſpondeo dicendum, quòd frui importat comparationem quandam voluntatis ad ultimum finem, ſecundùm quod voluntas habet aliquid pro ultimo fine. Habetur autem ultimus finis dupliciter, uno modo perfectè, & alio modo imperfectè. Perfectè quidèm quandò habetur non ſolùm in intentione, ſed etiam in re. Imperfectè autem quandò habetur in intentione tantùm. Eſt ergo perfecta fruitio iam habiti finis realiter: ſed imperfecta eſt etiam finis non habiti realiter, ſed in intentione tantùm.*

Hæc eſt D. Thomæ reſolutio, quæ noſtro aſſerto neutiquam contrariatur. Primò, quia ſi Ang. Doct. intelligendus eſt de Deo clarè viſo, ut vult obijciens; ideò hoc erit, quia materia ibi propoſita non concernit poſitivè habitionem Dei in re obſcuram. Vndè debuit doctrina dirigi in præſentiam intuitivam, iuxta dicta numer. præcedent. Et talitèr exponere debemus Div. Thomam, ut ſibi non opponatur in locis à nobis allegatis, in quibus non iam inſinuat, ſed diſertiſsimè adſtruit præſentiam Dei phyſicam in anima iuſti. Quocirca interpretandus eſt modò de habitione Dei in re, ſeu præſentia phyſica clara: & in locis, quæ dedimus, de obſcura, quam intendimus.

75. Secundò, quia ſi doctrina illa D. Thomæ rectè expendatur, nobis contraria non eſt; quin potiùs aſſertum noſtrum communit. Talis eſt venuſta rerum diverſitas. Vt autem hoc exequar, duo facere oportet. Primum eſt reproducere authoritatem D. Bonavent. poſitam num. 72. Vbi agens de quiete, gaudio, & fruitione, quibus repletur anima iuſti viatoris unione fruitiva Deo unita ait: *In horum conſummata adeptione conſtat gloria beatitudinis, quæ perficietur in patria.* Et loquutus de ijsdem pace, fruitione &c. ſubiungit: *Iſtorum perfecta inchoatio eſt perfectio viæ in hac vita.* Vbi obſervandum venit, quòd Sanct. Doctor ponit duplicem animæ felicitatem, duplicem quietem in Deo habito, & duplicem fruitionem. Prima eſt ſimplicitèr, abſolutè, & omnibus modis perfecta, & hæc eſt *gloria beatitudinis*, quæ in *horum conſummata adeptione conſtat.* Nota, quòd non qualiſcunque realis adeptio *horum*, ſed *conſummata* eſt, quæ ſpectat ad beatitudinem gloriæ. In qua quies animæ in Deo, tranquillitas, pax, delectatio, fruitio, gaudium reperiuntur in ſummo, & in eorum comparatione quicquid horum invenitur in via, etiam in animabus perfectiſsimis, imperfectum eſt. Secunda beatitudo animæ eſt, quæ datur in hac vita, quæ ad differentiam illius primæ dicitur inchoata. Et hæc etiam bipartitur: nam alia eſt perfecta, & imperfecta alia: quod perſpicuè ſupponit Seraphic. Doctor ijs verbis: *Iſtorum perfecta inchoatio.* Inchoatio perfecta beatitudinis, ſeu felicitas perfecta huius viæ, eſt, quæ habetur media unione fruitiva: & de iſta hactenùs lo-

loquuti sumus. Inchoatio imperfecta beatitudinis, seu huius vitæ felicitas imperfecta, est illa, quam habent illi, quos gratia iustificans, eius que dona decorant; non tamen adeò perfectè, ut eos extrahant ab statu proficientium, aut incipientium. Et hæc felicitas imperfecta viæ est illud primum membrum divisionis suprapositæ num. 70. in fine.

Secundum, quod pro explicanda littera Div. Thomæ oportet facere, est observare propositionem quandam nostrorum Salmant. in elucidatione ad artic. 2. quæstionis 11. ex 1. 2. Ibi enim agentes doctissimi isti Patres de fruitione dicunt, *quòd secundum cognitionis gradum est modus fruitionis.* Hanc universalem, prorsùs veram, materiæ, quam ibi versant, applicant, & nos quoque præsenti materiæ applicamus.

Datur ergo iuxta adductum Div. Bonavent. triplex felicitas supernaturalis animæ: in omnibus illis habetur finis ultimus in re; secùs enim non forent felicitates. In ipsis etiam adest fruitio animæ. Verùm, quia *secundùm cognitionis gradum est modus fruitionis*, idcircò in illis felicitatibus non est idem fruitionis modus, quia non præcedit idem cognitionis gradus. Igitur datur triplex supernaturalis felicitas animæ. Prima est simplicitèr, & absolutè perfecta. Secunda est simplicitèr imperfecta intra ordinem supernaturalem. Tertia deniquè medians inter illas est imperfecta respectu primæ, & relatè ad secundam est perfecta. Prima habetur in gloria: & quia ibi cognitionis gradus est omnium perfectissimus; ideò fruitio resultans ex consummata adeptione finis per cognitionem omnes alias superantem, superat omnes alias fruitiones; ita ut hæ imperfectissimæ sint; si cum illa fruitione conferantur: sicut & cognitiones aliæ obscuræ sunt imperfectæ; si cum cognitione ea felicissima comparentur. Secunda animæ felicitas, quæ simplicitèr imperfecta est, est illa, qua gaudent tendentes ad perfectionem non solùm patriæ, sed viæ. Isti Deum finem ultimum sibi ipsis præsentem habent in vi donorum gratiæ, ut hactenùs dicta suadent, de his que id expressè docet Hugo de Sancto Vict. in lib. de Arca Noë ubi ait: *Deum attingere est semper per desiderium quærere, per cognitionem invenire, & per gustum tangere. Vndè istius attingentiæ tres inveniuntur gradus primus est, quo Deus per desiderium quæritur, quamvis non attingatur Deus, ut desideratur, & secundùm aliquid non habeatur; tamen necesse est, ut etiam secundùm aliquid præsens habeatur, aliàs non desideraretur: dicit enim Gregorius: profectò qui Deum desiderat, iam habet, quem amat. Secundus gradus* &c. Habent ergo isti Deum sibi speciali modo præsentem, ut ab ipsis beneficio gratiæ cognitum, & amatum: & in ipso Deo, quem habent, delectantur, eo que fruuntur: fruitio quippè est finis ultimi in re habiti. Ast quia horum cognitio imperfecta est, nec adhùc spiritùs purgatione examinata; ideò & fruitio est simplicitèr imperfecta, & ipsi, licèt modo dicto habeant Deum in re; non habent illum in re, sed tantùm in desiderio, quatenùs *adeptione consummata* habendum, & unione fruitiva in via copulandum.

Tertia animæ felicitas est unio fruitiva ipsius animæ cum Deo dilectissimo Sponso suo. Per hanc unionem habetur Deus in re perfectè, si comparetur cum modo, quo illum habent tendentes ad unionem: & imperfectè, si conferatur cum modo, quo habetur à videntibus ipsum Deum. Isti uniti fruuntur Deo fruitione tantò inferiori fruitione beatorum, quantò horum contemplatio contemplationem superat unitorum. Ipsa quoque unitorum fruitio est perfectissima, si ad fruitionem tendentium ad unionem referatur, sicut illorum contemplatio superat istorum cognitionem.

76. Ex his ergo ad textum Div. Thomæ num. 74. positum regredimur, dicimus que, quòd dum Div. Thomas

docet, finem ultimum posse haberi *perfectè*, & *imperfectè*, illa adverbia dupliciter sumi possunt. Primò absolutè, & simpliciter: secundò intra determinatum ordinem, aut respectivè. Primo modo ly *perfectè* designat habitionem realem Dei in gloria, quæ omnium perfectissima est, sicut & cognitio, per quam mensuratur. Secundo modo, hoc est, intra determinatum ordinem viæ, ly *perfectè* significat perfectam realem habitionem Dei à iusto viatore ipsi unione fruitiva copulato. Quæ realis Dei possessio perfectissima est intra suum ordinem, aut statum, quamquàm relatè ad perfectionem gloriæ imperfecta, & ex parte sit: quapropter ipse viator perfectus habet Deum in re, ut dictum est: & etiam in intentione, quatenùs tendit ad videndum ipsum Deum, quem in re habet, sed non videt. Fruitio, quam iste viator perfectus experitur, perfectissima est intra illum statum viæ; collata tamen cum fruitione beatorum imperfecta est, sicut & contemplatio, cuius imitatur perfectionem. ¶ Ly *imperfectè* signat præsentiam physicam Dei in iusto, qui movetur non solùm ad obtinendam gloriam, sed etiam ad consequendam perfectionem. Et propterea dicitur, quòd habet Deum in intentione.

77. Hactenùs sine scrupulo procedebam exponens D. Thomæ mentem. Sed hoc ultimum non parùm negotij nobis facessit. Etenim S. Thomas bis tradit, quòd finis imperfecta habitio, fruitio que, est finis non habiti in re, sed *in intentione tantùm*: Si solùm diceret, non est finis habiti in re; de habitione perfecta, aut imperfecta, clara, aut obscura exponi posset: sed addens *in intentione tantùm*; qua via poterit in nostrum favorem exponi, quæ violenta non sit?

Sed bilem tempera, & audi. In quocunque motu principium productivum motùs non est motus, sed præsupponitur ad motum. Vndè datur principium motus, datur motus, & datur terminus; ad cuius consecutionem dirigitur motus. In motu supernaturali obtentivo gloriæ, & unionis fruitivæ, terminus, in quem tendit, est Deus & facialitèr contemplandus, & per unionem fruitivam possidendus. Motus ipse sunt actus salutares, quibus iste terminus obtinetur. Principium huius motus est gratia iustificans, sine cuius influxu non datur motus salutaris. Vndè gratia præsupponitur ad motum salutarem, qui ad Deum, vel clarè visum, vel fruitivè unitum consequendum dirigitur. Media gratia iustificante, quæ ad motum præsupponitur, adest Deus physicè præsens iusto, ut probant omnia hucusquè tradita. Quocirca debemus considerare iustum, ut tendentem ad consequendum finem sub utraque, vel sub aliqua ex ijs duabus considerationibus, quibus posse consequi, diximus. Et prout sic sub nulla ex illis considerationibus est finis realitèr habitus ab ipso. Vndè in desiderio, in spe, seu in intentione *tantùm* habetur. Quod dici nequit de iusto perfecto: hic enim licèt habeat in intentione Deum visum: ipsum fruitivè sibi unitum habet in re. Vndè non habet illum in intentione *tantùm*.

Dicta omnia allata sunt, ut ad id, quod de delectatione continet obiectio ex num. 66. occurreremus, quibus etiam occurritur quāplurimis, quæ ibi obijciens opponit. Cum quibus si conferas plura hæc, quæ tradidimus, forsàm prolixitatem nostram excusabis, & tanquam necessarià habebis.

78. Prosequentes illius obiectionis solutionem dicimus ad secundam probationem minoris, quæ loquitur de fide, & illam minorem dicit obijciens *certissimam*; quòd nos illam minorem, falsissimam reputamus iuxta subiectam materiam, etiamsi loquatur de cognitione fidei. Ratio est; quia in præsenti loquimur cum D. Thom. & D. August. de cognitione fidei, quæ sit perceptio, & ad hanc cognitionem requiritur obiecti præsentia, ut dictum est. ¶ Per quod patet ad id, quod in secunda proba-

tio-

tione alterius minoris dicitur de fide, & charitate; nihil enim addit præter verba. Et D. Thomas ibi allegatus loquitur de fidei, & charitatis operatione perceptiva, experimentali & gustativa. Vndè nobis non contrariatur.

Ad aliam minoris probationem, quæ loquitur de cognitione experimentali in via, nego antecedens, ad cuius primam probationem dico cum Caietano 1. 2. quæst. 61. art. 5. *Miror, imò stupeo, quomodò in mentem huius docti viri cadere potuit ista propositio.* Hæc Caietanus de Subt. Scoto, & hæc ego de doctissimo obiiciente, cuius discursum si Arriaga vidisset, forsitàm de illo diceret, quod ipse de Arriaga disp. citata numer. 4. asseruit. Itaque hìc non loquimur de cognitione habentis donum sapientiæ; sed de ipsius doni sapientiæ cognitione. Prima est coniecturalis, & illi potest subesse falsum, sicut & habentis fidem. Secunda est cognitio certissima, clarissima, & indefectibilissima. Div. Thomas ibi adductus loquitur de prima, vt vel grammaticalis verborum sensus demonstrat: *Me habere*, ait, *actuale donum, in quo persona divina datur, non possum scire certitudinaliter in actu propter similitudinem actuum moralium ad actus meritorios; etsi possim ex aliquibus signis conijcere.* Vbi clarissimè sermo est de subiecto doni, & non de dono ipso: quandoquidèm subiectum doni, dono carens, potest existimare se habere donum *propter similitudinem actuum moralium ad actus meritorios.* Nos autem non loquimur de cognitione subiecti donum habere potentis, sed de cognitione elicita ab ipso dono. ¶ Adde: quòd etiam non est adeò certum, quòd subiectum, in quo recipitur donum, ignoret, se illud habere: de quo infra. ¶ Ad secundam probationem antecedentis, ad quam non semèl recurrit obiiciens; cùm tamen momenti non sit, liquet ex fusissimè dictis ad secundam obiectionem.

Ad tertiam obiectionem, ad quam etiam it, reditque contrarius, concessa maiori, negetur minor, quam probare debuisset, & non tanquàm perse notam supponere. Itaque sicut non stat gratia consummata sine Dei visione, eo quòd ab illa gratia habetur lumen gloriæ, quod proximè petit præsentiam Dei visi, in eamque influit: sic non stat gratia iustificans sine dono sapientiæ, quod proximè influit in notitiam Dei perceptivam, experimentalem, & gustativam, quæ eoipso petit obiectum physicè præsens. Sic que intelligendus est Exim. Suarez, quem, ut extra propositum loquentem, censurat Illustriss. Godoi. Hac que ipsa doctrina facilè solves plura alia quæ opponitur.

79. Arguitur secundò. Habens gratiam iustificantem non eoipso habet Deum sibi præsentem intuitivè: ergo nec obscurè. Antecedens est perse notum: & etiam potest Deus habentem gratiam ad baratrum æternalitèr destinare. Et consequentia probatur primò. Sicut gratia fundat ius ad præsentiam Dei claram, sic etiam ad præsentiam obscuram: sed cum iure ad præsentiam intuitivam stat suspensio, seu non collatio huius præsentiæ: ergo pariformitèr. ¶ Probatur secundò. Idcircò stat ius ad gloriam sine ipsius actuali collatione, quia gratia ex se nullum prædicatum habet, ob quod ipsi debeatur actualis collatio gloriæ: sed etiam non dicit ex se gratia prædicatum exigens physicam Dei præsentiam: ergo idem quod priùs.

Confirmatur, & expenditur hæc ratio primò. Idcircò gratia cònservatur sine actuali collatione gloriæ, quia ipsi non debetur ea actualis collatio, nisi pro tempore præstituto à gratiæ, & gloriæ datore, sic que satisfit iuri se tenenti ex parte gratiæ: ergo ius, quod fundat gratia ad præsentiam Dei, erit similitèr pro tempore à datore gratiæ præscripto: atque adeò nihil aliud exigit, præterquàm habere illum præsentem in gloria.

Confirmatur, & expenditur ſecundò. Idcircò gratia peteret actualem Dei præſentiam in iuſto, quatenùs illum conſtituit amicum Dei, & obiectum dilectionis amicabilis Dei: hæc ratio non probat: ergo. Maior continet frequentiſsimam doctrinam Authorum nobiſcum ſentientium, & minor probatur. Quod magis deſiderant intimè ſe diligentes, eſt ſe ipſos videre: ſed gratia, etſi conſtituat iuſtum intimum amicum Dei, ab ipſo tenerrimè dilectum, non petit pro ſempèr actualem Dei viſionem, ſed ſolùm pro tempore ab ipſo prædefinito: ergo ſimilitèr de præſentia.

80. Reſpondetur argumento diſtinguendo antecedens. *Gratiam* non conſummatam, concedo. Conſummatam, nego antecedens, & conſequentiam. Ad cuius primam probationem diſtinguo maiorem: *gratia* conſummata, concedo: non conſummata, nego maiorem, & ſub eadem diſtinctione minoris nego conſequentiam. Itaque habens gratiam conſummatam eoipſo habet Deum ſibi intuitivè præſentem; quia nequit eſſe conſummata, quin adſit lumen gloriæ, quod neceſſariò producit intuitivam viſionem Dei. Vndè idipſum, quod arguens debet dicere de gratia conſummata relatè ad Deum viſum, dicimus de gratia iuſtificante relatè ad Deum phyſicè præſentem. Et dum anxiatur Godoi veſtigans prædicatum, ratione cuius hoc gratiæ conveniat? Reſpondemus, inquirentes prædicatum, ratione cuius gratia conſummata nequeat dari ſine Deo viſo? Et ſicut hoc provenire dicimus, quia nequit conſiſtere conſummatio gratiæ ſine lumine gloriæ, neceſſariò Dei viſionem intuitivam producente: ita & illud ortum habere affirmamus, quia nequit ſtare gratia iuſtificans, quin radicet cognitionem, & dilectionem Dei perceptivam, ut ex D. Auguſt. & D. Thom. probavimus evidentèr num. 60. Et ex ipſis, & alijs Sanctis, ac Doctoribus in tota hac quæſtione. Quocircà ſignantèr profundiſsimus D. Thom. ſupra eodem num. illo adverbio *ſignantèr* uſus eſt, ut Auguſtini mentem exponeret, nos que ad eius doctrinam attentos redderet. Verba ipſius iterùm reproduco: *Et ideò ſignantèr dicit Auguſtinus, quòd filius mittitur, cum à quoquam cognoſcitur, atque percipitur. Perceptio autem experimentalem quandam notitiam ſignificat; & hæc propriè dicitur ſapientia, quaſi ſapida ſcientia.* Si ergo hæc habet Godoi in ipſa quæſt. S. Thomæ, quam ſuis celleberrimis commentarijs illuſtrabat, cur anxiatur nolens credere, gratiam radicare prædicatum, ratione cuius eius actus experimentalis ſit? Et quo motivo adſtruit, noſtram ſententiam non inſinuari à D. Thoma?

Perquæ patet ad ſecundam conſequentiæ probationem. Dicimus enim, quòd gratia non conſummata ſtat ſine actuali collatione gloriæ, quia ſtat ſine gloriæ lumine, quod eſt id, cui illa actualis collatio gloriæ debetur: non tamen ſtare poteſt ſine actuali phyſica præſentia Dei; quia nequit conſiſtere ſine ſapientiæ lumine, cuius actus perceptivus, & experimentalis eſt.

Ad primam confirmationem conceſſo antecedenti, & prima conſequentia, negetur ſecunda. Tempus præſtitutum à datore gratiæ, ut præſens phyſicè ſit habenti gratiam, eſt ipſum inſtans infuſionis gratiæ; quia hæc exigit neceſſariò prædicatum, cuius actus eſt perceptivus. Vndè ſicut ſi cum infuſione gratiæ infunderetur lumen gloriæ, nequiret gratia infundi, quin gratiam recipiens Deum videret: ita gratiam recipiens nequit non habere Deum phyſicè præſentem, quia cum ipſa gratia donum recipit, cuius actus perceptivus eſt.

Ad ſecundam confirmationem conceſſa ſequela de dilectione perceptiva, negetur minor. Ad cuius probationem omiſſa maiori, & conceſſa minori, negetur conſequentia. Quia gratiam habens ſicut habet prædicatum, ob quod ipſi debeatur Dei perceptio, & expe-

ri-

mentalis dilectio ; ſic etiam habet, undè deſideret videre Deum: nempè utilitas deſiderantis: eſt enim deſiderium hoc amor concupiſcentiæ. Aſt cùm, ut dictum eſt, non habeat prædicatum exigens actualem Dei viſionem : idcircò iſta differtur, donec illud prædicatum, quod eſt gloriæ lumen, conſequatur. ¶ Omiſi maiorem, tum, quia deſiderium ſe videndi, quo amici flagrant, eſt concupiſcentiæ, cui præſtat amor amicitiæ. Tum, & ex hoc ſequitur : quia verè amici plus æſtimant, ſeſe diligere amore reciproco, quàm ſe videre. Vndè ſi viſio foret cauſa, ut amor periret, aut minueretur : non eſſet verè amicus, qui viſionem amici ſolicitaret: imò & non etiam impediret. Hæc oſtendunt, maiorem illam pluribus claudicare, inſufficientem que eſſe, ut ex illa talis conſequentia deducatur. Et ſanè qui illam ſartam, tectamque tueri conaretur, longè eſſet à veritate ſpiritûs illius, qui optione ſibi data, ut præmium pro laboribus peteret, non aliud præter ipſos labores, & contemptus poſtulavit: *Pati, & contemni pro te:* Et illius, quæ exoptabat *non mori, ſed pati.* Aut etiam Sanctiſsimæ Thereſiæ dicentis: *Aut pati, aut mori.* Quem actum, quantum eſt ex parte ipſius (ſpirituum enim ponderator eſt Dominus) in nullo reor inferiorem præcedenti. Nunquàm enim aſſentire potui acceptioni vulgari huius divinæ ſententiæ ; pro comperto habens Seraphicam Doctricem non petijſſe, ut ſibi unum è duobus concederetur, hoc eſt, *aut pati, aut mori* : ſed ſenſum illius eſſe : paſſiones toto animo exopto, ſudores, labores, ludibria, quæ libentiſsimè admittam ob amorem Sponſi mei, qui ſi hæc mihi non concedat, ſciat me illicò morituram. Pati pro Domino eſt mihi vita : undè ſi non patiar, moriar; quia abſentia vitæ meæ, quæ pati eſt, me rediget in cadaver.

Horum Sanctitatis Procerum ſpiritus æmulus ſeſe oſtendit ſpiritûs Redemptoris noſtri, qui pro nobis *maledictum* fuit factus. Quem fidiſsimè æmulatus fuit D. Paulus ad Rom. capit. 9. verſ. 3. dicens: *Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis*: quod explicat ibi D. Thomas ſic : Diù opto à Chriſti gloria abeſſe, ut ſuperſtes prodeſſe poſsim Iudæis. Et 2.2.quæſt. 27 art. 8. ad 1. ait: *Volebat*, Paulus, *ad tempus privari fruitione divina, quod pertinet ad dilectionem Dei.* Nec deeſt, qui exiſtimet, Div. Paulum optaſſe in æternum, ſine culpa tamen, perire pro gloria Dei, & ſalutè proximorum. Videatur Molina 1.part. quæſt. 24. in fine. Vt interim audiamus D. Chryſoſtomum exclamantem: *Quid ais*, ò Paule, *nonne iam dixiſti, quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Imò, ait, quia amo Chriſtum, cupio ſeparari à fruitione Chriſti, ut plures, imò omnes eum ament, & laudent.* Et addit: *Quia nos longè ſumus ab hac dilectione : idcircò intelligere hæc eius dicta non poſſumus.*

Nutat ex alia parte maior illa, quia videlicèt Deus conferre nobis ſtatuit ſuam viſionem, ut coronam, quæ noſtros triumphos ſua ipſius gratia partos coronaret : quod neutiquàm conſequi poſſet, ſi cum infuſione gratiæ nobis viſio Dei intuitiva infunderetur. Non enim pati, aut liberè amare Deum poteſt videns Deum : & ideò debuit collatio gloriæ differri. Aſt ex phyſica ſpeciali Dei præſentia in anima iuſti in vi donorum gratiæ tale inconveniens, nec aliud datur.

81. Arguitur tertiò. Deus non eſt phyſicè præſens cognoſcenti, & diligenti ipſum, cognitione, & amore naturali: ergo nec cognoſcenti, & amanti illum cognitione, & amore ſupernaturali. Antecedens certum eſt, & conſequentia probatur. Sicut Deus eſt ut cognitus, & amatus in cognoſcente, & amante illum amore ſupernaturali; ſic etiam eſt ut cognitus, & amatus in mente diligentis illum amore naturali : ſed etiam ſi hoc modo ſit in amante illum amore naturali, non eſt ei phyſicè præ-

ſens

ſens: ergo nec amanti illum amore ſupernaturali.

Confirmatur, & urgetur primò hæc ratio. Quia Deus ratione immenſitatis, ut recipientis *eſſe* ſupernaturale iuſti, eſt in illo; ideò dicimus, ipſum Deum eſſe phyſicè præſentem iuſto, ut ab ipſo cognitum, & amatum: hæc ratio nulla eſt: ergo Deus, dum eſt cognitus, & amatus à iuſto, non eſt illi modo ſpeciali realitèr præſens. Cætera liquent, & minor probatur. Deus eſt ratione immenſitatis, ut reſpicientis *eſſe* naturale, in illum amore naturale diligente: & tamen ut amatus amore naturali non eſt phyſicè præſens amanti illum: ergo pariformitèr de amante amore ſupernaturali.

Vrgetur Secundò. Sicut iuſtus poteſt reflectere ſupra Deum, quem realitèr habet præſentem ratione immenſitatis terminatæ ad *eſſe* ſupernaturale; ſic etiam illum diligens amore naturali poteſt ſupra ipſum reflectere; eo quòd eſt illi realitèr præſens ratione immenſitatis terminatæ ad *eſſe* naturale: ſed ex hoc non ſequitur, quòd Deus amatus amore naturali ſit ſpeciali modo realitèr præſens illum ſic amanti: ergo nec amanti eum amore ſupernaturali. Illatio videtur bona. Minorem non negabimus, nec hactenùs ab aliquo negata eſt. Maior autem pro prima parte, quæ de iuſto loquitur, continet idipſum, quod expreſsè tradidimus num. 55. Pro ſecunda parte eſt perſe nota, quiſque enim poteſt reflectere ſupra Deum dantem ſibi *eſſe* naturale, illumque prout ſic cognoſcere, & amare.

Reſpondetur argumento negando conſequentiam, ad cuius probationem negetur maior. Deus in amante ipſum ex gratia eſt amatus ut realitèr præſens: at in amante amore naturali eſt tantùm obiectivè præſens. Fundamentum huius doctrinæ eſt, quòd omnes ſupponere debent, & vel ſententia adverſa ſupponit. Videlicèt, quòd Deus ratione gratiæ ſanctificantis eſt ſpeciali modo in anima iuſti. Hoc in tota quæſtione hac à nobis dictum eſt. Vt autem illud penitiùs calleas, præ oculis habere debes ea, quæ præmiſſimus num. 46. & 45. quæ deſumpta ſunt ex D. Thom. in 1. ad Annibald. diſt. 14. quæſt. unica, artic. 3. Vbi docet, quòd iuxta diverſos modos, quibus creatura coniungitur Creatori, eſt diverſitas modorum, quibus ſpeciali, aut novo modo eſt Creator in creatura. Tres eſſe docet modos, quibus creatura unitur Deo. Et relicta unione hypoſtatica, de qua nequit procedere noſtra controverſia. Primus modus, quo creatura Deo de novo unitur, eſt *ſicut effectus cauſæ efficienti, cuius ſimilitudinem gerit. Et ſic eſt modus communis, prout eſt in omnibus per eſſentiam* &c. non eſt ergo modus iſte, modus, quo per gratiam dicimus eſſe Deum in anima iuſti. Sed nec eſt coniunctio *quantum ad eſſe in una perſona* quia hæc unio eſt hypoſtatica. Et Deum non uniri hypoſtaticè iuſtis, clarum eſt. Relinquitur ergo, quòd iſte modus ſpecialis ſit modus, quo creatura unitur Deo *ſicut obiecto operationis, in quantum creatura cognoſcit, & amat Creatorem, & ſic dicitur eſſe in Sanctis.* Fundamentum eſt: quia de triplici unionum genere tantùm poteſt eſſe præſens dubium, iuxta eundem Angelic. Doctor. dicentem: *Spiritus Sanctus dicitur dari alicui, vel procedere in aliquem, ſecundùm quod novo modo incipit eſſe in eo. Modi autem, quibus Deus eſt in creatura diſtinguuntur ſecundùm diverſos modos, quibus creatura Creatori unitur, quod quidèm contingit triplicitèr* &c. Si ergo non eſt modus iſte hypoſtaticus, ut iam diximus: nec eſt unio effectus ſuo efficienti, quia hæc non eſt ſpecialis unio: relinquitur, quòd ſit unio cum obiecto cognito, & amato. Atque ita determinat D. Thomas concludens: *Illa ergo dona ſolùm, quæ faciunt cognoſcere, & diligere Deum, quæ ſunt dona gratiæ gratum facientis, faciunt, Deum no-*

vo

vo modo esse in nobis. Et ideò secundum illa tantùm dicuntur Filius, & Spiritus Sanctus in nos procedere, vel mitti ad nos, vel dari nobis. Nam secundùm omnia alia dona, non alio modo est in nobis, quàm per essentiam, præsentiam, & potentiam. Est igitur specialis iste modus, quo Deus est per gratiam in anima iusti, quòd sit iustus Deo unitus *sicut obiecto operationis*, aut, & est idem, quod Deus sit in illo tanquam cognitus, & amatus.

82. Sed pulsat animum. In quo consistit hæc specialitas? Nam Deus etiam est ut cognitus, & amatus in mente illius, qui naturalitèr illum cognoscit, & amat. Ad quod dicimus cum nostris laudatis Salmant. num. 65. quòd iste specialis modus, quo Deum per gratiam in anima esse, dicimus, videlicèt ut cognitum, & amatum, non est à nobis inventus, sed receptus à D. Thom. qui Dux, ac Mag. noster est. Vndè sicut ab ipso modum hunc specialem accepimus; sic quoquè par est, ut & ipsius intelligentiam ab eodem accipiamus. Specialitas autem huius modi à Div. Thom. edocti, traditur ab ipso S. Doct. pluribus in locis, ex quibus in illo articulo, quem ex ad Annibald. dedimus, inquit: *Quòd ad hoc aliquid datur, ut habeatur.* Loquitur de Spiritu Sancto, & ait, quòd datur nobis, ut à nobis *habeatur.* Idem docet in 1. d. 14. quæst. 2. art. 1. dicens: *Cum igitur in acceptione donorum ipsius* (Spiritus Sancti) *non solùm relatio nostra terminetur ad dona, ut ipsa tantùm habeamus; sed etiam ad Spiritum Sanctum, quia alitèr ipsum habemus, quàm priùs, non tantùm dicentur dona ipsius procedere in nos, sed etiam ipsemet.* Est ergo edoctum à D. Thom. quòd specialitas, quàm Deus dicit, prout est in anima iusti, consistit in eo, quòd sit in illo tanquàm ab ipso habitus. Et ne vel hanc vocem *habitus* nostram esse suspiceris: audi quibus verbis hanc veritatem edoceat Ang. Magister ibid. art. 2. ad 2. *Dicendum, quòd in processione Spiritus, secundùm quòd hìc loquimur, prout scilicèt claudit in se dationem Spiritus Sancti non sufficit, quòd sit nova relatio, qualiscumque est creaturæ ad Deum, sed oportet, quòd referatur in ipsum, sicut ad habitum: quia quod datur alicui, habetur aliquo modo ab illo.*

Pergimus hanc ipsam specialitatem ampliùs declarantes ex eodem D. Thom. qui 1. part. quæst. 43. art. 3. docet, quòd ex eo, quòd Deus est in iusto, ut ab ipso habitus, consequitur, quòd iustus ipse possit Deo frui. Verba D. Thomæ sunt: *Similitèr illud solum habere dicimus, quo libere possumus uti, vel frui. Habere autem potestatem fruendi divinà personà est solùm secundùm gratiam gratum facientem.* Et priùs dixerat: *Est enim communis modus, quo Deus est in omnibus rebus per essentiam, potentiam, & præsentiam, sicut causa in effectibus participantibus bonitatem ipsius. Super istum autem modum communem est unus specialis, qui convenit naturæ rationali, in qua Deus dicitur esse, sicut cognitum in cognoscente, & amatum in amante. Et quia cognoscendo, & amando creatura rationalis sua operatione attingit ad ipsum Deum secundùm istum modum specialem Deus, non solùm dicitur esse in creatura rationali, sed etiam habere in ea, sicut in templo suo.* Deniquè, pluribus prætermissis, allegatis locis, præsertim ex sententiarijs, multotiès docet S. Thom. Deum ita haberi mediâ gratiâ à iusto, ut hic in ipsum tanquàm in ultimum finem supernaturalem referatur.

83. His modis explicat Angelicus Magist. specialitatem illius, à se tradi, modi, quo Deus est cognitus, & amatus à iustis. Et, ut doctrinæ Angelicæ soliditatem, ac veritatem intuearis, lustra ordinis naturalis ambitum spatiosum, ambula ordinis supernaturalis imperium, & nullum donum in ipsis reperies, ratione cuius Deus ab aliquo habeatur, præter gratiam iustificantem, & dona ipsius.

ipſius. Nullum donum diverſum à gratia ſanctificante, & donis eius, offendes, ratione cuius illud habens queat Deo frui, aut in Deum finem ultimum ſupernaturalem referri, aut quod ſit radix videndi, & amandi Deum: aut divinæ naturæ participatio formalis; aut deniquè quòd habentis animam faciat eſſe templum, in quo veluti in æde ſibi propria Deus habitet: quippè *templum Dei Sanctum eſt*, & ſine gratia iuſtificante non eſt ſanctitas, ut probat D. Thom. citata quæſt. 43. artic. 3. in argum. *Sed contra*. Si ergo nullum donum diverſum à gratia facit, Deum eſſe in habente illud aliqua ex dictis acceptionibus, & ſecundum omnes illas eſt Deus in iuſto media gratia, & eius donis, rectè dicitur Deus ſpeciali modo præſens iuſto ratione gratiæ. Et rectè etiam aſſerimus, quòd, Deum eſſe in iuſto ut cognitum, & amatum, eſt ſpecialis ille modus, quo Deus eſt per gratiam phyſicè præſens iuſto. Quandoquidèm ipſi iuſto ſe exhibet Deus contemplandus, ac diligendus ſub eo modo, quo eſt ipſi præſens, videlicèt, ut in ipſo habitans, tanquàm in ſibi propria habitatione, & templo: tanquàm finis ultimus ipſum iuſtum mediâ gratiâ ad ſe trahens, & impellens: tanquàm finis ultimus ab ipſo iuſto fruendus. In ipſo demùm habitans, non ut hoſpes, & tranſiens, ſed ut amiciſsimus, & Sponſus. His ergo modis ſe exhibet Deus iuſto contemplandus, & diligendus; atque adeò eſt realitèr præſens illi cognitioni, & dilectioni: quæ ut habeantur propriâ induſtriâ, opus eſt reflexione: qua non eſt opus, dum per infuſionem habentur, ut liquet ex dictis num. 55.

84. Per quæ patet ad omnia obiecta. Vndè ad argumentum ex num. 81. cuius conſequentiam, & maioris probationem negavimus, conſtat, quòd licèt Deus poſsit eſſe cognitus, & amatus ut Author naturalis: quia tamen prout ſic non eſt ſpeciali modo in cognoſcente, & amante: indè eſt, quod non eſt in illo cognoſcente, & diligente, ſicut eſt in iuſto.

Ad primam urgentiam dicas: quòd præſentia realis ratione immenſitatis reſpicientis *eſſe* naturale, eſt ex una parte communiſsima, quandoquidèm in ratione carentibus, & vitæ expertibus, reperitur: & aliundè eſt ſolummodo coniunctio effectus cum efficiente: ac ſubindè non prodeſt, ut Deus ſit phyſicè præſens cognoſcitivo procedenti naturalitèr; quia hæc realis præſentia eſt ſpecialiſsima, habetque ea omnia, quæ numero præced. tradita ſunt. ¶ Per quod ſolvitur ſecunda. Hic enim debemus omnes ſupponere, Deum ratione gratiæ eſſe ſpeciali modo in iuſto: & hunc ſpecialem modum conſiſtere in eo, quòd ſit in iuſto ut cognitus, & amatus, qui cognoſcitur, & amatur ſub illo ſpeciali modò, quo in illo eſt. Vndè cum non ſit ſpeciali modo in carente gratia: idcirco quantumcumquè iſte reflectat, neutiquàm Deum ſibi ſpeciali modo unitum offendet.

85. Dices: iuxta ea, quæ dicta ſunt, idem eſt, quòd Deus ſit ab aliquo habitus, ac quòd modo ſpeciali ſit in illo: ſed ab ipſum naturalitèr cognoſcente habetur Deus: ergo eſt in illo modo ſpeciali. Probatur minor. Deus habetur medijs donis, quæ nobis confert: ſed quicquid habet illum naturalitèr cognoſcens, eſt donum Dei: ergo.

Reſpondetur negando minorem, ad cuius probationem diſtinguatur maior: *donis* gratiæ & gloriæ, conceditur: alijs, negatur maior. Donis gratiæ, & gloriæ habetur certè Deus ab illa dona poſsidente: Aliis verò donis, ſive naturalia, ſive ſupernaturalia ſint, non habetur.

86. Replicabis: Medijs donis naturæ coniungitur creatura Creatori: ergo illum habet. Antecedens videtur certum, & conſequentia probatur. Quia per gratiam unitur Creator creaturæ; ideò hæc habet mediâ gratiâ Creatorem: ergo ſi medijs donis naturalibus unitur, ijs mediantibus habebitur; vel non erit habitus in gratia donis.

Reſ-

Respondetur distinguendo antecedens. *Coniungitur* ut suo efficienti, concedo: coniunctione speciali habente conditiones recensitas, nego antecedens. Cuius probatio eadem distinctione resolvatur. Solutio est D. Thomæ supra dati. Donis naturæ unimur Deo, ut efficienti, qui tunc non est speciali modo in creatura, sed assistentia illa generalissima, qua omnibus adest. Vndè etiamsi, prout sic cognoscatur, non est præsens realitèr cognoscenti. Cuius contrarium ob oppositam rationem evenit in unione per gratiam, eius que dona.

87. Instabis: Gratia, & eius dona sunt effectus provenientes à Deo: ergo coniunguntur ipsi, ut efficienti. Ergo per gratiam, & eius dona non est Deus realitèr præsens iusto. Cætera nota sunt, & secunda consequentia probatur. Ideò medijs donis naturæ non est Deus speciali modo præsens illa habenti, quia unio illa est unio effectus cum suo efficienti: Hoc etiam modo unitur gratia Deo: ergo ratione gratiæ non est Deus physicè præsens iusto.

Respondetur negando secundam consequentiam. Ad eius probationem distinguo maiorem. *Vt* præcisè, concedo: non præcise, nego maiorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam, vel distinguo consequens eodem modo. Ita que gratia est verè effectus Dei. Vndè ea media, prout sic, unitur iustus Deo, ut effectus cum suo efficiente: proindè tunc non exprimit specialem Dei præsentiam, sed illam generalissimam, qua præsens est omnibus rebus creatis, quarum una gratia est. Si verò gratia consideretur non sub illa præcisione, qua exprimit produci à Deo, sed quatenùs iam est recepta in anima: tunc unit istam Deo modo specialissimo, nullibi reperto, præter quàm in gratia, & gloria. Et hic specialis modus iam explicatus à nobis est, & ab eo provenit, quòd Deus sit realitèr præsens iusto præsentia diversa ab ea, quæ ei convenit per immensitatem: quamquàm præsentia ratione immensitatis debeat indispensabilitèr connotari, ut ratione gratiæ receptæ in anima Deus illi sit illa speciali præsentia præsens. Dixi *ratione immensitatis*, & loquor de immensitate ut respiciente *esse* supernaturale iusti, quod illi in gratiæ infusione communicat: non autem de immensitate terminata ad *esse* naturale animæ. Quia etiam si Deus non esset hoc secundo modo præsens, dummodò esset sub primo, foret speciali modo præsens iusto, ut rectè docent nostri Salmantic. dicentes, omninò necessariam esse realem præsentiam Dei in anima ratione immensitatis terminatæ ad *esse* iusti: ut præsens iusto sit speciali modo. Quod tam ipsi PP. quàm Exim. Suarez explicant aptissimo exemplo personalitatis Verbi Divini terminantis humanitatem supra posito: Nos autem alio non minus idoneo exemplo declaramus. Etenim personæ divinæ sunt per circuminsessionem reciprocè in se ipsis modo adeò speciali, ut nulli alij convenire queat, nedùm in creatis, verùm nec in divinis: hoc enim modo nec Pater est in essentia, nec hæc in Filio, & sic de alijs. Ast hoc modo est totus Pater in toto Filio, & Spiritu Sancto. Et totus Filius in toto Spiritu Sancto, & Patre. Et totus Spiritus Sanctus in toto Patre, & Filio. Ratio est: quia circuminsessio petit indispensabilitèr identitatem in natura, & etiam distinctionem realem eius, qui hoc modo est in alio, ab eo alio, in quo est. De quo videatur Ferrara lib. 4. cont. Gent. cap. 9. Scotus in 1. dist. 19. quæst. 2. art. 3. & Suarez lib. 4. de Trinitat. cap. 16. In hoc omnes conveniunt. Difficultas tamen est: quid dicat circuminsessio de formali, an videlicèt sit identitas in natura, an potiùs distinctio realis in persona? Et relinquentes allegatis, & alijs Theologis determinationem dubij dicimus, quòd omnes illi conveniunt in eo, quòd necessariæ sint ad circuminsessionem identitas, & distinctio; ita ut una dicatur de formali, & in recto, & alia de connotato. Vnde dicentes rectum esse identitatem natu-

ræ, neceſſariam eſſe connotationem diſtinctionis Perſonarum, adſtruunt. Et ſimiliter tenentes rectum eſſe perſonarum diſtinctionem, ponunt pro indiſpenſabili connotato identitatem naturæ. Sic que cognoſcimus omnes modum illum ſpecialiſsimum, nulli alij convenientem, quo Perſonæ divinæ ſunt adinvicem inſe ipſis. Sic ergo modus ſpecialis, quo Deus per gratiam eſt in juſto, dicit in recto præſentiam illam ſpecialem, qua Deus iuſto adeſt: petit tamen neceſſariò connotare ipſum Deum, ut producentem, & conſervantem gratiam; atque adeò ut ratione immenſitatis præſentem animæ. Nil horum invenitur in donis naturalibus. Vndè ratione illorum non eſt Deus modo ſpeciali in habente illos; ac ſubindè nec ſpecialiter præſens.

88. Inſurgis. Tametſi Deus ſit modo illo ſpeciali ratione gratiæ iuſtificantis, adhùc non probatur ex illo præſentia realis Dei in anima iuſti: ergo doctrina data ruit. Probatur antecedens. Deus eſt in anima peccatoris, quem tangit medijs illuſtrationibus ſupernaturalibus, modo ſpeciali, ac diverſo ab eo, quo ratione immenſitatis eſt in rebus omnibus: ſed Deus non eſt realiter ſpeciali modo præſens illi peccatori: ergo nec iuſto.

Reſpondetur negando antecedens. Ad probationem diſtinguo maiorem. *Speciali*, ſecundumquid, concedo: ſimpliciter, nego maiorem. Minori eadem diſtinctio applicetur, & negetur abſolutè conſequentia. Sicut concedimus, Deum eſſe ſimpliciter præſentem ei, in quo eſt modo ſimpliciter ſpeciali: ſic etiam concedimus, eſſe realiter ſecundumquid præſentem ei, in quo eſt modo ſpeciali ſecundùmquid. Ratione ſupernaturalis illuſtrationis eſt Deus modo ſecundumquid ſpeciali in eo, cui illam infundit, quatenùs illa diſpoſitio eſt, licèt remota, ad conſequendam gratiam. Vndè illa illuſtratio differt à donis naturæ, quia his, nec ſecundumquid habetur ſpeciali modo Deus: eoquòd nullatenùs diſponunt ad gratiam. Differt etiam à donis gratiæ; quia talis illuſtratio non eſt ab Spiritu Sancto inhabitante, ſed movente, ut ſupra à Div. Thom. audivimus. Et ſubindè non facit animam recipientis templum Dei, nec illum facit reſpicere, aut amare finem ſupernaturalem. Quæ requiri ad phyſicam ſpecialem Dei præſentiam in anima, dictum eſt.

89. Non quieſcis: Eſt probabilis adhùc inter Thomiſtas opinio, quòd actus charitatis poteſt elici ſolo auxilio tranſeunti, & ſine gratia iuſtificante: ſed qui hunc charitatis actum eliceret, haberet Deum ſpeciali modo; nam *qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo*, & ſimùl amaret finem ſupernaturalem; cum tamen nemo dixerit, hunc habere Deum ſibi phyſicè ſpeciali modo præſentem: ergo ex quo gratia faciat, Deum eſſe ſpeciali modo in iuſto, & illum in finem ſupernaturalem dirigat, non convincitur, Deum eſſe phyſicè præſentem iuſto.

Reſpondetur primò: hanc inſtantiam eſſe prorsùs enervem in noſtra ſententia, quæ nullatenùs admittit actũ charitatis poſſe provenire ab alio principio, præter quàm ab habitu charitatis. Vndè cum iſte nequeat eſſe ſeparatus à gratia iuſtificante, fit conſequens, quòd ſine gratia non datur dilectio Dei finis ſupernaturalis. ¶ Reſpondetur ſecundò omiſſa, ſeu prætermiſſa maiori, & conceſſa minori, negando conſequentiam. Ratio eſt. Quia adhùc admiſſa illa opinione, qui eliceret illum charitatis actum, non haberet Deum, nec Deus eſſet in illo ut habitus, nec ut in domo propria habitans; nec actus ille eliceretur connaturaliter; cum non eliceretur à principio ſibi connaturali. Quæ omnia ex ſe, & ex dictis nota ſunt. Quocirca noſtra ſententia intelligenda eſt de dono, vi cuius Deus, ita ſit ſpeciali modo in anima, ut ſit ab iſta habitus; adeò ut

hæc

hæc dicere queat. *Tenui eum, nec dimittam.* Non autem intelligenda est de dono, quo Deus raptim, seu transeuntem mentem tangit. Nec textus ille in minori adductus verificatur de eliciente actum charitatis ex auxilio; in illo quippè nec Deus maneret, nec ipse in Deo: hoc enim permanentiam dicit, quam non admittit auxilium illud in similitudinem fulguris coruscantis impertitum, & tanquàm scintillæ in arundineto currens.

90. Instis inferens. Ergo modus specialis, quo Deus est ratione gratiæ in anima iusti, non petit præsentiam realem Dei in illo. Probas. Modus ille non est permanens: ergo non dicit realem præsentiam Dei. Patet ista ex doctrina modò data, & antecedens probatur. Modus ille explicatur à Div. Thom. per hoc, quòd Deus sit in iusto tanquàm cognitum in cognoscente, & amatum in amante: sed quod obiectum sit cognitum, & amatum non durat, nisi pro duratione cognitionis, & dilectionis, quæ in præsenti vita permanere haùd possunt: ergo.

Respondetur negando consequentiam, & probationis antecedens. Ad huius probationem explicetur maior hac distinctione *tanquàm cognitum* &c. actu, vel habitu, concedo: actu præcisè, nego maiorem. Solutio est D. Thom. cuius est illa explicatio modi specialis, quo Deus est per gratiam in anima iusti. Vndè D. Thomam, ex, & cum Div. Thoma explicamus. Sic enim ait Doctor Sanct. 1. part. quæst. 8. artic. 3. in corpor. *Deus dicitur esse in re aliqua dupliciter. Vno modo per modum causæ agentis: & sic est in omnibus rebus creatis ab ipso* (nempè per immensitatem) *Alio modo sicùt obiectum operationis est in operante, quod proprium est in operationibus animæ secundùm quòd cognitum est in cognoscente, & desideratum in desiderante. Hoc igitur secundo modo Deus specialiter est in creatura rationali quæ cognoscit, & diligit illum actu, vel habitu. Et quia hoc habet creatura rationalis per gratiam, dicitur esse hoc modo in Sanctis per gratiam.* Expressissimè etiam loquitur in authoritate, quam num. 58. exhibuimus. Quibus & scrupulus obiectus evanescit, & dicta in tota hac quæstione merificè solidantur.

***

QVÆSTIO QVARTA.

IN QVA ALIQVOT DVBIA PROPONVNTVR pro disputationis complemento.

RELVRA scitu dignissima sunt in hac disputatione, pro quorum notitia, aut non est opus quæstioni speciali; aut nequimus illam excitare: cùm impossibile sit, omnia eodem modo discutere. Quamobrèm illa in præsenti quæstione simùl offeremus, ne penitùs intacta relinquantur.

****
*****
***

§. I.

Primum quæsitum.

91. INquires 1. Quid dicendum sit de illa opinione Sapientissimi Magistri Zumel posita num. 502 & asserentis: modum specialem, quo Deus est per gratiam iustificantem in anima iusti, esse quintum modum, diversum à quatuor alijs, quibus Deus est in eadem anima, videlicet, per es-

ſentiam, præſentiam, & potentiam, & tanquàm cognitus, & amatus. Vltrà hos ergo dari aſſerit, alium quintum modum, qui reliquos comprehendens ab illis ſecernitur; & queit explicari per hoc, quòd ſit *modus, quo iuſtus quaſi transformatur, & quaſi deificatur.*

Dicendum nobis eſt: talem quintum modum, quo Deus ſit in anima iuſti, non dari. Quod ſatis, ſuperque probat authoritas D. Thomæ talem modum non inſinuantis, quoties præſentem materiam verſat, ut vidimus in teſtimonijs, quæ ex S. Doctor. huculquè dedimus. Expreſiſsimus eſt textus num. 90. poſitus: nec in illo, quem num. 58. exſcripſimus minori perſpicuitate procedit. Hoc ipſum facit alijs plurimis locis, in quibus de hoc agens nunquàm illius quinti modi meminit. Quod ſilentium illius ſpecialis modi eſt pluſquam tacita reprobatio. Nec potuiſſet D. Thomas non diminutè proceſiſſe, ſi quintus ille modus ab eo omiſſus daretur: ille enim, ut ait Zumel, nec eſt aliquis ex quatuor modis, quos aſsignat D. Thomas, nec in eorum aliquo includitur: quin potius omnes alios ſuperans eos includit; ſeu ipſe ſolus facit omne id, quod ab alijs ſeorſim ſumptis efficitur. Vndè iniuriosum reputamus Div. Thomæ magiſterio hunc alium quintum modum ſtatuere, & maximè, cùm allegatus Magiſter velit, eſſe hoc demente D. Thomæ.

92. Sed videamus, oportet, quibus motivis ductus hanc novitatem introducere, illamque Ang. Magiſtro adoptare intendat. Verba ipſius ſunt: *Sanctiſſimus Præceptor dixit, quòd hoc modo dicitur eſſe Spiritus Sanctus, & Deus in creatura rationali, ſicùt in templo ſuo*, in quo *colitur, & veneratur, & in quo omnia illi ſubduntur. Fatemur, D. Thomam docuiſſe, quòd ſecund. iſtum ſpecialem modum Deus non ſolùm dicitur eſſe in creatura rationali, ſed etiam habitare in ea, ſicùt in templo ſuo.* Hoc tamen nullum fundamentum præſtat, ut quintus ille modus conſtruatur. Audivimus num. 58. D. Paulum dicentem: *Templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis.* Vbi Spiritus Sanctus *non ſolùm dicitur eſſe in creatura rationali, ſed etiam habitare in ea, ſicut in templo ſuo.* Quid autem requiratur, & ſufficiat, ut Spiritus Sanctus habitet in creatura rationali *ſicut in templo ſuo*, eodem numero vidimus in D. Thomæ gloſſemate dicente: *Habitat etiam Deus in omnibus per fidem, quæ per dilectionem operatur.* Vide, quòd nihil aliud requiritur, ut Deus habitet in anima, niſi quòd iſta ornata ſit fide, quæ per dilectionẽ operatur, hoc eſt, fide viva, fide per charitatem formata: hac quippè fide evadit anima in templum Dei, in quo *dicitur inhabitare, tanquàm in familiari domo*, ut mòx inquit ipſe Doctor Sanctus.

Ex qua doctrina duo deducenda ſunt. Primum ſit, quòd ut anima ſit templum Dei, non exigitur aliquod donum irregulare, quod reperiri quandoquè ſoleat in proceribus ſanctitatis: ſed ſolummodò requiritur fides viva, ad quam habendam omnes in diſcriminatim tenemur, & indulgentià Dei benigniſsimi Patris invitamur. Mira, & divina res eſt, fateor, quòd miſerabilis creatura fiat omnipotentis templum, & habitaculum familiare: ſed mira quoque, & divina eſt fides viva, qua creatura illa ad adeò inſigne faſtigium elevatur. Secundum & præcipuè intentum, ſit. Quòd ex eo quòd D. Thomas affirmet, animam per unionem ad Deum fieri ipſius templum, nullum, vel leviſsimum fundamentum adeſt ad introducendum quintum illum modum, diverſum ab alijs omnibus, quibus Deus eſt in rebus. Et ſententia oppoſita tenetur oſtendere, quid comercij habeant, quod D. Thomas dicat, animam eſſe templum Dei, & ille modus quintus reliquos ſuperans, & continens. Impoſsibile nobis apparet, quòd ex verbis illis Ang. Præceptoris prudens fundamentum deſumi queat, ut quintus ille modus introduci ex eius doctrina valeat. Maximè cùm

ipſum

ipſum audierimus edocentem, unionem animæ cum Deo ſpecialem fieri mediante fide viva. Ex quibus verbis, quantuncumquè exprimantur, quintus ille modus neutiquam extrahetur.

93. Magiſter Zumel ponit Deum in anima iuſti, ut ei conferentem, non ſolùm *eſſe* naturale, verumetiam *eſſe iuſti, & grati.* Et in hoc concedit triplicem illum modum, quo Deus eſt in rebus omnibus, ſcilicet, per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, ſub quibus eſt in iuſto, ut creatura eſt, & ut iuſtus eſt, ut liquet ex multotiès dictis. Vltrà addit, Deum eſſe in anima iuſti, ut cognitum, & amatum *non extrinſecè, ſed tanquàm obiectum intimè unitum amanti, cauſans in illo cognitionem, & amorem ſui* quibus *ad viſionem claram, & perfectiſsimum amorem illius eſt perducendus.* Et poſt hos aſsignatos modos quintum, de quo loquimur, introducere ſatagit. Contra quem & eius ſolicitudinem ſtat: Quòd ſecundùm illum quintum modum vel Deus eſt in anima iuſti, ut cognitus, & amatus; vel non? Itidem: ſecundùm illum modùm vel eſt Deus per eſſentiam, præſentiam, & potentiam in iuſto, ut iuſtus eſt, vel non? Non dicet, quòd non eſt Deus ut amatus, & per immenſitatem in iuſto. Tum: quia ſibi ipſi opponeretur. Tum: quia ſeveriſsimæ cenſuræ exponeretur. Ergo eſt. Rogo nunc: Quòd Deus ſit amatus à iuſto ſecundùm quintum illum modum, quid addit ſupra modum quartum ex aſsignatis, ſecundùm quem Deus paritèr ab eodem iuſto amatus eſt? Si aliquid addit, aſsigna. Si nihil addit: ut quid illum introducere intendis? Idem dico de modo eſſendi per immenſitatem in iuſto, ut iuſtus eſt: quandoquidèm per eſſentiam: V. gr. eſt Deus in iuſto, ais, *in quantum iuſtus nudus, & apertus eſt oculis eius.* Per quintum hunc modum etiam iſte iuſtus, *in quantum iuſtus nudus, & apertus eſt oculis Dei.* Nihil ergo addit quintus iſte modus ſupra reliquos.

94. Dices: Quod addit, eſt, quòd ipſe ſolus præſtat id omne, quod ſinguli ex quatuor præſtant. Optimè. Sed rogo: vel hoc præſtat ſub eadem ratione determinata, ſub qua præſtatur à ſingulis; vel ſub aliqua eminentiſsima ratione, in qua ſingulorum rationes adunentur. Non primum: quia continens eminentèr aliquas differentias non conſtituitur per aggregatum ex illis differentijs, ſed per aliam differentiam nobiliſsimam, in qua inferiores aliæ adunantur, quæque ab omnibus illis ſimùl, & ſeorſim ſumptis eſſentialitèr differat. Vndè ſi quintus ille modus præſtat ſe ſolo id omne, quod alij faciunt, utpotè illos omnes eminentèr continens, erit utique ſub aliqua una ratione nobiliſsima eſſentialitèr diverſa à ſingulorum differentijs. Et hoc eſt, quod penitùs repugnare dicimus. Etenim modus ille quintus, qualitercumquè explicetur, minus diſtat a modo, quo Deus eſt per immenſitatem in iuſto, ut iuſtus eſt, quàm hic diſtet à modo, quo Deus eſt in iuſto, ut creatura eſt: ſed iſti modi eſſendi per immenſitatem non differunt; imò ſunt idem omninò modus: ergo nec quintus ille modus differt eſſentialitèr ab alijs. Illatio bona eſt, & minor liquet, quia illi modi ſpectant ad generalem modum, quo Deus eſt per immenſitatem in omnibus rebus, quarum una eſt gratia ſanctificans, qua iuſtus in eſſe talis conſtituitur. Maior autem probatur. Minus differunt inter ſe modi pertinentes ad eundem ordinem gratiæ, ſeu naturæ, quàm modus ordinis naturæ collatus cum ordine gratiæ; ſed modus ille quintus, & modus eſſendi per immenſitatem in iuſto, ut iuſtus eſt, ſpectant ad eundem ordinem gratiæ; & modus eſſendi per immenſitatem in iuſto, ut creatura, ſpectat ad ordinem naturæ: ergo.

95. Inſupèr. Modus quintus, quatenus medio eo eſt Deus in anima iuſti ut cognitus, & amatus, nequit eſſentialitèr differre à modo quarto, ſe-

ſecundùm quem Deus paritèr eſt in anima iuſti, ut cognitus, & dilectus; quin ipſa cognitio, & dilectio, quibus cognoſcitur, & amatur ſecundùm unum differat eſſentialitèr à cognitione, & amore, quibus diligitur, & cognoſcitur ſecundùm alium; alioquin quintus non continebit eminentèr quartum. Hoc enim ex natura continentis eminentialis neceſſariò requiritur, ut liquet in exemplo illo luminis ſolaris, quo ipſe utitur, continentis *eſſe* reale, & *eſſe* intentionale, quæ in inferioribus diſperſa ſunt: & ſine ambiguitate conſtat in Sacra Theologia differentias ſcientiæ ſpeculativæ, & ſcientiæ practicæ, in una ſuperiori differentia adunante, per quam eſſentialitèr differt à ſcientijs purè practicis, & purè ſpeculativis, & actus eſſentialitèr diſtinctos ab actibus earum producit. Iam verò dicere, quòd amor habitus per quintum modum differat eſſentialitèr ab amore habito per quartum, pluſquàm falſum eſt; cum vel ipſa charitas patriæ ſit eadem ac charitas viæ, quia *charitas nunquàm excidit*. De cognitione idem iudicium ferendum eſt. Tum; quia diverſitas eſſentialis cognitionum provenit à diverſitate luminum, & obiectorum: quæ diverſitas in præſenti non adeſt; quandoquidèm idem eſt lumen, & obiectum cognitionis in quarto, & quinto modo habitæ. Tum etiam: quia cognitio quinti modi eſt, qua (concurrentibus alijs) anima iuſti iuxta præfatum Magiſtrum ſit templum Dei. Cognitio hoc templum conſtruens eſt fidei, quæ per dilectionem operatur, ut vidimus ex Div. Thoma. Si ergo fides quarti modi eſt hæc eſſentialitèr inferior, non erit fides, quæ per dilectionem operatur. Imò nec fides Virtus Theologalis. Tum deniquè, & loquor de cognitione, ac dilectione, quia quæ iuxta Zimelem ſpectant ad modum quartum talis conditionis ſunt, quòd illis iuſtus *ad viſionem claram, & perfectiſſimum Dei amorem* (patriæ intelligè) *eſt perducendus*. Non ſunt imaginabiles in homine viatore perfectiores eſſentialitèr cognitio, & dilectio, quam illæ, quibus iuſtus *ad viſionem claram, & perfectiſſimum Dei amorem eſt perducendus*. Hinc deſumitur perfectio eſſentialis illorum actuum. In hoc que conſiſtit, quòd in utroque illo actu ſtet beatitudo ſupernaturalis viæ, ut fusè dictum à nobis eſt diſp. 16. quæſt. 13. Si ergo medijs cognitione, & amore quarti modi habetur beatitudo huius vitæ: quid addit cognitio, & amor quinti modi?

96. Nec proderit recurſus ad maiorem perfectionem talium actuum. Non, inquam, proderit. Primò: quia maior perfectio actus non refundit diſtinctionem eſſentialem. Qualem exigi à continentia illa eminentiali probavimus. ¶ Secùndò: Quia non eſt dabilis maior perfectio in cognitione, & amore, quàm illa, ſecundùm quam ſunt viæ beatitudo ſupernaturalis. ¶ Tertiò: Quia nequit ſtare maior perfectio in cognitione, & amore quinti modi ſupra cognitionem, & amorem modi quarti; quin etiam detur eadem maior perfectio in modo, quo Deus eſt in anima iuſti ratione immenſitatis ſecundùm talem quintum modum, relatè ad modum, quò eſt ratione immenſitatis in eadem anima ſecundùm modum quartum. Hæc autem maior perfectio eſt impoſsibilis probationis. Quandoquidèm quòd Deus ſit per immenſitatem in iuſto, non eſt, quòd iuſtus habeat Deum, ſed ut rectè obſervant noſtri Salmanticenſes tract. 6. diſp. 19. dub. 5. quòd Deus habeat, & contineat iuſtum, qui eo ipſo unitur Deo, tanquam effectus ſuo efficienti. Vndè à primo inſtanti ſui *eſſe* quicumque effectus Dei eſt ipſi tanquam efficienti unitus, talitèr quod decurſu temporis, imò in tota æternitate illa unio non fiet maior, aut minor. Ratio eſt: quia uniri Deo tanquàm fini dependet à diſpoſitione, & arbitrio ſubiecti: Hòque poteſt dari, & non dari hæc unio: & ſimilitèr queit eſſe maior, aut minor, pro incremento, vel decremen-

mento amoris, qui, ut ſupra ex D. Thoma vidimus, eſt, & cauſat illam unionem. Vniri verò Deo tanquàm efficienti non eſt opus arbitrii, nec dependet à diſpoſitione effectus, qui ab initio ſuæ productionis Deo tanquàm ſuo efficienti, quantum eſt unibilis, copulatur. Nec ipſe Deus poteſt non velle, quòd talis effectus modo dicto uniatur ſibi. A quo ergo capite proveniet maior perfectio huiuſmodi eſſendi in rebus ſecundùm modum quintum, qua caret in quarto? ¶ Quarto deniquè, & præcipuè, quia Magiſter Zumel non ponit quintum illum modum poſt parta à iuſto in Dei adiutorio trophæa, ſed ab initio infuſionis gratiæ. Vndè non adeſt recurſus ad perfectionis incrementum. Hinc que dicta omnia lucem, & robur accipiunt.

Etenim ab ipſa infuſione gratiæ iuſtificantis iuſtus unitur Deo quinto illo perfectiſsimo modo quatuor reliquos continente, & ſe ſolo faciente quidquid illi: ergo vel in conſpectu quinti ſuperfluunt quatuor; vel inhorum conſpectu quintus ſuperfluit. Patet iſta; quia gratia, ſicut & natura, eo ipſo genio, quo in neceſſarijs non deficit, ſuperflua abhorret. Et iuxta ſcitiſsimam paræmiam, *fruſtrà fiunt per plura, quæ fieri poſſunt per pauciora.*

97 Nec id, quod Magiſter Zumel ait ad explicandum hunc quintum ineffabilem modum ab ipſo excogitatum aliquid probat, aut deſeruit ad exprimendum, quod intendit. Nam omnis amor hoc ex ſua geniali conditione habet, quòd transformet amantem in amatum. Sic paſsim apud PP. Sacros que Doctores, & apud Authores prophanos reperies. Videatur, ſi pro re, de qua non eſt controverſia, placet, D. Dionyſius lib. de Divinis Nominibus cap. 4. & ibi D. Thomas, & in 3. d. 27. quæſt. 1. art. 1. ad 2. ubi ait: *Amor dicitur virtus unitiva formaliter; quia eſt ipſa unio, vel nexus, vel transformatio, qua amans in amatum transformatur, & quodammodò convertitur in ipſum.* Ecce amorem communem non *quaſi*, ſed transformantem amantem in amatum, ipſum que amantem, in amatum convertentem. Nil ergo mirum, quòd divinus amor iuſtum transformet in Deum, in illud que *quodammodò convertat*: prout eiuſmodi transformationem patiens modulatur lib. 1. Noct. Cant. 5.

O noche, que guiaſte,
O noche, amable mas que la alborada;
O noche, que juntaſte
Amado con Amada,
Amada, en el Amado transformada!

Ad hanc autem transformationem neceſſarius non eſt amor illius quinti modi; ſed qui in quarto habetur, ſufficit: quapropter per hoc quòd *quaſi transformativus* dicatur, inexplicatus relinquitur.

98. In favorem expoſæ opinationis obijcies 1. Modus, quo iuſtus unitur Deo per gratiam, & eius dona, eſt, vel ſummè eloquentibus, ineffabilis: ſed modus, quo Deus eſt in anima iuſti, aut per immenſitatem, aut tanquàm amatus in amante, eſt clarus, & explicabilis: ergo modus, quo iuſtus media gratia Deo unitur, eſt diverſus ab illis. Illatio ſine calumnia eſt. Minor liquet: quia ex principijs generalibus modi, quo cognoſcens, & amans ſe habent ad cognitum, & amatum, & è contra: arduum non eſt, venire in cognitionem modi, quo particulare amans, & cognoſcens ſe habent ad particulare cognitum, & dilectum. Maior eſt paſsim expreſſa apud Patres, & Myſticos Doctores. In primis D. Thomas opuſc. 61. gradu 7. & 8. amoris ait: *Cum ſenſeris tactu, qui cognoſcit de proximo, & in coniunctione maxima labia illa Ieſu, labia diſti lantia myrrham primam ut non myrrham, ſed mellis ſtillam primam, polluta olim animæ tuæ labia non abominari, ſed mirabiliter ipſis imprimi, ineffabiliter oſculari* &c. & infrà addit: *In præcedentibus ergo gradibus anima amat,*

& amatur, quærit, *& quæritur*; *vocat*, *& vocatur*: *in hoc autem gradu quodam miro*, *& indicibili modo rapit*, *& rapitur*; *tenet*, *& tenetur*; *ſtringit*, *& ſtringitur*.

Idem docet Sanctus Gregorius lib. 4. in 1. Reg. ad caput 20. dicens: *Tunc electi anima mirabilitèr inflammatur, mirabilitèr reficitur, & ineffabilitèr fruitur.* ¶ Clariſsimè loquitur Richard. de Sancto Victore in Pſalm. 4. capit. 4. ad illa verba: *In pace in idipſum dormiam, & requieſcam*, ubi ait: *In hac autem exaltatione perfunditur animus mira quadam, & ingenti dulcedine, quam nullus ſenſus poteſt æſtimare, nullus ſermo valet explicare. Cum enim Cæleſtis ille Sponſus Sponſæ ſuæ charitatis amplexibus coniungitur, ad eius oſculum inclinatur, ad eius attactum ſubito cæleſti quadam dulcedine anima perfunditur, quam quidèm ſentire poteſt, ſed nulla ſermonis latitudine explicare poteſt.*

Reſpondeo 1. Conceſſa maiori, negando minorem, quæ ex ab obiiciente inductis non probatur. Quia principia illa generalia ordinis intelligibilis, & præcipuè ordinis volitivi non ſunt adeò pervia, & perſpicua: quin potius offuſis tenebris obventulantur. ¶ Accedit 1. quòd deſcendere ab univerſali ad cognitionem particularis contenti ſub illo, poteſt eſſe non arduum: deſcendere tamen ad particulare omnia continente, ſummè arduum eſt. Ex quo. ¶ Accedit 2. Quòd illa unio poteſt dici ineffabilis propter unum ex extremis, qui eſt Deus. ¶ Accedit 3. Quòd illa unio poteſt dici ineffabilis, quatenùs radicat ineffabilia, in quæ poteſt anima pervenire, ſi unio illa perficiatur, ut iam videbimus in ſecunda ſolutione. His omnibus modis queit, & propriè, dici ineffabilis illa unio. Ad quod, tametſi alia deeſſent, ſufficeret, quòd eſt unio miſeræ creaturæ cum ſuo Omnipotente Creatore, qui veluti maieſtatem deponens, ei tanquàm verè amicus unitur, ad eam media gratia veniens, & manſionem in illa faciens. Quid enim deficit huiuſcemodi unioni, ut ineffabilis aſſeratur?

Reſpondeo 2. diſtinguendo maiorem, *iuſtus* perfectus, concedo, non perfectus, ſubdiſtinguo, *ineffabilis* in radice, ſeu fundamentalitèr, concedo, formalitèr, nego maiorem. Quibus diſtinctionibus totum argumentum reſolvatur. Iuſtus non perfectus habet gratiam, & eius dona, quibus donis ſi, ut par eſt, ſolicitus utatur, copulabitur magis, ac magis Deo, uſquedùm perfectionem obtineat. Et tunc celebratur unio fruitiva, quæ verè ineffabilis eſt de ea que loquuntur authoritates obiectæ, ut clariſsimè ex ipſis liquet. Nec poſſunt de unione antecedenti intelligi, niſi fundamentalitèr. Quod proculdubio convincit teſtimonium illud D. Thomæ: *In præcedentibus ergo gradibus* &c, undè in alijs amoris divini gradibus anima *quærit Deum*; in octavo autem ipſum *tenet*, *& ſtringit*, à quo reciprocè *ſtringitur*, *& tenetur*. Et de hoc amore, aut unione, in qua anima *tenet*, *& ſtringit*, dicitur quòd procedit *quodam miro*, *& indicibili modo*.

99. Sed contra & obijcies 2. Non datur ſpecialis præſentia Dei in anima iuſti, uſquèdum hic per ſcalam amoris conſcendens pervenit ad gradum octavum, in quo *tenet*, *& tenetur*, *ſtringit*, *& ſtringitur*: ergo licèt in præcedentibus ſit Deus præſens per immenſitatem, & ut amatus in amante; in octavo tamen gradu eſt præſens eo præſentiæ modo, qui alios ſuperat. Probatur antecedens. In antecedentibus gradibus Deus eſt abſens: ergo. Probatur antecedens primò ipſa D. Thomæ authoritate: *In præcedentibus ergo gradibus anima amat*, *& amatur*, *quærit*, *& quæritur*, *vocat*, *& vocatur*; quæ abſdubio abſentiam præſeferunt: ergo. ¶ Probatur 2. expreſsioribus adhùc eiuſdem D. Thomæ verbis, quæ num. 62. exhibuimus, & hæc ſunt: *Omnia quidèm præcedentia fieri poſſunt in diſtantia, Verùm hìc*, hoc eſt in gradu octa-

vo

vo ſcalæ *primùm eſt coniunctio amantis cum amato.* Sed hæc coniunctio, quæ uſque ad octavum gradum non adeſt, non eſt coniunctio illa, quæ omnibus iuſtis communis eſt, quaque ab infuſione gratiæ gaudere iuſtum probavimus quæſtione præcedenti: ergo eſt alia eminentior, quam quintus modus à Zumel excogitatus ſecum affert. ¶ Probatur tandèm. Vſque dum anima de ſuo Sponſo dicat: *Tenui eum, nec dimittam*, non habet Deum hac ſpecialiſsima præſentia præſentem ſibi, ut diximus num. 89. ſed hoc non dicit anima uſquè ad gradum octavum præfatæ ſcalæ: ergo idem quod priùs.

Confirmabis clariſsimo teſtimonio noſtri Extatici Doctoris adducti numer. 59. Vbi ſine tergiverſatione docet, Deum eſſe præſentem animæ iuſti quinque modis: eorum primus eſt per immenſitatem, qui comprehendit tres illos ſupra poſitos, videlicèt per eſſentiam, præſentiam, & potentiam: quartus eſt modus, quo eſt in omnibus iuſtis per gratiam, & quintus eſt eminentior alius modus, quo eſt in animabus perfectis, dum illas cæleſtibus infuſis favoribus ſibi devincit: ergo ultra quatuor modos, quibus iuſto Deus præſens eſt, datur quintus alius, cæteris ſublimior, qui alius eſſe non poteſt, niſi qui alios omnes comprehendat, ſe que ſolo faciat, quicquid omnes alij faciunt.

Reſpondetur ſuſtinendo doctrinam datam in ſecunda ſolutione ad primam obiectionem, quæ doctrina, nec præſenti obiectione, nec eius probationibus labefactatur. Vndè diſtinguenda eſt maior: *præſentia*, quæ correſpondet perfectis, concedo. Quæ non perfectis correſpondet, nego maiorem. Dictum eſt: quòd Deus eſt ex vi gratiæ præſens iuſto, præſentia diverſa ab ea, qua per immenſitatem præſens eſt. Hæc realis præſentia, cum ſit unio Dei cum iuſto in ratione ultimi finis, creſcit in perfectione ad incrementum amoris, quo Deus ultimus finis diligitur. Vndè tantum divina favente gratia, ſolet intendi iſte amor, ut ipſum finem amans, iam perfectus, apprehendebat, illique uniatur, tanquàm obiecto ipſum beante, non beatitudine conſummata, ſeu patriæ; ſed beatitudine inchoata, ſeu viæ. Et quia anima priùs non conſecuta fuerat hanc unionem fruitivam, & perfectiſsimam dilectri ſui præſentiam, pro qua ſuſpirabat; idcircò illum priùs tanquàm abſentem quærebat, & modò in illo ab ipſa obtento complacet. Et hoc eſt, & nihil aliud, quod dicitur in obiectis teſtimonijs. Vnde opus non eſt ad ſingula reſpondere.

Perquæ ad confirmationem conſtat. Adde tamen: Sanctum Doctorem alio ibi tendere, ut patet ex verbis ipſius. Vndè poſt aſsignatum modum præſentiæ ratione immenſitatis, & gratiæ, addit illum, qui permanens non eſt: ac ſubindè nequit eſſe ille quintus, quem Zumel excogitavit. Conſiſtit enim in tactibus, inſpirationibus, ac illuſtrationibus, quibus Deus animam, etiam iam pridèm perfectiſsimam, raptim viſitare ſolet, ut eam magis ad ſui dilectionem invitet. Quapropter ibidem conſultò diximus, hunc modum ad præcedentem ſpectare.

****

§. II.

Secundum quæſitum.

100. INquires 2. An licitum ſit, unionem fruitivam animæ cum Deo appetere, petere, & procurare?

Nihil ſpeciale dicendum nobis modò eſt circa hoc dubium, quia de illo fusè egimus diſput. 11. quæſt. 2. Et licèt ſermo noſter dirigeretur ad contemplationem: attamen cum unio fruitiva actualis conſiſtat in actibus perfectiſsimæ contemplationis, quæ dicitur Theologia myſtica, & in actibus amoris Seraphici, ut liquet ex dictis in ſuperioribus: idcircò idem iudicium ferendum eſt. Vltra quàm, quòd ibi-

dem num. 29. de unione hac felicissima locuti sumus, quæ, ut diximus modò, vel est ipsa contemplatio Seraphica, seraphicusque amor: vel est finis contemplationis Cherubicæ, aut aliarum etiam infusarum seraphicam præcedentium, ut inibi dicebamus. Vndè, cùm eadem sit difficultas, eadem paritèr est, & resolutio: Quocircà.

101. Dicimus: Quòd unio fruitiva cum Deo potest à nobis appeti, peti, & procurari. Resolutio hæc probatur ijs omnibus, quæ loco citato adduximus, & ex ijs, quæ cuique sese offerunt. Vndè sicut petimus, appetimus, & procuramus unionem fruitivam gloriæ, licitumque nobis est dicere cum D. Paulo: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Et cum Mystico N. Doctore in Eglog. Cant. 36.

Gozemonos, Amado,
Vamonos à ver en tu hermosura.
Al monte, y al collado,
Do mana la agua pura,
Entremonos mas adentro en la espesura.

Et ea, quæ Cant. à nobis exhibita num. 59. docet. Quam doctrinam repetit infla m. Cant. 1. dicens:

O llama de amor viva,
Que tiernamente hieres
De mi alma en el mas profundo centro;
Pues yà no eres esquiva,
Acaba yà, si quieres,
Rompe la tela de este dulce encuentro.

Sic etiam possumus petere, & procurare unionem fruitivam cum Deo in via. Et quia res adeò nota est, non est cur in ea suadenda immoremur.

102. Dices tamen: Loco citato diximus num. 23. quòd *non possumus ad contemplationem infusam conari*: ergo nec possumus illam procurare: ergo nec unionem fruitivam. Patet illa ex dictis: Quia unio fruitiva est actus perfectissimæ infusæ contemplationis. Prima consequentia constat. Quia *conari*, & *procurare* idem sunt.

Resp. negando antecedens, prout iacet; loco enim citato addimus: *Quasi nostra industria habendam.* Possumus quidèm unionem fruitivam procurare, & ad illam conari, non tamen quasi habendam nostrà proprià industriâ, etiam ex auxilio gratiæ. Ratio est: quia est implicatio manifesta in eo, quòd nostra solicitudine comparare velimus id, quod penitùs infusum est. Vndè licèt possimus, nostris bonis operibus illam mereri, non tamen possumus ad illam, ut propriâ industriâ obtinendam, conari.

Replicabis. Vnionem fruitivam gloriæ procuramus, ut nostris salutaribus operibus comparandam: ergo pariformitèr possumus procurare unionem fruitivam viæ.

Respond. distinguendo antecedens, *gloriæ* sumptæ ut est præmium, & corona, concedo. Sumptæ absolutè, nego antecedens. Gloria absolutè sumpta est beneficiũ indebitum, & prorsùs infusum. Vndè prout sic non est ex operibus conferenda. Gloria per modum præmij assignata est à gloriæ benignissimo Largitore in remunerationem nostrorum operum salutarium. Et prout sic est ex gratiæ beneficio acquisibilis: atque ideò possumus illam, immò & tenemur, ut nostra salutari industria habendam, procurare. Vnio fruitiva viæ est penitùs infusa, sicùt gloria absolutè considerata, & ob hoc nequit, ut nostris viribus obtinenda, procurari.

Vel secundò, & forsàm non incongruè, poteris respondere, sustinendo distinctionem datam antecedenti, & distinguendo consequens, *fruitivam viæ* correspondentem gloriæ, ut coronæ, concedo. Absolutè sumptæ, & ut indebita est, nego antecedens. Multoties diximus, unionem fruitivam viæ esse ipsius huius viæ beatitudinem. Diximus etiam disput. 16. quæst. 12. quòd ea, quæ in eadem entitate beatitudinis consummatæ adunantur, dispersa sunt in beatitudine

viæ

viæ, quæ minus perfecta est: & ideò diximus, dari beatitudinem viæ per modum meriti, seu moralem, & beatitudinem inchoatam. Adhunc ergo modum, ut omnia consonare constet, dicimus, quòd in eadem entitate eminentissima perfectæ, & consummatæ beatitudinis adunatur, & quòd sit prorsùs infusa, & quòd sit paritèr acquisita, modo explicato in prima solutione. Hæc autem duo reperiri nequeunt simùl in eadem beatitudine viæ: reperiri tamen possunt disperſa, & reipsa reperiuntur: quia, ut dìximus à num. 35. datur duplex unio fruitiva, sobria una, & alia ebria. Ebriam esse diximus omninò infusam, & sobriam acquisitam. Sobria comparatur gloriæ, ut coronæ. Vndè illam possumus procurare, ut nostro studio habendam: immò & tenemur, quatenùs debemus, nostram voluntatem cum divina conformare, verè que, atque ex animo dicere: *Fiat voluntas tua, sicut in Cælo, & in terra.* Ebria verò est similis gloriæ absolutæ acceptæ: quare nequit à nobis intendi, ut nostra solicitudine comparanda.

103. Instas: Possumus mereri unionem ebriam: ergo Deus potest illam nobis conferre intuitu nostri meriti: ergo & possumus illam, ut nostra industria habendam, procurare. Antecedens videtur certum; quia si possumus mereri unionem gloriæ, quæ longè perfectior est, potiori iure poterimus mereri unionem ebriam, quæ est minus perfecta. Secunda consequentia legitima est ex prima, quæ probatur: si namque Deus non conferret unionem ebriam illam merenti, iniuriam illi facere videretur; quandoquidèm privaret illum tot bonis, quibus abundat unio illa: Hoc non decet divinam benignitatem, & æquitatem: ergo.

Respondetur, prætermisso antecedenti, distinguendo primum consequens, *conferre*, aut non conferre, concedo. Determinatè *conferre*, nego consequentiam. Ad eius probationem nego maiorem, cuius inserta probatio etiam est falsa: quandoquidèm Deus non privat divitijs unionis ebriæ eum, qui fidelitèr laboraverit. Explicatur solutio ex nostra Seraphica Doctrice, quem remotam edisserit profundissimo magisterio. Itaquè quòd unio ebria, seu inter fruitivas eminentior, possit à nobis mereri, non negamus attentà naturà ipsius unionis, & valore operum ex insigni charitate procedentium: negamus tamen, quòd à nobis mereatur, inspectis conditionibus ad meritum requisitis. Ex quibus una est, quòd intercedat pactum, seu promissio facta à præmij largitore, ut modò supponendum est ex 1. 2. de quo ibi videri possunt nostri Salmant. tract. de merito. Quapropter cum Deus nulla promissione teneatur ad conferendam unionem ebriam homini viatori; idcircò ille illam mereri non potest: Vndè prætermisimus antecedens; quia numquàm viator ea opera, adhùc ex gratia, faciet, quorum intuitu teneatur Deus ad illi conferendam unionem ebriam. Suppositis quippè ijs operibus potest Deus illam conferre, & non conferre, prout sibi placuerit. Quod sic non evenit in collatione gloriæ per modum coronæ; hanc enim virtute suæ promissionis tenetur Deus conferre salutaritèr usque in finem operanti. Vndè quòd res cadat, vel non cadat sub merito, non discutiendum est ex celsitudine, aut non celsitudine rei; sed ex eo, quòd habeat, vel non habeat conditiones pro merito requisitas.

Quare autem Deus promisserit unionem ebriam gloriæ concedere usque in finem in bono perseverantibus, & unionem ebriam viæ non teneatur conferre viatoribus? in promptu responsio est. Quia unio gloriæ necessaria est, ut finis, ad quem Deus hominem elevabit, habeatur: & unio ebria viæ necessaria non est ad huiusmodi finis consecutionem. Quod mirisimè, & elegantisimè docet cælestis Magistra in de Itin. cap. 17. perspicuè dicens: *Non esse necessariam ad salutem*: ac subindè sine illa queunt viatores suam felicitatem obtinere.

Sed quia Cæleſtis hæc unio ebria eminentium divitiarum eſt ſcaturigo indeficiens: videtur non admodùm conſentaneum divinæ benignitati, hæc bona ſuis dilectiſsimis non concedere.

Verumenimverò hoc facillimè diſpellitur primò: quia ſi Deus omnes æqualitèr quoad omnia ditaret, deeſſet maxima pulchritudo, quæ ex varietate reſultat, ut aliàs oſtendere ſolent Theologi. *Secundò*, & præcipuè: quia re benè inſpecta nihil amittunt, qui dictam unionem in via non conſequuntur; dummodò ſolicitè ſuam ſalutem operentur. Sic egregiè tradit laudata Mat. noſtra ſubiungens: *Si feceritis, ò filiæ, omne, quod in vobis eſt, vos metipſas diſponentes ad contemplationem perfectam; ſi Deus illam vobis non contulerit, ſcitote, quòd hoc cæleſte donum reſervat, ut omne illud ſimul vobis conferat in Cælo.* Eandem doctrinam offert Alma Doctrix manſion. 5. cap. 3. videantur à nobis dicta diſput. 1. à num. 77. uſque ad 81.

Ex quibus reſpondetur 2. ad inſtantiam omittendo ſimilitèr antecedens, & concedendo, quòd opera condigna ponentibus ſemper Deus confert unionem ebriam, ſive in hac vita, ſive in futura; ſed non determinatè in vita præſenti. Vndè nihil eſt, quod non deceat divinam benignitatem.

***

§. III.

Alia quæſita.

104. TErtiò inquires: An tempore unionis fruitivæ omnes animæ potentiæ Deo uniantur? Non procedit dubium de unione fruitiva habituali, cuius ſupra meminimus; ſed de actuali.

A qua dubitatione expedimur dicentes cum communiſsima ſententia Myſticorum, quòd aliquandò omnes potentiæ animæ uniuntur Deo, & aliquandò non. Primum patet: nam cum ex potentijs animæ aliæ ſint ſuperiores, videlicèt rationales; & inferiores aliæ, ſcilicèt ſenſitivæ: cum omnipotens Deus potentèr adſe attrahit facultates ſuperiores, anima his penitùs intenta inferiores deſerit, quæ ſine animæ influxu operari nequeunt. Vndè omnes animæ vires tunc unitæ manent. Manent unitæ inferiores; quia ligantur: & relatè ad illas idem eſt ligari, ac uniri: quatenùs ſic ligatæ unionem aliarum non impediunt. Manent unitæ ſuperiores; quia etiam ligantur, non ligatione illa, qua vires inferiores ligari diximus: ſed quatenùs à Deo in ipſas illapſo penitùs abſorbentur, & circa propria obiecta ita actuantur, ut nec aliud obiectum reſpicere tunc queant, nec actum, quem exercent, ſuſpendere, aut ſupra ipſum reflectere. Voluntas quippè præ amoris, ac ſuavitatis vehementia, qua ex Dei illapſu, & deoſculatione gaudet, tota extra ſe rapitur, & in Deo penitùs abſorbetur. Intellectus præ magnitudine ſupernæ lucis ſuſpenditur. Et hoc ipſum memoriæ contingit. Sicque verificatur commune Myſticorum aſſertum de omnium potentiarum animæ unione ad Deum in actuali unione fruitiva.

Secundum autem, nempè quòd quandoquè in tempore unionis fruitivæ actualis non omnes potentiæ unitæ Deo ſunt; etiam eſt à Myſticis Doctoribus communitèr edoctum: evenitque cùm, præcedente hac totali unione, de qua loquebamur modò, permittente Deo, ſolvitur aliqua potentia. Vt enim tradit expertiſsima Mater N. D. Thereſia lib. vitæ capit. 17. quamquàm intellectus, voluntas que immobilitèr in unione perſeverent, quandoquè memoria ſolvitur: quæ imaginatione ſocia, intellectum, & voluntatem perturbat, & à ſomno, in quo felicitèr conquieſcunt, excitare ſatagit. Quocircà cæleſtis Sponſus animam ſibi chariſsimam in contemplationis, ac unionis quiete perſeverare deſiderans memoriam, phantaſiam, imaginationem, & omnia, quæ quomodo-

dolibet otium hoc animæ inquietare queunt, adiurat. Cap. 8. Cant. vers. 4. dicens: *Adiuro vos, filiæ Ieruſalem, ne ſuſcitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit.* Ter dulciſſimus Sponſus hac adiuratione utitur in eodem libro, videlicèt in hoc loco, & cap. 2. verſ. 7. & etiam cap. 3. verſ. 5. eamque repetit, *ut oſtendat, quam ſibi placeat Sors Magdalenæ præ Marthæ, ideſt otium contemplationis præ negotio actionis*, ait Cornelius ad citatum caput 8. De anima perfectiſsimæ contemplationi intenta loquitur divinus Sponſus, ut docet Div. Thomas ad dictum caput 3. *Filiasque Hieruſalem adiurat, ne illam excitent ab hoc ſomno ſuaviſsimæ quietis, & contemplationis, donec ipſa velit. Somnus autem meritò amor apellatur, quia ſicut dormiens à viſibilibus oculos claudit, & inviſibilia contemplatur, ita is, qui divinæ contemplationi inſiſtit, quaſi alienus eſt, & dormit exterioribus ſola ſpiritualia, & cæleſtia videns*, inquit Ang. Doctor. Hoc ipſum docuit Myſticus noſter Doctor in ſua Egloga Cant. 20. & 21. dicens:

A, las Aves ligeras,
Leones, Ciervos, Gamos ſaltadores,
Montes, Valles, Riberas,
Aguas, Aires, ardores,
I miedos de las noches veladores,
Por las amenas lyras,
I canto de Sirenas os conjuro,
Que ceſſen vueſtras iras,
I no toqueis al muro;
Porque la Eſpoſa duerma mas ſeguro.

O Nimphas de Judea
En tanto que en las flores y roſales
El ambar perfumea,
Morà en los arrabales,
I no querais tocar nueſtros umbrales.

Quæ omnia profundiſsimè explicat Sanctus Doctor, qui ab omnibus videri debet. Pro re autem præſenti hæc ſolummodò verba ipſius offerimus. *In primis adiurat Sponſus, & imperat, ne inutiles phantaſiæ, & imaginativæ digreſsiones quieſcentem animam interturbent.* Idem documentum tradiderat Cant. 18. in qua ſuaviſsimè modulatur.

In quorum Carminum declaratione plurima tradit expertiſsimus Doctor, quibus data doctrina roboratur.

Ex dictis liquet, quòd interdùm tempore unionis actualis non omnes potentiæ Deo unitæ ſunt: alioqui nulla illarum animam inquieraret, ac ſubindè adiuratio ſuperfluerer. Vbi obſervandum eſt, quòd poſtquàm memoria, & phantaſia ſolutæ ſunt, & ab aliarum facultatum conſortio ſegregatæ, ex harum impulſu iterùm quandoquè abſorbentur, & uniuntur; tunc que redit omnium potentiarum unio.

Aliquandò autem Deus ipſe facit, quòd memoria, & intellectus ſolvantur, ut ſic poſſint mirabilem illam unionem percipere, & arcana myſteria, quæ in illa Deus animæ revelat, cognòſcere. Sic ſentit noſt. Thomas à Ieſu de orat. ſupern. lib. 4. Tunc que ſola voluntas unita manet, gaudia cæleſtis vitæ deguſtans.

Ex dictis habes, quid ſit unio omnium potentiarum animæ cum Deo in exercitio Theologiæ myſticæ, ſeu in unione fruitiva. Et etiam habes, quid ſit unio aliquarum potentiarum & quotuplex ſit: quia, ut dictum eſt, aliquandò ſolvitur ex facultatibus ſuperioribus memoria, & ex inferioribus phanthaſia. Et tunc intellectus, & voluntas manent in unione. Aliquandò verò etiam ſolvitur intellectus: quo caſu ſola voluntas manet unita. Quod autem voluntas ſolvatur, alijs potentijs in unione manentibus, impoſsibile eſt. Quia, ut liquet ex ijs, quæ numer. 14. diximus, unio fruitiva dicit eſſentialiter voluntatem; eoquod fruitio actus voluntatis eſt. Quocirca implicat unio fruitiva ſine voluntate unita: non autem implicat unio partialis fruitiva ſine intellectus, aut alterius facultatis unione.

In-

105. Inquires 4. An hæc unio fruitiva poſsit contingere abſque extaſi? Reſolutio eſt negativa. Sic docent communiſsimè myſtici Doctores: iamque hoc ipſum aliquotiès dictum à nobis obitèr eſt in hoc curſu. Rationemque aſsignat Richardus Victorin. de grad. viol. charitat. cap. 4. Vt videlicèt anima queat ſecuriùs, & ſecretiùs Sponſo ſuo frui clauſis ſenſuum oſtijs. Hanc rationem non reſpuimus; illam tamen pluribus indigere, ut intentum ſuadeat, recognoſcimus.

Reſolutionem tamen probamus ratione fundamentali, quam deſumimus ex noſtro Angelic. Præcept. eamque multoties aut expendimus, aut inſinuavimus, & præſertim diſp. 17. quæſt. 3. reducitur que ad hanc formam. Etenim cum anima totâ ſuâ activitate eget, ut aliquam, vel aliquas operationes habeat; ita ut ſibi ipſi non ſufficere videatur; tunc ceſſant aliæ operationes ex defectu influxus animæ in principia proxima earundem operationum: Hoc evenit animæ in unione fruitiva: ergo hæc contingere non poteſt ſine extaſi. Patet iſta: Quia extaſis nihil aliud eſt, niſi abſtractio animæ ab omni eo, quòd impedire, aut retardare poteſt impetum ipſius. Vndè cum ſenſuum operationes animæ impetum, & intentionem impediant, aut retardent, dum illa tota ſua activitate tendit in fruibilia, fit conſequens, quòd nequeat eo impetu in fruibilia tendere, quin à ſenſibus alienetur, ſeu, & eſt idem, quin extaſim patiatur. Hoc que ita eſſe, liquet ex diffinitione extaſis, quam ex D. Thoma 1. 2. quæſt. 28. art. 3. ad 1. dedimus in noſtra Iſagoge lib. 3. num. 57. Vbi diximus, quòd extaſis eſt *elevatio mentis in Deum cum alienatione à ſenſibus* &c. Minor verò deſe conſtat: quia cum Deus in unione fruitiva illabatur intellectui in ratione ſummæ lucis, & voluntati in ratione ſummi boni, non poteſt non animam adſe attrahere impetu velociſsimo, ita ut ſibi ipſi non videatur ſufficiens, ut impulſum ſuperni Numinis inſequatur.

Maior autem continet expreſſam doctrinam D. Thomæ pluribus in locis, inter quæ quæſt. 13. de veritat. artic. 3. in corpore ait: *Hoc enim in omnibus animæ potentijs invenimus, quòd, quandò una potentia in ſuo actu intenditur, alia vel debilitatur in ſuo actu, vel ex toto abſtrahitur. Sicut patet in illo, in quo operatio viſus fortiſsimè intenditur, quòd auditus eius non percipit ea, quæ dicuntur, niſi fortè ſuæ vehementia adſe attrahant ſenſum audientis. Cuius ratio eſt, quia ad actum cuiuslibet cognoſcitivæ potentiæ requiritur intentio, ut probat Auguſt. in libro de Trinitate. Intentio autem unius non poteſt ferri ad multa ſimùl, niſi forte illa multa hoc modo ſint ad invicem ordinata, ut accipiantur quaſi unum, ſicut nec alicuius motus, vel operationis poſſunt eſſe duo termini non ad invicem ordinati. Vndè, cum ſit una anima, in qua omnes cognoſcitivæ potentiæ fundantur, unius, & eiuſdem intentio requiritur ad omnium potentiarum cognoſcitivarum actus. Et ideò cum totalitèr anima intendit ad actum unius potentiæ, abſtrahitur homo ab actu alterius potentiæ.* Hæc D. Thomas indè concludens non poſſe hominem viatorem Deum facilitèr contemplari; quin à ſenſibus alienetur, prout fusè vidimus dicta diſputatione 17. Modò autem eandem doctrinam applicamus ad unionem fruitivam: quia licèt non negemus vehementiorem impulſum in Deo clarè contemplato, quam in eodem obſcurè unito: attamen impulſus, quem animæ ad unionem fruitivam infundit, ſatis, ſuperque eſt ad ipſam penitùs abſorbendam. Nec enim hoc eſt privativè proprium Dei facilitèr viſi, ut liquet ex authoritate inducta D. Thomæ, cuius veritatem quotidiè in nobis ipſis experimur. Videmus quippè multotiès, ac ſi non videremus propter ſummam attentionem, qua ani-

ma occupatur erga actum auditùs V. g. & è contra. Vndè hoc discursu ex rerum natura deprompto optimè proposita resolutio suadetur.

106. Roboratur 1. Mirabilis hæc unio dicitur ab omnibus Mysticis fruitiva, & extatica: sed quia *fruitiva* nequit dari sine voluntate, cuius est fruitio, ut vidimus num. 108. in fine: ergo quia *extatica* nequit sine extasi contingere.

Roboratur 2. Vnio fruitiva consequitur ad amorem deficientem, ut cum laudato Richardo docent omnes mysticæ Theologiæ Doctores: ergo non datur sine extasi. Patet ista. Quia amor *deficiens* iuxta eosdem Mysticos ille dicitur, quo anima tota se extra se ipsam rapitur, alienatur, ac veluti emoritur: quod cùm esse nequeat propter absentiam vitæ, erit utique propter abstractionem ab operationibus: non facultatum rationalium, ut dele liquet: ergo sensitivarum.

Roboratur tandèm. Iuxta eundem Richardum ab omnibus admissum, in hoc statu fit silentium in Cælo, sive in anima quasi hora dimidia. Quod idem est, ac dicere: Quòd tempore unionis fruitivæ cessant omnes animæ operationes, quod intelligi nequit de operationibus rationalibus, ut dictum est: ergo intelligendum est de operationibus sensuum, qui omnes tunc temporis propter animæ desertionem silent.

107. Quæ diximus, non solùm respiciunt unionem fruitivam totalem: Verumetiam partialem. Partialem voco illam, in qua solus intellectus, & voluntas, vel sola voluntas in unione manent iuxta dicta num. 104. Hanc ergo unionem partialem non fieri sine extasi, indè constat, quòd voluntas plenè absorta est in Deo; quem sibi unitum habet. Vndè requirit totam animæ intentionem, quæ eoipso in facultates sensitivas influere non potest.

Dices: Dum sola voluntas unita est, & solvuntur intellectus, & memoria iuxta dicta num. 107. influit anima in memoriam, & intellectum: ergo in unione fruitiva partiali non ita absorbetur anima, ut non possit influere in alias facultates.

Respond. distinguendo consequens *in alias facultates* non impedientes unionem, concedo. Impedientes, nego consequentiam. Sensuum sensationes impediunt quietem animæ: quocirca implicat, quòd anima fruitivè Deo, media voluntate, unita influat in sensus, ut suas sensationes eliciant. Operatio autem intellectus non impedit fervorem voluntatis: unde voluntate fruitivè Deo unita, potest anima in intellectum influere.

Replicabis: Quòd anima Deo fruitivè per voluntatem unita nequeat influere in sensus, provenit ex eo, quòd potentissimè rapitur in Deum; undè sibi ipsi non sufficiens sensus deserit, ut liquet ex adducto D. Thomæ testimonio, & ex omnibus, quæ à nobis dicta sunt: sed hæc ratio æquè militat in alijs facultatibus præter sensitivas: ergo solutio data non tenet. Cætera ex se, & ex hic, & alibi dictis nota sunt, & minor indè constat. Quia licèt sensuum sensationes animæ quietem interturbent, non propter hoc non influit anima in illos, tempore unionis fruitivæ; sed quia hic influxus est aliqua activitas animæ, quæ cum tota sua activitate indigeat, ut Deum insequatur, indè est, quòd nullam activitatem habet, qua sensus foveat; hinc que provenit suspensio sensuum: at hæc ratio quamcunque potentiam comprehendit præter fruitivè unitam: ergo &c.

Respondetur distinguendo min *æquè* ex parte, concedo: omnimodè, nego min. Itaque in unione fruitiva partiali non ita efficacitèr attrahitur anima ad superna, sicut in unione totali. Quod vel ex ipsis terminis unionis totalis, & partialis constat. Vndè qua parte anima non ita potentèr impellitur in unione partiali, aliqua efficacitate gaudet, quia in alias facultates, præter unitam, influat. Ast istæ facultates debent esse ipsi animæ, & facultati unitæ propinquæ

quæ, & aliundè ipſarum actus, quamquàm pugnent cum unione fruitiva perfectiſsima, ſeu totali; non verò opponi debent unioni fruitivæ partiali. Inter omnes facultates animæ rationalis facultates rationales ſunt ſibi invicem, & animæ propinquiores. Quocircà, cum unumquodque paucioribus egeat, ſeu facilliùs queat operari in propinquum, quam in diſtans: ideò poteſt anima intenta potentiſsimè voluntati fruitivè unitæ, conſervare activitatem, qua influat in intellectum, ſibi propinquiſsimum & carere activitate, qua influat in ſenſus à ſe diſtantes. Inſuper ſuperior activitas requiritur ad influendum in actum oppoſitum actui, qui exercetur, quàm ad influendum in operationem, quæ actum, qui elicitur, fovet: ad primum quippè ipſa actuum oppoſitio obſtat: ad ſecundum ipſa actuum amicitia iuvat. Vndè cum actus intellectus foveat voluntatis actum, & reciprocè ab ipſo foveatur, ut liquet ex dictis diſput. 20. quæſt. 2. indè eſt, quòd anima voluntati intenta poteſt influere in intellectum ſibi, & voluntati proximum, & actui voluntatis amicum: non autem influere valet in ſenſus, quorum ſenſationes, ultra diſtantiam, otium voluntatis inquietant. Ex quibus habes, quòd licèt actus intellectus, quo anima cognoſcit unionem fruitivam, & delicias, quibus fruitur voluntas, non compatiatur cum unione fruitiva totali; in quo aliquomodò convenit cum ſenſationibus; differt tamen ab iſtis, quia in has non poteſt anima influere ſivè totalitèr, ſivè partialitèr unita ſit; in actum verò intellectus influit tametſi partialitèr ſit unita.

108. Inſtabis. Quòd intellectus, dum voluntas eſt fruitivè unita, cognoſcat unionem ipſam, & delicias, quibus tunc voluntas perfunditur, nequit ſtare ſine reflexione: ſed reflexio deſtruit animæ quietem, iuxta à nobis ſcripta in illa quæſtione 2. ex doctrina noſtri Myſtici Doctoris: ergo ruit aſsignatum diſcrimen.

Reſpondetur negando maiorem; reflexio enim non datur, niſi quandò eadem potentia ſupra ſuum actum fertur diverſo, vel eodem actu, prout diximus diſp. 1. à num. 129. & hæc reflexio, maximè ſi propriè talis ſit, eſt, quæ quieti, & puritati contemplationis obeſt: de hac que loquuti fuimus in illa quæſtione 2. Aſt cum actus unius potentiæ terminatur ad actum alteriùs, delicias que, quibus gaudet, & alia huiuſmodi percipit, tunc nec impropria reflexio datur. Vndè ſolùm aderit, ſi quæ adeſt reflexio quedam impropriſsima, qualem. Magiſtro Ioanni à Sancto Thoma conceſsimus eadem diſp. 1. num. 176. Hæc autem reflexio impropriſsima nequit unionem fruitivam partialem impedire: ac ſubindè tenet aſsignatum diſcrimen inter potentias rationales ex una parte, & ſenſitivas ex alia.

109. Hic etiam inquiri ſolet, an tempore unionis fruitivæ anima intelligat per converſionem ad phantaſmata? Rursùs: An liberè operetur? Item: An certior fiat de ſua gratia, & acceptatione ad gloriam? Tandèm: An unio fruitiva dicat principaliùs actum intellectùs, an verò actum voluntatis?

Circa primum fuſiſsimè digladiatum à nobis eſt diſput. 17. quæſt. 4. Modò autem dicimus cum noſtro Thoma à Ieſu, quòd in operatione naturali dependet à phantaſmatibus intellectus: *Aſt ſi ſermo ſit de animabus illis perfectiſsimis, quæ aliquandò divina dignatione ad ſupernaturalem, & planè angelicam contemplationem à Deo ſublevantur, tunc non eſt dubium, eas ita abſtrahi ab omni corporea ſimilitudine, ut ſine ulla phantaſmatum adumbratione, vel ſaltèm imperceptibili, purè, & nudè ſuperna, ac divina contemplari poſsint.* Hæc doctiſsimus iſte de orat. ſupern. lib. 4. cuius ſententiam admittimus, quoad illud, *vel ſaltèm imperceptibili*, prout loco citato dictum eſt.

Secundum dubium reſolutum à nobis eſt, latiſsimèque expenſum diſputatione

tatione 18. Vbi obiectis à laudato noſtro Thoma tunc, & modò nobis contrario, curabimus ſatisfacere, perfectamque libertatem in anima raptum patiente, idem prorsùs eſt de fruitivè unita, ſtabilire.

Dubium 3. diſputabimus infra diſput. 27. quæſt. 6. ¶ Vltimum reſolutum manet ex dictis numer. 108. Si namque unio fruitiva animæ dari poteſt ſine actu intellectus, & implicat ſine actu voluntatis, ſit conſequens, quòd præcipuum in tali unione ex hac parte ſit voluntas. In quo, quia affatim pervium eſt, non eſt immorandum, ſed ad alia dubia tranſeundum.

***

DISPVTATIO XXIV.

DE VNIONE ANIMÆ CVM DEO IN MYSTICA deſponſatione.

AB VNIONE ANIMæ cum Deo abſolutè ſumpta, ad ipſam unionẽ particularitèr ſumptam gradum facimus. Et hæc erit materia ſequentiũ diſputationũ: adeò quippè fœcunda eſt ineffabilis unio hæc, ut pluribus diſputationibus materiam ſubminiſtret. In præſenti occurrit nobis myſtica deſponſatio, media qua anima Deo ut ſponſo unitur. De myſtica hac deſponſatione egimus in Iſagoge lib. 3. à num. 74. Vbi de illa nonnulla diximus; pauciſsima tamen, prout tunc occaſio exigebat. Vndè in præſenti, & illa explicatiùs propinanda ſunt, & operoſius tradenda, illisque adijciemus non pauca, quibus hoc animarum privilegium, ſibi à benigniſsimo gratiæ Datore impertitum; utcumquè declaretur. Monemus tamen, quòd ut rectè intelligantur, quæ diſputat. præcedenti ſcripta ſunt, debent præ oculis haberi, quæ in hac, & ſequentibus diſſeremus. Et ſimilitèr ut dicenda percipiantur, debent conſiderari, quæ diximus: Omnia enim mutuò ad intelligentiam ipſorum ſeſe iuvant. Et ratio in promptu eſt. Quia videlicèt ea, quæ dicere intendimus ſunt ſpeciales gradus, ſeu modi unionis intimæ animæ cum Deo. Poteſt quippè dari unio hæc intima, quin ſit deſponſatio, aut matrimonium: ſed nequit dari matrimonium, aut deſponſatio, quin ſit intima unio. Vndè, ut rectum iudicium de omnibus efformetur, debent omnia eſſe in efformandis conſpectu. His pro dictis, dicendisque præmiſsis, exurgat iam.

QVÆSTIO PRIMA.

AN DETVR VNIO SPONSALITIA ANIMÆ cum Deo?

VT plura, quæ de mystica desponsatione dicenda sunt, methodicè propinemus, agimus de *an est* cælestis huius unionis; sin minus supposita existentia mysticis sponsalitij, à *quid est ipsius* inciperemus.

***

§. I.

Statuitur Conclusio.

1. SIt nostra assertio. *Datur unio Sponsalitia, qua Deus animam sibi in Sponsam assumit.* Assertio hæc certissima apud omnes est, probatur que primò pluribus Scripturis ex unico libro Canticorum desumptis, in quo pluries anima sancta Sponsa dicitur, ut cap. 4. vers. 8. illis verbis: *Veni de Libano Sponsa mea*, & vers. 9. *Vulnerasti cor meum, soror mea Sponsa.* Itidèm vers. 10. *Hortus conclusus, soror mea Sponsa.* Ac tandèm, omissis alijs capit. 5. vers. 1. *Veni in hortum meum, soror mea Sponsa.* Totus ille Canticorum liber probat propositi asserti veritatem. In cuius comprobationem omnes alij libri Sacri conspirant. Quandoquidèm, ut docet D. Paulus 2. ad Timotheum capit. 3. vers. 16. *Omnis Scriptura divinitùs inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* His manifestat, Sacram Scripturam eo tendere, ut hominem perfectum faciat, quod, præterquàm quòd ex ipso textu notum est, edocetur à D. Thoma inibi edocente: *Ostendit, quòd Sacræ litteræ sunt viæ salutem. Et tria ponit: nam commendat Scripturas ratione principij, ratione effectus utilis, & ratione ultimi fructus, & profectus. Si enim consideres eius principium &c. Quadruplex est effectus Scripturæ, scilicèt docere veritatem, arguere falsitatem, quantum ad speculativam: eripere à malo, & inducere ad bonum, quantum ad practicam. Vltimus eius effectus est, ut perducat hominem ad perfectum. Non enim qualitercumquè bonum facit, sed perficit. Et ideò dicit: ut perfectus sit homo Dei quia non potest homo esse perfectus, nisi sit homo Dei: perfectum enim est, cui nihil deest. Tunc ergo homo est perfectus quandò est instructus, idest, paratus ad omne opus bonum: non solùm ad ea quæ sunt de necessitate salutis, sed etiam ad ea, quæ sunt supererogationis.* Si ergo omnis Sacra Scriptura ad perfectionem ducit, omnis illa adstruit existentiam mystici sponsalitij, ad quod assumuntur Perfecti.

2. Et sanè cum Dominus ait per Osee cap. 2. vers. 20. *Sponsabo te mihi in fide*, possibilem supponit Sponsationem, quam etiam, non iam sub illa generali ratione modò tacta, sed in proprijs terminis suadent quam plurimi textus. Celebris est ille ex libro Cant. cap. 1. Vbi sancta anima ait: *Osculetur me osculo oris sui.* Quibus verbis unionem sponsalitiam cum Christo benignissimo animarum Sponso petere, Concors est Sanctorum PP. Interpretum que sententia, ut vidimus disput. præcedenti quæst. ultima. Vbi sensum illorum verborum declaravimus. Apud Matth. cap. 25. introducitur divinus Sponsus cum sua Cælesti Sponsa: *Exierunt obviam Sponso, & Sponsæ.* Cuius exemplar sequutæ piæ aliæ animæ:

animæ: *Intraverunt cum eo ad nuptias.* In Apocalip. Hec eadem veritas oſtenditur, ut quiſque haud difficultèr conſiderare poteſt. Interim tamen D.Paul.2. ad Corinth. dicentem audiamus: *Æmulor enim vos Dei æmulatione. Deſpondi enim vos uni viro, Virginem caſtam exhibere Chriſto. Quaſi diceret* exponit Div. Thomas, *meritò vos æmulor Dei æmulatione, quia ego ſum paranimphus huius matrimonij, quod eſt inter vos. & Chriſtum; quia ego deſpondi vos, ideſt, feci ſponſalia, quæ ſunt per fidem, & charitatem.*

3. Sacram Scripturam imbuti SS. PP. Interpretes Sacri, & ſpirituales Magiſtri conſtantèr eandem veritatem docent. Miriſimè de hoc agit cæleſtis Doctrix Sancta Thereſia Mat. Noſt.pluribus in locis, quorum aliqua in ſubſequentibus offeremus. Non minori ſpiritu, & proprietate Myſticus noſter Doctor eandem materiam verſans frequentiſsimè exiſtentiam deſponſationis myſticæ vel adſtruit, vel ſupponit. Dilucidùs loquitur in ſuo profundiſsimo epitalamio: ubi non ſolùm hanc doctrinam ſtatuit: verumetiàm per ordinem ad illam diſtribuit 40. mirabiles Cantiones, quibus conſtat ipſum epitalamium. Vti ipſe Doctor Sanctus explicat Cantilena 22. ita ut à prima Cantilena uſque ad 5. ſit anima (ſicùt etiam alibi obſerbamus) in ſtatu incipientis, tendens ad perfectionem per meditationem, & exercitia propria incipientium. A Cantione 6. uſque ad 21. incluſivè eſt anima Proficiens, ad unionem tendens per contemplationem activam, per virtutum acquiſitionem, & alia ad Proficientes ſpectantia. Poſtmodùm Cantilena 13. quæ incipit: *Apartalos, Amado, celebratur deſponſatio ſpiritualis*, ait Sanctus Doctor. Ab iſta uſque ad 22. excluſivè manet anima in ſtatu feliciſsimo Sponſæ, recipiens à divino Salomone Sponſo ſuo benigniſsimo ineffabiles illas Vnctiones, quæ in novem interiectis Cantionibus continentur: quibus anima inungitur, & diſponitur ad ſpirituale matrimonium, quod celebratur Cantione 22. ubi de ipſa anima, iam tunc maritata, ut verbo Div. Bernardi, infra adducendi, utar, pangit Extaticus, noſter Parens.

Entradoſe ha la Eſpoſa
En el ameno huerto deſeado,
I à ſu ſabor repoſa
El cuello reclinado
Sobre los dulces brazos de ſu Amado.

Planum ergo eſt ex dictis, dari myſticum ſponſalitium iuxta Myſticum noſtrum Doctorem, & etiam, qua parte ſui ſacri epithalamij de ipſo agat. Obſervandum tamen eſt, quod etiam alibi animadvertimus, nos ſequi ſeriem, & ordinem Cantionum, quem ſervat impreſsio Hiſpalenſis edita anno Domini 1703. quæ omnibus alijs operum eiuſdem Sanctiſsimi Doctoris correctior eſt; ut, quoad præſens, oſtendunt ea, quæ in expoſitione propoſitæ Cantilenæ docet extat ipſe.

§. II.

Argumentis in Concluſionem reſpondetur.

4. ARguitur 1. Contra Concluſionem. Inter Deum, & animam repugnat matrimonium: ergo & ſponſalia. Patet iſta: quia ſponſalia ſunt via ad matrimonium; atque ideò ubi hoc repugnat, & illa etiam. Antecedens probatur. Servitus iure naturæ impedit matrimonium: ſed anima reſpicit Deum relatione ſervitutis: ergo.

Reſpondetur negando antecedens. Cuius probationis diſtinguatur maior, *ſervitus* ignota contrahenti libero, concedatur, ipſi nota, negetur maior. Solutio eſt Div. Thomæ in 4. d. 36. quæſt. 1. art. 1. ad 1. Vndè ſervitus animæ nunquam poteſt impedire ſpirituale matrimonium, quia nunquàm poteſt à Deo ignorari. ¶ Adde 1. quòd ſervitus matrimonium impediens eſt ſervitus contra naturam, ut eam appellat Div. Gregor. apud laudatum Divum Thomam;

Servitus autem animæ ad Deum eſt penitùs naturæ conformis; nec ſicut illam ſupponit peccatum. Vndè hæc ſervitus eſt vera libertas, & ſecundùm illam operari, quòd faciunt perfecti, eſt vera nobilitas: atque ideò non eſt undè matrimonium ſpirituale impedire queat. Videatur D. Thom. 2. 2. quæſt. 183. art. 4. in corpor. & ad Rom. cap. 6. lect. 4. in fine. ¶ Adde 2. quòd ex eodem D. Thoma ibi quæſt. 122. art. 4. ad 3. Servitus eſt triplex, videlicèt hominis ad peccatum, ad hominem, & ad Deum. Servitus hominis ad peccatum impedit matrimonium ſpirituale, & myſticum ſponſalitium. Sicut ſervitus hominis ad hominem impedit matrimonium carnale. Vndè in hoc adeſt paritas inter matrimonium carnale, & ſpirituale. Et ſi arguens hoc ſolùm intenderet, mecum illi convenerit: quia reverà utraque impedit. Immò magis impedit ſervitus ad peccatum matrimonium ſpirituale, quàm ſervitus ad hominem carnale: hæc enim, ut dictum eſt, non impedit, ſi non ignoretur; illa verò etiam ſi ab anima non ignoretur, impedit. Servitus hominis ad Deum eſt honorifica ſervitus, quæ re ipſa libertas eſt, ut docetur in art. 4. dictæ quæſtionis 183. Ex quibus habetur, quòd ſervitus ad Deum nullum matrimonium, ſive naturale, ſive myſticum ſit, impedit. Servitus ad hominem impedit matrimonium carnale, ſed non ſpirituale. Servitus ad peccatum impedit penitùs matrimonium ſpirituale, ſed non impedit validitatem carnalis matrimonij. Vndè liquet, in quo conveniant, quoad præſens eſt, & in quo diſcriminentur ſervitus ad hominem, & ſervitus ad peccatum.

5. Dices: Si herus ancillam ſuam duceret in uxorem, eoipſo maneret iſta libera à ſervitute: ergo ſi anima Deo nuberet, non maneret in ipſa ſervitus erga Deum. Sed hoc eſt impoſsibile: ergo & matrimonium inter Deum, & animam.

Reſpondetur diſtinguendo anteced. *à ſervitute* incompatibili cum illo matrimonio, concedo. Non incompatibili, nego antecedens. Dictum eſt, quòd non omnis ſervitus impedit matrimonium, ſive naturale, ſive ſupernaturale. Et hoc patet; quia ſervitus Mariæ ad Petrum nec impedit ullo modo matrimonium myſticum; nec cognita impedit ioſieri, aut in facto eſſe matrimonium eiuſdem Mariæ cum Franciſco; poteſt quippè ei nubere, & ſimùl componere, quod ſit uxor Franciſci, & Petri ancilla. Si autem hero ſuo Petro nubat, nullum adeſt fundamentum ad fieri nuptiarum; ſed cum ipſis componi nequit ſervitus in eadem reſpectu eiuſdem: atque ideò in præſentia nuptiarum cum Petro diſparet ſervitus ad eundem, quamquàm manere queat ſervitus ad alium. Ratio huius eſt: quia munia ancillæ, & uxoris incompatibilia ſunt in eadem reſpectu eiuſdem non verò reſpectu diverſorum. Quam doctrinam ſine labore comprehendi poteſt, perſpectis obligationibus uxoris, & ancillæ, quod ſtudium volentibus illud conſiderare derelinquimus. Dictum etiam eſt, quòd ſervitus animæ ad Deum non impedit matrimonium carnale hominis, nec impedit matrimonium myſticum cum Deo, cuius anima ancilla eſt: & eoipſo, quòd anima eſt Dei ancilla, ſi alteri vellit nubere, fornicatur, ut ſcitè docet laudatus D. Thomas. Ipſi Deo nubere debet, manens ipſius ancilla ad æmulationem ſanctiſsimæ illius, quæ Sponſa Dei cum eſſet, & ad dignitatem Matris eveheretur, ſe ancillam nominavit. Ratio huius ea eſt: quòd in ancillatu erga Deum nihil eſt, quod muneri Sponſæ eiuſdem Dei contradicat: quin potiùs quantò perfectiùs Sponſa eſt, cò eſt & vividiùs ancilla. Ac ſubindè quamquàm ancilla, quæ Domino ſuo nubit, deponat ancillatum: non illum deponit, ſed firmat anima ad ſponſalia cum Deo in eunda aſſumpta.

6. Replicabis. Sine æqualitate inter contrahentes, vel antecedens, vel introducta ab ſponſalibus, non adeſt deſponſatio: cum perſeverantia ſervitutis animæ ad Deum, non adeſt æqualitas: ergo nec deſponſatio. Reſ-

Reſpondetur diſtinguendo maiorem, *deſponſatio* æqualitatis, concedo, excellentiæ, nego maiorem. Deſponſatio fundatur ſuper amicitiam, quam volentes contrahere ſecum habent. Vndè iuxta diverſitatem amicitiæ eſt deſponſationis diverſitas. Amicitia ſecund. D. Thomam in 3. d. 28. quæſt. 1. art. 3. ad 3. eſt duplex, alia æqualitatis, & alia excellentiæ. Amicitia æqualitatis aut invenit, aut facit æquales, ut ait replicans, docet que D. Hieronymus ſuper Micheam cap. 7. Amicitia excellentiæ nec invenit æquales, nec conſtituit; ſi namque faceret, aut inveniret, iam non eſſet excellentiæ. Idem dic de deſponſatione, & replica manebit enervis.

7. Cui ſecundò reſpondetur (ſi iam non eſt traditæ doctrinæ maior explicatio) iterùm diſtinguendo maiorem, *ſine æqualitate* vel æquiparantiæ, vel proportionis, concedo, æquiparantiæ præcisè, nego maiorem. Sponſalitium, ut dictum eſt, fundatur ſupra amicitiam, quæ requirit ſanè æqualitatem; non tamen requirit determinatè æqualitatem æquiparantiæ, ſed vel hanc, vel æqualitatem proportionis. Et cum hac æqualitate proportionis ſalvatur vera, & formalis ratio amicitiæ excellentiæ. Deſponſatio ſequitur genium amicitiæ, ſupra quã fundatur. Vndè deſponſatio fundata in amicitia dicente æqualitatem æquiparantiæ petit inter Sponſos æquiparantiam: fundata verò ſupra amicitiam dicentem æqualitatem proportionis, dicit inter Sponſos hanc proportionis æqualitatem. Et huiuſmodi deſponſatio eſt, ad quam anima præſtanti gratia decora ſublevatur. Hæc proportionis æqualitas conſiſtit in eo, quòd quivis è contrahentibus ſponſalia ſe habeat ad alterum ſecundùm ſuam proportionem; vndè Deus ſe habet ad animam ſponſam ſuam ut omnipotens, habens que naturam divinam per eſſentiam: Sponſa ſe habet ad Deum ut dicens naturam divinam participatam. Deus amat animam amore infinito, & ardentiſsimo: & anima Deum diligit amore etiam ardentiſsimo, quamquàm limitato: ſed tali, quod ipſam in amatum transformet, ut ait Myſtic. noſter Doctor in ſua illa Cantione.

O noche, que guiaſte,
O noche, amable mas que la alborada,
O noche, que juntaſte
Amado con Amada,
Amada en el Amado transformada!

Quod etiam docuit D. Dionyſ. cap. 4. de Divinis Nominibus illis verbis: *Eſt autem faciens & extaſim divinus amor, non dimittens ſui ipſorum eſſe amatores, ſed amatorum.* Nec intelligas hoc eſſe proprium ſolius amoris creati: quia etiam amorem increatum creaturas diligentem comprehendit. Deus quippè Sponſam ſuam diligens in ipſam quodammodò transformatur: *Amor omnis transfert quodammodò amantem in amatum*, ait D. Thomas in 3. d. 32. quæſtione 1. art. 1. ad 3. & hoc expreſsiſsimè traditur ab eodem Dionyſio, qui poſt verba recitata ſubiungit: *Audendum autem & hoc pro veritate dicere, quòd & ipſe omnium cauſa pulchro, & bono omnium amore per abundantiam amativæ bonitatis extra ſe ipſum fit ad omnia exiſtentia providentijs: & ſicut bonitate, & dilectione, & amore trahitur, & ex eo, quòd eſt ſuper omnia, & ab omnibus ſegregatum, ad id, quod eſt in omnibus deponitur ſecundùm extaſim facientem ſuperſubſtantialem virtutem à ſe ipſo ingreſsibilem.* Videndus eſt D. Thomas horum verborum ſenſum aperiens. Nobis autem ſat fuerit, legere in Magno Dionyſio, quòd *extraſe ipſum fit Deus*, dum ſuam Sponſam diligit, ſicut & ipſa Sponſa extra ſe ipſam fit ob ſui dilectiſsimi amorem, & utriuſque transformationis una, & eadem cauſa eſt, videlicèt, quòd divinus amor extaſim facit *non dimittens ſui ipſorum eſſe amatores, ſed amatorum.* Et ne offendas in ly *divinus amor*, adverte, quòd Interprete D. Thoma ibidem, loquitur Dionyſius de amore divino, quo Deus

à creaturis diligitur, & etiam de amore divino, quo diligit creaturas.

8. Amore divino, quo Sponſa Dei ſuum Sponſum amat, extra ſe ipſam fit in Sponſa in Dilectum transformata. Amore divino, quo Sponſus Deus ſuam Sponſam diligit, *extra ſe ipſum fit.* Vndè uterque hic divinus amor extaſim in amante cauſat, ipſumque in amantem affectivè tranformat. Quam convenientiam inter iſtum duplicem amorem divinum intelligere debes non per æquiparantiam, ſed per proportionem. Abſit, ut intelligas, quòd Deus Sponſam ſuam diligens eodem modo transformatur in illam, ac ipſa diligens Sponſum in Sponſum, quem diligit, transformatur. Hoc, inquam, abſit. Nec hic eſt Areopagitæ ſenſus, ſed ille, quem tradit D. Thomas tum loco citato de Divin. Nominib. Tum, ubi proximè ex ſententiarijs ſic procedens: *Ad 3. dicendùm, quòd amor omnis transfert quodammodò amantem in amatum, ſed diverſimodè. Vno modo, ſecundùm quòd amans transfertur ad participandum ea, quæ ſunt amati. Alio modo, ut communicet amato, ea quæ ſunt ſua. Primo ergo modo Deus non transfertur in amatum quòd eſt creatura, ſed ſecundo modo, in quantum bonitatem ſuam ei communicat. Et ſic dicit Dionyſius 4. cap. de Divinis Nominibus, quòd ipſe Deus eſt per amorem extaſim paſſus.*

Omnia præiacta breviſsimè circumplexus eſt D. Paulus 2. ad Corinth. cap. 6. verſ. 17. dicens: *Qui autem adæret Domino, unus ſpiritus eſt. Quia ſcilicet*, exponit D. Thomas, *unitur ei unitate ſpirituali, non corporali.* Si ergo anima amore flagrans unitur Deo *unitate ſpirituali*, eius Sponſo eſt; ſicùt Sponſa hominis eſt, quæ cum ipſo coniungitur unitate corporali. Quocircà ſi ſervitus animæ ad Deum non impedit unionem ſpiritualem cum ipſo, ut non impedire liquet ex hactenùs dictis: Planum eſt, quòd nec deſponſationem impediet.

9. Arguitur 2. Nequit anima uniri Deo tanquàm Sponſa per id, quod reprobatum eſt in Sacra Scriptura: ſed myſtica deſponſatio videtur reprobata in Sacra criprura: ergo. Probatur minor. Non ſtat deſponſatio myſtica ſine promiſsione de futuro: Hæc promiſsio vituperatur à D. Iacobo in ſua Catholica cap. 4. verſ. 13. ergo.

Hoc argumentum eliminare intendit deſponſationem corporalem, & omnem promiſsionem de futuro. Illud ſolvit D. Thomas in 4. d. 27. quæſt. 2. art. 1. ſic: *Ad 5. dicendum, quòd Iacobus non intendit prohibere, quòd omninò aliquis nullam promiſsionem de futuris faciat, ſed quòd promiſerat quaſi fiduciam habens de vita ſua. Vndè docet, quòd debet apponi conditio, ſi Deus voluerit, quæ etiam ſi verbis non exprimatur, corde debet intelligi.* Promiſerant aliqui ſe in Civitatem Ituros die ſequenti ac ſi certi eſſent, quòd vita ipſorum uſque in illum diem duratura erat. Et hoc eſt quod Apoſtolus reprehendit: non promiſsionem, ſed quòd ad ſtatam diem ſe ſuperſtites reputarent: quod planè oſtendit Apoſtolus ijs verbis: *Qui ignoratis quid erit in craſtino.* Ideſt vos, qui ignoratis, an cras ſepeliemini, an in lectulo, aut in carcere gravati torquebimini: ac ſi hæc, aut alia poſſibilia non forent, ſine ambiguitate *dicitis: Hodie, aut craſtino ibimus in illam Civitatem* &c.

10. Arguitur 3. Si anima deſponderetur Deo, Deus ſe gereret cum illa tanquàm Sponſus dulciſsimus, illam blanditijs demulcens, tenerrimè aliciens, ut moris eſt apud ſponſalia contrahentes: conſequens admitti non debet: ergo nec quòd inter Deum, & animam ſit dabilis deſponſatio. Cætera nota ſunt, & minor probatur. Tum: quia Deus nõ eſt acceptor perſonarum, ſicut dicitur in Actor. capit. 10. Et illa facere, videtur fore perſonarum acceptionem. Tum etiam: quia illa neutiquàm decent divinam Maieſtatem, ut ſatis illæ ipſæ blanditiæ oſtendere videntur.

Repondetur negando minorem. Cuias

ius prima probatio inanis est. Quandoquidèm non datur acceptio personarum, cum bonum impertitum supponit meritum in eo, cui confertur. Talis est mystica desponsatio : non enim Deus assumit in Sponsam, nisi animam, quæ suis laboribus, sudoribus, vigilijs, & alijs huiusmodi, tanta dignitate reperitur digna. Quæ amplius infra num. 24. declarabimus. Quòd autem hæc anima omnia ista fecerit, & ad sponsalitium admissa sit ex dono efficacissimæ gratiæ, quàm alij non acceperunt, non arguit acceptionem personarum, quia hæc solùm reperitur in distributione iustitiæ, non autem in materia liberalitatis, & gratiæ, ut docet D. Thomas 2. 2. quæstione 63. art. 1. nodum similem solvens his verbis: *Ad 3. dicendum, quòd duplex est datio. Vna quidèm pertinens ad iustitiam, qua scilicèt aliquis dat alicui, quod ei debetur : & circa tales dationes attenditur personarum acceptio. Alia est datio ad liberalitatem pertinens: quia scilicèt gratis datur alicui, quod ei nõ debetur: & talis est collatio munerum gratiæ, per quam peccatores assumuntur à Deo. Et in hac donatione non habet locum personarum acceptio ; quia quilibet absque iniustitia potest de suo dare quantum vult, & cui vult, secundùm illud Matth. 20. An non licet mihi, quod volo facere? Tolle, quod tuum est, & vade.*

Et si recurras ad plures animas, quæ absque dubio dignæ sunt huius dignissimæ sponsalitiæ unionis, verè infusæ, & illam eis Deus non confert toto ipsarum vitæ discursu ; quinimò tunc ne plurima illas torquet, aridatibus premit. Respondeo doctrinà illà præclara, quam ex Seraphica Mat. Nost. Theresia exhibui disputat. præcedenti numer. 104. in fine.

Secunda minoris probatio ex magna ignorantia procedit. Est utique Deus Omnipotens nõ solùm Rex tremendæ maiestatis, ad cuius aspectum vel Cæli solidissimæ Columnæ pavidæ contremiscunt. Verumetiàm Pater benignissimus est, Pastor piissimus, & Sponsus dulcissimus animarum. Et quamquàm Vulgatus dixerit: *Non bene conveniunt, nec in una sede morantur Maiestas, & amor.* Novit Dominus *sceptri gravitate relicta* cum anima sibi Sponsa charissima indulgentissimè conversari. Abundant historiæ generales, & particulares exemplis præsentem materiam comprobantibus. Illam affatim stabilire queunt, quæ unus Pater Thomas Hurtado 1. part. Resolut. Moral. tract. 5. cap. 6. §. 20. à numer. 1044. refert de Sancta Getrude, de Sancta Methilde, de Sancta Ida de Nibela, de Sorore Anna à Sancto Ioseph. Et quod omnem ponderationem superat, est quod in fine §. refert ex Aug. Præcept. Illum Theologum adeat arguens, & quin Dei Maiestatem venerari desinat, ipsum quoque, mirabitur benignissimum.

Interim nos ipsum D. Deum nostrum contemplamur dicentem Beatæ Rosæ Americanæ: *Rosa cordis mei, tu mihi Sponsa esto.* Sanctæ Matri N. Theresiæ dexteram suam dantem, dicentem que: *Deinceps ut vera Sponsa meum zelabis honorem.* Itidem: *Si Cælum hactenùs foret improductum, in tui gratiam illud crearem.* Magna sunt ista & huiusmodi innumera, quæ prætereo, sed ad altiora conscendens in ipsa Scriptura Sacra hæc ipsa veritas nobis clarissimè ostenditur. Totum Canticorum librum in eius comprobationem exhibeo; vel ipsius libri prima verba sunt huius veritatis lucidissima demonstratio. *Osculetur me osculo oris sui*, ait Sanctissima, & prudentissima anima : nec auderet, nisi Dominum in illam benignissimum experta esset. Osculum petit, & consequitur: quod neutiquàm obtineret, quin Deus, *sceptri gravitate relicta*, cum illa ageret ut Sponsus indulgentissimus. Et sanè cum Omnipotentem video terribilem suam maiestatem mitera humanitate nostra obvelantem, à summo Cælo ad terram descendentem, nobiscum per plures annos conversantem, vitam laboriosissimam degentem, mortem turpissimam sub-

ſubeuntem, Cælum reſerantem, & animas noſtras à Dæmonis ungibus redimentem, ac deniquè Sacro ſui Corporis, Sanguinis que ſympoſio recreantem: hæc, inquam, cum video, nihil mihi ſtupendum reperio in ijs omnibus favoribus, qui recenſeri ſolent; nec video quomodo eius maieſtatem dedeceat, animam ſibi chariſsimam dulciſsimis Sponſi favoribus cumulare.

11. Arguitur 4. Anima Sanctiſsima Chriſti Domini non eſt Sponſa Dei: ergo nec alia cuiuſcumque anima, quantumvis perfectiſsima. Ergo myſtica deſponſatio non datur. Secunda conſequentia conſtat ex prima, quam antecedens infert. Nulla quippè anima magis dilecta à Deo eſt, nec ipſum magis diligit, quàm Chriſti anima. Si ergo anima ſic amans, & ſic dilecta, immenſis que favoribus decorata Sponſa non eſt: nec aliæ animæ erunt Sponſæ. Antecedens autem eſt expreſſum D. Thomæ in 4. diſt. 49. quæſt. 4. art. 3.

Reſpondetur diſtinguendo antecedens. *Non eſt* propriè, concedo. Impropriè, nego antecedens. Solutio eſt Div. Thomæ eoipſo loco, qui loquutus de ſanctiſsima humanitate Chriſti docet, quòd habet aliqua, quæ ad munus Sponſæ requiruntur, & alijs caret. Quocirca poteſt, impropriè tamen, Sponſa dici. Sponſa debet inſeparabilitèr coniungi ſuo Sponſo, à quo tanquàm inferior regi debet. Et hæc duo habet anima Sanctiſsima Chriſti; quapropter his attentis, Sponſa eſt. Aſt quæ in Sponſam aſſumitur, debet alias tres conditiones habere. Prima eſt, quòd præexiſtat deſponſationi; ſinamque Sponſa introducitur ad domum Spōi: ergo priuſquam introduceretur, iam erat, & non coniuncta Sponſo, ſed ab eo ſeparata. Secunda eſt; quòd ſit perſona diſtincta à ſuo Sponſo. Tertia: quòd ſit eiuſdem ſpeciei cum illo. Has conditiones habere debet Sponſa iuxta laudatum D. Thomam, cuius eſt tota doctrina præſens. Et nullam ex his tribus conditionibus habet Chriſti anima. Non primam: quia nunquàm extitit non intimè coniuncta verbo. Idem quippè fuit in illa *creari*, & unione omnium maxima Deo *uniri*. Nec ſecundam: quia anima illa Sanctiſsima non differt perſonalitèr à verbo, quia diſtinctio perſonalis non verſatur, niſi inter perſonas. Non deniquè tertiam: quia, ut deſe liquet, pluſquam ſpecie differt à verbo.

Ob defectum ergo horum recedit coniunctio illa à proprietate, & rigore deſponſationis; quamquàm deſponſatio ſit, ſi attendatur illa duo, quæ priùs recenſuimus. In aliorum hominum animabus omnes quinque conditiones reperiuntur. Vndè ex hac parte nihil prohiber, quod valeant in Dei Sponſas aſſumi. Videatur præadductus D. Thomas, qui angelicè hæc omnia ediſſerit.

12. Contra datam Sancti Thomæ doctrinam obijcies 1. Ex defectu convenientiæ ſpecificæ non habet Sanctiſsima Chriſti anima, quòd non ſit propriè Sponſa Dei: ergo hoc aliundè provenit, videlicèt quia talis deſponſatio non datur. Probatur antecedens. Aliorum hominum animas dicimus poſſe Deo deſponſari: ſed iſtæ pluſquam ſpecificè à Deo differunt: ergo ſine maxima inconſequentia nequit hoc denegari animæ Chriſti propter ſpecificam differentiam.

Reſpondetur negando antecedens. Ad eius probationem diſtinguo maiorem, *Deo* ſubſiſtenti in natura humana, concedo. In natura propria ſubſiſtenti, ſubdiſtinguo, impropriè, concedo. Propriè, nego maiorem. Cum dicimus, animæ poſsibilem eſſe deſponſationem cum Deo, loquimur de Verbo Divino ſubſiſtente in natura humana, qualitèr eiuſdem ſpeciei eſt cum hominibus. Cum Deo ergo homine dicimus, poſſe animam aliorum hominum ab ipſo Chriſto Domino propriè deſponſari: non autem, niſi impropriè, cum ipſo Deo in propria natura ſubſiſtenti; ſicùt de anima ipſius Chriſti dicebamus.

13. Dices: quod animam habilitat ad contrahendum ſponſalia cum Deo, non eſt ſpecies animæ, ſed natura, quam ha-

habet ab Authore ſupernaturali, nempè gratia ſanctificans: ſed per gratiam ſpectat anima ad ſpeciem divinam; immò ipſa gratia eſt natura divina participata: ergo ſi dabilis eſſet myſtica deſponſatio, poſſet anima propriè deſponſari Deo ſubſiſtenti in natura propria.

Reſpondetur negando conſequentiam, quæ ex illis præmiſsis non infertur. Itaque aliud eſt id, quo anima habilitatur ad ſponſalia, & aliud id, quo illa ſponſalia propria ſunt. Sponſæ Aſſueri habiles non erant ad contrahendum cum eo, quin *ſex menſibus oleo ungerentur myrrhino, & alijs exquibuſdam pigmentis, & aromatibus uterentur.* Ex lib. Eſther cap. 2. verſ. 12. Ad hoc tamen præſupponitur tanquàm fundamentum indiſpenſabile, quod ille ornatus cadat ſupra individuum conveniens ſpecificè cum Aſſuerō: alioquī quamvis ille ornatus adhiberet, non darentur ſponſalia. Pariformiter anima media gratia ſanctificante, & alijs ineffabilibus unctionibus, & charismatibus idonea redditur ad myſticam deſponſationem: & propter hoc conceſsimus maiorem. Sed negavimus conſequentiam; quia hæc charismata, ut ſponſalia propriè talia ſint, debent afficere ſubiectum dicens convenientiam ſpecificam cum Sponſo. Si hæc convenientia non adeſt, ſponſalia erunt impropriè talia. Vndè nec natura Angelica queit eſſe Sponſa Chriſti, aut Dei in natura propria ſubſiſtentis, propter defectum eiuſdem convenientiæ. Hæc tamèn quæſtione ſequente amplius elucidabimus.

***

QVÆSTIO SECVNDA.

QVID SIT DESPONSATIO MYSTICA?

MYſticæ deſponſationis poſsibilitate ſtatuta, recta methodo ad ipſius quidditatem explorandam accedimus. Quod ut rectius fiat, diffinitionem aliquam myſtici ſponſalitij proponere opus eſt. Quandoquidèm diffinitio, ſi bona eſt, perſpicuè tradit naturam ſui definiti. Aliquam definitionem huius ineffabilis diffiniti ſollicitus conquiſivi, nec invenire potui apud Authores Myſticos, quamquàm plurima repererim, ex quibus definitionem quidditatem myſtici ſponſalitij congruè exprimentem cudere, non ſit arduum.

***

****

***

§. I.

Myſticæ deſponſationis diffinitionem offero, & explico.

14. POſſem unionem ſponſalitiam animæ cum Deo definire per hoc, quòd ſit *mutua inter Deum, & animam promiſsio futuri ſpiritualis matrimonij*: Nec ſi ſic procederem aberrarem: quia iuxta PP. ac Theologorum conſenſum in explicatione myſtici ſponſalitij, & matrimonij etiam myſtici per analogiam ad naturalia proceditur. Ad quod clariſsimum fundamentum offert Scriptura Sacra: nam ad Epheſ. cap. 5. ait D. Paulus: *Sacramentum hoc magnum eſt, dico autem in Chriſto, & Eccleſia*: hincque D. Thomas in 4 diſt. 49. quæſt. 4. artic. 1. in argumento *ſed contra* infert:

A Spiritu Sancto,

Ex quo habetur, quòd ſpirituale matrimonium per carnale ſignificatur. Quo fundamento innititur doctrina, quam ibi, & alibi, dum eandem materiam diſputat tradit Angelicus Doctor: *Si ergo ſpirituale matrimonium per carnale ſignificatur*, fit conſequens, quòd deſponſatio ſpiritualis per carnalem ſignificetur: ac ſubindè, quòd ſicut deſponſatio carnalis per hoc, quòd ſit *futuri matrimonij reciproca promiſsio* definitur: ſic etiam deſponſatio myſtica per hoc quòd ſit mutua inter Deum &c. Idoneè definiatur.

15. Quod vividiùs apparebit, ſi huius diffinitionis particulas explicemus. In primis enim dicitur *mutua promiſsio*, quia reverà mirabilis hæc unio reciproca promiſsio eſt animæ pro illa ſuſpirantis, ac Dei eius ſuſpiria benigniſsimè admittentis. Et in hoc, quòd ſit mutua promiſsio, convenit divina unio hæc cum alijs promiſsionibus, etiam cum ipſo ſponſalitio humano. A quo differt per hoc, quòd ſit promiſsio inter Deum, & animam, & explicatiùs diſcriminatur per hoc quòd ſit *promiſsio futuri ſpiritualis matrimonij*. Per has particulas *futuri matrimonij* diſcriminatur unio hæc myſtica ab alijs promiſsionibus ſpiritualibus, quæ interdùm inter animam, & Deum reperiuntur: illæ enim non ſunt promiſsiones ſpiritualis matrimonij.

Liquet ex his, quæ poſsibili brevitate tradidimus, datam diffinitionem rectè exprimere quidditatem unionis ſponſalitiæ, ad quam Deus animas ſibi chariſsimas miſericorditèr elevare ſoleti atque ideò non eſſe diminutam, ſed nec ſuperfluam; nullum quippè verbum habet, quòd redundet: ac ſubindè liquet, quòd convertitur cum ſuo definito. Eſt etiam illo clarior, alias que bonæ diffinitionis regulas obſervat. Vndè ex nullo capite talem definitionem calumniam pati poſſe cenſemus. Quæ licèt ita ſint, aliam definitionem exhibemus.

16. Sit noſtra Concluſio. *Myſtica deſponſatio eſt intima communicatio Dei ad animam perfectè defæcatam, illam immediatè diſponens ad ſpirituale matrimonium.* Sic myſticum ſponſalitium deſcrivo, cuius definitionis bonitatem probo. Tradita definitio exprimit rectè, & congruè naturam ſui definiti: ergo bona eſt. Probo antecedens. Procedit per genus proximum, & propriam differentiam definiti: ergo eius naturam rectè explicat. Patet iſta. Quia implicat diffinitio procedens illo modo, quæ recta non ſit. Et antecedens probatur. In illis verbis *Intima Dei communicatio ad animam* &c. continetur genus proximum deſponſationis myſticæ, quæ in hoc convenit cum matrimonio ſpirituali, & cum unione fruitiva abſolutè ſumpta, quæ etiam ſunt intimæ communicationes Dei ad animam. Ab illis tamen differt per ſubſequentes particulas. *Ipſam immediatè diſponens.* Differt quidèm à matrimonio; quia licèt ſit intima Dei ad animam communicatio non eſt, nec poteſt eſſe diſpoſitio ad ſe ipſum. Differt etiam ab alijs intimis unionibus, quia tametſi ſint diſpoſitiones ad matrimonium, non ſunt immediatè: quandoquidèm illæ ſunt immediatæ diſpoſitiones ad ſponſalia, & mediatè ad matrimonium: ergo tradita diffinitio procedit per genus proximum, propriam que differentiam myſtici ſponſalitij. Et cùm aliundè omnes alias regulas bonæ definitionis obſervet non eſt cur non admittatur ut bona.

§. II.

Argumenta.

17. INtradita definitione deſponſationis myſticæ fermè non adeſt verbum, quòd non habeat aliqua contra ſe, quibus labefactari videatur. Vndè illis occurſum ire debemus. Arguitur 1. Deſponſatio myſtica ex natura deſponſationis eſt promiſsio libera: ſed hoc non ſtat, ſi eſt intima communicatio Dei: ergo hæ particulæ non rectè ponuntur in definitione deſponſationis myſticæ. Maior liquet, quia, in ijs, quæ

quæ deſponſationi myſticæ, quia deſponſatio eſt, conveniunt, nulla eſt differentia inter ipſam, & deſponſationem naturalem, quæ abſdubio libera eſt. Probatur minor. Communicatio intima Dei ad animam ponit animam in raptu: ſed in raptu non habet anima libertatem: ergo non ſtat, quòd ſit intima communicatio Dei, & quòd ſit promiſſio libera. Conſequentia bona eſt. Maior tanquàm certa ſupponi debet, maximè iuxta ſubiectam materiam myſticæ deſponſationis, quæ ſempèr celebratur, anima raptum patiente; ut cum noſtra Seraphica Doctrice docent myſtæ. Minor verò continet receptiſſimam inter ipſos Myſticos opinionem, quàm plures, ij que nobiliſsimi ſequuntur.

Reſpondetur negando minorem, ad cuius probationem minor ſimilitèr negetur. Iam enim vidimus diſput. 18. quæſt. 2. §. 4. in raptu conſervari libertatem. Et fundamenta ibi diſcuſſa lucent magis in præſenti. Ponere quippè animam admittere neceſſariò manum Cæleſtis Sponſi, res eſt prorsùs dura, & quæ convinceret, ſponſalia animæ cum Deo non eſſe propriè ſponſalia. Quod indè nobis manifeſtum eſt, quia videlicèt, deficiente eo, quod eſt de ſubſtantia ſponſalium animæ, ſi ſponſalia manent, manent quidèm impropriè talia: ſed libertas eſt de ſubſtantia talium ſponſalium: ergo ea deficiente, perit ſponſalium proprietas. Illatio formalis eſt, & maior liquet ex ijs, quæ diximus quæſt. præcedenti à numer. 11. Etenim quia de ratione ſponſalitij eſt, quòd contrahentes ſint perſonalitèr differentes, & ad eamdem ſpeciem ſpectantes; idcircò ſponſalitium myſticum non eſt propriè tale, ſi hæc duo, aut eorum aliquid deſit: Vndè vidimus ex D. Thoma, quòd ex defectu primi non eſt propriè ſponſalitia unio ſanctiſsimæ humanitatis Chriſti cum Verbo divino: ſicùt nec ex defectu ſecundi eſt propriè ſponſalitia unio animæ noſtræ cum Deo in propria natura ſubſiſtente. Vndè relinquitur, veram eſſe illam maiorem. Ac ſubindè, quòd ſi libertas eſt de conceptu deſponſationis, debeat myſticæ deſponſatio eſſe libera; vel non erit propriè talis.

Iam verò minor probatur. Quia de ratione deſponſationis eſt libertas; ita ut ſine libertate non detur deſponſatio, ut omnia iura docent: ergo nec deſponſatio myſtica dabilis eſt ſine libertate. Conſequentia optima eſt ex modo dictis. Et etiam liquet ex ijs, quæ ſtatuimus in Iſagoge lib. 3. numer. 76. & 77. Vbi alios modos, quibus Deus animæ deſponſatur, obtulimus, ultra myſticum, de quo agimus. Et in illis libertas eſt adeò neceſſaria, ut ſine illa repugnent tales deſponſationes. Et hoc propter idem fundamentum, videlicèt, quia de conceptu deſponſationis ut ſic eſt libertas: ergo idem dicendum eſt de myſtica noſtra deſponſatione. Et, ut verum fatear, duriſsimum ſempèr mihi erit, quòd Beata Roſa liberè non admiſit favorem Chriſti dicentis: *Roſa cordis mei, tu mihi Sponſa eſto.* Et pariformitèr, quòd Sanctiſsima Thereſia, non liberè dexteram Chriſti acceptavit, & eius promiſsioni aſſenſum præſtitit. Tunc temporis in raptu fuiſſe ſanctiſsimas illas animas, certum eſt, quia unio ſponſalitia non fit ſine raptu, ut docet Seraphica ipſa Doctrix, & eſt unanimis DD. ſententia. Vndè neceſſariò fatendum eſt, vel quòd in raptu adeſt libertas, quod firmitèr tenemus: vel quòd illa ſponſalitia impropria fuere.

18. Contra hoc tamen obijcis. Sicut eſt de conceptu ſponſalium ut ſic libertas, ſic etiam eſt de eorum ratione, quòd fiat ſigno ſenſibili: ſed ſine ſigno ſenſibili celebratur myſtica deſponſatio eſt quippè communicatio valdè arcana: ergo etiam fit ſine libertate.

Confirmabis: In matrimonio ſpirituali anima non eſt libera: ergo nec in myſtica deſponſatione. Conſequentiam ſuadet paritas, & antecedens probatur. Matrimonium ſpirituale non datur uſ-

què ad patriam: ſed ibi anima non gaudet libertate: ergo.

Vrgebis: D. Paulus in raptu unionem ſponſalitiam contraxit cum Chriſto Domino, ſibi alloquente: ſed tunc non habuit libertatem; vidit quippè divinam eſſentiam, ut ſupra diximus, cum cuius intuitione non compatitur libertas: ergo hæc non eſt de ratione myſtici ſponſalitij; ac ſubindè ruunt omnia, quæ diximus.

Reſpondetur ad obiectionem negando maiorem, quà negatà obiectio tota evaneſcit. Itaque tunc ad promiſsionem ſponſalitiam, vel ad aliam quancumque requiritur ſignum ſenſibile, quando ille, qui acceptare debet talem promiſsionem, nequit illam cognoſcere, quin ſigno ſenſibili exprimatur. Clariſsimum exemplum ſubijcio. Poteſt Petrus vovere caſtitatem vel in profeſsione Religioſa, vel extra illam. Si extra voveat, acceptans eſt ſolus Deus. Vndè ſine aliquo ſenſibili ſigno votum nuncupat; eò quòd Deus, cui admittere illud votum privativè incumbit, ſenſibili ſigno non eget, ut Petri votum, aut promiſsionem cognoſcat. Quocircà ſolo actu interno, quo votum emittit, & votum à Deo admittitur, & emittens ad ipſius obſervantiam obligatur. Si illud votum emittat in profeſsione; tunc non ſolùm Deus illum admittit, ſed nomine Dei, & Religionis Prælatus, qui cum nequeat cognoſcere emittentis voluntatem, & votum ſine ſigno ſenſibili: idcircò ſine huiuſmodi ſigno implicat Religioſa profeſsio, & votorum emiſsio. Deſponſatio humana debet conſtare Eccleſiæ, quæ de occultis non iudicat: debet conſtare contrahentibus, qui intelligi à ſe ipſis non poſſunt, quin ſenſibilibus explicentur. Et ob hoc non datur talis deſponſatio ſine illis ſignis. Deſponſatio myſtica fit inter animam, & Deum. Deus eſt ſcrutator cordium. Anima loquitur, & intelligit Deum ſine ſignis ſenſibilibus. Et ideò ſine illis celebratur. Ex quo patet falſitas illius maioris, & quòd ſignum ſenſibile non exigitur à deſponſatione eſſe, ſed aliundè. Quod non evenit in libertate, quæ exacta à deſponſatione eſt ex natura ipſius deſponſationis. Vndè ubicunquè verificetur contractus ſponſalitius, debet adeſſe libertas.

Confirmatio nullius momenti eſt. Datur quippè matrimonium ſpirituale ratum, & datur conſummatum. Hoc non datur uſque ad gloriam; & ideò excludit libertatem. Illud datur in via, & libere illud contrahit anima, ſicut & ſponſalia. Vndè antecedens confirmationis, ſi loquitur de matrimonio conſummato, verum eſt, ſed non ad rem: ſi loquitur de matrimonio rato, eſt ad rem, ſed non eſt verum. Quæ amplius conſtabunt diſputatione ſequenti.

Ad urgentiam conceſsis præmiſsis, diſtinguo conſequens, *ſponſalitij*. Contracti ab eo, qui actu viator non eſt, concedo, qui viator eſt actu, nego conſequentiam. D. Paulus in raptu fuit quidèm habitu viator, quia habuit fidem: ſed quia tunc nec habuit, nec habere potuit actum fidei, non fuit actu viator. Vndè nil mirum, quòd tale ſponſalitium ſine libertate contraheretur. Nos loquimur de ſponſalitio contracto ab eo, qui actu fidem exercet, iuxta id, quod ſupra diximus ex Oſee cap. 2. verſ. 20. *Sponſabo te mihi in fide*, & ad hoc dicimus, neceſſariam eſſe libertatem.

19. Et quia ex hactenùs aſſertis poſſes cogitare, noſtram ſententiam eſſe, quòd ſponſalitium, de quo loquimur, ſine libertate contractum fore impropriè ſponſalitium, ſicut unionem animæ Chriſti Domini ad Verbum divinum diximus eſſe impropriè deſponſationem, ad hoc excludendum dico: quod quamvis fatear, dari myſticam deſponſationem impropriam, cum inter contrahentes deeſt aut diſtinctio perſonarum, aut convenientia ſpecifica: attamen defficiente libertate, non datur deſponſatio myſtica, adhùc impropriè talis. Ratio eſt: quia cum diverſitate ſpecifica & in diſtinctione perſonali poſſunt verificari ea, quæ ſunt propria deſponſationis myſticæ, licèt

non

non omnia, ſicut enim vidimus num. 11. anima Chriſti è quinque ad deſponſationem myſticam requiſitis duo habuit, & caruit tribus. Vndè qua parte non omnia habet, non eſt propriè deſponſatio: & qua parte habet duo, eſt deſponſatio quamquam impropriè. Similitèr ipſa Sma. anima eſt Sponſa Dei in natura propria ſubſiſtentis, ſed impropriè propter non convenientiam ſpecificam. Verumtamèn habet dotes animæ glorioſæ: & quia has dotes habet, eſt Sponſa; nam dos propriè confertur Sponſæ. Aſt quia non habet dotes, ut formalitèr dotes, ſeu in ratione dotium: idcircò non eſt propriè Sponſa. Ablata à myſtica deſponſatione libertate, nec manet deſponſatio myſtica propriè, nec impropriè, nec remanet talis myſtica deſponſatio. Eſt quippè eoipſo nulla: quandoquidèm libertas formalizat quicquid concurrit ad illum contractum: & ablato eo, quod formalizat contractum, nullatenus contractus remanet.

Quod indè roborari poteſt. Quoniam profeſsio Religioſa eſt quædam myſtica deſponſatio, ut ſupra vidimus. Ad hanc deſponſationem, ſeu contractum concurrunt aliqua, ſine quibus valet, & manet, ut minus, in eſſe profeſsionis impropriè. Si verò defficiat libertas, diſparet penitùs profeſsio, quia quicquid actum fuit, fuit nullum. Vndè nec impropriè profeſsio dicitur. Pariformitèr deſponſatio humana convenit cum myſtica in eſſe deſponſationis, per analogiam ad quam de myſtica deſponſatione tractatur, ut vidimus numero 14. Ad hanc humanam deſponſationem concurrunt plura, ſine quibus ea deſponſatio non eſt licita, valet tamen. Si verò libertas vel in uno ex contrahentibus deficiat, nec impropriè datur. Id ipſum dicimus de myſtica noſtra deſponſatione: adeò neceſſarius eſt ad ipſam libertatis concurſus. Quamobrèm licèt *communicatio intima ſit*, hoc eſt, rapiens animam. Hæc in ipſo raptu liberè ſeſe offert in Sponſam, & Sponſum admittit.

20. Arguitur 2. Contra illam particulam *communicatio*. Quoniàm deſponſatio myſtica dicit actus, quibus Deus ſe offert in Sponſum animæ, & hanc admittit in Sponſam, & anima ſimilitèr admittit, & ſe offert Sponſo: ſed nec actus Dei, nec animæ actus ſunt communicatio Dei ad animam: ergo deſponſatio myſtica non eſt communicatio. Probatur minor. Deus non communicat ſuum actum animæ, nec actus animæ eſt ipſi à Deo communicatus, ſed ab ipſa vitalitèr elicitus: ergo.

Reſpondetur brevitèr, quòd dum myſtica deſponſatio celebratur, Deus illabitur animæ: qui illapſus eſt propriſſimè communicatio Dei ad animam. Ab hoc illapſu, vel in illo Deus animæ communicatur ut Sponſus, illamque in Sponſam admittit, & ſimilitèr anima communicatur Sponſo, & illum ut talem admittit. Et ab illapſu, in quo hæc fiunt, qui, ut dictum eſt, eſt propriè communicatio Dei, dicitur *communicatio Dei* myſtica deſponſatio.

21. Arguitur 3. Contra illam particulam *Dei*. Nam vel ſignificat Deum in natura propria ſubſiſtentem, vel Deum ſubſiſtentem in natura humana: Neutrum poteſt dici: ergo illa particula reſeganda eſt à data definitione. Minor pro prima parte certa eſt, à nobis que à numero 11. ſtabilita. Pro ſecunda parte, in qua difficultas viget, probatur minor. Deus ut homo non eſt animæ Sponſus: ergo illa particula *Dei* nó ſupponit pro Deo ut homine. Antecedens probatur multiplicitèr. Primò quidèm: Quia ſi Deus ut homo eſſet animæ Sponſus, conſtitueretur in eſſe talis per humanitatem aſſumptam: conſequens eſt abſurdum: ergo ſequela patet, quia Deus ut homo reduplicat humanitatem, tanquàm formam. ¶ Probatur 2. antecedens. Deus eſt animæ Sponſus, quatenùs in eam influit gratiam, & dat Spiritum Sanctum, ſed hæc non facit Deus ut homo, ſed ut Deus, iuxta D. Auguſtinum lib. de Trinitate. Et D. Thomam 3. part. quæſtione 8. art. 1. ergo.

¶ Pro-

¶ Probatur 3. Deus ut homo eſt Sponſa; tum quia ſic docet D. Auguſtin. lib. 3. de Doctrina Chriſtiana capit. 31. Tum etiam, quia habet perfectam viſionem, fruitionem, & delectationem, quæ ſunt dotes Sponſæ: ergo non eſt Sponſus. ¶ Probatur tandèm. Si Deus ut homo foret Sponſus animarum, in triduo mortis manſiſſent iſtæ ſine Sponſo: Hoc non eſt dicendum: ergo ſequela patet: quia in illo triduo non manſit Deus ut homo, ſeu Chriſtus: Vndè non manſit ſubiectum, de quo ratio Sponſi prædicaretur. Minor verò probatur. Anima perfecta in illo triduo, V. g. Anima Sanctiſsimæ Virginis, eodem modo ſe habuit erga perfectionem, & Deum, & in receptione cæleſtium influxuum, ac priùs, & poſt triduum: ergo in triduo habebat Sponſum, qui alius eſſe non poterat, niſi Deus, ut Deus.

Ad hoc argumentum neganda eſt minor pro ſecunda parte, ad cuius probationem negetur antecedens, quòd nullà ex inductis, probationibus ſuadetur. Ad earum primam diſtinguatur maior, *per humanitatem*, qua parte Sponſus debet ſpecificè convenire cum Sponſa, concedatur. Ex alijs capitibus requiſitis ad rationem Sponſi, negetur maior. Sponſus animæ debet in ipſam influere ut caput, & etiam debet cum illa ſpecificè convenire. Qua parte debet dicere hanc ſpecificam convenientiam, conſtituitur in eſſe Sponſi per humanitatem, tanquàm per formam. Qua verò parte debet influere in Sponſam ſenſus, motus, & gratiam, non eſt humanitas, forma, ſed ſubiectum *quo* gratiæ, qua Chriſtus eſt Caput illius. Vndè ex hac parte conſtituitur tanquàm per formam per gratiam capitalem connotantem gratiam unionis, & etiam, tanquàm ſubiectum *quo*, humanitatem. Quæ edocentur 3. part. quæſt. 8. art. 1. Vbi hæc à Theologis diſcutiuntur, inter quos rem egregiè ibi diſputant noſtri Salmanticenſes.

Per quod patet ad ſecundam probationem. Dicimus enim, quòd ea, quæ in maiori continentur, ſunt quidèm Sponſi animarum munia; ſed debet ultrà dicere convenientiam in natura, & hoc habet ab aſſumpta humanitate. Alia habet, prout dicit gratiam capitalem, quæ, ut dictum eſt, non poteſt non connotare gratiam unionis dignificantem, & humanitatem recipientem. Vndè ſicut ſine Deitate non datur Sponſus animæ: ſic nec datur propriè animæ Sponſus ſine humanitate. Authoritatem D. Auguſtini, & ſe ipſum explicat Div. Thomas inibi in ſolutione ad 1.

Tertiam probationem diluit Div. Thomas in 4. diſt. 49. quæſt. 4. art. 3. dicens: *Ad 3. dicendum, quòd hoc, quòd aliquandò dicitur Chriſtus Sponſa, non eſt, quia ipſe verè ſit Sponſa ſed in quantum aſſumit perſonam Sponſæ ſuæ, ſcilicèt Eccleſiæ, quæ eſt ei ſpiritualiter coniuncta.* ¶ Ad id, quod de dotibus ibi dicitur, reſpondet idem Sanctus Doctor ibi: *Ad 5. dicendum quòd in proceſſu illo eſt fallacia accidentis; non enim illa Chriſto conveniunt, ſecundùm quòd habent rationem dotis.* Dos non ſolùm nominat rem, quæ datur, ſed etiam, quòd detur in dotem. Vndè eadem res in hæreditatem relicta eſt hæreditas, reſpicitque hæredem; legata eſt legatum, & legatarium concernit; & ſimilitèr aſsignata in dotē dos eſt, & Sponſam reſpicit. Ac ſubindè viſio, fruitio, & delectatio, quæ relatè ad alias animas ſunt dotes: non habent conceptum talium quatenùs animæ Chriſti conferuntur. Quocircà concludit Sanctus Thomas corpus illius articuli ſic: *Vndè ſecundùm alios dicendum, quòd vel omninò non convenit Chriſto ratio dotis; vel non ita propriè ſicut alijs Sanctis: ea tamen, quæ dotes dicuntur, excellentiſsimè ei conveniunt.*

Vltima probatio, quæ urgentior apparet, nullum nobis negotium faceſſit. Quandoquidèm ſicut Deus homo, ſeu Chriſtus dicitur Sponſus animæ, ſic etiam dicitur Eccleſiæ Sponſus, & Caput. Vndè quicquid dixeris de Eccleſia in triduo mortis, id ipſum dic de anima

ma Christi Sponsa. Quapropter sicut inconveniens non adest in eo quòd natura Angelica nunquàm habuerit propriè Sponsum ob motivum sæpiùs inculcatum differentiæ specificæ à Christo ut Deo, & ut homine. Et similitèr non adest inconveniens in eo, quòd Adam, ut attinens ad statum innocentiæ, & omnes, qui ad illum, si mansisset, attinerent, non habuit, nec habuissent Sponsum propriè talem. Et pariformitèr sicut non inconvenit, quòd in triduo mortis esset Ecclesia sine Capite: sicut, inquam, nullum in his adest inconveniens; sic etiam nullum inconveniens est, dicere, quòd tunc anima fuit sine Sponso propriè tali. Et in nostro casu aliquid habuit anima Sponsa Christi, ad rem præsentem maximè conducens, quod non habent Angeli, nec habuit Adam, prout ad statum innocentiæ spectavit. Quandoquidèm Christus Dominus, nedùm secundùm animam, verumetiàm secundùm Corpus est Caput, & Sponsus animarum. Quod, quantum ad animam, extra controversiam est. Ast, quantum ad Corpus, etiam est planum: ut testantur ipsius labores, passio, & mors, ac insuper Sacra Eucharistia, in qua Corpus eius cibus vivificus est, animas perfectas speciali vinculo sibi uniens.

Hæc Theologia, quæ nullam calumniam patitur, vera est de Anima, & Corpore Christi unitis, & Sacram ipsius humanitatem componentibus: & etiam est vera de ipsis partibus, morte separatis. Vtraque enim mansit terminata per verbi subsistentiam, à qua Corpus, vel separatum ab anima, aliquo modo nostram salutem causavit, ut rectè docent laudati nostri Salmanticenses num. 4. cum D. Thoma 3. part. quæst. 51. art. 1. ad 2. Et sanè si in illo triduo Sacrificium Altaris offerretur, Corpus Christi mortuum constitueretur in Eucharistia Sacramento. Et tamen esset vivificum, & gratiæ causativum, ut communitèr edocetur a Theologis: atque ideò relatè ad animas Christi Sponsas illos effectus præstaret; quibus inebriari solent in eo lautissimo convivio. Hæc, quæ de Corpore Christi diximus ut ab anima ipsius separato, potiori iure affirmamus de anima separata à corpore. Quia præterquamquòd mansit unita Verbo, fuit subiectum gratiæ capitalis, à qua Christus habet, quòd sit Caput, & Sponsus animarum. Vndè licèt non mansisset subiectum adæquatum talis gratiæ, mansit in adæquatum subiectum, gratiâ illâ, quantum ad ipsam attinet, invariata manente.

Hinc que duo iam colligere possumus. Primum est, quòd qui asserat, quòd in illo triduo anima fuit sine sponso propriè tali: habet urgentissimum motivum ad affirmandum animas perfectas (& alias, de quibus modò non loquimur) habuisse à partibus illis sacratissimis seorsim sumptis suum robur, & refectionem. ¶ Secundum est: quòd siquis hæsitet; durum iactans, quòd eo triduo fuerit anima sine sponso, potest recurrere ad gratiam Capitalem perseverantem in anima, & dicere, quòd mansit animarum Sponsus, licèt non secundùm subtractum sibi adæquatum. Et postquàm omnia hinc indè subtilitèr discurrat, nihil aliud reperiet in re diversum ab eo, quòd nos sine ambiguitate sentimus, & affatim insinuavimus. Videantur P. Suarez in Comment. ad art. 2. quæst. 8. ex 3. part. & inibi nostri Salmant. dub. 1.

22. Arguitur 4. Contra illam particulam *ad animam*. Angelica natura est Christi Sponsa: ergo sponsalitium mysticum non debet limitari *ad animam*, veluti favor soli animæ concessus; secùs enim definitio erit diminuta. Probatur antecedens 1. ex verbis Glossæ sup. Luc. cap. 12. vers. 36. dicentis: *Ad nuptias Dominus ivit, cum post resurrectionem novus homo Angelorum multitudinem sibi copulavit*: ergo multitudo Angelorum est Sponsa Christi. Probatur 2. Spiritualis desponsatio in coniunctione spirituali consistit: sed Angeli sunt non minus coniuncti

Deo,

Deo ; quàm homines : ergo.

Huius argumenti ſolutio conſtat ex dictis. Deſponſatio ſpiritualis tendit ad ſpirituale matrimonium. Hoc dari nequit, niſi inter perſonas eandem ſpecie naturam habentes. Quocircà Angeli nequeunt deſponſari Chriſto , ut Deo , quia natura Angelica diſtat infinitè à Dei natura ; etiam Chriſto ut homini deſponſari nequeunt, quia à Chriſti humanitate differunt ſpecificè. Cum quo tamen ſtat, quòd ſint Deo coniunctiſsimi, & quòd eos Chriſtus novus homo ſibi copulaverit. Hoc enim arguit ipſorum perfectionem, ſed non inducit ſponſalitium, ut diximus de Chriſti anima, quæ propter perſonalem in diſtinctionem non eſt Sponſa, quamquàm perfectiſsima ſit, & unione maxima verbo copulata. Per quæ patet ad utranque antecedentis probationem.

23. Dices: Conformitas, quàm Angeli habent cum Chriſto , ſat eſt , ut Chriſtus ſit caput Angelorum, ut modò ſupponi debet ex 3 part. loco citato: ergo hæc eadem conformitas ſufficit, ut ſit eorum Sponſus. Probatur conſequentia. Quia non minor conformitas requiritur inter caput , & membra , quàm inter Sponſum, & Sponſam.

Obiectionem diluit Div. Thomas diſtinct. 49. citata, ubi art. 4. ait : *Ad 5. dicendum , quòd nec etiam Chriſtus propriè dicitur caput Angelorum ſecundùm illam rationem, qua caput requirit conformitatem naturæ. Tamen ſciendum , quòd licèt caput , & alia membra ſint partes individui unius ſpeciei: non tamen ſi unumquodque per ſe conſideretur cum alio eſt eiuſdem ſpeciei: manus enim habet aliam ſpeciem partis à capite. Vndè loquendo de membris ſecundùm ſe , non requiritur inter ea alia convenientia, quàm proportionis ut unum ab alio accipiat , & unum alij ſubſerviat : & ſic convenientia , quæ eſt inter Deum , & Angelos , magis ſufficit ad rationem capitis , quàm ad rationem Sponſi.*

24. Arguitur 5. Contra illam particulam *perfectè defæcatam*. Non requiritur , quòd anima ſit perfectè purgata , ut elevetur ad ſpiritualem deſponſationem: ergo illa particula ſuperfluit. Probatur antecedens 1. Quia ut obſervat Lucerna myſtica tract. 5. capit. 27. num. 294. Cum pluribus in ſua infantili ætate legitur, Chriſtum Dominum ſub ſpecie pueri ipſis apparentem ſponſalia contraxiſſe : ſed iſti poſtmodùm examinantur igne, & aqua purgationum ſenſùs, & ſpiritùs: ergo anima, quin defæcata ſit, poteſt ſponſalia contrahere. ¶ Probatur 2. Anima D. Pauli deſponſata fuit in raptu, ut ſuprà dicebamus : ſed non erat perfectè purgata , ut de ſe liquet: ergo idem quod priùs. ¶ Probatur 3. Quia inter deſponſationem ſpiritualem, & myſticum matrimonium mediat purgatio , quam vocant ignis : ergo ante deſponſationem anima non eſt perfectè purgata. Conſequentia eſt legitima, & antecedens eſt omnium myſticorum doctrina , de qua agunt Seraphic. Mat. noſtra lib. vitæ cap. 20. Myſtic. N. Doct. inflam. Cant. 3. verſ. 3. §. 3. Et omnes noſtri Myſtici Authores ſuis locis , nos que de hac eadem ignis purgatione, Deo concedente tractabimus in 4. prædicabili. Modò autem hæc afferuntur ad oſtendendam veritatem antecedentis.

Reſpondetur argumento diſtinguendo antecedens , *non requiritur* ex natura rei, concedo, ſecundùm regularem uſum , quem Deus obſervat, nego antecedens. Non dicimus , quòd neceſſariò , & ex natura rei exigitur ad myſticum ſponſalitium præcedentia purgationis. Quòd indiſpenſabilitèr exigitur, eſt, quòd anima ſit in gratia. Quòd verò purgata perfectè ſit, requiritur ſecundùm modum regularem, quo animæ ad perfectionem conſcendunt. Sicut requiritur, quòd priùs ſint incipientes, poſtea Proficientes, ac demùm Perfectæ. Quo non obſtante , poteſt Deus elevare ad perfectionis culmen eum , qui viam ſpiritus , nec à primo limine ſalutavit, ut cum D. Paulo feciſſe , clarum eſt. Sed ſicùt hoc non infringit veritatem ſtatuentium

tium viam ſpiritus dividi in purgativam, illuminativam, & unitivam: ſic nec noſtræ definitioni refragatur, quòd Deus quandoquè eo irregulari modo animas ſibi gratas honoret. Perquæ duæ probationes antecedentis ſolvuntur. Sic que intelligi debent, quæ diximus numero 9.

Ad 3. probationem dicimus, quòd purgatio ignis ſic dicitur, quia eſt purgatio amoris, quæ vehementèr animam quatit, ut Sponſo ſuo fruatur. Dum autem anima hac purgatione examinatur, iam perpeſa eſt ingruviem tribulationum, tentationum, afflictionum, deſolationum, quibus ſenſus, & ſpiritus vehementiſsimè cruciati ſunt. Noſtra diffinitio loquitur de his purgationibus, quibus anima perfectè defæcata poteſt dici, & quæ præcedunt myſticum ſponſalitium regularitèr celebratum. ¶ Adde. Quòd, ut liquet, ex alibi à nobis dictis, edoctis à noſtris Authoribus, de quo videre poteris Catenam myſticam fol. 244. in quolibet ſtatu ex tribus ſpiritualibus eſt ſua via purgativa, illuminativa, & unitiva, ſeu dantur Incipientes, Proficientes, & perfecti. Vndè adhùc intra viam unitivam dantur ſuæ purgationes. Et generalitèr loquendo eſt regula communiſsima Myſticorum, quotiès Deus vult favorem aliquem extraordinarium animæ concedere, aut ad aliquem altiorem gradum evehere, illam habilitat preſſura aliqua idoneitatem exactam in animam imprimente. Veruntamèn ſicut iſtæ oppreſsiones non arguunt animam illas ſuſtinentem non eſſe perfectam; ſic etiam non auferunt eandem animam eſſe *perfectè defæcatam* impulſu horribilium purgationum quas perpeſa eſt, ut ad gradum perfectionis conſcenderet. Ac de his loquitur noſtra definitio.

25. Dices: Si inter deſponſationem, & matrimonium mediat dicta purgatio, qua anima redditur idonea ad maximum favorem ſpiritualis matrimonij, infertur, quòd hæc purgatio immediatè diſponat animam ad matrimonium: ergo deſponſatio non diſponit immediatè animam ad matrimonium ſpirituale, contra illam definitionis particulam *immediatè diſponens*.

Reſpondetur 1. Purgationem mediantem inter ſponſationem, & matrimonium eſſe purgationem ignis, ideſt, conſiſtere in amoris vehemẽtiſsimo impetu ob matrimonij conſecutionem. Impetus iſti amoris oriuntur à maiori cognitione Sponſi, quam anima in ſponſalitio aquiſivit. Vndè ſponſalitium cauſans impetus illos amoris, ad quos ſubſequitur matrimonium, dicitur immediatè ad matrimonium diſponere. ¶ Reſpondetur 2. Deſponſationem dici immediatè diſponere ad matrimonium, quia inter matrimonium, & deſponſationem non mediat aliquis perfectionis gradus, ad quem anima elevetur diverſus ab illis. Omnia quippè, quæ ante matrimonium, contracto ſponſalitio, dantur, ad ipſum ſponſalitium ſpectant. In quo plurima dantur. Primum eſt ipſa natura myſtici ſponſalitij, & hæc eſt, quam data definitione definivimus. Secundum eſt, quòd unio animæ media ſponſatione eſt durabilior, quàm unio ante deſponſationem. Tertium eſt, quòd facta deſponſatione, anima frequentèr inviſitur à ſuo Sponſo illam ſibi blanditijs, & favoribus frequentiſsimè devincente. Quartum eſt, alijs pro nunc omiſsis, quòd in ſtatu hoc anima conſtituta patitur illam ignis, ſeu amoris purgationem, de qua procedit obiectio. Hæc omnia, & alia huiuſmodi oriuntur ab ipſa unione ſponſalitia, quin animam extrahant ab illo ſtatu. Vndè vel dicendum eſt, unionem ſponſalitiam, quæ has diſpoſitiones cauſat, diſponere ad matrimonium iuxta primam ſolutionem: vel quòd ſtatus Sponſæ, in quo illa eveniunt, immediatè ad matrimonium diſponit, iuxta ſolutionem ſecundam: ſicùt via illuminativa dicitur diſponere ad unitivam.

26. Replicabis. Poſita diſpoſitione immediata, ſtatim ponitur id, ad quod diſponit; Poſita deſponſatione myſtica,

non ſtatim ponitur matrimonium ſpirituale : ergo myſtica deſponſatio non immediatè diſponit ad ſpirituale matrimonium. Maior videtur certa, & minor probatur, tum ex dictis, quia facta deſponſatione, ſequuntur ea omnia, quæ numero præcedenti dicebamus, ad quæ multo tempore opus eſt. Tum, & præcipuè, quia eſt expreſſa Myſtici N. Doct. ſuprà laudati dicentis, matrimonium celebrari tranſacto multo tempore à die, in quo ſponſalia celebrata fuere.

Reſpondetur diſtinguendo maiorem, *diſpoſitione immediata* habente neceſſariam connexionem cum eo, ad quod diſponit, concedo, non habente, nego maiorem. Deſponſatio non eſt diſpoſitio immediata, ſicùt diſpoſitiones illæ, quæ dimanant à forma, ad quam diſponunt. Sed dicitur diſpoſitio quatenùs debet præcedere ad matrimonium, & dicitur immediata, quatenùs facta deſponſatione, nihil aliud reſtat, niſi ad matrimonium conſcendere. Hoc tamen eveniet tempore prædiffinito à Patre, qui nulla lege tenetur, ut hoc anno, vel ſequenti, immò nec tenetur ad illam gratiam impertiendam in hac vita. Exemplum huius eſt deſponſatio humana, ad quam non immediatè ſequitur matrimonium, quod etiam poteſt non ſubſequi, reciſis ſponſalibus vel ob uniuſ, vel utriuſque contrahentis voluntatem. Et hoc etiam evenire poteſt in myſtico ſponſalitio, non ex parte benigniſsimi Sponſi, ſed ob Sponſæ defectum. Et ut in exemplo ſuprà poſito perſiſtamus, via illuminativa eſt immediata diſpoſitio ad unitivam, quæ non ſtatim ad illam conſequitur, ſed ſecundùm animæ ſolicitudinem, & Domini beneplacitum.

27. Arguitur ultimò contra totam fermè definitionem. Quotiès anima raptum patitur, totiès habet orationem unionis ſponſalitiæ. Anima in quocumque viæ ſpiritualis ſtatu raptus patitur: ergo in quocumque contrahit deſponſationem. Ergo hæc non eſt intima communicatio Dei ad animam perfectè deſcatam &c. Patet iſta: Quia anima non eſt in quocumque ſtatu perfectè deſæcata, nec proximè ad matrimonium idonea. Prima conſequentia rectè deducitur ex præmiſsis. Minor eſt conſtans Myſticorum doctrina, ut multotiès à nobis dictum eſt, & ſeriò dicemus in ultimo prædicabili. Maior, in qua ſtare poteſt dificultas, edocetur à Seraphic. Mat. Nra. Manſione 6. cap. 4. in principio, ubi ait: *Reor, ſponſalitium eſſe, cum Deus raptus concedit animam à ſenſibus alienantes*: ergo quotiès raptus dantur, totiès dantur ſponſalia.

Huic argumento quidam è noſtratibus reſpondet, quòd oratio unionis ſponſalitiæ non conſiſtit in indiviſibili, nec uno actu perficitur. Vndè dantur eiuſdem orationis plures actus ſe excedentes in perfectione. Et hos actus, & raptus Deus pro ſuo placito concedit animabus, ſicut & alias orationes infuſas. Ad quod ſuadendum adducit illam doctrinam, qua ſupra uſi fuimus. Videlicèt, quòd in unaquaque ex vijs purgativa, illuminativa, & unitiva ſunt ſuo modo Incipientes, Proficientes, & Perfecti. Hæc in ſumma datus Author, cuius mentem percipere non valeo, nec quomodo illis explicetur textus cæleſtis Doctricis.

Vt autem, non in incertum laboremus, rogo: Incipientes, qui non *ſuo modo*, ſed verè Incipientes ſunt & ad viam, non *ſuo modo*, ſed abſolutè, & ſimpliciter purgativam ſpectant, patiuntur quandoquè raptus, vel non? Si ſecundum dicas, habes adverſum te omne Myſticorum agmen, immò & te ipſum. Si primum, ut debes, aſſeras. Pergo inquirens: Dum ille Incipiens raptum patitur, habet orationem unionis ſponſalitiæ, vel non? Si habet; erit utique Incipientis anima deſponſata Deo, & proximè idonea ad matrimonium: quod abſurdiſsimum eſt. Si non habet: ergo cæleſtis Magiſtra decepta eſt. Dum dixit: *Reor, ſponſalitium eſſe* &c.

Vt proprofito argumento reſpondeamus, intronſpicienda ſunt, quæ poſt

data

QVÆSTIO TERTIA.

AD QVEM EX GRADIBVS VNIONIS FRVITIVÆ spectet unio sponsalitia?

VT pleniùs dignoscatur quidditas mysticæ desponsationis dubium præsens excitamus. In eo siquidèm disquiritur, quis ex gradibus unionis fruitivæ sit mystica sponsalitio: Quod absdubio iuvat ad sponsalitij perceptionem, & viam parat, ut multa, quæ huius materiæ propria sunt, edisserantur.

***

§. I.

Gradus unionis fruitivæ proponuntur, & dubium deciditur.

29. DIsputatione præcedenti num. 42. determinavimus, triplicem gradum habere fruitivam unionem, quorum primus est desponsatio mystica; secundus matrimonium spirituale; tertius tandèm unio specialis animæ cum Christo sub Eucharisticis speciebus latente. Hæc diximus, communem dicendi modum mysticorum sequuti: qui modus dicendi, ac dividendi idoneus planè est ad disputationum participationem: ac iuxta illum nostras has disputationes divisimus; ita ut priùs modo agamus de sponsalitio: in sequenti de matrimonio: ac postmodùm de unione Eucharistica.

Verumenimverò huiuscemodi divisionem non esse propriè divisionem graduum prædictæ unionis, indè liquet, quòd membrum ultimum non constituit specialem aliquem gradum, ad quem anima, post, vel ante alios ascendat. Quandoquidèm animæ desponsatæ, vel ad matrimonium evectæ, potest pijssimus Sponsus sibi illo modo copulare; quin per hoc designetur status aliquis peculiaris eiusdem animæ. Gradus unionis fruitivæ, sicut & cuiuscunque rei habentis gradus, deserviunt, ut ascendens suum motum incipiat ab infimo, & ad omnium supremum dirigatur, quem tandèm occupabit, si ascensus continuetur. Est enim res habens gradus, veluti scala quædam, per quam ascenditur, & descenditur: Sicùt fuit scala illa celeberrima, per quam Iacob Angelos ascendentes, & descendentes conspexit. Et cap. 20. Exodi dicitur: *Non ascendes per gradus ad altare meum.* Quæ loquendi proprietate utimur etiam in spiritualibus. Dicimus enim, animam in Deum tendere transeuntem gradus interiectos, usque dum perveniat ad personas Divinas, inter quas non dantur gradus: quia earum nulla est aliâ minor, aut maior. Vndè omnes illæ terminant motum animæ per eandem rationem indivisibilem, quæ est ratio summi boni. Et hæc est Theologia, quam angelicè docuit Div. Thomas in 2. dist. 38. quæst. 1. art. 1. hisce verbis: *Ad 2. dicendum, quòd Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt unus finis ultimus, ut in litteræ dicitur; eo quòd unicuique eorum convenit ratio finis, secundùm quòd quilibet est summum bonum. Et hi tres non tria sed unum summum bonum sunt, Vndè hoc, quod Hylarius dicit: Omnia hoc gradu &c. intelligendum est, gradum esse in reductione creaturarum ad Filium; non autem inter Filium, & Patrem, inter quos, ut Hieron. dicit, nullus est gradus.*

30. Ex hoc D. Thomæ testimonio edocemur, qui sint gradus rei illos habentis. Ac subindè, quod gradus illos unionis fruitivæ, quos illo numer. 42. recensuimus, non omnes sunt gradus eius-

eiuſdem fruitivæ unionis. Quandoquidèm poteſt anima ad culmen perfectionis ſublimari, quin ordinem aliquem obſervet inter matrimonium ſpirituale, & ſpecialem unionem cum Chriſto Domino in Euchariſtia. Nec per hoc retractamus, quæ eo num. 42. diximus, nec reſpuimus doctrinam illorum Authorum, quibus cum tunc loquuti fuimus. Illi quippè, qui tunc gradus à nobis dicti ſunt, poſſunt dici gradus, ſed impropriè: ſed impropriè tales dari, eſt doctrina eiuſdem Div. Thom. verbis datis ſubiungentis: *Si tamen nomen gradus largè pro ordine accipiatur: ſic inter Patrem, & Filium eſt gradus, ideſt, ordo principij ad illum, qui eſt de principio, non autem finis & eius, quod eſt ad finem.* Idem tradiderat Sanctus Doctor in 1. d. 34. quæſt. 1. artic. 2. in corpore. Vt ergo ordinem diſputationum inſtitueremus, illa tria gradus eſſe, diximus, ſumpto *gradu* largè. Non autem ſunt gradus propriè, ut ex teſtimonio inducto clarè liquet.

Propriij gradùs, rei gradus habentis indolem perſpicuè delineavimus; illam ad vivum repræſentat ſcala illa amoris, quàm proponunt, & explicant D. Thomas opuſcul. 61. Myſtic. noſt. Doct. lib. 2. noct. cap. 19. & 20. nos que cum ipſis & ex ipſis excurrimus in Iſagoge lib. 3. à num. 19. Decem gradibus conſtat ſcala illa, qui omni proprietate, gradus ſunt. Quandoquidèm, aditus ad illam non patet, niſi per primum gradum; neque ad tertium, niſi per primum, & ſecundum, & ſic de alijs. Quæ, quia planiſsima ſunt, vel indigitaſſe, ſat fuerit.

Ad hunc ergo modum gradus unionis fruitivæ, quos ſupponit titulus noſtri quæſiti, non ſunt gradus impropriè, ſed propriè tales. Quos reipſa dari, eſt concors Myſticorum ſenſus. Qui etiam docent, hos gradus eſſe tres. Eorum primus eſt perfectus, ſecundus perfectior, tertius deniquè perfectiſsimus. Qui ſint iſti gradus, & quibus nominibus inſigniantur, progreſſus manifeſtabit. Modò enim ſolùm dicimus, eſſe tres, & propriè ipſis nomen gradus convenire. Numeròs patet, ut dictum eſt, ex unanimi Myſtarum conſenſu. Proprietatem oſtendit, quòd non eſt aliquis intra unionẽ fruitivam, ſi per primum illius gradum non ingrediatur: nec conſtituitur in tertio, quin tranſierit per ſecundum. Vndè evenit in gradibus unionis fruitivæ, idipſum, quòd de gradibus ſcalæ amoris dicebamus. Quæ clarius ex ſubijciendis liquebunt.

31. Sit noſtra aſſertio. *Deſponſatio myſtica celebratur in ſecundo gradu unionis fruitivæ. Vnde ipſe unionis fruitivæ gradus ſecundus eſt myſtica deſponſatio.* Non eſt duplex concluſio, ſed eadem: nec hæc bimembris eſt, ſed expreſsiùs in verbis ultimis data. Illa eſt adeò communis inter Doctores, ut ſuperfluum ſit aliquos in particulari referre. Probatur que ſic ex dictis. Etenim ſecundus gradus unionis fruitivæ ſuperat primum, & à tertio ſuperatur: ergo in eo conſiſtit deſponſatio myſtica. Antecedens certum eſt: Anima quippè luſtrans gradus unionis fruitivæ aſcendit de primo ad ſecundum, ac de ſecundo ad tertium. Quod ſtare nequit, quin ſecundus ſuperetur à tertio, & primum ſuperet. Et conſequentia probatur. Quoniam in illo gradu unionis fruitivæ celebratur myſtica deſponſatio, qui immediatè præcedit ad matrimonium ſpirituale, & ſubſequitur immediatè ad id, quod eſt immediatum præambulum ad talem deſponſationem: ſic eſt ſecundus gradus unionis fruitivæ; ergo in eo conſiſtit, ſeu celebratur myſtica deſponſatio. Cætera nota ſunt, & minor pro utraque parte probatur ſimùl tertius gradus unionis fruitivæ eſt in quo celebratur matrimonium ſpirituale. Iuxta omnes Doct. Myſticos, qui etiam unanimitèr docent, quòd in primo gradu talis unionis Sponſus Sponſam viſitat, eò animò ut ſponſalia contrahant; & uno è contrahentibus coram altero prodeunte, celebratur ille quaſi contractus, qui vulgò dicitur: *Viſtas de los Eſpoſos:* ſed hic quaſi contractus, ſeu *Viſtas de los Eſpoſos* eſt præambulum immediatum

ad

ad myſticam deſponſationem, ad quam, tanquàm ad diſpoſitionem immediatam ſubſequitur matrimonium: ergo myſticum ſponſalitium celebratur in ſecundo gradu unionis fruitivæ.

Confirmatur. Vt enim ſuprà diximus, & probavimus, de myſtico ſponſalitio, & matrimonio loquimur per analogiam ad ſponſalitium, & matrimonium humanum: ſed humanum ſponſalitium mediat inter illum quaſi contractum, qui dicitur *Viſtas de los Eſpoſos*, & contractum matrimoniale: ergo. Pariformitèr dicendum eſt, myſticum ſponſalitium mediare inter matrimonium ſpirituale, & illum quaſi contractum ad primum gradum fruitivæ unionis pertinentem.

32. Diſcurſus facti rem planè evincunt. Vndè roborari non debent, ſed expendi, ut materia, de qua agunt, explicetur. Itaque unio fruitiva, ut dictum eſt, tres gradus habet propriè, & rigoroſè tales. Eorum primus, & non adeò nobilis, ſicut alij, nihil aliud ſpeciale dicit, niſi ipſam unionem fruitivam, in qua Verbum Divinum præbet ſe guſtandum animæ, quæ in ea unione obtinet ſingulariſsimam notitiam experimentalem de ſuo Dilecto. Hic animam quandoquè viſitat, & illam ſuà præſentià exardeſcere facit. Mira ſunt, quæ anima experitur ad hunc ſtatum evecta, de quibus nonnulla dicemus, pleniſsimèque ſcribit Expertiſsima Mater noſtra pluribus in locis, & præſertim lib. vitæ. capit. 18. & Manſione 5. cap. 4. ubi inter alia pro re præſenti ait. *Vnio* (de qua modò agimus) *non adhùc eſt matrimonium ſpirituale* (nec ſponſalitium) *ſed ſicut in mundo, dum aliqui ſponſalia celebraturi ſunt, ſtatutæ die conveniunt, ut reciprocè videantur, quo magis mutuò ſe diligant. Ita in noſtro caſu anima, cui iam bonum à ſe concupitum patens eſt, & inſupèr firmam reſolutionem habet operandi in omnibus iuxta ſui Sponſi voluntatem: ab illo miſericorditèr accipit, quòd idipſum, quod priùs minus intelligebat, magis, ac dilucidiùs percipiat; & quòd, ut aiunt, exeat, ut Sponſum videat, & ab ipſo paritèr videatur.*

33. Omnes ad myſticum ſponſalitium aſſumendi defæcandi ſunt divinis illis Vnctionibus, & Chariſmatibus: ſed non ijſdem omnes: nam iuxta Domini beneplacitum alij alijs ſubtiliùs mundantur, & unctionibus ſublimioribus diſponuntur. Omnes tamen conveniunt in eo, quòd à Domino frequentèr viſitantur, uti docent Myſtæ. Tradit que Richard. Victorin. de gradibus charitat. viol. graviſsimis hiſce verbis: *Sæpè ſub hoc ſtatu Dominus* deſcendit de Cælis, ſæpè viſitat ſedentem in tenebris, & umbra mortis, ſæpè gloria Domini implet tabernaculum ſœderis: ſic tamen præſentiam ſuam exhibet, ut faciem ſuam minimè oſtendat: dulcorem ſuum infundit, ſed decorem ſuum non oſtendit: infundit ſuavitatem, ſed non oſtendit claritatem. Suavitas itaque eius ſentitur, ſed ſpecies non cernitur. Adhùc nubes, & caligo in circuitu eius: adhùc thronus eius in columna nubis: & lene quidèm, & blandum admodùm, quod ſentitur, ſed nubilum omninò, quod cernitur; nondùm namquè appareat in lumine. Et quamvis appareat in igne, magis tamen in igne accendente, quàm illuminante: accendit namquè affectum, ſed nondùm illuminat intellectum. Deſiderium inflammat, ſed intellectum non illuminat. In hoc itaque ſtatu anima Dilectum ſuum ſentire poteſt, ſed, *ſicut dictum eſt, videre non poteſt.* Hæc graviſsimus hic Doctor de anima iam Deo fruitivè unita, & unionem ſponſalitiam adhùc deſideranti, ac tandèm unionem in gloria concupienti.

Vltrà hæc: ſemper quòd benigniſsimus Dominus animam in hoc ſtatu clamantem viſitat, divinis muneribus munificentiſsimè ditat, ut obſervat Ruſbroquius lib. 2. Spirit. Nuptiar. cap. 36. 37. 38. & 40. ubi ait: *Divinæ gratiæ abundantia*, Deique fidelitas tertium in hac ipſa ſpiritùs unitate rivum ſcatere, ac manare faciunt: qui eſt fervor qui-

quidam inſpiratus hominis voluntatē velùt ignis inflammans, vorans que, & abſumens omnia & redigens in unitatem, nec non cūctas animæ vires largiſsimis donis, & ſingulari quadam excellentia perfundens, & in ipſa deniquè voluntate ſubtilē, ac ſpiritualem abſque labore amorem *& excitans, & efficiens.* Plurima circa hæc paſsim apud Myſticos Authores reperies. Omnia illa communia, ut diximus, ſunt omnibus, qui ad ſponſalitiam dignitatem diſponuntur, cum diſcrimine in maiori, vel minori ſubtilitate, ac frequentia. Conſule Myſticos Scriptores, & plurimam de his notitiam comparabis. Nos autem hæc attingimus, ut primum gradum unionis fruitivæ utcumque deſcribamus.

Poſtquàm autem anima his prærogativis idonea eſt, ut ad unionem ſponſalitiam elevetur, illabitur in ipſam Deus, & eius rationales potentias mira luce, & fervidiſsimo amore abſorvens in Sponſi ſignum ei à ſenſibus penitùs alienatæ dexteram porrigit, & contractus ſponſalitius perficitur: in quo eas omnes gratias experitur, quas priùs in primo gradu experiebatur, & quidèm exceſſu inenarrabili: nec ſolis illis gratijs decoratur, ſed alijs plurimis longè priores illas ſuperantibus: Quibus diſponitur anima, ut ad matrimonium conſcendat. Quæ omnia ex dicendis in præſenti, & ſequenti diſputatione planiùs innoteſcent.

34. Ex dictis expenſa habes ea omnia, quorum perceptio neceſſaria eſt ad perfectam intelligentiam diſcurſus propoſiti num. 31. Quandoquidèm liquet, ſecundum gradum fruitivæ unionis ſuperare primum, & à tertio ſuperari. Liquet etiam, in primo gradu talis unionis aptari animan ad ſecundum, & in hoc ad tertium. Vndè ſi in primo celebratur ille quaſi contractus, *Viſtas de los eſpoſos*, vulgò dictus; & in tertio celebratur matrimonium: fit conſequens, quòd Deus animam ſibi in Sponſā aſſumat in ſecūlo. Et hoc eſt, quod in præſenti controverſia propugnamus.

§. II.

Argumenta.

35. COntra concluſionem, & fundamentum, cui innititur. Arguitur 1. Vnio fruitiva eſt tota ſimùl: ergo eoipſo, quòd talis unio detur, datur myſtica deſponſatio: ergo hæc, ut celebretur, non expectat aliquem ſpecialem gradum talis unionis. Secunda conſequentia liquet ex prima. Sinamque poſita unione ponitur deſponſatio; nec unio gradus habet, nec, ſi haberet, eorum aliquem deſponſationis celebratio expectaret. Prima conſequentia deducitur ex antecedenti, in quo eſt tota difficultas: illud tamen expreſiſsimè docet Seraphica Mat. Nra. lib. vitæ cap. 20. in principio. Vbi agens de diſcrimine verſante inter unionem, & deliquium ait: *Vnionem videri principium, medium, & finem*; quòd eſt idem, ac dicere, quòd unio eſt tota ſimùl, ſeu, quòd poſita unione quoad aliquid ſui, ponitur nedùm principium ipſius, ſed etiam medium, & finis. Contrarium evenit in deliquio, *in quo*, uti obſervat inibi perſpicax eiuſdem Sanctæ Annotator, *dantur gradus, è quibus alij ſunt veluti principium, alij veluti medium, & alij veluti finis*: ergo ſtante hoc diſcrimine inter deliquium, & unionem, dicendum neceſſariò eſt, iſtam carere gradibus.

Reſpondemus. Nos illam illorum graduum in unione fruitiva diviſionem, non è proprio cerebro fabricaſſe, ſed à Patribus, & Myſticis Scriptoribus deſumpſiſſe. Immò Sanctiſsima Doctrix illam adſtruit locis citatis, & alijs: & ante omnes alios unionis fruitivæ primum gradum *Viſtas de los Eſpoſos* eſſe dixit. Vndè ab omni cenſura immunes ſumus, ſi gradus illos ſupponimus. Nec talis diviſio infringitur facto argumento. Cuius antecedens falſum eſt: Sancta enim non loquitur

ibi

ibi de unione fruitiva, ſed de alia longè inferiori. Quod indè tibi manifeſtum erit, ſi conſideres: quòd unio fruitiva non datur ſine extaſi, ut diximus diſput. antecedenti numer. 109. Vnio verò de qua agit Doctrix Sancta ſine extaſi fit, ut perſpicuè ipſius verba oſtendunt, & eius Annotator ſine ambiguitate ſupponit. Illa unio etiam ſuos gradus habet; non enim poteſt ſempèr, & ab omnibus æquè perfectè haberi. Verum quia, ut ibi dicitur, *ferè ſempèr evenit eodem modo*; idcircò non habet gradus, qui diverſis nominibus exprimantur. Alienatio animæ erga fruibilia non *ferè ſempèr evenit eodem modo*. Vndè diverſa nomina habent modi illi, quorum unumquodque nominat ſuum gradum, ſumpto gradu eomodo, quò hic ſumitur à Magiſtra Expertiſsima. Et hoc ipſum habet unio fruitiva, quæ primò dicitur. *Viſtas de los Eſpoſos*. Secundo dicitur *deſponſatio*. Et tandèm cum perfecta eſt, dicitur *matrimonium*. Vndè authoritate in nos obiecta doctrina noſtra fulcitur.

36. Arguitur 2. & poteſt eſſe replica. Poteſt dari deſponſatio ſpiritualis, quin præcedat ille quaſi contractus, quem ad primum gradum unionis fruitivæ diximus ſpectare: ergo non rectè illam ad gradum ſecundum, dicimus pertinere. Conſequentia bona eſt, & antecedens probatur. Poteſt dari matrimonium ſpirituale, quin præcedat deſponſatio: ergo & hæc poteſt dari, quin ille alius quaſi contractus præcedat. Conſequentiam evincit paritas, & antecedens probatur 1. Anima D. Pauli in raptu inijt ſpirituale matrimonium: ſed priùs non deſponſata fuerat, nec coram Sponſo animarum, ut reciprocè ſe viderent, prodierat: ergo. ¶ Probatur 2. Vt enim dictum à nobis eſt, de matrimonio ſpirituali loqui debemus per analogiam ad humanum matrimonium: ſed dari poteſt hoc, & multoriès datur, quin ſponſalia præcedant: ergo idem quod prius.

Reſpondetur diſtinguendo antecedens, *deſponſatio* modo regulari celebrata, negetur: modo irregulari, ſubdiſtinguatur, *ille quaſi contractus* propriè talis, concedatur. Impropriè talis, negetur antecedens, cuius probationis antecedens ijſdem diſtinctionibus reſolvatur. Solutio quantùm ad deſponſationem, & matrimonium (idem intelligo de deſponſatione, & quaſi contractu eam præcedente) eſt Magiſtri, & D. Thomæ. Primus enim in 4. d. 27. propè finem ait: *Sunt enim quædam nuptialia pacta de futuro, ex quibus Sponſi, & Sponſæ vocantur; nec ex indè coniuges ſunt. Et eſt pactio quædam coniugalis de præſenti, quæ Sponſum, & Sponſam etiam coniuges facit, & utraque pactio deſponſatio, vel ſponſalia interdùm dicuntur: propriè tamen ſponſalia dicuntur quædam ſolemnia pacta nuptialia*, intellige de futuro. Secundus autem, hoc eſt, Angelic. Doctor inibi. quæſt. 2. art. 1. ſic loquitur: *Ad ſextum dicendum, quòd in matrimonio poteſt conſiderari ipſa coniunctio matrimonialis, & actus eius: & à ſponſione primi in futurum dicitur Sponſus à ſponſalibus contractis per verba de futuro: & à ſponſione ſecundi dicitur aliquis Sponſus, etiam quando contractum eſt matrimonium per verba de præſenti, quia ex hoc ipſo ſponſet matrimonij actum; tamen à prima ſponſione dicuntur ſponſalia propriè, quæ ſunt quædam Sacramentalia matrimonij, ſicut exorciſmus Baptiſmi.*

Ex his teſtimonijs conſtat facti argumenti ſolutio. Etenim nullum datur matrimonium ſive ſpirituale illud ſit, ſive humanum, in quo non adſint ſponſalia, ac ſubindè denominatio Sponſi, & Sponſæ. Aſt ſponſalia ſunt in duplici differentia: nam alia ſunt propriè talia, & hæc dicunt promiſsionem de futuro, & ab his denominantur Sponſus, & Sponſa propriè tales. Alia ſunt impropriè talia, & hæc dicunt promiſsionem de præſenti, ab ijsque denominantur quidèm Sponſus, & Sponſa, ſed non cum proprietate. Rursùs. Matrimonium vel celebratur modo regulari, vel irregu-

irregulari modo. Si regulari modo fiat, præcedunt ſponſalia, & ante hæc datur ille alius quaſi contractus. Si fiat irregulari modo, eodem tempore & Sponſi videntur, & ſponſalia, & matrimonium celebrantur. Quæ omnia intelligere debes tam de ſponſalitio, & matrimonio carnalibus, quàm de ſpiritualibus. Noſtra reſolutio procedit de deſponſatione myſtica propriè tali; atque ideò modo regulari celebrata. Quocircà aſſerimus, ſubſequi ad primum gradum unionis fruitivæ, & antecedere matrimonium. Per quæ ad totum argumentum patet ſolutio.

37. Inſtabis, & ſit tertium argumentum. Vnio fruitiva eſt felicitas, & beatitudo huius vitæ: ergo vel non habet gradus, vel quamquam habeat, in eorum primum conſiſtit matrimonium ſpirituale: ergo deſponſatio myſtica non attinet ad ſecundum gradum. Antecedens certum eſt, iamque illud ſuprà probavimus ex D. Thoma 1. 2. quæſt. 109. art. 2. iis verbis: *Aliqua inchoatio beatitudinis eſt in hac vita in viris perfectis.* Vltima conſequentia nota eſt, nam deſpõſatio matrimonium præcedit. ¶ Prima conſequentia pro prima parte probatur 1. Quia beatitudo non habet gradus quos percurrens Beatus modò ſit minus Beatus, poſtmodùm autem magis. Vel è contra. ¶ Probatur 2. Beatitudo conſiſtit in actibus facultatum rationalium, ut ſuprà diſcuſum eſt; ſed iſti actus ſunt toti ſimùl, nec in ipſis eſt graduum diverſitas: ergo pro ſecunda parte probatur eadem conſequentia. Ante ſpirituale matrimonium non datur Beatitudo viæ: ſed hæc datur poſita unione fruitiva: ergo ex quo verificetur unio fruitiva, datur ſpirituale matrimonium.

Reſpondetur diſtinguendo antecedens, *unio fruitiva* perfecta, concedo, minus perfecta, nego antecedens. Vnio fruitiva perfecta eſt utique huius viæ beatitudo; hæc tamen non datur uſque ad tertium ipſius gradum, in quo matrimonium celebratur. Et de hac perfectiſsima unione loquuti fuimus loco ab arguente inſinuato. Vndè falſum eſt, quòd poſita unione fruitiva, eo-ipſo adſit huius viæ felicitas; non enim habet rationem beatitudinis vialis ea unio, niſi cum perfecta eſt. Perquod patet ad probationem primæ conſequentiæ pro ſecunda parte. Ad primam probationem pro prima parte dicas: Quod unio animæ cum Deo per gloriam non habet magis, & minus reſpectu eiuſdem, quia celebratur extra viam, ubi non adeſt opportunitas meriti, aut demeriti. Vndè qui ſic unitur Deo, eo modo, quo unitur, in æternum ſubſtantialitèr, perſeverat. Aliundè autem ipſa unio per gloriam non ſtat ſine viſione Dei, nec cum viſione Dei poteſt ea unio non eſſe conſummata, atque adeò perfecta. Ex utroque autem capite habet gradus unio fruitiva per gratiam, ſeu viæ. Habet quidèm gradus ut beatitudo eſt, quia conceditur ſuperſtitibus. Vndè poſſunt hi, quoad vivunt, magis, ac magis uniri. Habet & gradus, quatenùs unio fruitiva eſt; quia cum hæc fiat media gratia, & Deus ex mera dignatione ſua, illam unionem conferat ad ſimilitudinem unionis matrimonialis humanæ; idcircò in illa diſtinguitur triplex ille gradus unionis perfectæ, perfectioris, & perfectiſsimæ, quorum ſecundus eſt myſtica deſponſatio. Vndè illa propoſitio huius primæ probationis vera eſt de beatitudine gloriæ; falſa autem de beatitudine viæ. ¶ Ad ſecundam probationem omiſsis, ſeu conceſsis præmiſsis, dicimus conſequentiam eſſe veram de beatitudine conſummata, quæ in actibus non interruptis conſiſtit: Vndè eadem ſempèr eſt ſine graduum differentia. Eſt tamen neganda illa conſequentia de beatitudine inchoata, cuius actus quandoquè intercipiuntur. Vndè nec in eijſdem actibus conſiſtit, nec inconvenit, quod ex actibus, in quibus conſiſtit, alij ſint alijs perfectiores.

38. Arguitur 4. Effectus unionis fruitivæ in primo gradu ſunt ijdem ac effectus ipſius in gradu ſecundo: ergo

ad primum gradum ſpectat myſtica deſponſatio. Patet iſta: quia eſt in intelligibilis identitas effectuum, ſi deſponſatio non pertineat ad primum gradum, ut de ſe liquet. Et antecedens probatur ex relatione effectuum utriuſque gradus, quos ex D. Laurent. Iuſtin. affert Medulla myſtica tract. 5. cap. 4. num. 32. & cap. 6. num. 53. ubi Author illius medullæ ait: *Effectus huius ſecundi gradùs, & orationis myſtici ſponſalitij ſunt in primis omnes illi, quos diximus, eſſe effectus unionis myſticæ*, ſeu quoad primum gradum. Vide inibi eos effectus, & illos, quos ex Seraphica noſtra Doctrice eadem Medulla, & alij Myſtici adducunt, & eoſdem eſſe comperies.

Confirmatur urgentèr. Vnio animæ cum Deo, ex quo effectiva, & realis eſt, habet eoſdem effectus: ſed ex quo fruitiva ſit, eſt affectiva, & realis, & non ſolùm affectiva: ergo. Maior liquet: quia licèt illi effectus admittere queant perfectionis incrementum, de quò nullatenùs dubitatur; ſemper tamen ad eandem claſſem ſpectabunt, quod ad intentum ſufficit. Probatur minor. Vnio fruitiva animæ cum Deo celebratur in octavo gradu ſcalæ amoris, ut iam alibi dictum eſt; ſed ille gradus dicit unionem, non iam affectivam, ſed effectivam animæ cum Deo: ergo. Minor probatur. Quia in eo gradu octavo anima *ſtringit indiſſolubiliter* Deum: ſed ad hoc requiritur unio effectiva, & realis cum ipſo: ergo. Probatur minor ex verbis, quæ ex D. Thoma non ſemèl tranſcripſimus, videlicèt: *Omnia præcedentia fieri poſſunt in diſtantia: verùm hic primùm eſt coniunctio amantis cum amato.* Quæ coniunctio abſdubiò effectiva eſt; nam affectiva in præcedentibus ſcalæ gradibus data eſt, & poteſt fieri inter abſentes.

Reſpondetur argumento diſtinguendo antecedens. *ſunt ijdem* præcisè, nego maiorem. Et alij, ſubdiſtinguo, ſunt ijdem, & modo perfectiori habiti, concedo. Eodem modo habiti, nego antecedens. Author medullæ myſticæ per ly *in primis* oſtendit, ſecundùm gradum unionis fruitivæ habere aliquos effectus ab effectibus primi gradus differentes, quos inter celebrior eſt myſtica deſponſatio. Hos effectus ut dignoſcas, conſule Seraphicam noſtram Doctricem Manſ. 6. Dantur etiam in ſecundo gradu fruitivæ unionis omnes illi effectus, qui ad primum gradum ſpectant: aſc prout attinent ad ſecundum gradum longè perfectiores ſunt. Sicut etiam tertius gradus eiuſdem unionis dicit, alios addens, omnes effectus graduum præcedentium. Verùm in tertio gradu ſunt iſti effectus longè nobiliores ſibi ipſis, ut ad gradus anteriores pertinentibus. Radix que totius huius doctrinæ ea eſt: quòd perfectio horum effectuum deſumitur à gratia & charitate, quæ quia ſemper eadem ſunt, eoſdem effectus cauſant: cæterùm quia ipſæ incrementum perfectionis admittunt; idcircò & ſui effectus in perfectione creſcunt. ¶ Hinc que provenire ſolet æquivocatio, qua plurimi præpediuntur: videntes enim Doctores eodem ferè modo loquêtes de diverſis rebus, aut eoſdem effectus ipſis attribuentes, illas res non eſſe diverſas, putant: cum debuiſſent ex doctrina data ipſarum rerum notiſsimam diverſitatem cognoſcere. Quæ admonitio pro omnibus materijs utiliſsima eſt; ſed pro Theologia myſtica eſt penitùs neceſſaria. Sin minus paſsim ſcopulos offendes, in quos miſerabilitèr impingas.

Ad confirmationem, prætermiſſa maiori, diſtinguatur minor, quæ vera eſt de præſentia phyſica, qua Deus præſens adeſt iuſtis media gratia ſanctificante, ut fuſiſsimè diſſeruimus diſp. præcedenti tota quæſt. 3. Eſt autem falſa de præſentia phyſica Dei, ut obiecti inchoatè beantis animam. Itaque iuſtus Deo effectivè unitus eſt medijs donis gratiæ ſanctificantis; atque adeò ante fruitivam unionem hac unione phyſica cum Deo gaudet. Vltra hanc unionem realem habet idem iuſtus duplicem aliam unionem affectivam. Prima conſiſtit ſeu

ex-

explicatur per desiderium se uniendi Deo per gloriam. Et hæc unio semper in præsenti affectiva est. Secunda est unio cum ipso Deo in matrimonio spirituali. Et hæc semper affectiva est, usque dum spirituale matrimonium celebretur, Vndè sive iustus parvam, seu plurimam perfectionē habeat, etiam ipse iustus, qui ad unionem sponsalitiam assumptus est, non est effectivè unitus Deo, sed solùm affective. Ratio que ea est. Quòd anima non potest dici Deo effectivè unita in sensu, de quo loquimur; quin uniatur ipsi, vel illum habeat in ratione termini illam beatificantis. Hoc autem non habet anima nisi elevetur ad unionem matrimonialem, vel consummatam in Cælo, vel in hac vita inchoatam. Vndè uniones præcedentes unionem matrimonialem, etiam ipsa fruitiva unio in primo, & secundo gradu, affectivæ sunt.

Quod, ut penitiùs calleas, & totam confirmationem solvas: memento illius doctrinæ, quam dedimus in Isagoge lib. 3. numer. 86. iuxta quam unio fruitiva animæ cum Deo ex se, seu ex concepta fruitivæ dicit esse effectivam in omnibus suis gradibus. Alitèr tamen, & alitèr: nam in tertio gradu, in quo matrimonium celebratur, est effectiva propriè, perfectè, & rigorosè. Et iusti illa unione gaudentes sunt Cives Sanctorum, mansionarij, & domestici Dei. Ast in primo, & secundo gradu est effectiva imperfectè, & qui illa unione uniti sunt, dicuntur hospites, & advenæ, quatenùs licèt quandoquè effectivè uniantur Deo; illa tamen unio effectiva citò transit in attinentibus ad secundum gradum, & citiùs in ad primum attinentibus. Ex quibus habes, quòd unio fruitiva quoad omnes suos gradus est, sub assignato discrimine, effectiva: ac subindè, quòd verùm est, quòd anima hac unione in primo, & secundo gradu decora non tendit in obiectum ablens; sed est *coniunctio* (imperfecta tamen) *amantis cum amato*. In ultimo autem gradu est perfectissima *coniunctio amantis cum amato*. Vide, quæ loco citato diximus. Vide etiam nostram Catenam mysticam fol. 245.

39. Arguitur ultimò. Iustus cum à Cælesti Spiritu cuspide ardentis iaculi vulneratur, nondum pervenit ad secundum gradum unionis fruitivæ: sed cum sic vulneratur, iam celebratum est mysticum sponsalitium: ergo hoc datur ante secundum gradum unionis fruitivæ. Consequentia bona est. Maior liquet ex Mysticis asserentibus, hoc cordis vulnus esse dispositionem, ut anima ad secundum illum gradum elevetur. Minor autem probatur tum ex ipso favore, qui ut eximiùs ab omnibus extollitur; nec propterea concedendus nisi animabus, quæ Dei Sponsæ sint. Tum etiam: quia sic sentire videtur Extaticus noster Doctor in flam. Cant. 2. §. 2. Tum deniquè: quia Seraph. Mat. noster. Simùl illud vulnus passa est, & ad unionem sponsalitiam evecta, ut innuere videtur Ecclesia in eius officio ijs verbis: *Meritò viderit Angelum ignito iaculo sibi præcordia transverberantem, & audierit Christum data dextera dicentem sibi. Deinceps ut vera Sponsa meum zelabis honorem*: ergo &c.

Relpondetur negando minorem, quæ nullà ex in ductis probationibus comprobatur. Non prima: quia illa gratia est planè maxima relatè ad illas, quæ spectant ad primum gradum unionis fruitivæ; non tamen est maxima absolutè, nisi tantùm in ratione signi. Hoc est, quia signat, quòd anima, cui illa gratia conceditur, ad culmen maximæ perfectionis destinatur. Quod postmodùm declarabo. Vndè illa gratia eoipso, quòd ad primum gradum unionis fruitivæ spectat, exceditur à gratijs, quæ secundi, & tertij gradùs propriæ sunt. ¶ Secunda probatio nihil evincit: nam Sanctus Doctor inibi de duplici cauterio agit. Primum dicit esse eminentissimum: hoc tamen non est vulnus, de quo loquimur: quia hoc, ut explicat idem Sanctus Doctor, *est tactus Divinitatis in anima sine forma, aut figura aliqua naturali*;

formali, aut imaginaria. Hæc longè ſunt a cauterio, de quo agimus, quippè dum illud recipitur, videtur Angelus, videtur iaculum, & ignis & etiam dolor cauſatus à vulnere, & ab igne corporaliter ſentitur. Præterquàm quòd idem Sanctus Doctor, poſtquàm de cauterio, quod *eſt tactus Divinitatis* egit, deſcendit ad explicãdum cauterium immiſſum ab Angelo cor percutiente. Et hoc ſignum evidentiſsimum eſt, diverſum eſſe in ſententia Doctoris Sancti utrumque illud cauterium. Vndè quamquàm demus, primum non infligi niſi perfectiſsimis: de ſecundo autem non adeſt motivum in littera, ut idem aſſeramus.

Ad ultimam probationem negamus ſi nultatem illam. Priùs enim vulnus cordis accepit Seraph. Virgo, & poſt multum tempus deſponſata fuit, ut patet ex eius vita cap. 29. in fine, & ex additionibus §. *Eſtando en la Encarnacion.* Et Eccleſia in ijs lectionibus ſimùl refert quicquid Matri Sanctiſsimæ noſtræ contigit à ſui nativitate uſque ad, & poſt mortem. ¶ Adde: quòd Eccleſia non iungit illos favores inſe, ſeu quoad tempus, in quo accepti ſunt; ſed in ſua radice: ſcilicèt in amore divino, quo ipſius cor amburebatur; eòque dicit: *Tanto autem divini amoris incendio cor eius conflagravit, ut meritò viderit* &c. *Et* (perſeverante eodem divini amoris incendio, poſtmodùm) *audierit Chriſtum* &c. Vndè manet, quòd vulnus illud cordis præcedit myſticam deſponſationem.

40. Dices: Doctrina hæc eſt contra Myſticum noſtrum Doctorem, qui loco citato, poſtquàm de cordis vulnere ab Angelo inflicto egerat, addit: *Pauci ad hoc faſtigium evehuntur, conſcendunt tamen aliqui: præſertim illi quorum virtus, & ſpiritus diffundi debeat ad filios. Providente Deo de capite ditato divitijs, & valore, iuxta familiæ, cuius caput erat, ſucceſsionem.* Tunc ſic: ſed animæ, quæ ad dignitatem ſponſalitiam elevantur, plurimæ ſunt: ergo cauterium cordis infligitur poſt deſponſationem myſticam.

Hæc obiectio petit, ut explicemus id, quod num. præcedenti tradidimus. Videlicèt, cordis vulnus in eſſe ſigni eſſe ſublimiſsimam gratiam. Et antequàm directè reſpondeam, optarem, poſſe concedere minorem ſubſumptam: retrahit tamen illud ex cap. 6. Cant. verſ. 8. *Vna eſt Columba mea, perfecta mea:* maximè adiuncto gloſſemate D. Laurent. Iuſtin. de Caſto Connub. Verbi, & animæ propè finem ubi ait: *Rara, inquam, eſt anima, quæ ex vitæ merito, ex muneris privilegio, ex immenſitate amoris Sponſa Verbi vocitetur, de qua Sponſus in eius laudem dicat: Vna eſt Columba mea, perfecta mea: Vna eſt Matris ſuæ, electa Genitricis ſuæ. Cum talem invenit, ſingulari eam diligit charitate. Frequenter viſitat, alloquitur familiariter, dulciter amplexatur, & vix ab illa patitur ſe abſentare. Diſcedit interdùm ab illa, non ut iratus ſed ut amore ſuccenſus. Quò enim tardiùs redit, ipſa dilatione vehementiùs inflammatur, pulſat crebriùs, provocat ardentiùs, & dicit: Surge, propera, amica mea* &c. Hæc affatim manifeſtant, non eſſe adeò plurimas animas, quas Cæleſtis Sponſus dignas reperit, ut eas ſibi uniat unione ſponſalitia. Verumenimverò his non indigemus, ut obiectioni propoſitæ occurramus.

Dicimus enim, ita eſſe, quòd pauci hoc cauterium experiuntur, ut docet Myſtic. noſter Doctor: hoc tamen non eſt, quia ſint ita pauci, qui ad illum gradum, in quo illud vulnus infligitur, eleventur; ſed quia licèt illud vulnus infligatur ijs, qui ſunt in primo gradu unionis fruitivæ; non tamen infligitur omnibus, qui ad illum gradum conſcendunt; ſed pauciſsimis, & hi ſunt illi quos Sanctus Doctor aſsignat: illi nempè, qui diffuſæ familiæ filiorum ſpiritualium præponendi ſunt. In quorum quippè filiorum ſubſidium ipſorum capiti Deus copioſiſsimas perfectionis divitias impertit, ut ſic queant ab ipſo capite in

filios,

in filios ſpiritus, & virtutes corrivari. Et hæc eſt ratio, ob quam pauci hoc cordis vulnere nobilitentur, tametſi pauci non ſint, qui in gradu, in quo vulnus illud imprimitur, reperiantur. Hinc que iam manifeſtum eſt, tale cordis vulnus in eſſe ſigni fore gratiam eminentiſsimam, quod prius dicebamus.

41. Hac cæleſti eminentiſsima prærogativa ornata fuit Seraphica Mat. N. Diva Thereſia, cuius flammeum cor non à quocumque Angelo, ſed à Seraphico ſpiritu; non à quocumque iaculo, ſed aureo ad percutiendum, & ad ignien-dum propter ignem, quem ſecum afferebat, idoneo, ex utraque parte vulneratum conſpicitur. Obſtupui, dum veneratus ſum in corde illo ſacratiſsimo vulneris labia uſque in hodiernum diem, nedum patentia, verum etiam ſemiuſta. Nec intelligas, iaculum illud cor ſacratiſsimum ſolummodò vulneraſſe, ſed firmitèr tene, reipſa traieciſſe: ex utraque enim ipſius parte ſciſſura cum labijs ſemiuſtis inſpicitur. In quo quot portenta agglomerentur, tuæ conſideratio-ni committo. Non tamen omittam egregium noſtri Philippi à Sanctiſsima Trinitate colloquium cum Angelo vulnerante, & huius ad illum reſponſionem. Illud offert 3. part. Myſticæ Theologiæ tract. 3. art. 8. hiſce Carminibus.

Quid innocentis percutis igneo,
Ales, Thereſæ viſcera ſpiculo?
Quid egit? Vt tanto cor illud
Virgineum ferias dolore?
Crudelis Ales deſine, defficit
Hæc Virgo ſummis preſſa doloribus;
Medere vulneri, en tenella
Virgo gemit gemebunda languet.

Seraph. *Si me ferocem dixeris, intima*
Quòd innocentis viſcera Virginis
Configo: nullus eſt bonus, ſed
Singuli erunt Medici feroces.
Nunquid ferocem, qui laborantibus
Febri, peracto vulnere, ſanguinem
Haurit, vocabis? Qui ferocem
Me vocat, hunc vocet & ferocem.
Thereſia Virgo febribus æſtuat,
Amore Sponſi flagrat, igneo
Imum calore pectus ardet:
Ni medear, perit, & labeſcit.
En ſuffocatur, iam ferè deficit,
Vivas amoris viſcera non ferunt
Flammas, vel iſte ſuffocabit
Pectus amor, vel agendo rumpet.
Facto medebor vulnere; ſed tamen
Morbo laborat non medicabili,
Quæ vivit æſtuans amore,
Defficiet moriens amore.

Quod ita factum teſtatur Eccleſia ijs verbis, quibus aſtruit: *Divini amoris incendio, potiùs quàm vi morbi* ad ſuperos convolaſſe. Quò reſpexit idem Author, dum cecinit:

Vita fuit tibi amor, fuit & mors: ergo,
Thereſa,
Vita fuit tibi mors, mors tibi vita fuit.

42. Parce digreſsioni, quam portentum adeò ingens, & amor filialis excuſant. Modò ergo ad præiacta regreſſus omni ponderatione digniſsimum reperio. Quod ſi in ſententia noſtri Myſtici Doctoris pauci ſunt, qui ad tale faſtigium ſublimantur, ut videant Angelum eorum corda vulnere haùd viſibili vulnerantem: quòd faſtigium in monte præclariſsimo perfectionis occupabat, quæ Seraph intuita eſt ſibi præcordia tranſverberantem, & amburentem vulnere, & combuſtione adhùc poſt tot luſtra viſibilibus? Hoc etiam tuæ conſiderationi derelinquo, ne ad deſſerendos mei muneris limites impetu amoris compellar.

Hæc quamquàm vera eſſe putemus, negare non poſſumus, illam cordis vulnerationem eſſe purgationem activiſſimam, & arcaniſsimam unctionem, quæ plagatum cor ab aliquibus, leviſsimis quidèm, defectibus abiungitur, & ad intimam ſponſalitiam unionem aptum redditur. Quocircà diximus, hanc gratiam inſe, & ex ſtatu non eſſe maxi-

mam;

mam; quandoquidèm in ſtatu non adeò perfecto conceditur, & defectus elimanandos ſupponit. In eſſe tamen ſigni maximam eſſe diximus: quia ſignat perfectionem capitalem, cuius corpus magnum particeps fiat. Cur autem qui multorum filiorum extituri ſunt Patres, & Magiſtri huiuſcemodi unctione diſponantur? non revelavit nobis Myſticus noſter Doctor. Nec erit abſre motivum examinare; ſi fortè aliquam coniecturam reperire valeamus. In re enim adeò arcana, quam non reſeravere Magiſtri, vel tenuis coniectura ex eorum doctrinis deſumpta erit nobis clariſsima lux. Quippè lux exigua magis lucet inconſpectu obſcuræ noctis, quàm ignis maximus in præſentia meridiei. Loquemur autem de Seraphic. Mat. noſtra, quæ in hac parte inter omnes eminere, teſtantur hactenùs dicta. Et quicquid de ipſa dictum fuerit, poterit & alijs proportionabilitèr applicari.

Igitur puriſsima Virgo Seraph. formoſiſsimum aliquoties à ſiniſtris ſuis vidit, qui iaculo aureo, & ignito ſibi cor ex utraque parte percuſsit, & combuſit. Sicque idonea facta eſt, ut Dei Sponſa fieret. Inter Sponſos ſervandam eſſe æqualitatem, quoad fieri queat, omnes norunt. Chriſtus Dominus Thereſiæ dulciſsimus Sponſus ab ipſa vulneratus eſt in corde, uti ipſe teſtatur: *Vulneraſti cor meum, Soror mea Sponſa; vulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui.* Cant. capit. 4. verſ. 9. Rationi ergo conſentaneum eſt, ut & ipſa in corde à ſuo Sponſo paritèr vulneretur: ſicque vulnerata ad unionem ſponſalitiam aſſumatur. Quò & dabili æqualitati conſulitur, & ipſa Sponſi dexteram exoptans poteſt veracitèr intonare. *Adiuro vos, filiæ Hieruſalem, ſi inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo.* Ex eodem lib. cap. 5. verſ. 8. Septuaginta: *Quoniam vulnerata charitate ego ſum.* Expreſsiùs Arabicus: *Quia ego ſum amor vulneratus.* Bis in hoc opere occurrit verſio hæc, & quidèm propriè. Primùm occurrit diſp. 5. num. 28. Vbi pro *Vnius*, quo noſtra vulgata utitur ad illud ex D. Paul. ad Galat. 3. verſ. 20. *Mediator autem unius non eſt*, Arabicus legit *Vnus*. Qua verſione expreſsiſsimè proceſsimus in à Catholicos, denegantes Sanctos cum Chriſto regnantes eſſe noſtros mediatores intercesſionis. Quamquàm, retenta vulgatæ lectione, etiam facilè convincantur, ut videre eſt apud inſignem Noſt. Liber. tom. 1. controv. 10. Secundò occurrit in præſenti ubi ſimilitudinem inter Thereſiam Chriſti Sponſam, & ipſum benigniſsimum Sponſum Thereſiæ apertiſsimè oſtendit. Chriſtus amor eſt; ſic eum nominant D. Auguſt. D. Bernardus, D. Bonav. & alij: & eſt amor à Thereſia vulneratus: *Vulneraſti cor meum.* Hoc idem in Thereſia fulget; nam eſt amor ſimilitèr cuſpide cæleſti percuſſus: *Ego ſum amor vulneratus.*

Pergo huius ſimilitudinis ſigna vividiùs declarare contendens. Obſervat D. Thomas Chriſtum Dominum bis ſe in corde vulneratum aſſerere: *Vulneraſti cor meum, ſoror mea Sponſa; vulneraſti cor meum.* Vndè debuit Thereſianum cor ex utraque parte, ſeu duplici vulnere cauteriari: ne ex defectu unius plagæ æqualitas minueretur.

43. Iuxta Myſticum noſtrum Doct. Miniſter huius Sacrificij Angelus eſſe ſolet: ad Thereſiam autem cauteriandam non quilibet Angelus, ſed è Cæleſtium agminum ſupremo Choro Seraph, & quidèm pulcherrimus, venit. Sic Sancta ipſa teſtatur cap. 29. ex lib. vitæ. Et huius convenientiam optimam eſſe noſcet, qui legerit Divum Thomam 1. part. quæſtione 108. articulo 5. dicentem: Ad 5. *Dicendum, quòd nomen Seraphim non imponitur tantùm à charitate, ſed à charitatis exceſſu, quem importat nomen ardoris, vel incendij. Vnde Dionyſ. 7. cap. Cæl. Hier. Exponit nomen Seraphin ſecundùm proprietates ignis, in quo eſt exceſſus caliditatis.*

In

In igne autem tria possumus considerare. Primò quidem motum, qui est sursùm, & qui est continuus: per quod significatur, quòd indeclinabiliter moventur in Deum. Secundò verò virtutem activam eius, quæ est calidum. Quod quidem non simpliciter invenitur in igne, sed cum quadam acuitate: quia maximè est penetrativus in agendo, & pertingit usque ad minima. Et iterùm cum quodam super excedenti fervore. Et per hoc significatur actio huiusmodi Angelorum, quam in subditos potenter exercent, eos in sublimem fervorem excitantes, & totaliter eos per incendium purgantes. Tertiò consideratur in igne claritas eius. Et hoc significat, quòd huiusmodi Angeli in se ipsis habent inextinguibilem lucem, & quòd alios perfectè illuminant.

Vidè, quòd Seraphim non dicuntur tales *tantùm à charitate, sed à charitatis excessu.* Hi significantur per ignem, primò, quia *indeclinabiliter moventur in Deum.* Secundò propter penetrativam activitatem, *quam in subditos potenter exercent.* Tertiò tandèm, propter *inextinguibilem lucem*, quam habent, & quà *alios perfectè illuminant.* Ex his spiritibus unus ad Theresiam venit, ignem secum afferens, ut ostenderet eximium perfectionis gradum, ad quem destinabatur ea, cuius Sanctissimum cor post tot annos ab obitu ipsius Sanctæ *indeclinabiliter movetur in Deum*, disrupto omni eo, quod eius impetum retardare queat. Si cor Theresiæ mortuæ sic movetur in Deum, quo impetu, ea superstite, moveretur? Ab eodem impulsu cordi Theresiano impresso habuit Seraphica Doctrix illam penetrativam activitatem, quam in sibi addictos potenter exercet, eos insublimem fervorem excitans, & totaliter per incendium vitæ, & doctrinæ suæ purgans. Habuit denique illam inextinguibilem lucem, qua lucis æternæ candorem indivulsè sectata est, & alios illuminat.

Seraph secum attulit ignem, quo Theresianum cor ad sponsalia celebranda disponeret. Ignis in fine mundi ipsum purgabit, & ipsa etiam elementa, quæ in mundo præcipua corpora sunt, à quibus inferiora dependent. Hoc que ignis habebit, ait Angelic. Doct. in 4. dist. 47. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 2. quia ignis est nobilissimum elementorum, *& habet naturales proprietates similiores proprietatibus gloriæ, ut maximè patet de luce.* Et ob hoc ignis idoneum redit cor Theresiæ ad sponsalitium. Ipsa enim caput plurimorum est; & ideò per ignem disponi debuit, qui nobilissimus est, gloriæ que simillimus. Vndè habes, quòd huius Sacrificij Minister fuit Seraph, & inter omnes Cælestes Spiritus Seraphin nobiliora sunt. Instrumentum fuit ignis, qui simillimus gloriæ omnium elementorum princeps est. Fuit etiam aurum; aureum enim iaculum erat: & aurum est inter metalla nobilius, cuique Deus optimè comparatur, quia sicut aurum omnibus metallis est pretiosius, ita Omnipotens Deus omnibus à se factis bonis, præcellit, & supereminet, ait D. Thom. in Cant. cap. 5. ¶ Nisi fortè dicas cum eodem Angelic. Magistro 2. 2. quæst. 77. artic. 2. ad 1. Quod aurum habet proprietatem lætificandi, & contra quasdam infirmitates medicinaliter iuvat. Vndè Seraph veniens traiecturus cor Theresiæ iaculum aureum secum affert, ut eodem instrumento & morbum incuteret, & medelam.

44. Ex dictis ergo aliqua iam coniectura fabricari potest, ut dignoscatur motivum nostri Mystici Doctoris asserentis, per cordis vulnus disponit ad sponsalitiam unionem eos, quos in Patres multorum destinavit providentia. Quam doctrinam applicantes Cælesti Matriarchæ nostræ diximus, ipsam vulneratam in corde, quia Christum in corde vulneravit: & duplici plaga cauteriatam diximus, quia Christus ab ipsa bis se vulneratum evulgat: ac subindè sicut Christus, qui est Doctor, & Caput Ecclesiæ, corde vulneratus est;

sic

sic & Theresia, quæ tantorum Caput, & Doctrix est in corde paritèr vulneretur. Sicque Christo similis evadat, quod ad desponsationem exigitur. Cor Theresianum à Seraph transfigitur, & igne comburitur, propter illa tria, quæ in Seraphin, & in igne reperiri vidimus: quæ apprimè propria tantæ Magistræ. Aureo deniquè spiculo vulneratur, ut aurum illam fateretur Matrem filiorum lætantem, & illato à se vulneri mederetur. Hæc, quæ alijs, si qui sunt, simile vulnus patientibus, aplicari queunt, excogitavi, ut mentem Seraphici nostri Doctoris explorarem. Si alia tibi occurrant, addiscam.

****

DISPVTATIO XXV.

DE VNIONE ANIMÆ CVM DEO IN Matrimonio spirituali.

DE MATRIMONIO spirituali loquitur Div. Thomas in 4. dist. 49. quæst. 4. art. 1. & ad Ephes. cap. 5. & opusc. 61. Similitèr Seraphica Mat. nost. agit de hac felicissima unione pluribus in locis, præsertim Mans. 7. ubi profundissimè rem istam discutit. Extaticus noster Doctor hanc ipsam materiam multoties versat. Ipsum sequuntur nostrates omnes. Nos que iam de hac ipsa materia egimus in nostra Hagoge lib. 3. §. 4. Ibique dicta, & ab alijs doctrinaliter tradita supponentes ad eorum, quæ præcipua sunt, disputationem accedimus.

****

QVÆSTIO PRIMA.

VTRVM DABILE SIT MATRIMONIVM INTER Deum, & animam nostram?

HÆC, quæ præsens quæsitum inquirit, & ferè omnia, quæ in hac gravissima materia disputantur, reperio admitti à Doctoribus, tanquàm certissima; cum tamen tarditas mea in ipsis plures difficultates inveniat, quàm verba. Curabimus tamen claritate possibili dubium præsens & alia occurrentia extricare.

****

§. I.

Titulum explico, & difficultatem duplici afferto determino.

1. DE anima, & non de quacumque, sed de nostra anima loquimur. Vt per primum excludantur Angeli, & per secundum anima Sanctissima Christi Domini excludatur. Vt enim dicebamus disp. præcedenti quæst. 2. Angeli nequeunt sponsalitia contrahere cum Christo Domino prop-

propter diversitatem specificam, quæ intercedit; quæ quidèm ab esse debet ab ijs qui unione sponsalitia uniuntur. Pariformitèr debent sponsalia contrahentes personalitèr distingui. Quæ distinctio non datur inter Christi animam, & ipsum Sanctissimum Reparatorem nostrum. Et hæc dicta iam sunt, & firmata loco citato: refricantur tamen modò, ut indè inferamus: Angelos, & animam Christi non posse cũ eodem matrimonium contrahere; eò quòd matrimonium est impossibile inter eos, quibus sponsalia impossibilia sunt. Hinc que quæsitum propositum determinatur ad animam nostram, quæ est specificè indistincta à Christi anima, & ab ipso distinguitur personalitèr. De anima ergo nostra dubium procedit, quam in duplici statu considerare debemus. Primus est status gloriæ, secundus status viæ. Ac de eadem, prout ad utrunque statum pertinet, disputabimus. Et primùm de primò. Vndè

2. Sit nostra prima conclusio. *Anima beata contrahit verè, & propriè matrimonium cum Deo.* Assertio hæc certissima est inter Ecclesiæ Patres, ac Theologos. Probatur que 1. ex Sacra Scriptura: nam lib. Apocalyps. cap. 19. dicitur: *Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ Agni, & Vxor eius præparavit se.* Vbi nomen *Nuptiæ* non potest, nisi improprijssimè ad significanda sponsalia detorqueri. Et idem dicendum est de nomine *Vxor.* Nomen *Sponsi*, & *Sponsæ* æquè propriè significat contractum sponsalitium, & matrimonialem. Nomen autem *Nuptiæ*, & *Vxor* contractum matrimonialem determinatè significat. Modò ergo in dato textu sermo est de anima beata, uti interlinealis exponit. Est ergo anima beata Vxor Agni; atque ideò inter ipsam, & Agnum datur verum Matrimonium. Alijs Scripturis poterat assertio nostra suaderi, illas tamen non adducimus, quia rem, de qua agimus, affatim pervia est.

3. Probatur 2. Conclusio ratione efficacissima eruta ex D. Thoma in 4. dist. 49. quæst. 4. art. 1. Etenim homini in beatitudine ingredienti conceditur dos: ergo eius glorioſa Anima Christo uxoratur. Antecedens edocetur à D. Thoma toto eo artic. Cuius Corpus sic incipit: *Respondeo dicendum, quòd absque dubio Beatis, quando in gloriam transferuntur, aliqua dona divinitus dantur ad eorum ornatum; & hi ornatus à Magistris dotes sunt nominati.* Consequentia probatur. Cui conceditur dos, Vxor est: ergo si animæ translatæ ad gloriam conceditur dos, talis anima Vxor est. Consequentia bona est, & antecedens probatur. Quia ut observant nostri Salmant. tract. 9. disp. 2. numer. 1. Dos propriè dicta, de qua agimus, licèt ex parte Sponsæ se teneat, dicit tamen habitudinem indispensabilem ad maritum; nec conferri debet usque ad nuptias, quandò matrimonium solemnitèr celebratur, ut constat ex l. Dotis 3. ff. de Iure Dotium; alia quidèm, quæ mulieri conferri possunt, sed non cum habitudine ad maritum; aut si ante nuptias conferantur, erunt planè dona, aut pignora aut huiusmodi; non autem erunt dotes propriè tales: ergo si Beatis in ingressu ad gloriam dotes conceduntur, tunc temporis eorum nuptiæ cum Agno celebrantur, & contrahunt matrimonium.

Confirmatur 1. ratio facta ex definitione dotis, quam affert laudatus D. Thomas, estque huiusmodi. *Dos est perfectus ornatus animæ & corporis vitæ sufficiens in æterna beatitudine iugitèr perseverans*: sed Beati cum ad gloriam admittuntur, admittunt perfectum animæ, & corporis ornatum, eorum beatissimæ vitæ sufficientem, & in æterna beatitudine iugitèr perseverantem: ergo habent dotes propriè tales. Ergo si dotem propriè talem habere est proprium uxoris, & nuptiarum celebrationem dicit, ut probatum est: fit consequens,

quòd in ingreſſu ad gloriam nuptiæ beatorum celebrentur.

Confirmatur 2. ex ijs, quæ numer. 1. remiſsivè diximus. Si anima Sanctiſsima Chriſti, & Angeli haberent dotes rigorosè tales, forent Sponſæ de præſenti ipſius Chriſti, ſeu nuptias cum ipſo celebraſſent: ergo Beati, quibus dotes propriè conferuntur, admittuntur ad nuptias cum Agno. Antecedens certum eſt, & conſequentia legitimè infertur per poſitionem eius, cuius negatio aufert ab anima Chriſti, quòd ipſius Chriſti uxor ſit.

4. Contra factos diſcurſus, qui planè intentum ſuadent. Obijces 1. In nuptijs dos tribuitur Sponſo ad ſuſtinenda onera matrimonij: ſed Beati non gerunt figuram Sponſi, ſed Sponſæ; nam Sponſus Chriſtus eſt: ergo beatis nullæ dotes conferuntur. ¶ Reſpondetur. Quòd in matrimonio humano dos conceditur Sponſo quoad uſum, & Sponſæ quoad dominium. Vndè ſub aſsignata diſtributione eſt utriuſque proprium. Eodem modò in matrimonio ſpirituali Beatis conceduntur dotes, quæ ſunt Sponſi, quia in eius honorem, & gloriam cedunt & ſunt Beatorum, quia ijs dotibus ornantur. Sic præcitatus D. Thomas.

5. Obijces 2. Dotes non dantur ſecundùm iura à Patre Sponſi, ſed à Patre Sponſæ: ſed omnia bona, quæ Beatis conferuntur, dantur à Patre Sponſi, ſcilicèt Chriſti, iuxta illud Iacob. capit. 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum* &c. ergo talia bona non ſunt dotes.

Reſpondetur ex eodem Angelico Doctore, quòd Pater Sponſi, nempè Chriſti eſt ſola perſona Patris. Pater Sponſæ eſt tota Trinitas; quia opus ad extra ad totam Trinitatem pertinet. Vndè cum iſtæ dotes ſint opus ad extra, propriè à Patre Sponſæ conferuntur, qui eſt tota Trinitas, quæ Beatum per infuſionem ſuæ gratiæ adoptavit in Filium.

6. Obijces 3. In matrimonio ſpirituali nulla onera ſunt, quæ dotibus allevientur: ergo quòd Beatis conferantur dotes, non arguit, ipſos ad matrimonium admitti. Antecedens liquet: quia in matrimonio ſpirituali maximè ſi celebraretur in gloria, nihil eſt, quod iucundum, & glorioſum non ſit. Et conſequentia probatur. Nam ſecundùm iura ad id inſtitutæ ſunt dotes in matrimonio humano, ut onera, quæ ſecum affert, faciliùs tolerentur: ergo quòd Beatis conferantur dotes, non arguit &c.

Reſpondetur ex eodem Angelico Magiſtro: Quòd doti ex ſua natura convenit & conferre ſolatium, & removere id, quod tale ſolatium impedire poteſt. Primum habet per ſe: ſecundùm verò per accidens. Vndè poteſt reperiri ſine ſecundo; non tamen ſine primo, atque ideò in matrimonio ſpirituali non aufert onus ſolatium impediens; quia reverà tale onus non datur, ut benè obiectio ait: præſtat tamen ſolatium; quia in tali ſpirituali matrimonio datur *ſumma iucunditas, & ad hanc perficiendam iucunditatem dotes Sponſæ conferuntur, ut ſcilicèt delectabilitèr per eas Sponſo coniungatur.*

7. Sit ſecunda concluſio. *Anima hominis viatoris elevabilis eſt ad contrahendum matrimonium cum Deo. Illud tamen matrimonium æquivocè tantum, aut imperfectè habet rationem matrimonij.* Bimembris concluſio eſt, & quoad primam partem æquè communis eſt, ac præcedens. Non eſt opus Authores illam edocentes referre, tum, quia communiſsima eſt. Tum etiam, quia in ſubſequentibus plurima, eaque graviſsima teſtimonia adducemus.

Probatur ergo prima aſſertionis pars una, vel altera Scriptura, puribus alijs non adductis. Etenim D. Paulus 2. ad Corinth. cap. 11. ait: *Æmulor enim vos Dei æmulatione. Deſpondi enim vos uni viro virginem caſtã exhibere Chriſto.* Quæ verba angelicè enucleans D. Thom.

Thom. inquit: *Quasi diceret: Meritò vos æmulor Dei æmulatione, quia ego sum paranymphus huius matrimonij quod est inter vos, & Christum.* Astiterat D. Paulus tanquàm paranymphus nuptijs illis; & ideò æmulatione æmulabatur, ne illi, qui Sponsæ figuram gerebant, caderent ab altitudine illius gradus, ad quem suo ministerio elevati erant. Quod expressiùs tradidit subiungens: *Timeo autem, ne sicùt serpens seduxit Evam astutia sua: ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo Iesu.* Et explicat D. Thom. *Sicùt in matrimonio carnali cavet Sponsus, ne coniux corrumpatur carnaliter; ita Apostolus in hoc matrimonio spirituali timet, ne corrumpatur spiritualiter sensus cordis.* Est ergo secundùm hanc Scripturam vera nostræ Conclusionis prima pars.

Quæ adhùc probatur alià ab eodem Apostolo Epist. ad Ephes. cap. 5. in fine desumpta. Ibi enim Apostolus agit de matrimonio carnali, & statim inquit: *Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia. Verumtamèn & vos singuli, unusquisque uxorem suam sicut se ipsum diligat.* Hæc verba, Interprete D. Thoma, duplicem sensum habent, primum spiritualem, & litteralem secundum. Iuxta primum sensum procedens D. Thomas ait: *Si mystice exponatur, debet sic exponi littera præcedens, propter hoc relinquet homo, scilicèt Christus Patrem, & Matrem. Reliquit, inquam, Patrem, in quantum est missus in mundum, & incarnatus* Ioan. 16. *Exivi à Patre, & veni in mundum &c. & Matrem, scilicèt synagogam. Hierem. 12. Reliqui domum meam, & dimisi hereditatem meam* &c. *Et ad hærebit uxori suæ, Ecclesiæ. Matth. ultimò: Ecce vobiscum sum omnibus diebus* &c. Tradito glossemate mystico, prosequitur D. Thomas exhibens literale sic: *Consequenter argumentatur secundùm sensum litteralem exponendo prædictum exemplum. Quædam enim sunt in Scriptura veteris testamenti, quæ tantùm dicuntur de Christo. Sicut illud Psalm. 21. Foderunt manus meas &c. Et illud Isaiæ 7. Ecce Virgo concipiet &c. Quædam verò de Christo principaliter, de alijs autem in figura Christi, sicut prædictum exemplum. Et ideò primò exponendum est de Christo, & postea de alijs, & ideò dicit: Veruntamèn & vos singuli* &c.

Ex dictis satis probatum est intentum nostrum ex Sacra Scriptura, & obitèr illud etiam ex D. Thoma probavimus. Restat, ut à ratione quoque comprobetur. Plures rationes potiùs perstringemus, quàm prosequamur; quia illas levi manu attingere, fat esse, credimus. Plurimæ illarum poterunt deservire ad conficiendum unicum discursum, illumque efficacissimum.

8. Prima ratio sit ea, quà sæpè sæpiùs usi fuimus, & nullibi propriùs. Etenim anima viatoris potest in hac vita consequi beatitudinem inchoatam: ergo & matrimonium. Antecedens certum est, de illo que nullum hactenùs dubitantem vidimus. Et consequentia probatur. Beatitudo inchoata hominis sita est in matrimonio spirituali: ergo ex quo possit consequi beatitudinem inchoatam, sequitur, quòd possit contrahere matrimonium.

Secunda ratio. Homo viator potest conscendere per omnes gradus scalæ amoris: sed in uno ex illis gradibus celebratur matrimonium spirituale inter Deum, & animam hominis viatoris: ergò hic elevabilis, est ad contrahēdum matrimonium spirituale cum Deo. Consequentia bona est, & præmissæ sunt certissimæ. Vt in Isagoge lib. 3. vidimus ex D. Bernardo, Div. Thoma, & Mystico nostro Doctore, & alijs.

Tertia ratio. Vltra mysticum sponsitium datur alius gradus superior in unione fruitiva, ad quem potest viator

tor homo elevari: ſed in illo alio Superiori gradu celebratur ſpirituale matrimonium animæ cum Deo: ergo anima viatoris hominis poteſt ad tale matrimonium aſſumi. Maior conceditur ab omnibus Myſticis, cum quibus illam ſtabilivimus diſputatione præcedenti quæſt. 3. Minor continet doctrinam eorundem Myſticorum unionem fruitivam in tres gradus dividentes, & matrimonium ſpirituale in ultimo collocantes. Ex quibus bonitas illationis dignoſcitur. Sinamque in eo tertio gradu matrimonium celebratur: idem prorsùs eſt in illum conſcendere, ac matrimonium contrahere.

Ratio quarta. Homo viator poteſt pervenire ad illum ſtatum, in quo ſuum dilectum non quærat, nec de ipſius abſentia queratur, habens illum ſibi, realitèr præſentem: ergo poteſt elevari ad matrimonium ſpirituale. Illatio tenet; quia ea, quæ in antecedenti recenſentur, ſunt propria eorum, qui ad matrimonium evecti ſunt, niſi diſceptatio reducatur ad voces. Antecedens probant ea, quæ diximus diſput. præcedenti numer. 38. Vbi ex unanimi Doctorum conſenſu aſſeruimus, poſſe animam ad illum ſtatum in hac vita elevari, in quo effectivè unita Deo ſit. Tunc que manent ſuſpiria pro Dei viſione faciali: ceſſant tamen ſuſpiria, & ſolicitudines quibus priùs Deum ipſum conquirebat; quia iam præſentem habet illum, ob cuius abſentiam priùs lamentabatur, iam que in theſauro invento dulcitèr conquieſcit.

Ratio quinta. Mutuus conſenſus in matrimonium de præſenti eſt matrimonium, ad differentiam mutui conſenſus in matrimonium de futuro: ſed in hac vita poteſt anima elevari ad gradum, in quo Chriſtus, ipſa anima mutuum conſenſum præſtent de præſenti ad intimam unionem: ergo poteſt elevari ad contrahendum ſpirituale matrimonium. Cætera nota ſunt, & minorem probat id, quod de Matriarcha noſtra Eccleſia refert. Et Sancta ipſa in additione ad ſuam vitam ſcribit. Videlicèt, Chriſtum Dominum ſibi apparuiſſe, data que dextera dixiſſe: *Deinceps ut vera Sponſa meum zelabis honorem.* Si hæc non eſt promiſſio de præſenti, conſenſus que in unionem intimam, haùd facilè aſsignabitur inter contrahentes carnales conſenſus de præſenti, qui eoipſo matrimonium ſit.

9. Plures alias rationes idem convincentes prætereo, quia & plurimæ ſolidiſsimæ tibi occurrunt, & allatæ pro præſenti materia ſufficere, iudicamus. Aliquot autem Sanctorum authoritates idem comprobantes afferre, ducimus neceſſarium, ne ſine eorum luce in re adeò divina procedamus. Dictamen noſtri Angelici Præceptoris Expoſitorem agentis vidimus num. 7. Ipſius, ut Doctoris, dictamen liquet ex dictis num. 37. diſput. præcedentis. Si namque *eſt aliqua inchoatio beatitudinis in hac vita in viris perfectis*: datur quidèm matrimonium; nihil enim aliud per hoc intelligimus, niſi beatitudinem inchoatam, ut diximus num. præcedenti in prima ratione.

10. Seraphica Mat. noſtra profundiſsimè de hac ineffabili materia loquitur pluribus in locis, ac ſpaciatim Manſ. 7. Inibi cap. 2. ait: *Agamus de divino & ſpirituali matrimonio*: quamvis ingens iſte favor perfectè non poſſidetur in hac vita, quandoquidèm ſi à Deo abiungeremur, periret. Cum primùm Deus gratiam iſtam concedit, vult ſe animæ exhibere viſione imaginaria ſuæ Sacratiſsimæ humanitatis, ut benè cognoſcat, nec ipſam lateat receptio doni adeò ſuperni. Alijs perſonis forsàn hoc alitèr eveniet. Huic, de qua loquor, poſt Sacram Synaxim apparuit Dominus ſplendiſsimus, formoſiſsimus, & cum magna maieſtate, ſicut poſt Reſurrectionem, & dixit: Tempus advenit, in quo tu de meis rebus ſolicita ſis, & illas veluti propias reſpicias, quòd ſtudium tibi rependam

tuis

tuis rebus intentus, ac ſi meæ privativè forent. Alia addidit, quæ potiùs corde ſunt conferenda, *quàm vocibus evulganda.* Hactenùs Sancta Doctrix toto illo capit. & præcedenti videnda.

Addiderim dictis ea, quæ inibi docet, quibus & intentum ſuadet, & plura, quæ ad ſpiritualis matrimonij cognitionem neceſſaria ſunt, edocet: ait enim: *Quandò divina bonitas* compatiens laborum, & afflictionum, quas animæ ſibi ſpirituali ſponſatione coniunctæ pro eius amore perpeſæ ſunt, antequàm ſpirituali matrimonio ſibi cõiungat (quamvis in hac vita non ita perfectè hoc matrimonium inter Deum, & animam celebretur, quin aliquando poſsit anima à Deo ſeparari) ad propriam manſionem, ideſt animæ centrum, introducit, ubique eum ea unitur, quòd non ſolet contingere in ſpirituali ſponſatione: nam ibi ſponſa non tam ad centrum, quam ad ſuperiorem animæ partem à Deo vocari videtur. Eſt igitur magnum diſcrimen inter matrimonium, & ſpirituale ſponſalitium; quale ſolet eſſe inter contrahentes ſponſalia, & eos, qui matrimonium contraxerunt. His comparationibus utor ob maiorem claritatem, non quia in deſponſatione, aut matrimonio ſpirituali aliquid corporeum interveniat: tota enim iſta coniunctio in ſpiritu contingit. Primum igitur diſcrimen eſt, quòd in unione ſpiritualis deſponſationis, ſaltèm tempore, quo celebratur, omnes potentiarum operationes abſorbentur, eo quòd anima quaſi cæca, muta, ac ſine ullo interiori ſenſu videatur remanere; ita ut pro tunc neutiquàm poſsit ſentire, aut intelligere, quale, ac quantum ſit bonum illud, quo fruitur. Quia illa magna delectatio, qua animam perfundi ſuperiùs dictum eſt, tunc ſentitur, cum anima cognoſcit ſe Deo approximare. Cæterùm cum iam amoris brachijs, à Deo adſtringitur, eique copulatur, nihil prorsùs ſentit, quia tunc omnes potentiæ conſopitæ, & abſorptæ manent. In matrimonio autem ſpirituali alitèr contingere ſolet, quia tunc Deus potentias ante abſorptas, & quaſi ligatas ſolvit, & auferens oculorum ſquamas, permittit quòd anima percipiat aliquid de ineffabilibus bonis, quibus fruitur. Quòd quidèm mirabili modo contingit: nam animæ in illo centro manenti viſione intellectuali Myſterium Sanctiſsimæ Trinitatis, omnesque tres Perſonæ manifeſtantur: præcedit tamen hanc manifeſtationem ſuaviſsima quædam ſpiritus inflammatio, inſtar lucidiſsimæ cuiuſdam nubis, ibi que notitiâ quadam admirabili percipit, qua ratione tres Perſonæ ſint una ſubſtantia, una potentia, una ſapientia, & unus ſolus Deus; ita ut, quod fide tenemus, ibi anima (ut ita dicam) quaſi intuitivè congnoſcat.

Eſt & aliud diſcrimen inter ſpirituale matrimonium, & deſponſationem: quia in hac omnia dona, & gratias, quas anima à Deo habet, eas videtur recipere medijs potentijs, aut ſenſibus: in matrimonio autem non ſic evenit: quia cum hoc matrimonium celebretur in animæ centro, ibi immediatè Deus ſe manifeſtat quadam intellectuali, ac nobiliſsima viſione.

Datur & aliud diſcrimen: quia in matrimonio ſpirituali arctior eſt animæ cùm Deo coniunctio, ac veluti indiſſolubile vinculum: Deus enim, contracto matrimonio continuè eſt animæ præſens, tametſi non ſempèr ita clarè, & apertè, ſicut eo tempore, quo divinum hoc matrimonium fuit contractum; quia ſi aliquantulum non remitteretur, anima ſui compos non eſſet, nec poſſet circa alia occupari. Cæterùm, licèt non ita clarè, ſicùt cum ad matrimonium elevata eſt, ſempèr tamen quòd advertit, & ſe intra ſe ipſam recolligit, hanc divinam Societatem experitur: haùd ſecùs ac ſi duo eſſent ſimùl in uno cubiculo, ſi feneſtra clauderetur, quamvis non apertè videat eum, quem videbat priùs, aperte

tè tamen cognoſcit, ipſum eſſe præſentem. In deſponſatione verò myſtica frequentèr ſeparatur anima à Deo, nec ſempèr divinâ præſentiâ fruitur, ſicùt in matrimonio. *Sequenti exemplo poterit hoc* &c.

Pergit Cæleſtis Magiſtra, & exemplis rem, quam docuerat, illuſtrat, comparans ſponſalitium duobus cereis unitis, & eadem luce micantibus, & matrimonium luci in idem cubiculum per duas feneſtras ingredienti, & aquæ influvium cadenti. Circa quæ vide, quæ diximus in Iſagoge lib. 3. §. 4. Nos autem hæc modò attulimus, ut ex ipſis probaretur aſſertio, inſimul que oſtenderemus, quòd matrimonium ſpirituale celebratur in centro animæ, & non in parte ſuperiori ipſius, ſicut celebratur ſponſalitium: atque etiam inſinuaremus diſcrimina inter ſponſalitium, & matrimonium, non ſolùm pro tempore, quo celebrantur; ſed etiam poſtquam celebrata ſunt, de quo iterùm ſermo redibit.

11. Pauca ex noſtro Myſtico Doctore libabimus eandem veritatem ſuadentia. In ſua Eglog. Cant. 22. ſic pangit.

Entradoſe ha la Eſpoſa
En el ameno huerto deſeado,
I à ſu ſabor repoſa
El cuello reclinado
Sobre los dulces brazos del Amado.

Viridarium dici à ſe exoptatum anima ingreditur, matrimonium ſpirituale cum Domino contractura, ut declarat Extat. ipſe Doctor. *Quod matrimonium*, ait, *ſine comparatione ſuperat myſticam deſponſationem; eſt quippè tranſformatio totalis animæ in Amatum. in quo alteruter ſe tradit in totalem alterius poſſeſſionem. Cum quadam conſummatione unionis affectivæ, in qua transformatione anima fit divina, & Deus per participationem, quantum patitur vita præſens.* Et poſt pauca: Matrimonium ſpirituale *eſt ſtatus altior, ad quem in hac vita anima poteſt pervenire.*

Moleſtiſsimus forem, ſi omnia, quæ Sanctus Pater de matrimonio ſpirituali docet, adducere vellem. Videatur in expoſitione Cantionis datæ, & alijs pluribus in locis, quæ in elencho verbo *Matrimonium* proponit, ſicque ipſum noſtram aſſertionem edocerè, notum erit.

12. Plurima de eadem re ſcripſit mellifluus Bernardus. Nonnulla ex ipſo legere fas ſit, ſerm. 83. in Cantic. ſic loquitur: *Talis conformitas maritat animam Verbo, cum, cui videlicèt ſimilis eſt per naturam, ſimilem nihilominùs ipſe ſe exhibet per voluntatem, diligens ſicut dilecta eſt. Ergo ſi perfectè diligit, nupſit.* Et intra. *Verè ſpiritualis, Sancti que connubij contractus eſt iſte. Parum dixi, contractus, complexus eſt. Hic nexus vincit etiam, quod natura arctiùs vincit, vinculum parentum ad filios. Denique propter hoc, ait relinquet homo Patrem ſuum, & Matrem ſuam, & adhærebit Sponſæ.* Et poſtmodùm ait: *Propterea, ut dixi: Sic amare, nupſiſſe eſt: quoniam non poteſt ſic diligere, & parum dilecta eſſe, ut in conſenſu duorum integrum ſtet, perfectum que connubium, quod non eſt aliud, quam amor Sanctus, & caſtus, amor ſuavis, & dulcis, amor mutuus, intimus, validus que, qui non in carne una, ſed uno planè in ſpiritu duos iungat, duos faciat iam non duos, ſed unum.* Multa alia ex eodem Sancto Doctore, & alijs prætermitto, quia dicta ſufficiunt, ut veritas noſtræ Concluſionis pro prima ſui parte omnibus innoteſcat.

13. Secunda pars eiuſdem aſſertionis, videlicèt quòd matrimoniũ inter Deum, & animam viatoris, tantùm æquivocè, improriè, & imperfectè matrimonium eſt; nobis eſt certiſsima, & viſum fuit neceſſarium hoc exprimere, ut plurima argumenta primam partem eiuſdem Concluſionis comprimentia vitaremus. Sic enim ſecunda pars primam explicat, illam que ab ictuum

tur-

turbine redimit. In ſimul que Myſtici Scriptores ad concordiam revocantur. Quandoquidèm licèt dixerimus, quod & modò aſſerimus, primam partem eſſe communiſsimam, non deſunt, qui illi refragentur. Quippè Henric. Harphius vir in rebus myſticis verè ſapiens, negat tale matrimonium 2.part. Theologiæ Myſticæ lib. 1. cap. 19. Verba ipſius affert Author Lucernæ myſticæ tract. 5. cap. 27. in quibus ſi verè negat, dari matrimonium inter Deum, & animam viatoris, diſputare renuo, ſupponens ipſum non negare matrimonium, quod impropriè ſit, & dicatur matrimonium. Nec Expertiſsima Theſia, ad quam Author ille num. 289. confugit, ut Harphium impugnet, aliquid Lucernæ prodeſt: quia nunquàm ſuadebit, Doctricem Sanctam cenſuiſſe, tale matrimonium eſſe perfectum: quin potiùs ex verbis ipſius, quæ num. 10. dedimus, liquet, matrimonium illud, quod concedit, eſſe imperfectum. Vndè vel Harphius docet idipſum, quod alij: vel, quod, ut iam dixi, diſputare nolo, ſi contrarium doceat, debet iuxta hanc ſecundam partem noſtræ aſſertionis exponi.

14. Probatur que 1. hæc ſecunda pars fundamento eruto ex ijs, quæ Matriarcha noſtra illo num. 10. nos perſpicuè docet. Etenim matrimonium, quod eſt perfectè tale, aut eſt conſummatum, aut eſt ratum: Neutrum habet matrimonium, quo anima viatoris Chriſto unitur: ergo non eſt matrimonium verè tale. Ergo tantum æquivocè, aut impropriè matrimonium eſt. Secunda conſequentia liquet ex prima. Nihil enim aliud per matrimonium æquivocè, aut impropriè tale intelligimus, niſi matrimonium, quod perfectè non participet conceptum matrimonij. Prima conſequentia formalis eſt. Maior videtur certa, & minor pro prima parte certiſsima eſt: pro ſecunda vero probatur. Matrimonium dicitur ratum propter indiſſolubilitatem, quam præſefert. Hoc eſt enim eſſe ratum, hoc eſt, firmum, ſtabile, indiſſolubile: ſed matrimonium animæ viatoris hac indiſſolubilitate non gaudet, ut expreſiſsimè teſtatur laudata Mater noſtra; tenent que comunitèr Theologi: ergo matrimonium inter Deum, & animam viatoris ratum non eſt.

Rogas: Quid dicendum erit de Myſticis dicentibus, illud matrimonium eſſe ratum? Reſpondeo: Nos ab illis in hoc diſcedere: idem enim eſt dicere illud matrimonium eſſe ratum, ac afirmare, ſtabile eſſe inconſtans, aut indiſſolubile ſolvi poſſe. In gratiam tamen eorum (quos & in ſupetioribus nos quandoquè imitati ſumus, ubi rem exprofeſſo non verſabamus) dic, ſi placet: Quod matrimonium eſſe ratum, poteſt intelligi duplicitèr. Primò, ita ut dicat firmitatem ſibi propriam. Secundò, ita ut tantùm excludat conſummationem. Primo modo nullatenùs ratum poteſt dici myſticum matrimonium viæ propter dicta, dicenda que. Secundo modo, ſi ratum ſolùm exprimat, quòd non ſit conſummatum, poteſt quidèm utcunquè dici ratum. In hoc que ſenſu reor locutos fuiſſe illos Myſticos. Nos certum eſt, in hac acceptione deſumpſiſſe *ratum*, quotiès ſic myſticum viatoris matrimonium nominavimus, tempus præſens expectantes, quo proprium dictamen revelaremus.

Roboratur factus diſcurſus noſtrum elevantes, ac de matrimonio ſecundùm ea, quæ ſibi eſſentialitèr propria ſunt loquentes. Vbi deeſt, quod eſt eſſentiale matrimonio, non adeſt matrimonium, niſi æquivocè, aut impropriè: Matrimonio myſtico viatoris deeſt, quod eſt eſſentiale matrimonio: ergo non eſt matrimonium, niſi impropriè. Cætera liquent, & minor probatur. Inſeparabilitas eſt adeò eſſentialis matrimonio, ut ipſi de iure naturæ conveniat: Matrimonium myſticum viatoris non dicit inſeparabilitatem: ergo ipſi deeſt, quod eſt eſſentiale matrimonio. Illatio formalis eſt, minor certa, & etiam maior, quam multis in lo-

locis docet. S. Thomas in 4. dist. 33. quæst. 2. art. 1. cuius corpus sic concludit: *Et sic inseparabilitas matrimonij est de lege naturæ.*

15. Dices: Matrimonium carnale ratum est verè matrimonium: tale matrimonium non est inseparabile; cum per professionem Religiosam dissolvatur: ergo stante separabilitate inter contrahentes, stat perfectum matrimonium.

Vrgebis 1. Matrimonium carnale consummatum neutiquàm dissolubile est, nisi per mortem: ergo indissolubilitas non convenit matrimonio, quia matrimonium, aut quia ratum; sed quia consummatum est. Tunc sic: sed matrimonium mysticum viatoris non est consummatum, ut omnes supponimus: ergo quamquàm separabile sit, potest esse propriè matrimonium. Antecedens est certum, & ex illo rectè deducitur prima consequentia. Si namque matrimonium, ex conceptu matrimonij foret inseparabile, sicut ex conceptu consummati, nequiret nisi per mortem dissolvi, sicut de matrimonio consummato dictum est: ergo indissolubilitas non convenit matrimonio ex conceptu matrimonij.

Vrgebis 2. aliundè rationem factam impugnans, & factam obiectionem roborans. In lege veteri dissolvebatur matrimonium etiam consummatum: ergo matrimonium ex nullo capite dicit inseparabilitatem. Patet ista, & antecedens liquet ex libello repudij à Moyse concesso Iudæis.

Ad obiectionem, & primam urgentiam respondemus simùl animadvertentes, quòd in matrimonio adest duplex inseparabilitas, seu vinculum. Primum est spirituale; secundum carnale. Primum est ita essentiale matrimonio, ut sine illo consistere nequeat matrimonium propriè tale. Secunda inseparabilitas, seu vinculum est proprium matrimonij, ut consummati; ita ut repugnet humanum matrimonium consummatum sine inseparabilitate carnali. Matrimonium humanum utiquè per mortem dissolvitur: sed sicut illud matrimonium habet dictam duplicem inseparabilitatem: ita datur duplex mors illarum inseparabilitatum destructiva. Datur mors carnalis, & mors spiritualis. Prima est physica destructio unionis materiam, & formam copulantis. Secunda est Religio, quam qui profitetur sæculo moritur. Vndè sicut adveniente morte carnali, dissolvitur matrimonium consummatum; ita ut superstes queat ad alias nuptias transire, etiamsi consors resurgeret. Sic etiam adveniente morte spirituali per professionem Religiosam, dissolvitur matrimonium ratum, quamquàm ipsum indissolubile sit. Sempèr enim debet intelligi inseparabilitas matrimonij, sive rati, sive consummati usque ad mortem sibi directè contrariam. Quocircà sicut nullus dicet, matrimonium consummatum non esse essentialitèr inseparabile, quamquàm morte carnali dissolvatur; sic etiam nullus negare debet inseparabilitatem spiritualem matrimonij non consummati, dummodò propriè tale sit, licèt dissolvatur morte spirituali.

Tota hæc doctrina solidissima, & pro re præsenti summè idonea desumpta est ex Angelic. Præcept. qui in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 2. ait: *Ad 2. quæst. dicendum, quòd ante carnalem copulam est inter coniuges tantùm spirituale vinculum, sed post est inter eos etiam vinculum carnale: & ideò sicut post carnalem copulam matrimonium solvitur per mortem carnalem, ita per ingressum Religionis* (intellige professione sequuta) *ante carnalem copulam solvitur; quia Religio est mors quædam spiritualis, qua aliquis sæculo moriens vivit Deo.* Hanc doctrinam repetit quæstiunc. 3. dicens: *Ad 3. quæst. dicendum, quòd sicut corporalis mors viri hoc modo vinculum matrimoniale solvit; ut mulier nubat, cui vult, secundùm Apostoli sententiam: ita etiam*

etiam post mortem spiritualem viri per Religionis ingressum poterit, cui voluerit, nubere.

Solvimus obiectionem, & urgentiam, respicientes, quod & ipsæ faciunt, matrimonium humanum secundùm ea, quæ essentialia sunt illi matrimonio, quod, quatenùs consummatum non est, dicit inseparabilitatem spiritualem, quam mors spiritualis dissolvit. Eo quòd datur status altior, ad quem si aliquis ex contrahentibus ascendat, à vinculo illo spirituali liber est. Hæc de matrimonio vera sunt: nequeunt tamen mystico matrimonio convenire. Quandoquidèm sicut num. 11. audivimus à nostro Extatico Doctore hoc matrimonium *est status altior, ad quem anima in hac vita potest pervenire.* Vndè non datur status eminentior, in cuius præsentia tale matrimonium dissolvatur: nec datur mors, præter mortem culpæ, quæ illi matrimonio contrarietur. Vndè si illud desse propriè matrimonium foret, non haberet mortem, per quam dissolveretur.

Replicabis. Per peccatum, quod est mors animæ, solvitur mysticum matrimonium: ergo doctrina data falsa est. ¶ Respondetur 1. Quod si matrimonium mysticum foret propriè matrimonium, falsum supponeret antecedens, videlicèt, quòd ad illud elevatus posset peccare. Ideò enim dicimus, quòd illud matrimonium est improprium, quia actibus ipsius hominis contrahentis, non in melius, sed in deterius abeuntis, rescindi potest. Quodquidèm est contra inseparabilitatem essentialem matrimonio, quod, si consummatum sit, rescindi nequit, nisi per mortem carnalem. Et si consummatum non sit, non potest etiam dissolvi, nisi media morte spirituali conscendat unus è contrahentibus ad statum sublimiorem. Præstito enim mutuo contrahentium consensu, non manet libertas in illis ad illud, nisi modo dicto, rescindendum. Vndè quia matrimonium mysticum potest dissolvi actibus ipsius hominis contrahentis, dicimus non esse propriè matrimonium. Ex quibus.

Respondetur 2. concedendo antecedens in sensu dicto, & negando consequentiam. Non de quacunque morte intelligenda est doctrina data; sed de morte, ita dissolvente matrimonium, ut illam patientem constituat in statu sublimiori. De hac spirituali morte dicimus, quòd humanum matrimonium ratum dissolvit; & quòd relatè ad matrimonium mysticum est impossibilis propter dicta. Quòd verò mysticum matrimonium morte animæ dissolvatur, arguit quidèm ipsum non esse propriè matrimonium; sed nulla indè paritas deiumi potest ad mortem spiritualem, quæ vitam gratiæ non aufert, sed decorat.

Ad 2. urgentiam dicas: Libellum repudij permissum fuisse Iudæis ob motivum, quod Pharisæis expressit Dom. N. Iesus Christus Matth. 19. vers. 8. dicens: *Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic.* An autem qui uxores dimittebant, solummodò liberarentur à pena? An etiam à culpa liberarentur? Et alia huiusmodi, videat, qui voluerit apud D. Thomam in 4. dist. 33. tota quæst. 2. & præcipuè art. 2. Modò enim nos supponere in præsenti debemus inseparabilitatem matrimonij de lege naturæ, & quatenùs est in officium naturæ, & quatenùs Sacramentum est. Vt indè inferamus, matrimonium mysticum non esse propriè matrimonium, quia inseparabilitatem non dicit.

16. Probatur tandèm secunda pars nostræ secundæ Conclusionis. In matrimonio perfecto, etiam mystico, traditur dos: Hæc non traditur in mystico matrimonio viæ: ergo non est perfectum, sed imperfectum, & impropriè matrimonium. Maior certa est, indèque supra diximus, animam in gloria verè, & propriè contrahere matrimonium, quia tunc traduntur dotes verè, & propriè. Minor verò probatur 1.

Quia dos non traditur, donec Sponſa feratur in Sponſi domum: ſed durante ſtatu viæ, anima non introducitur ad gloriam, quæ eſt Sponſi domus: ergo. ¶ Probatur 2. Dotes matrimonij ſpiritualis incompatibiles ſunt cum ſtatu viæ: ergo in myſtico matrimonio viæ non dantur dotes. Probatur antecedens. Illæ dotes ſunt dotes gloriæ: ergo incompatibiles cum ſtatu viæ. De quo quia infrà agendum eſt, nihil modò addimus.

Probatur ultimò illa minor ex laudato D. Thoma, qui diſt. 49. quæſt. 4. art. 1. inquirit: *Vtrum ſint ponendæ aliquæ dotes in hominibus beatis?* Cui quæſito reſpondet affirmativè in hunc modum: *Reſpondeo dicendum, quod abſque dubio Beatis, quandò in gloriam transferuntur, aliqua dona divinitùs dantur ad eorum ornatum, & hi ornatus à Magiſtris dotes ſunt nominati.* Beatis igitur conferuntur dotes: non tamen in toto illo ſpatio, quo in via detinentur, ſed *quando in gloriam tranferuntur.* Vndè tunc propriè matrimonium ſpirituale celebratur. In via dantur etiam dotes, ut poſtmodùm videbimus. Sunt tamen dotes impropriè; hinc que certò colligitur, matrimonium viæ eſſe æquivocè, & impropriè matrimonium.

Clariùs autem hoc liquet ex eodem Angelico Doctore in eodem articulo, in quo contra ſuam prætatam reſolutionem conficit hoc argumentum. *Dotes non dantur niſi cauſa matrimonij: ſed matrimonium ſpirituale contrahitur cum Chriſto per fidem, ſecundùm ſtatum Eccleſiæ Militantis: ergo eadem ratione, ſi Beatis aliquæ dotes conveniunt, convenient etiam Sanctis in via exiſtentibus: ſed iſtis non conveniunt: ergo nec Beatis.* Eccè opportunitatem, qua nulla magis idonea, ut D. Thomas illius myſtici matrimonij rati meminiſſet, ſi iuxta ipſius dictamen illud matrimonium daretur. Quod nec leviſsimè inſinuat: ſed rotundè denegans concedi iuſtis ſuperſtitibus dotes, & minoris, in cuius probatione ſumus, veritatem oſtendit, & dari in via myſticum matrimonium, quod ſit propriè tale, negat. Verba ipſius ſunt. *Ad 4. dicendum, quòd dotes non conſueverunt aſſignari Sponſæ, quando deſponſatur, ſed quandò, in domum Sponſi traducitur, ut præſentialitèr Sponſum habeat. Quandiù autem in hac vita ſumus, peregrinamur à Domino 2. Corinthios 5. Et ideò dona, quæ Sanctis in hac vita conferuntur, non dicuntur dotes, ſed illa quæ conferuntur eis, quandò transferuntur in gloriam, in qua Sponſo præſentialitèr perfruuntur.* Vbi ponderare debes, quòd Dona, quæ in hac vita Sanctis conferuntur, non dicuntur dotes; ſed illa quæ conferuntur eis, quandò transferuntur in gloriam. Cur ergo? Non aliam diſcriminis cauſam reperies, niſi quòd *quandò transferuntur in gloriam*, contrahunt matrimonium, quod matrimonium propriè ſit, quod quidèm in via non contrahunt, quantumvis perfectiſsimi ſint.

§. II.

Argumenta aliqua.

17. CONtra primam Concluſionem nullum eſt argumentum, cui opus ſit occurſum ire. Prima pars ſecundæ Concluſionis plurimis, ijs que graviſsimis argumentis impugnatur, quæ difficilimè poſſent enodari, niſi ſecunda eiuſdem aſſertionis pars præceſsiſet. Immò noſtro iudicio neutiquàm ſolvi poſſent: ſtatuta autem veritate illius ſecundæ partis, ita illa omnia dehiſcunt, ut ſine diſpendio temporis protellentur. Si quæ autem difficultas in ijs enodantis ſuperſit, ex dicendis evacuabitur.

18. Contra ſecundam partem eiuſdem ſecundæ Concluſionis, argumenta ſunt maxima ex parte à Patrum de-

ſump-

ſumpta teſtimonijs, & alia, ad quorum enodationem accingimur. Arguitur 1. Quia Div. Paulus num. 7. datus, & D. Thomas illum exponens loquuntur de matrimonio perfecto: ſed illud matrimonium celebratum fuit in via; huius enim fuit Paranymphus D. Paulus: ergo matrimonium ſpirituale viæ eſt perfectè matrimonium.

Reſpondetur diſtinguendo maiorem *perfecto*, prout reſpicit Eccleſiam, concedo. Prout reſpicit individua ad Eccleſiam pertinentia, nego maiorem. D. Paulus, & ex ipſo D. Thomas loquuntur præcipuè de matrimonio Chriſti cum Eccleſia Militante, & minus principalitèr, ſeu ex conſequenti adſtruunt matrimoniũ ſpirituale Chriſti cũ anima perfecta. Matrimonium Chriſti cum Eccleſia perfectum eſt, quia habet firmitatem & indiſſolubilitatem ad verũ matrimonium exactam: non enim deficiet fides Eccleſiæ nec portæ inferi prævalebunt adverſus eam. Vndè ex hac parte non adeſt motivum, ut illud matrimonium ratum non ſit, quamquã non ſit perfectum, hoc eſt conſummatum, matrimonium autem Chriſti cum anima in via, non ſolùm non eſt conſummatum, verumetiam nec habet rationem perfecti matrimonij; eò quod non eſt indiſſolubile. Vndè ſolùm eſt quædam participatio, ſeu inchoatio veri matrimonij, ut loquuntur noſtri Salmantic. tract. 9. diſp. 2. num. 5.

Quocircà iam obſervandum eſt. Quòd matrimonium inter Chriſtum, & Eccleſiam Triumphantem, & inter animas Beatorum, eſt perfectiſsimè matrimonium, cui dotes debentur, & in quo Sponſus Sponſam, & hæc illum plenè poſsidet per viſionem intuitivam, quæ eſt actualis poſſeſsio. Matrimonium inter Chriſtum, & Eccleſiam Militantem eſt verum matrimonium ex parte, qua dicit inſeparabilitatem, & ex hac parte poteſt dici perfectum, ut illud iam nominavimus. Eſt tamen imperfectum, quatenùs Sponſum non poſsidet. Quippè poſſeſsio actualis non ſtat ſine viſione beatifica, ut docent laudati Patres. Matrimonium verò Chriſti cum anima iuſti viatoris nec eſt perfectum, propter carentiam actualis poſſeſsionis, nec eſt propriè matrimonium propter carentiam firmitatis. Vndè ſolùm eſt quædam inchoatio veri matrimonij ut iam diximus cum noſtris Salmant. loco citato.

19. Sed contrà, & arguitur 2. Licèt iuſtus ad myſticum matrimonium evectus poſsit peccare, non ſequitur, quòd illud matrimonium non ſit verè, & propriè tale: ergo matrimonium myſticum propriè matrimonium eſt. Probatur antecedens. Quamvis ille peccet, matrimonium non amittit ſuam firmitatem: ergo eſt verè, & propriè matrimonium. Patet iſta. Quia ob defectum firmitatis diximus, non eſſe propriè matrimonium. Et antecedens probatur. Sicut homo ad matrimonium elevatus unitur Deo; ſic etiam unitur ipſi homo mediante Baptiſmo, & Profeſsione Religioſa, & etiam per Sacrorum Ordinum ſuſceptionem. Vt diſp. præcedenti diximus, iam que in Ilagoge lib. 3. §. 4. prius dixiramus: ſed quamquàm homo peccet contra fidem in Baptiſmo ſuſceptam, contra Ordines Sacros, & contra Profeſsionem emiſſam, nemo dicet, ſtatus illos non eſſe ratos: ergo.

Reſpondetur negando duo prima antecedentia; ad probationem ſecundi nego maiorem. In baptiſmo ſiquidèm, & Ordine ſuſcipit homo characterem, qui eſt ſignum indelebile animæ impreſſum. Profeſsio etiam Religioſa eſt ex ſe invariabilis. Vndè quantumvis homo peccet, nunquàm poteſt non eſſe Baptizatus, Ordinatus, & Religioſus. In matrimonio ſpirituali viæ contrarium evenit: quia peccatum deſtruit illud. Vndè vel dicendum eſt, hominem viatorem Deo per matrimonium coniunctum non poſſe peccare, quod communi Doctorum ſententiæ refragatur. Vel tenendum eſt, quòd talis ſtatus ratus deſe non eſt.

20. Dices : D. Thomas apud Bergomenſem verbo *Matrimonium* 62. inquit, *quòd matrimonium non imprimit characterem, ſed convenit cum imprimentibus eum ratione inſeparabilitatis* : ergo quoad inſeparabilitatem idem iudicium ferendum eſt de matrimonio, ac de Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine.

Reſpondetur D. Thomam loqui de matrimonio humano ; & ſi de myſtico ab aliquo intelligatur, erit de myſtico, ſeu ſpirituali conſummato. Hoc utiquè indiſſolubile eſt, & tali indiſſolubilitate gaudet, ut nec peccare queat, qui ad illud ſublimatus eſt. Matrimonium humanum, ſeu carnale eſt eſſentialitèr inſeparabile, quia tametſi uxoratus, etiam contra ipſum matrimonium, delinquat, ſemper tamen uxoratus manet. Et hæc eſt ratio, ob quã matrimonio ſpirituali viæ proprium matrimonij conceptum denegamus: quia videlicèt, diſparet in conſpectu peccati.

21. Arguitur 3. Deſponſatio myſtica eſt propriè deſponſatio : ergo matrimonium myſticum eſt propriè matrimonium. Antecedens certum eſt, & conſequentia probatur à paritate verſante inter ſponſalitium & matrimonium myſticum cum deſponſatione, & matrimonio carnalibus. Probatur 2. Conſequentia eò deſponſatio myſtica eſt verè deſponſatio, quia Cæleſtis ſponſus, & anima præbent in ea mutuum conſenſum ad futurum matrimonium, poſt quem conſenſum ſponſus interdùm animam viſitat, illamque muneribus honorat, quæ omnia contingunt inter Sponſos terreſtres : ſed etiam cum celebratur myſticum matrimonium adſunt ea, quæ dantur in matrimonio humano, videlicèt mutua promiſsio de præſenti, & dotis traditio, ut contigit Seraphic. Matri noſtræ quam Dominus clavo dexteræ ſuæ dotavit: ergo &c.

Reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Diſcrimen eſt, quòd deſponſatio ex conceptu deſponſationis non dicit firmitatem; & ideò ex mutuo conſenſu, & etiam ob alia motiva reſcinduntur ſponſalia. Matrimonium autem, ut dictum eſt, eſt eſſentialitèr firmum. Vndè poteſt deſponſatio myſtica contrahere conceptum proprium deſponſationis, & nequit myſticum matrimonium habere conceptum proprium matrimonij ob defectum illius, quod eſt matrimonio eſſentiale.

Ad 2. conſequentiæ probationem conceſſa maiori, negetur minor. Licèt enim in matrimonio myſtico viæ aliqua, quæ in matrimonio concurrunt, reperiantur, ob quod dicitur utcunquè matrimonium : deeſt tamen id, quod eſt eſſentiale matrimonio, nempè indiſſolubilitas. Deeſt etiam dotis elargitio : nec illud, quod de Seraphica Mat. noſtra dicitur, contrarium ſuadet: quia clavus ipſi à Chriſto datus non fuit dos. Tum : quia dotem non dat Sponſus, ſed Sponſa. Tum : quia licèt quandoquè ob nimium amorem, quo flagrat, Sponſus tribuat Sponſæ dotem, ut concedit S. Thomas citata diſt. 49. in præſenti hoc verum eſſe nequit: quia, ut ab ipſo Sancto Doctore audivimus num. 16. *Dona, quæ in hac vita Sanctis conferuntur, non dicuntur dotes; ſed illa, quæ conferuntur eis, quandò tranferuntur in gloriam.* Tum deniquè: quia, ut in officio eiuſdem Sanctæ dicitur in ipſius perſonæ, clavus ille non fuit dos, ſed arrha : *Clavo dexteræ tuæ ſub arrhaſti me Domine.* Arrha fuit, ſeu pignus, quia pignus, & arrha queunt in viatoribus reperiri. Spiritu Sancto ipſis dona infundente, quæ arrhæ, & pignus ſint. Circa quæ audiendus eſt D. Thomas angelicè Div. Paulum exponens, & omnia dicta, & præſertim diſcrimen inter myſticum ſponſalitium, & matrimonium ſpirituale confirmans.

Ad Epheſios capit. 1. lect. 5. ait Apoſtolus, quod Spiritus Sanctus *eſt pignus hæreditatis noſtræ.* Modò D. Tho-

Thomas: *ſed, ut dicitur in Gloſ. alia littera habet: Qui eſt arrha hæreditatis: & fortè meliùs quia pignus eſt aliud à re pro qua datur, & redditur poſtquàm ille, qui pignus recipit rem ſibi debitam recipit. Arrha autem non eſt aliud à re, pro qua datur; nec redditur, quia datur de ipſo pretio, quod non eſt auferendum, ſed complendum. Deus autem dedit nobis charitatem tanquàm pignus per Spiritum Sanctum, qui eſt ſpiritus veritatis, & dilectionis. Et ideò huiuſmodi non eſt, quàm quædam particularis, & imperfecta participatio divinæ charitatis, & dilectionis, quæ quidèm, non eſt auferenda, ſed perficienda, ideò magis propriè dicitur arrha, quàm pignus. Tamen poteſt nihilominùs & pignus dici. Nam per Spiritũ Sanctũ Deus nobis diverſa dona largitur, quorum quædam manent in patria, ut charitas, quæ nunquàm excidit, primæ Corinth. 12. Quædam verò propter ſui imperfectionem non manent, ſicut fides, & ſpes, quæ evacuabuntur, ut ibidèm dicitur. Sic ergo Spiritus Sanctus dicitur arrha per reſpectum ad ea, quæ manent: pignus verò per reſpectum adea, quæ evacuabuntur.* Egregiè quidèm Spiritus Sanctus ſeu dona ab ipſo iuſtis infuſa ſunt pignora, aut arrhæ iuxta exhibitam diſtributionem. Sed ſive pignus, ſive arrhæ ſint, non pugnant cum viatoris ſtatu; ſed pignus morte evacuatur, & arrha in patria perficitur. Dotes autem propriè tales pugnant cum ſtatu viatoris. Quocircà in via non datur matrimonium ſpirituale, quod propriè tale ſit, & datur propriè myſtica deſponſatio, quia verè anima à ſuo Sponſo recipit munera, quæ Sponſæ ſtatui correſpondet.

21. Arguitur 4. Matrimonium myſticum conſummatum eſt perfectè, & propriè matrimonium: In hoc exilio conſummatur: ergo in eo perfectum eſt. Minor probari poterat innumeris Sanctorũ dictis. Nonnulla libabo. In primis D. Bernardus ſerm. 85. in Cant. ait: *Quandò videris animam, relictis omnibus, verbo votis omnibus adhærere, verbo vivere, verbo ſe regere, de verbo concipere, quod pariat verbo, quæ poſsit dicere: Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum, puta coniugem, verbo que maritatam.* De eodem viæ myſtico matrimonio loquutus ſubiungit: *Attende in ſpirituali matrimonio duo eſſe genera pariendi.* ¶ Secundo Div. Laurent. Iuſtinian. lib. de caſto connubio cap. 25. inquit. *Thalamus quidèm nuptialis eſt, in quo caſta verbi, & animæ connubia conſummantur & tanquàm in ſede propria ſuavitèr reſidet ſapientia.*

Tertiò Dionyſ. Carthuſ. libr. de Fonte lucis art. 16. dicit: *Deus ſublimis cum viderit mentem hominis ſpiritualis zelo iuſtitiæ penetratam, claritate flammigeram, puritate, ac omni virtute fulcitam, ad divina fortitèr aſpirantem, mòx dignatiſsimè exuberantiſsimè, amoroſè, ac frequentiſsimè ei occurrit &c. Et tanquam amicam, ac ſponſam apprehendit fœcundat & ſibi adſtringit.* Plura alia prætereo idèm ſignificantia, quia dicta ſufficiunt, ut illius minoris veritas comprobetur.

Confirmatur. Tunc myſticum matrimonium conſummatum eſt, & perfectum, quandò anima in centro ſuo à ſe diligentiſsimè deſiderato conquieſcit, nihilque habet, quod ulterius requirat: Hoc habet illud matrimonium in via: ergo in illa perficitur, & conſummatur. Minor, in qua eſt difficultas, pluribus probari poterat; ſed unum Gerſonem audiamus tomo 3. de Myſt. Theologia pract. conſiderat. 42. ſic dicentem: *Cum res quælibet ſit ſatiata, & inquiete, tunc perfectionem ſuam adepta videtur; & cum ſpiritus noſter in hac myſtica unione coniungatur ſummo perfectibili; nempè Deo per amorem perfectum, neceſſe eſt, ut ibi quietetur, ſatietur, & ſtabiliatur: ſic materia in forma habita, ſic lapis in centro poſitus, ſic*

res

res quælibet in adepto fine ſuo quietatur. Anima quippè rationalis, dum coniungitur, & unitur Deo, copulatur ſummo bono. Eſt enim Deus ſummum bonum eius, eſt centrum eius, finis, totaque ipſius perfectio. Quid ergo aliquidaliud ipſa requireret? Aut ad quid aliud ulteriùs inhiaret?

Reſpondetur argumento negando minorem, quam nulla ex inductis authoritatibus evincit. Non primà, illà enim D. Bernardus ſolummodò ſignificare vult, quòd anima Deo in matrimonium coniuncta habet ab ipſo Deo auxilia ſublimiſsima, quorum virtute producit actus nobiliſsimos cognitionis, & amoris, alios que, qui verè dicuntur animæ, ipſos producentis, filij: hi que filij ſunt, quos anima de verbo concipit, & verbo parit. Similitèr vi eorundem auxiliorum anima ad faſtigium tantæ perfectionis elevata exempla nobiliſsima heroicarum virtutum proximis offert, quæ æmulentur, & ad virtutis templum aliciantur. Sic que anima illa perfectiſsima fit Mater omnium eorum, quos inſtruit. Sicùt Chorinthiorum Pater ſe ipſum appellavit D. Paulus 1. ad Corinth. cap. 4. dicens: *In Chriſto Ieſu per Evangelium ego vos genui.* Et hæc ſunt duo illa genera pariendi, de quibus in ſecundo teſtimonio loquitur idem Sanctus Doctor. Ad hoc autem neceſſarium non eſt, quòd matrimonium myſticum perfectum, & conſummatum ſit. Nec illud conſummatur, aut perficitur extra gloriam. Per quæ patet ad Carthuſiani authoritatem. D. Laurent. Iuſtinian. per ly *conſummatur* idem intelligit, ac *celebratur*, ſeu fortè intelligendus eſt de conſummatione, ac perfectione viæ, quæ perfectio, & conſummatio imperfectæ prorsùs ſunt relatè ad conſummationem, & perfectionem ſimplicitèr, quibus matrimonium illud gaudet in gloria. Sic que interpretandi ſunt alij plures Sanctorum, & Doctorum textus eodem modo procedentes.

Gerſon in confirmatione adductus egregiè explicat quietem, qua anima fruitur, dum poſt tot toleratos labores Sponſum invenit, illumque in cubiculum genitricis ſuæ introducens ei per myſticum matrimonium copulatur. Hæc felix anima non habet quid ulteriùs in via requirat, cum Sponſum invenerit, pro cuius unione ſuſpirabat. Suſpirat tamen adhùc pro intuitiva viſione ipſius Sponſi; quia uſque dùm illum conſequatur, non eſt ei perfectè unita, nec celebratur myſticum matrimonium perfectum. Vndè illud adeò eloquens Gerſonis teſtimonium nobis contrarium non eſt.

****
***

§. III.

Difficile argumentum propoſitum, & enodatum.

23. VLtimò arguitur. Matrimonium myſticum viæ eſt indiſſolubile: ergo eſt perfectè matrimonium. Patet iſta. Ideò enim denegavimus illi matrimonio perfectionem, quia ſolubile eſſe diximus. Probatur antecedens. Illud matrimonium ſecum affert confirmationem in gratia: ergo eſt indiſſolubile. Bona eſt conſequentia. Quia ſi tale matrimonium diſſolubile foret, non aliundè hoc haberet, niſi à peccato, quod per donum confirmationis ſupponi debet excluſum. Antecedens autem probatur expreſiſsimo teſtimonio Myſtici noſtri Doctoris, qui in ſuo Epithalamio exponēs primum verſum Cantilenæ 22. inquit: *Reor, matrimonium ſpirituale nunquàm celebrari, quin anima ad illud elevata confirmata ſit in gratia.* Nil clarius dici potuit in probationem antecedentis. Quod adhùc probari poteſt ex alijs ab eodem Sancto Doctore inibi aſſertis, ut quòd matrimonium illud ſit *transformatio totalis animæ in Deum.* Et etiam: *Poſſeſsio totalis contrahentium inter ſe.*

Con-

Consummatio unionis, in qua anima redditur divina, & Deus per participationem. Ac tandèm comparat hoc mysticum matrimoniũ cum matrimonio materiali cõusmmato, ait que, quòd sicùt per hoc fiunt contrahentes una caro: sic etiam per illud fiunt unus spiritus, quò respexit D. Paulus 1. ad Corinth. capit. 6 vers. 17. dicens: *Qui autem adhæret Deo unus spiritus est.* Ex quo hoc efficax argumentum conficitur. Sicut in matrimonio corporali è duobus resultat una caro, sic in matrimonio spirituali è duobus resultat unus spiritus: sed matrimonium corporale, ex quo duo fiunt una caro, est perfectè matrimonium: ergo matrimonium spirituale viæ, in quo duo fiunt unus spiritus, perfectum matrimonium est.

Hoc argumentum difficile multum est propter primam illam authoritatem N. Doct. Mystici, cui totum ipsius robur innititur. Et non mirari haùd possum altum silentium, quod nostrates erga illam authoritatem observant. Disputant nervosissimè de mystico matrimonio nihil fermè in tactum relinquentes: de illa verò authoritate nec verbum quidem vidi. Forsàm non est adeò in nostram assertionem urgens, ut tarditas mea censet. Nos autem illam præterire noluimus, sed adducere, ut à sapientibus exponatur. Circa hoc tamen plura faciam. Primum erit; ostendere brevitèr, animam ad matrimonium assumptam peccare posse. Et hoc præscindendo ab argumento facto. Secundum erit, solvere argumentum permittentes animam ad matrimonium elevatam confirmari in gratia. Tertium erit explicare talem confirmationem. Quartum denique erit, mentem nostri Theodidacti Parentis, si potuerimus, exponere.

Deo auspice, circa primum dico: Animam Deo per matrimonium spirituale unitam posse peccare. Hæc resolutio certissima nobis est, illamque docent nostri Salmantic. tract. 9 disp. 2. numer. 5. dicentes: Matrimonium spirituale viæ esse quandam participationem, seu inchoationem matrimonij spiritualis consummati in Cælo, *quæ licèt non excludat arbitrij vertibilitatem, nec proindè pertingat ad unionem cum Deo omninò indissolubilem, sicùt pertingit unio, quæ fit in patria; est tamen arctior earum, quarum anima videtur capax in hac vita.* Plura his doctissimi isti Theologi tradunt. Quia unio habita in matrimonio spirituali est *arctior earum quarum* &c. Idcircò tot encomijs extollitur, cum unione in gloria habita veluti æquivocatur, ac demùm dicitur matrimonium. Quia verò *non pertingit ad unionem cum Deo omninò indissolubilem; ideò non excludit arbitrij vertibilitatem*; ac proindè nec est omninò indissolubilis, nec per consequens conceptum matrimonij propriè talis sortitur. Nec in observatum relinquere volumus, quòd hi gravissimi Theologi appellent matrimonium spirituale viæ *participationem quandam, seu inchoationem* matrimonij in patria consummati: quo demonstrant, esse ad ipsorum mentem secundam partem nostræ secundæ assertionis, quam modò ab argumentis vindicamus. Quod sic brevissimè ostendo. Matrimonium ratum non est *participatio quædam, seu inchoatio* matrimonij consummati; sed est verum, & proprium matrimonium, ut per se notum est: sed matrimonium spirituale viæ dicitur à prædictis Patribus *participatio quædam, seu inchoatio* matrimonij spiritualis consummati in patria: ergo iuxta ipsorum mentem matrimonium spirituale viæ non est propriè matrimonium. Hoc obitèr observare voluimus. Modò autem inceptum prosequentes dicimus:

Præfatos Theologos suam illam doctrinam de arbitrij vertibilitate in matrimonio spirituali viæ desumpsisse ex Seraphica Mat. nostræ, quæ illam ubiquè docet, ut liquet ex testimonijs, quæ num. 10. dedimus, quibus addimus verba ipsius in illo capite 2.

ex

ex manſ. 7. quæ proprio idiomate ſic ſe habent. *Parece que quiero decir, que en llegando el alma à hacerle Dios eſta merced eſtà ſegura de ſu ſalvacion, y de no tornar à caer. No digo tal; y en quantas partes tratàre de eſta materia, que parece eſtà el alma en ſeguridad, ſe entiende, mientras la Divina Mageſtad, la tubiere aſsi de ſu mano, y ella no le ofendiere.* Verba hæc latinitati donata exhibere nolumus, ne aliquid eorum eloquentiſsimæ proprietati derogaſſe videamur. Conſtat igitur ex dictis Sanctiſsimam Thereſiam edocuiſſe, animam viatoris ad matrimonium ſpirituale elevatam peccare poſſe.

24. Ad 2. ex ijs, quæ promiſsimus accedentes facto argumento reſpondebimus permittentes animam viatoris, dum matrimonium ſpirituale contrahit, accipere donum confirmationis in gratia: quod permittentes adhùc dicimus, tale matrimonium ſpirituale non eſſe propriè matrimonium. Et hoc ob duplex motivum. Primum eſt illud, quod hactenùs proſecuti ſumus. Videlicèt ſeparabilitas illius matrimonij, cui non occurritur per ſtabilitatem ortam à dono confirmationis. Vndè in forma reſpondens diſtinguo antecedens, *indiſſolubile* per ſe, nego, aliundè, ſeu concomitantèr, permitto. Ad probationem ſimilitèr diſtinguo antecedens, *affert* per ſe, nego: concomitantèr, permitto. Itaquè licèt demus, animam viatoris ad myſticum matrimonium ſublimatam in gratia confirmari: illa confirmatio nulla ratione probabitur, convenire unioni illi perſe, & ex ſe: quarè, ſi illam habet, aliundè illi convenit. Vndè merè concomitantèr reperitur in myſtico matrimonio viæ. Et per inſeparabilitatem extrinſecam, ſeu concomitantem non acquiritur intrinſeca indiſſolubilitas, qualem ex ſe, & eſſentialitèr exigit matrimonium. Vndè ſempèr matrimonium illud remanet imperfectum in ratione matrimonij. Non enim poteſt habere perfectè, & propriè rationem matrimonij, quòd ex ſe, & eſſentialitèr non eſt firmum; nec poteſt eſſe eſſentialitèr firmum, quod firmitatem ab adiuncto dono emendicatam habet. Quarè iuxta hanc viam procedentes authoritatem Extatici noſtri Doctoris admittimus; illà tamen non infringi aſſertum noſtrum, data diſtinctione dicimus.

Quod autem confirmatio in gratia, pro nunc permiſſa, tantùm concomitantèr conveniat matrimonio ſpirituali viæ indè liquet. Quòd illa confirmatio non eſt prædicatum eſſentiale, aut intrinſecum gratiæ hominem ad matrimonium elevantis: nec à prædicatis intrinſecis illius gratiæ exacta eſt, nedùm neceſſariò, verùmetiam nec titulo condecentiæ: quæ urgentèr probantur in hunc modum. Etenim gratia, de qua loquimur, non eſt perfectior gratia, qua conſtituebatur ſtatus iuſtitiæ origineæ; immò hæc illi in multis præſtabat; ſufficiat meminiſſe perfectiſsimæ ſubiectionis, qua pars inferior ſuperiori ſubdebatur, orta ex mirabili ſubiectione partis ſuperioris ad Deum, ratione cuius homo illà gratià decorus non poterat iuxta Thomiſticum dogma venialitèr delinquere, manente ſubordinatione portionis ſuperioris ad Deum. Quod quidèm non evenit in gratia matrimonij ſpiritualis viæ. Quandoquidèm illà ornati poſſunt peccare, & peccant venialitèr, ut infrà videbimus. Quocircà, cum videamus gratiam ſtatus iuſtitiæ originalis caruiſſe dono confirmationis in gratia, uti Adami caſus felicitèr lamentabilis demonſtrat, nullum fundamentum nobis relinquitur, ut talem confirmationem debitam eſſe, adhùc titulo condecentiæ, gratiæ ad matrimonium viatorem elevanti, dicamus.

Adde 1. & urgentèr. Hominem in ſtatu iuſtitiæ originalis præditum fuiſſe contemplatione perfectiſsimà more Angelorum habità, quæ etiam aliquandò adeò ſublimis fuit, ut ab aliquibus

Sanc-

Sanctis (quòd D. Thomas ipse permittit) facialis censeatur. Quod affatim manifestat fastigium excelsum illius felicissimi status. Et tamen gratia constitutiva illius ex se non petebat donum confirmationis; si namquè illud, adhùc titulo condecentiæ, peteret, absdubio Deus, qui adeò indulgentissimus fuit cum illo statu, illam concessisset: multò ergo minus petit confirmationis donum gratia viæ constitutiva status spiritualis matrimonij: undè si illud habet, non est ab ipsa petitum, sed aliundè concomitantèr habitum.

Adde 2. & urgentiùs. Quamquàm matrimonium spirituale viæ *statum* nominemus; hoc intelligendum est mysticè: nam Theologi solummodò tres status recognoscimus de facto in natura: eorum primus est iustitiæ originalis: secundus naturæ lapsæ: & tertius naturæ reparatæ: sed si gratia constituens statum matrimonij spiritualis diceret esse, aut per se peteret donum confirmationis, constitueret statum differentem ab ijs tribus: ergo status naturæ essent de facto quatuor contra communē sententiam Theologorum. Tota difficultas sita est in minoris probatione, quam luculentissimè exhibent nostri Salmant. tract. 14. cap. 2. num. 41. sub hac forma: *Ad 3. respondetur in quolibet statu solùm considerandà esse, quæ perse illi competunt, & quæ ex vi formæ, vel quasi formæ talis status constitutivæ postulantur. Non est autem huiusmodi impeccabilitas, aut confirmatio in gratia, sivè pro statu iustitiæ originalis, sive pro statu gratiæ viæ, quia neque hæc gratia, neque illa iustitia id postulat. Et ideò quòd Deus prædictam confirmationem, & impeccabilitatem, si vellet, Adamo conferret, & aliquibus viatoribus de facto conferat, non variat essentialitèr prædictos status; neque novum statum constituit.*

Hactenùs doctissimi isti suà præclarà doctrina omnia, quæ diximus roborātes. Quandoquidèm ad statum considerandà sunt, *quæ perse illi competunt & quæ ex vi formæ, aut quasi formæ talis status constitutivæ postulantur*; non verò, quæ aliundè, & ab extrinseco impertiuntur. Iustitia autem originalis, & gratia nostra in via tales sunt, quòd neque illa iustitia postularet ex se impeccabilitatem, neque ista gratia postulet esse donum confirmationis. Vndè si homini primo concessisset Deus impeccabilitatem, aut confirmationem in gratia, non adhùc spectaret ad statum diversum ab eo, quem ante peccatum habuit; sicùt nec homo pertinens ad statum naturæ sanatæ statum mutat, si in gratia confirmetur. Ratio que iam data est: quia videlicèt, illa impeccabilitas, aut confirmatio non esset per se exacta, sed ab extrinseco infusa. Est ergo verum, & quòd si gratia statùs matrimonij spiritualis postularet esse confirmationem in gratia, statum Theologicè novum constitueret diversum à tribus communitèr receptis; & quòd talem confirmationem ex se non petit; sed ab extrinseco habet, si verum est, quòd illam sempèr habeat, uti videtur edoctum in obiecta authoritate, quæ, tametsi, prout iacet, admittatur, nobis contraria non est.

25. Secundum motivum, ob quod matrimonium animæ in gratia confirmatæ non esset propriè matrimonium, affertur à nostris Salmant. loco citato ex tractatu 9. etenim de ratione matrimonij propriè talis est unio actualis contrahentium; sine hac enim actuali unione dabitur quidèm unio intima, quæ sit veri matrimonij inchoatio; non tamen dabitur verum matrimonium: sed gratia viæ, quantuncumquè perfecta asseratur, solummodò habitualitèr, & radicalitèr unit animam Deo, & ut inibi, & disp. præcedenti dub. 1. docent laudati Theologi: ergo licèt illa gratia donum confirmationis haberet, animam Deo tantùm radicalitèr uniret: quod ad matrimonium propriè tale haùd sufficit,

Si dicas: Potest Deus in sui amore actuali confirmare viatorem, ut certum est de Sanctissima anima Christi Domini, & credimus de Beatissima Virgine: ergo ad minus in hoc casu matrimonium spirituale viæ erit propriè matrimonium.

Respondent dicti Patres numer. 6. Non quamlibet unionem, etiam actualem, sufficere ad matrimonium propriè tale; sed requiritur talis actualis unio, qua Sponsus Sponsam, & hæc Sponsum actualitèr possideat. Si anima confirmaretur in amore actuali Sponsi, non adhùc illum posideret; quia illum non intueretur, & necessaria est facialis intuitio Sponsi, ut anima illum actualitèr possideat: eò quòd licèt Deus animam per amorem possideat, non possidetur ab ea, nisi intuitivè videatur. Vndè nec ipsa Beatissima Virgo, quamvis ineffabili amore ignita, perfectum matrimonium cum Deo contraxit donec in regna siderea conscendit. Christus Dominus, quia adhùc in via comprehensor erat; ideò ab instanti suæ Sanctissimæ Conceptionis eius Sacratissima anima Deum actualitèr possedit.

26. Solvimus argumentum, quæ huic doctrinæ ansam præbuit, primò à negatione doni confirmationis in anima viatoris ad matrimonium spirituale sublimatà. Iuxta quem modum neganda sunt duo prima antecedentia. Secundò etiam tali dono concesso, & sic illa duo antecedentia distinguenda sunt, & authoritas obiecta est explicanda, sicùt fecimus num. 24 Ast quia nostrum studium non solùm argumenti enodationem intendit; sed etiam ad aperiendam mentem N. Mystici Doctoris dirigitur; idcirco accedamus oportet ad explicandum, in quo consistat donum confirmationis in gratia.

De dono confirmationis in gratia solent disputare Theologi 1. 2. ubi nost. Salmant. tract. 14. disp. 3. dub. 11. toto §. 5. eadem materiam versant. De illa solidissimè agit Div. Thom. de veritate quæst. 24. præcipuè art. 9. in quo docet, quòd duplicitèr potest aliquis in bono confirmari. Primò simplicitèr. Tunc quæ hoc evenit, quandò confirmatus habet in se sufficiens principium suæ impeccabilitatis, aut firmitatis. Sicque solummodò Beati sunt confirmati in bono: quia sola gratia consumata potest esse principium intrinsecum simplicitèr firmans intellectum ad verum, & voluntatem in bono. Vndè huiusmodi confirmatio non est in superstitibus inquirenda. *Alio modò*, ait Angelicus Doctor, *dicuntur aliqui confirmati in bono per hoc, quòd eis datur aliquod munus gratiæ, quo ita inclinantur in bonum, quòd non de facili possunt à bono deflecti: non tamen per hoc ita retrahuntur à malo, quin omninò peccare non possint, nisi divina providentia custodiente.* Hanc eandè doctrinã in fine corporis repetit dicens: *Per gratiam viæ ita potest homo bono astringi, quòd non nisi valdè de difficili peccare possit per hoc, quòd ex virtutibus infusis inferiores vires refrenantur, & voluntas in Deum fortiùs inclinatur, & ratio perficitur in contemplatione veritatis divinæ, cuius continuatio ex fervore amoris proveniens hominem retrahit à peccato: sed totum, quòd deficit ad confirmationem, completur per custodiam divinæ providentiæ in illis, qui confirmati dicuntur, ut scilicèt quandocumquè occasio peccati se ingerit, eorum mens divinitùs excitetur ad resistendum.*

Habemus ergo ex dictis dari confirmationem simplicitèr talem, consistentem in gratia adeò eminente, ut ab intrinseco habeat, quòd habentem reddat impeccabilem, & hæc perfectissima confirmatio nullibi, præterquàm in Beatis, reperitur. Habemus etiam dari confirmationem minus perfectam, quæ in duobus consistit, primùm est gratia valdè nobilis, qua *ita potest homo bono astringi, quod non nisi valdè de difficili peccare possit* &c. ut modò audivimus ex Div. Thoma. Qui loqui videtur de gratia ad matrimonium spirituale elevante animam viatoris, ut liquet ex

ijs

iis verbis: *Ex virtutibus infusis inferiores vires refrenantur, & voluntas in Deum fortiùs inclinatur, & ratio perficitur in contemplatione veritatis divinæ, cuius continuatio ex fervore amoris proveniens hominem retrahit à peccato.* Qui hæc dicit, non loquitur de quacumque gratia viæ, sed de gratia adeò eminenti, ut illà fulgens *non, nisi valdè de difficili, peccare posit.* Et hæc planè est gratia, qua anima viatoris evehitur ad matrimonium spirituale. Vndè istam gratiam habens potest dici confirmatus in gratia, si attendatur id, quod donum confirmationis habet ab intrinseco; non autem, si consideretur secundùm, quòd debet dicere viæ confirmatio. Videlicèt custodia divinæ providentiæ, qua confirmati, *quandocunquè occasio peccati se ingerit, eorum mens divinitùs excitetur ad resistendum.* Sine qua excitatione possibilis est casus habenti illam perfectissimam gratiam; quia iudicium rationis quandoquè intercipitur; ad quam interceptionem præcavendam necessaria prorsùs est protectio divina mentem excitans. Videatur Aug. Doctor toto illo art. hæc profundissimè edisserens.

27. Igitur donum confirmationis viæ dicit unum ab intrinseco, & ab extrinseco aliud. Ab intrinseco dicit gratiam perfectissimam, quam ex D. Thoma descripsimus. Ab extrinseco dicit custodiam divinæ providentiæ. Ex his duobus consurgit completa confirmatio viæ, quæ impeccabilitatem secum affert, & qui illà gaudent, sunt adæquatè confirmati in gratia, & impeccabiles. Ille verò, qui habet donum confirmationis secundùm id, quod sibi intrinsecum est, non est utiquè adæquatè confirmatus in gratia; verùm congruè potest dici in gratia confirmatus. Tum: Quia ex hoc quòd *non nisi de difficili, peccare posit*, aliquam impeccabilitatem contrahit: difficultas quippè illa aliquo modo impeccabilitas est. ¶ Tum etiam, & urgentèr, Quia sicut firmitas in bono est confirmatio in gratia, sic firmitas in malo est confirmatio in culpa, seu obstinatio: sed in eadē disputata quærens D. Thom. art. 11. *Vtrum hominis liberum arbitrium in statu viæ possit esse obstinatum in malo?* Respondet, quòd esse aliquem propriè obstinatum in malo, est idem, ac non posse cooperari ad hoc, quod à peccato resurgat, quod dupliciter evenit. *Vno modo ita, quòd nullo modo possit cooperari: & hæc est perfecta obstinatio, qua Dæmones sunt obstinati* &c. *Alio modo ita, quòd non defacili possit cooperari ad hoc, quòd exeat de peccato. Et hæc est obstinatio imperfecta, qua aliquis potest esse obstinatus in statu viæ: dum scilicèt habet a iquis ita obstirmatam voluntatem inpeccato quòd non surgunt motus ad bonum, nisi debiles. Quia tamen aliqui surgunt, ex eis datur via, ut præparentur ad gratiam.* Confer verba ista, quæ de obstinatione affert Div. Thomas, cum illis, quæ de confirmatione in bono dixit, & mirabor, si concedens, quòd propriè, licèt imperfectè, est obstinatus in malo viator, qui *non defacili potest cooperari ad hoc quòd exeat de peccato*; negaveris, quòd non potest propriè, licèt imperfectè, dici confirmatus in bono ille, qui *non, nisi de difficili, peccare posit.* Ergo habens gratiam, qua *non, nisi de difficili, peccare posit*, quæ est gratia, qua fulget anima ad matrimonium admissa, est propriè, licèt imperfectè, confirmatus in gratia. ¶ Tum deniquè, urgentissimè. Quia insuetum non est, immò usitatissimum in Schola exponere textus Sacræ Scripturæ, Summor. Pontificum, Conciliorum, Sanctor. Patrum, Theologorum, & aliorum Doctorum, quibus assurgere par est, per hoc, quòd rem, de qua agunt, sumant propriè; aut impropriè: perfectè, aut imperfectè: adæquatè, aut inadæquatè &c. & hoc tantùm principio possemus argumentum unico verbo solvere, noluimus tamen ea, quæ ipsius occasione

dicta sunt, prætermittere. Liquet ergo ex his, quòd confirmatio in gratia potest sumi perfectè, & adæquatè, hoc est, secundùm ea, quæ tam ab intrinseco, quàm ab extrinseco dicit: & potest sumi imperfectè, & in adæquatè, hoc est, secundùm ea, quæ solùm ab intrinseco habet, circumscripto eo, quod ipsi convenit ab extrinseco. Sicut dictum est de obstinatione.

28. Explicuimus, quantum per materiam præsentem licet, in quo consistat donum confirmationis in gratia. Sumus iam in ultimo, quod promisimus. Vndè accedimus ad enucleandam mentem Mystici nostri Doctoris. Ad quod respondemus argumento facto num. 22. negando primum antecedens, & distinguendo secundum, *confirmationem in gratia* imperfectè, & in adequatè, hoc est, secundùm intrinseca talis confiarmationis, concedo. Perfectè, & adæquatè, nego antecedens. Et hac distinctione explicetur testimonium primum in nos adductum, quod huic argumento vires haùd vulgares contulit. Et quòd Sanctus Doctor hoc solùm intendat, & non confirmationem perfectam, liquet primò. Quia in expositione secundi vers. datæ Cantilenæ loquutus de sublimitate unionis in matrimonio viæ habitæ inquit: *Quamvis in præsenti vita hoc non potest evenire perfectè; est tamen suprà omne id, quod exprimi, aut cogitari potest.* Secundò. Quia in quodam spirituali poemate sic in persona animæ perfectæ Deum videre exoptantis, dulcissimè modulatur:

Y si me gozo, Señor,
Con la esperanza de verte,
En ver que puedo perderte
Se me dobla mi dolor:
Viviendo en tanto pavor,
Y esperando, como espero,
Me muero, porque no muero.

Vbi perspicuè docet, animam illam timere, si Deum in æternum amittat, quod neutiquàm diceret, si illam impeccabilem absolutè iudicaret, & in gratia perfectè, & adæquatè confirmatam.

Expediti ab authoritate principali accedimus ad explanandas alias, quæ inibi obijciuntur. Ad primam dicimus, quòd matrimonium spirituale est *transformatio totalis* totalitate viæ, seu statùs, ut multis retrò annis diximus in Isagoge lib. 3. §. 4. lect. 3. Et hæc transformatio non dicit adæquatam confirmationem in gratia. Similitèr est *possessio totalis* totalitate statùs, & etiam est *consummatio unionis* vialis: Quia reverà unio viæ est consummata, & eà adeptà, aspirat anima pro unione gloriæ. Comparat deniquè Sanctus Doctor matrimonium hoc spirituale viæ cum matrimonio materiale; quia sicùt in hoc fiunt contrahentes una caro; sic in illo fit iustus unus spiritus cum Deo: cæterum non est eodem modò: quia unitas resultans ex matrimonio carnali est indissolubilis, & per reciprocam actualem possessionem contrahentium, & neutrum habet unitas matrimonij spiritualis viæ, quæ omnia ex dictis plana sunt.

QVÆS-

QVÆSTIO SECVNDA.

VTRVM MATRIMONIVM SPIRITVALE VIÆ CONSISTAT in habitu, aut in actu?

EX determinatione præſetis difficultatis maximoperè dependet nòtitia matrimonij ſpiritualis in via celebrati, cuius diſcuſioni incumbimus. Quocircà poſtquàm vidimus, animam viatoris poſſe elevari ad contrahendum myſticum matrimoium, recta methodo procedimus ad explorandum, an tale matrimonium in habitu conſiſtat? an potius in actu?

****

§. I.

Titulum explico, & Concluſionem ſtatuo.

29. VT non levis æquivocatio, quæ hìc evenire poſſet, amputetur, obſervare debes, quòd aliud eſt, quòd matrimonium ſpirituale celebretur actu, & aliud quòd in actu conſiſtat. Matrimonium utiquè actu celebratur, nec aliud imaginabile eſt: ipſam quippè celebrationem Matrimonij actum eſſe, quis abnuat? celebratur itaquè actu, & actum, quo celebratur, exhibuimus ſupra ex Seraphica noſtra Doctrice Manſion. 7. capite 2. dicente: quòd cùm primùm hoc Matrimonium initur, oſtendit ſe Deus animæ per viſionem imaginariam ſuæ ſacratiſsimæ humanitatis, quæ viſio actus planè eſt. Quòd verò tale Matrimonium in actu conſiſtat, eſt, quòd, poſtquàm ſemèl celebratum ſit, maneat ſempèr anima in actu contemplationis, & amoris erga ſuum Dilectiſsimum. Vide, quàm longè diſtet, quòd Matrimonium actu celebretur, ab hoc quod eſt, quòd in actu conſiſtat. Vndè exploramus: an celebrato Matrimonio, maneat anima ſempèr actu Deo unita per actualem contemplationem & amorem? An verò maneat unita ſempèr habitu, & quandoquè actu? Ac per conſequens, an in unione actuali, an in habituali conſiſtat?

30. Sit noſtra Concluſio. *Matrimonium ſpirituale animæ viatoris conſiſtit in habitu.* Aſſertio hæc eſt omnium Myſticorum. Illam expreſsè docet D. Thomas pluribus in locis, nos que illius multotiès in hoc opere meminimus, Matrimonium iſtud nominantes ratum, ut morem pluribus gereremus, quod iam quæſtione præcedenti obſervabamus. Prima huius concluſionis probatio deſumitur ex authoritate D. Thomæ 1. 2. quæſt. 3. art. 2. ad 4. quam adduximus diſp. 2. num. 28. Illam non reproducimus, quia diffuſa eſt. Ex illa autem hoc argumentum deducimus. Matrimonium ſpirituale viæ eſt beatitudo imperfecta: ergo non eſt unica operatio, ſed multiplex. Ergo tale Matrimonium conſiſtit in habitu. Antecedens eſt per ſe notum. Et ſecunda conſequentia rectè infertur; quia ſemèl celebrato Matrimonio ſpirituali, ſi anima in eo feliciſsimo ſtatu perſeveret, ſempèr manet maritata verbo, ut verbis utar D. Bernardi ſupra dati. Cum autem actus non ſempèr perſeveret, fit conſequens, quòd tempore, quo actus abeſt, non eſſet anima verbo maritata, ſi talis unio in actu conſiſteret. Aſt quia unio illa, ſeu Matrimonium conſiſtit in unione habituali; idcircò, etſi actus abſit, permanet actuale Matrimonium. Prima conſequentia probatur. Primò; quia illam expreſsè docet Div. Thomas loco citato.

Pro-

Probatur ſecũdò ratione inde deprõpta. Præcipuum diſcrimen verſans inter Beatos, & ſuperſtites eſt, quòd Beati unico indiſtincto actu contemplationis, & amoris feruntur in Deum, quem ſuperſtites contemplari, & amare nequeunt unico indiſtincto actu: ergo operatio cuiuſcunque ſuperſtitis erga Deum non eſt unica, ſed multiplex. Patet iſta. Quia alioqui illud diſcrimen non ſubſiſteret.

31. Probatur 2. Concluſio ratione eruta ex D. Thoma 2. 2. quæſt. 180. qua præcedens diſcurſus roboratur, & expenditur. Etenim contemplatio habita in unione Matrimonij ſpiritualis viæ eſt ſummum actionis contemplativæ: ſed nulla actio poteſt diù durare in ſui ſummo: ergo contemplatio habita in dicta unione nequit diù durare. Ergo ea unio, in qua viæ Matrimonium conſiſtit, non eſt actualis, ſed habitualis. Secunda conſequentia liquet ex priùs dictis. Ex hoc enim, quòd unio illa actualis, ſeu contemplatio in ea habita nequeat diù durare, rectè colligitur non poſſe in illa conſiſtere Matrimonium. Hoc quippè ſi ne illa actuali contemplatione perſeverat, quod fieri non poſſet, ſi in illa conſiſteret. Prima conſequentia bona eſt, & maior conſtat ex dictis; illa ſi quidèm contemplatio eſt huius vitæ beatitudo, quæ ipſius vitæ ſummum, & perfectius eſt. Minor, ad quam tota difficultas devolvitur, eſt expreſſa D. Thomæ, qui loco citato art. 8. ait: *Ad 2. dicendum, quòd nulla actio poteſt diù durare in ſui ſummo; ſummum autem contemplationis eſt, ut attingat ad uniformitatem divinæ contemplationis, ut dicit Dionyſius ſicùt ſupra poſitum eſt. Undè etſi quantum ad hoc contemplatio diù durare non poſsit; tamen quantum ad alios contemplationis actus poteſt diù durare.* Quibus & veritas propoſitæ minoris oſtenditur, & ſimùl ſenſus, in quo procedimus, declaratur. Vita contemplativa, ut fusè diximus diſput. 10. plurimos actus habet. Etiam actus vitæ activæ ad contemplativam pertinent, vel tanquàm media, vel tanquàm diſpoſitiones, vel tanquàm effectus. Vnde art. 4. eiuſdem quæſt. ait Angelic. Doct. *Sic ergo ex præmiſsis patet, quòd ordine quodam quatuor ad vitam contemplativam pertinent. Primò quidèm virtutes morales. Secundò autẽ alij actus præter contemplationem. Tertiò verò cõtemplatio divinorum effectuum. Quartum verò contemplativum eſt ipſa contemplatio divinæ veritatis.* Videatur idem S. Doctor art. 3. præcedenti. Habet ergo vita contemplativa plurimos actus, quorum ultimus, & omnium finis eſt contemplatio divinæ veritatis, quæ in ſui ſummo diù durare non poteſt; manet tamen unio habitualis, in qua viæ huius Matrimonium conſiſtit. Vide, quæ diximus diſp. 10. ubi hæc pluribus teſtimonijs, & diſcurſibus illuſtrabimus.

32. Probatur deindè concluſio elegantiſsimo D. Thomæ teſtimonio, cuius partem dedimus num. 26. Detegit inibi D. Thomas radicem, ob quam liberum arbitrium nequeat in via habere ab intrinſeco perfectè donum confirmationis, ſeu habere gratiam, quæ ex ſe poſsit facere habentem ſimpliciter impeccabilem, & ait: *Non enim poteſt aliquis omninò impeccabilis reddi, niſi omnis origo peccati auferatur. Origo autem peccati eſt, vel ex rationis errore, qui in particulare decipitur circa finem boni, & circa utilia, quæ in univerſale naturaliter appetit, vel ex hoc, quòd iudicium rationis intercipitur propter aliquam paſsionem inferiorum virium. Quamvis autem alicui viatori concedi poſsit, ut ratio nullatenùs erret circa finem boni, & circa utilia in particulari per dona ſapientiæ, & conſilij: tamen non poſſe intercipi iudicium rationis excedit ſtatum viæ propter duo. Primò, & principaliter: quia rationem eſſe ſemper in actu rectæ contemplationis in ſtatu viæ, ita quòd omnium operum ratio ſit Deus, eſt impoſsibile. Secundò, quia in ſtatu*

viæ

viæ non contingit inferiores vires ita rationi esse subditas, ut actus rationis nullatenùs propter eas impediatur, nisi in Domino Iesu Christo, qui simùl viator, & comprehensor fuit. Sed tamen per gratiam viæ &c.

Habemus ergo ex hac authoritate duplex motivum, ob quod Matrimonium spirituale viæ nequeat in actu consistere. Primum iam ostensum est, videlicèt, quòd contemplatio diù durare nequit. Vndè sic procedo. Iustum *esse semper in actu rectæ contemplationis in statu viæ ita, quòd omnium operum ratio sit Deus, est impossibile*: ergo iusti viatoris Matrimonium non consistit in actu. Probo istam. Quòd tale Matrimonium consistat in actu est. quòd, eo celebrato, maneat sempèr iustus in actu contemplationis, iuxta dicta numer. 29. hoc implicat, ut patet ex inducta authoritate: ergo.

Secundum motivum, & valdè radicale est. In statu viæ non possunt vires inferiores non impedire quandoquè rationis actum: ergo nequit iustus viator quantumvis perfectilsimus sit, esse semper in actu rationis, seu contemplationis. Probatur antecedens. In statu viæ non sunt vires inferiores subditæ rationi: ergo interdùm illam impediunt. Antecedens liquet ex verbis D. Thomæ, de illo que nemo dubitare valet, & consequentia probatur. Ex plena inobedientia virium inferiorum ad rationem provenit plena inordinatio rationis, seu plena rationis impeditio: ergo ex non plena earum virium subiectione provenit quandoquè rationis impeditio. Et sanè nihil aliud est, quòd vires inferiores non sint perfectè subditæ rationi, nisi, quòd illam impediant. Ille enim defectus subiectionis planè quando què explicari debet; nec alitèr explicari potest, nisi impediendo, aut etiam retardando rationis actum. Alia plura, quæ hùc proprijsimè spectant vide citata disput. 10.

§. II.

Respondetur argumentis.

33. COntra Conclusionem arguitur 1. Matrimonium spirituale viæ est unio perfectior, quàm sponsalitium mysticum: ergo consistit in unione actuali. Probatur consequentia unio actualis perfectior est unione habituali: sed mysticum sponsalitium, quod minùs perfectum est, consistit in unione actuali: ergo non in habituali, sed in actuali unione consistit mysticum viæ Matrimonium. Cætera constant, & maior probatur. Quia actus est nobilior habitu, ut docet Philosoph. 9. Metaph. & ibi Div. Thomas text. 10. & 1. part. quæst. 48. art. 6. & 1. 2. quæst. 71. articul. 3. sed unio habitualis, & actualis se habent ut actus, & habitus: ergo actualis superat habitualem.

Respondetur negando consequentiam. Ad probationem distinguendo maiorem, *perfectior* perfectione dispatata, concedo, propria Matrimonij in via, nego maiorem. Concedimus, unionem actualem præstare simplicitèr habituali proptèr maiorem actualitatem, secundùm quàm magis recedit ab opposito, & est finis habitùs, ut locis citatis, & alijs docet S. Thomas, quem luculentèr elucidant nostri Salmantin. tract. 13. disp. 3. dub. unico. Ille tamen perfectionis excessus disparatè se habet ad illud Matrimonium, quod, ut potè perseverans debet in re perseveranti consistere, qualis in hac vita non est unio actualis, sed habitualis. Vndè sicùt quo ad diuturnitatem præstat habitu actui, ut docet laudatus Divus Thomas; sic etiam ad munus constituendi Matrimonium spirituale viæ perfectior est unio habitualis, quàm actualis. Nec illud matrimonium consistere debet in eo, quòd simplicitèr, & absolutè, sed quod sibi perfectius est. In huius veritatis confirmationem conspirant nobilissima exempla.

Etc.

Etenim actus charitatis in via nobilior est actu intellectus, & tamen perfectiùs invenitur conceptus beatitudinis supernaturalis viæ in actu intellectus, quàm in actu voluntatis, ut stabilivimus disput. 16. quæst. 12. docent que nostri Salmanticenses tract. 9. in dub. append. §. 2. Ratio est, quòd beatitudo viæ non curat de principalitate actus, sed de convenientia: quia que actus intellectus dicit conceptum assecutionis, qui est proprior conceptus beatitudinis: idcircò beatitutudo supernaturalis viæ licèt consistat in actibus intellectus, & voluntatis, principaliùs consistit in actu intellectus. Similitèr beatitudo supernaturalis in patria consistit in unione perfectissima Beati cum Deo, sed non in unione perfectiori, ut docent ijdem PP. Salmant. ibidem numer. 16. Et ratio est eadem, quia beatitudo consistit in unione, quæ sit melior non absolutè, sed Beato. Et huic melior est unio, cuius sola creatura rationalis capax est; quales non sunt unio hypostatica, & unio per intimum illapsum. Pariformitèr in nostro casu. Vnio actualis præstat habituali: sed quia habitualis permanet, & actualis transit: ideò Matrimonium, quod vinculum est, de cuius ratione est stabilitas, consistit non in unione transeunte, sed in coniunctione permanenti.

34. Arguitur 2. Vnio habitualis animæ cum Deo non potest animæ conferre illum cumulum divitiarum, quibus animam in Matrimonio collocatam abundare, docent ubiquè Patres, & Mystici indefessè proclamant: ergo in illa consistere nequit spirituale viæ Matrimonium. Probatur antecedens. Vnio habitualis est habitus; nequit habitus animæ tot divitias conferre; immò nullas, quia habitibus nec meremur, nec demeremur: ergo.

Confirmatur 1. Matrimonium spirituale viæ est participatio Matrimonij consummati in patria: Sed hoc est perfectissimus actus: ergo & viæ Matrimonium actus est. Cætera nota sunt, & consequentia probatur. Participans actum perfectissimum, aliquid ab illo actu capit, & aliquid relinquit; quia participatiò est partim capere, & partim relinquere, iuxta commune effatum Theologorum: sed in illo perfectissimo actu nihil est, quòd habeat rationem habitùs: ergo Matrimonium illum participans non est habius, sed actus.

Confirmatur 2. & urgentèr. Matrimonium spirituale viæ est hominis viatoris beatitudo, ut multotiès dictum à nobis est: sed hominis viatoris beatitudo est actus, ut fusè probavimus disp. 16. quæst. 12. ergo & tale Matrimonium.

Respondetur argumento negando antecedens, ad probationem distinguo maiorem, *est habitus* impropriè, concedo, propriè, nego maiorem. Vnio habitualis nec est, nec esse potest habitus, si propriè loquamur, quia habitus per actum à se elicitum perficitur, illum recipit, atque ideò illi coëxistit. Quod unioni habituali convenire nequit: illa enim nequè elicit actualem, nequè ea adveniente perseverat; eòque nec illam recipere, nec ab ea perfici valet. Est ergo unio habitualis actus, seu unio actualis non actualitèr, sed habitualitèr perseverans, & animam inclinans, & quasi impellens ad nobilissimorum actuum productionem, adeò frequentem, ut *quasi continua videatur*. Verba sunt D. Thomæ, quæ postmodùm exhibebo. Quæ ut benè percipias inspice. Quòd transacta unione ebria, in qua celebratur Matritrimonium, manet in anima alia unio æquè nobilis, quæ sobria dicitur, hæc que in causa est, ut anima insignes fidei, spei, & charitatis, omnium que aliarum virtutum actus producat. Vndè hæc unio, sicùt & ebria, actualis est. Et in ea,

aut

aut potiùs in unione actuali ebria, consisteret viæ spirituale Matrimonium, si quælibet ex illis non interrumperetur. Transit tamen citò unio actualis ebria, ob quod in ea non consistit Matrimonium, quod est vinculum stabile. Succedit unio actualis sobria, quæ plurimùm durat diversis actibus explicata; sed etiam interrumpitur aut somno, aut iudicij interceptione, aut etiam exteriorum inquieta occupatione, prout ex D. Thom. vidimus num. 32. & ideò nec in illa potest Matrimonium stare. Consistit tamen in ipsa unione actuali habitualiter perseveranti, quæ sempèr durat, si per animam non steterit. Vndè illud Matrimonium consistit sempèr in unione habituali, quæ vel in actualem ebriam, aut sobriam transit, vel solùm habitualis est illis paucissimis intervallis, quibus anima vel somno, vel interceptione iudicij non est actu unita. Quocirca verum est, quòd Matrimonium istud uberes cælestes fructus animæ conferat, & quòd in unione habituali consistat. Quæ quia penitissima sunt, & medulla præsentis controversiæ, seriò à nobis explicanda sunt, postquàm confirmationibus occurramus.

Ad utramque confirmationem simùl respõdetur, quòd Matrimonium spirituale viæ est quidèm participatio Matrimonij consummati, & ideò, ut benè arguens supponit, debet partim capere, & partim relinquere. Hoc tamen intelligendum est cum grano salis. Quippè Matrimonium viæ non participat unum tantummodò conceptum Matrimonij consummati, sed plures; nec illos plures conceptus participat unico actu sed pluribus. Matrimonium consummatum in patria habet rationem vinculi, conceptum actus, & conceptum beatitudinis. Hæc omnia participat Matrimonium viæ, quod sanè est vinculum, actus & beatitudo. Sed conceptum vinculi participat, prout est unio habitualis, quæ dicit firmitatem sufficientem, ut vinculum inchoatum esse, queat. Conceptum actus participat, quatenùs unio actualis est; & quatenùs hæc unio actualis inter omnes actus viæ perfectior est, in illumque dirigitur tota viæ solicitudo, participat conceptum beatitudinis. Vndè patet, quòd unio habitualis viæ partim capit de Matrimonio consummato, nempè rationem vinculi, & partim relinquit, scilicèt rationem actus; eòque est vinculum propter stabilitatem, & non est actus propter labilitatem. Vnio actualis viæ participat de Matrimonio consummato conceptum actus perfectissimi; sed non participat conceptum vinculi. Vndè actus est, & viæ beatitudo; vinculum tamen non est, ob defectum permanentiæ.

35. Quæ omnia, quæ ad confirmationes, & præcipuè, quæ ad argumentum diximus, robur, & lucem accipient, si, ut promissum est, seriò, aut diligentiori studio ea stabiliamus, authoritates gravissimas adducentes, in quibus hucusquè tradita actu, vel virtute continentur. Agmen agat, qui dux noster est D. Thomas dicens 1. 2. quæst. 3. art. 2. ad 4. *In activa vita, quæ circa multa occupatur, est minus de ratione beatitudinis, quàm in vita contemplativa, quæ versatur circa unum, id est, circa veritatis contemplationem. Etsi aliquandò homo actu non operetur huiusmodi operationem, tamen quia in promptu habet eam, sempèr potest operari. Et quia etiam ipsam cessationem, putà causa somni, vel occupationis alicuius naturalis, ad operationem prædictam ordinat, quasi videtur operatio continua esse.* Hæc S. Thomas, quibus nostra doctrina stabilitur. Addiderim tamèn alium Thomam Angelici discipulum fidelissimum, nostrum videlicèt Thomam à Iesu lib. 4. de Orat. Div. sic præiacta illustrantem cap. 17. §. 3.

Transacto hoc ineffabili & iucundissimo animæ cum Deo connubio quòd quidèm brevissimo tempore, & forsàn vix ad horam perdurat (ut Patres communitèr fatentur, & S. V. Theresia lib. vitæ suæ, cap. 18. scribit) mirabiles amo-

ris, & lucis, aliarumque virtutum affectus in animam derivantur. Iam anima, quæ in cella vinaria anteà fuerat ebria, sobria egreditur, cælestibus tamen divitijs, ac gemmis pretiosissimis, tam lucis, quàm amoris condecorata. Licèt enim amor ille fruitivus, illa actualis unio, & divinus cum Deo nexus cessaverint; manet tamen adhùc in voluntate, illa elapsa ebria unione, alia quædam unio (non minus nobilis ebriâ illâ) quæ sobria dicitur.

Cùm igitur anima in superiori amoris gradu divino amore succensa in Deum fuerit transformata, ex illo igne divino (de quo loquens Ieremias cap. 1. Thren. inquit: Immisit ignem, in ossibus meis, & erudivit me) maximus planè charitatis ardor in voluntatem, ac intelligentiæ lumen in intellectum dimanant, qui quidèm ardor charitatis eam tranquillo quodam, & quieto amore delectabilitèr afficit, nec erumpit, ut ante impatiens, & æstuans amor efficiebat; sed potiùs est omninò silens, purus, & perfectè defæcatus, vel excoctus ad instàr olei, quod ampliùs non superfluit, cum fuerit sufficientèr ebullitum. Hic amor nobilior est alio, sicùt aurum terrà, & subtilior, sicùt aer, aquà, qui continuè trahit animam ad iugem, & supeminentem cum Deo unionem. Calor autem huius amoris tam efficax est, & penetrans, ut ossium medullas, ac totum hominem consumere, & quasi ignitum carbonem in immensum illum divini amoris ignem trahere, & transformare videatur.

Iste verò ardentissimus amor transacta illa fruitiva unione (*observa*) quasi per modum habitùs voluntati à Deo conceditur: manet enim in anima omninò radicatus: neque sicùt ille prior, citò pertransit, sed continuè potiùs, ac perennitèr à voluntate divini amoris incendio ignita profluit, qui animam in hoc statu ad divinæ voluntatis nutum facilè applicat, & accomodat: in qua quidèm plena conformitate, Christianæ *perfectionis forma consistit.*

Hæc gravissimus iste Doctor, quibus edocemur, ex unione fruitiva relinqui in anima habitualem illum amorem, quo omnes suas lineas in Sponsum, veluti in centrum dirigit, & in actus suavissimos omnium virtutum explicatur. Nec omittam gravissimum nostrum mysticum Directorium tract. 4. disp. 4. sect. 2. dicens: *Tàm sponsalitium, quàm Matrimonium supponunt hanc realem Dei præsentiam in anima per gratiam, & insuper præsentiam illius realem potentijs intellectus, & voluntatis per altissimam cognitionem, & amorem: sed sponsalitium fit transeuntèr, ut supra diximus, per modum hospitis, qui accedit, & recedit. Matrimonium verò fit habitualitèr, & permanentèr per modum habitùs. Nam licèt intellectus non semper sit in actuali contemplatione unitus Deo, nec voluntas in actuali amore, ut infra dicemus, est tamen intellectus veluti habitualitèr unitus, quatenùs reipsà habet Deum præsentem: sicùt homo, qui est in quadam domo cum alio, non illum videt; benè tamen sentit ibi alterum esse.*

Hoc exemplum est Seraphicæ nostræ Doctricis Mans. 7. cap. 1. illudque rem totam lucidissimè explanat. Cùm enim duo sunt in aliquo loco, cuius tenebras lux per unicam fenestram ingrediens eliminat. Illi, fenestrà reseratà, nedùm sibi præsentes sunt, verùm etiam se vident: clausà verò non se vident; est tamèn uterque actu certus de præsentia alterius. Addamus modò ad maiorem claritatem, quòd per aliquod temporis spatium aliquis ex illis, vel uterque somno traditus, vel strepitu magno, aut aliquo alio impellente distrahitur. Tunc illi nec se vident, nec cogitant in eo, quod sibi sint actu præsentes. Hæc clara sunt, &

nihil

nihil aliud est, quod in nostro casu contingit.

In animæ centro Deus modo specialissimo adest, cùm animam ad Matrimonium elevat. In cuius celebratione anima quasi videt Deum; adeò enim pura, & defæcata est contemplatio, quæ habetur tempore unionis ebriæ. Hac, quæ durat *brevissimo tempore*, transacta, & animam ineffabilibus divitijs locupletante, subsequitur unio sobria, in qua anima Sponsum non videt, sed est actualitèr certissima, de ipsius præsentia, ex qua uberes cælestium divitiarum thesauros sibi comparat. Hæc unio ferè semper durat, nec interrumpitur, nisi à iudicij interceptione, ab arbitrij vertibilitate, aut à somno, ut vidimus ex D. Thoma. Immò quia anima ipsam cessationem unionis, ad ipsam unionem ordinat; idcircò *quasi videtur continua*, dixit iam Angelicus Doctor unicum dictum duplici limitationi substernens. Non est cõtinua sed *videtur*; nec videtur absolutè, sed *quasi*: & hæc continuatio non est idonea ad vinculum Matrimonij. Præterquàm, quòd non semper potest anima ipsam cessationem unionis actualis, ad ipsam unionem actualem ordinare. Et D. Thomas solùm loquitur de ijs occasionibus, in quibus illa ordinatio fit ab anima. Vndè licèt hæc unio sobria sit longè durabilior quàm ebria, nequit tamèn habere rationem vinculi, quam secùm affert indispensabilitèr Matrimonium, quod ex se, & ex parte Dei firmum est, quanquàm ex parte animæ dissolubile sit, ut vidimus quæst. præcedenti. Si autem Matrimonium inchoatum consisteret in unione actuali, non solùm ex parte animæ, sed etiam ex parte ipsius unionis foret separabile, ut de se liquet. Restat ergo, quòd vinculum inchoati Matrimonij cõsistat in unione habituali, quæ tempore actuali unionis ebriæ & sobriæ fit actualis; & ijs recedentibus habitualis est; atque ideò semper durat, nisi ab arbitrij vertibilitate destruatur; aut, morte præeunte, in gloriæ inamissibilem unionem commutetur.

37. Arguitur 3. sponsalitium mysticum consistit in actu: ergo & viæ Matrimonium. Antecedens est certum apud Mysticos, cum quibus illud multoties admissimus, præsertim in Isagoge §. 4. citato. Et consequentia probatur primò à paritate. Sicùt Matrimonium celebratur actu, post quem manet anima habitualitèr unita Verbo, cui maritata est; sic & sponsalitium celebratur actu, quo transacto manet anima habitualitèr unita Verbo, cui desponsata est: ergo vel sponsalitium consistit in habitu, vel Matrimonium in actu consistit. ¶ Probatur 2. si mysticum viæ Matrimonium in habitu consisteret, Mysticum sponsalitiũ illud in perfectione superaret: consequens est absurdum: ergo. Probatur sequela. Illud est perfectius, quod consistit in perfectiori; sed actus superat perfectionem habitùs: ergo si viæ spirituale Matrimonium consisteret in habitu, illud in perfectione superaret Mysticum sponsalitium.

Nec obest si dicas. Quòd Matrimonio perfectior est habitus propter durabilitatem, ut dictum est ad 1. argumentum. ¶ Nam contra est. Quòd licèt illa doctrina conveniens sit ad illius primi argumenti solutionem, eà tamèn argumento præsenti non occurritur. Ex ibi dictis supponimus actum præstare habitui. Ex inibi etiam dictis, & ex alibi assertis liquet, sponsalitium Mysticum consistere in actu: ergo cum perfectiùs sit illud, quod in perfectiori consistit, si mysticum viæ Matrimonium consistit in habitu: fit consequens, quòd superetur in perfectione à mystico sponsalitio.

Respondetur negando consequentiam. Ad probationem primam nego antecedens. Celebrato Matrimonio manet anima specialissimè unita Deo, qua unione non gaudet post sponsalitij contractionem. Vtrunque liquet ex dictis

tis ad ſecundum argumentum. Radix que huius doctrinæ ea eſt: quòd celebrato Matrimonio, manet anima realitèr unita Deo: celebrato autem ſponſalitio, manet unita non realitèr, ſed affectivè, ut ſupra diximus. Vndè ſuſpirat adhùc, nedùm pro unione conſummata gloriæ, verùm etiam pro unione perfecta viæ: quocircà Matrimonium conſiſtit in unione habituali, & ſponſalitium non habet unionem habitualem, in qua conſiſtat. Inſupèr Matrimonium dicit ſpeciale vinculum inter animam, & Deum, quod vinculum expoſcit aliquid actuale, in quo conſiſtat: & hoc actuale eſt unio habitualis, quæ eſt vehementiſsimum animæ impellens ad unionem actualem cum Deo, ut clarè docet D. Thomas ſupra laudatus. Sponſalitium vinculum ſpeciale non dicit. Vndè ſufficit ille actus, quo celebratum fuit, ut, modo ſibi convenienti, perſeverare dicatur, & ut illud contrahentes Sponſi denominentur.

Ad ſecundam probationem nego ſequelam. Ad probationem diſtinguo maiorem, *quod* via perfectionis *conſiſtit in perfectiori*, concedo; via imperfectionis nego maiorem. Dupliciter poteſt aliquid petere rem perfectiorem, in qua conſiſtat. Primò: via perfectionis. Et quod ſic petit rem perfectiorem perfectius eſt. Sicùt homo perfectior eſt equo, quia via perfectionis petit pro ſui conſtitutivo rationalitatem, quæ hinibilitatem longè ſuperat. Secundò: via imperfectionis. Et quod ſic rem perfectiorem expoſcit, non eſt perfectius, ſed poſitivè imperfectius. Sicùt ens rationis, quod ob ſui imperfectionem conſiſtit in actu, & tamen imperfectiſsimum eſt, & ab omni alio ente, etiam à pura potentia ſuperatur. Quòd Myſticum ſponſalitium conſiſtat in actu non eſt, quia ſit maior, aut æqualis perfectionis cum Matrimonio ſpirituali, ſed potiùs quia relatè ad illud imperfectum eſt. Vndè ex hoc ipſo, quòd hoc modo conſiſtit in re perfectiori, ipſius ſponſalitij imperfectio demonſtratur, ſi cum ſpirituali Matrimonio comparetur.

Adde, & ſit ſecunda, & genuina ſolutio. Quòd dùm dicimus actum præeminere habitui, loquimur de actu habitui correſpondente, eius potentialitatem, & indifferentiam determinante, ac deniquè de actu, qui ſit finis relatè ad habitum. De habitu ergo collato cum iſto actu ſermo eſt, non de quocunque actu, cuicunque habitui comparato. Secùs enim actus naturalis habitui ſupernaturali præſtaret, & ipſe actus naturalis, atque ideò, & potiori iure, ipſe actus in quo myſticum ſponſalitium conſiſtit, habitui luminis gloriæ præemineret. Quod planè abſurdum eſt. Actus in quo, ſponſalitium Myſticum conſiſtere dicitur, non eſt finis unionis fruitivæ habitualis, in qua ſpirituale Matrimonium viæ ſitum eſt, nec alia habet quæ propria ſunt actùs habitum excedentis: quin potiùs ea unio habitualis finis eſt, in quem myſticum ſponſalitium dirigitur. Vndè perfectior planè eſt illa unio, quàm actus ille ſponſalitij myſtici. ¶ Ex dictis liquet, quòd ſolutio inter arguendum data, non eſt ad rem: & ea, quibus impugnatur, ex modò dictis enervata manent.

38. Arguitur 4. Beatiſsima Virgo MARIA elevata in hac vita fuit ad Matrimonium ſpirituale: ſed tale Matrimonium non potuit conſiſtere in unione habituali: ergo nec alia. Conſequentia bona videtur. Si namquè Matrimonium viæ in habitu conſiſteret, hoc ei eſſet eſſentiale: quod falſum eſſe, liquet, ex eo, quòd detur Matrimonium conſiſtens in actu. Minor verò probatur. Quia Beatiſsima Virgo ſempèr, etiam tempore ſomni, fuit in actuali, non interrupta contemplatione, ac dilectione Dei: ergo eius inchoatum Matrimonium non potuit in actu conſiſtere. Patet iſta. Eò enim aliorum inchoata Matrimonia in habitu conſiſtere diximus, quia in illis unio actualis interrumpitur; ſi namquè illa

unio

unio actualis sempèr perseveraret, in illa proculdubiò talia Matrimonia consisterent. Antecedens probatur. Quia sic opinantur multi, ijque gravissimi Doctores, quorum opinionis veritas non obscurè constat in lib. Cantic. ubi cap. 5. vers. 2. dicitur: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Quæ verba tanquàm dicta à Beatissima Virgine accipienda esse, tenet concors Interpretum sententia, ijs que ostenditur, quod vel ipso tempore somni erat Angelorum Regina in actuali contemplatione divinorum, quam non impediebant motus ex portione inferiori perturbantes, quia talium motuum expers omninò fuit purissima Virgo, cuius portio inferior perfectissimè rationi subdebatur, adeò, ut nec venialitèr peccaret. Ergo nec in vigilia, nec in somno à divinorum contemplatione cessabat; ac proindè eius inchoatum Matrimonium in actu consistere debuit.

Respondetur, quòd circa huius argumenti enodationem plurima possumus inculcare, quæ licèt in obsequium cælestis Dominæ nostræ cedere, non dubitamus, ea tamèn à pluribus non necessaria haberentur. Quapropter dicimus, quòd si vera sunt omnia, quæ de Virg. Deipara continet argumentum, de illa que intelligenda sunt, prout iacent, ea verba; *Ego dormio*, &c. illud sanctissimum inchoatum Matrimonium in actu situm fuit. Quod neutiquàm nobis obesse potest. Eò enim ponimus Matrimonium spirituale inchoatum consistere in unione habituali, quia actualis rescinditur. Vndè si in aliquo unio illa actualis nunquàm rescindatur, huius inchoatum Matrimonium in actu collocandum est. Hoc autem si alicui datum est, est specialissimum privilegium, & generalissimæ regulæ exceptio singularissima, ad quam attendere non debuit nostra assertio, quæ solùm comprehendit ea, quæ sunt extra illam singularissimam exceptionem. Videatur. D. Thom. disputat. de Char. quæst. 1. art. 10. in fine corpor. & art. 11. ad 2. videatur etiam Valgorn. quæst. 4. disput. 2. art. 8.

****

QVÆSTIO TERTIA.

VTRVM IVSTO AD SPIRITVALE MATRIMONIVM VIÆ elevato Dotes animæ conferantur?

REmur, hanc, & subsequentem quæstionem non parum deservire posse ad intelligentiam Matrimonij spiritualis, cuius discussioni insudamus. Quocircà illas excitare placuit, quas, hoc circumscripto motivo, nequaquàm excitaremus. Illas etiam seorsim discutimus ob doctrinæ claritatem. In præsenti quæstione de animæ dotibus disputamus, de dotibus corporis in sequenti tractaturi.

***

§. I.

Quot, & quæ sint dotes animæ præmitto, & post brevem animadversionem dirimo controversiam.

SVpra num. 3. dotem, quam Deus confert Beatis definivimus cum D. Thom. per hoc, quod sit *perpetuus ornatus animæ, & corporis vitæ sufficiens, in æterna beatitudine iugitèr perseverans.* Vbi non solùm Beatorum animas, sed etiam corpora glorifica-

ta

ta dotibus fulgere clarè dicitur. Modò autem, ut dictum eſt, de animæ dotibus diſputamus, & ex communi Theologorum ſententia ſupponere debemus, quòd in animæ dotibus verificantur tres illæ conditiones, quas humanæ dotes ſecum afferunt. Prima eſt, quòd conferatur Sponſæ per habitudinem ad Sponſum. Secunda quòd conferri non debeat, uſque dum Sponſa in Sponſi domum adducatur. Tertia deniquè, quòd deſerviat ad ornatum Sponſæ maritandæ. Vndè non eſt ipſum Matrimonium, ſed illud aliquo modo antecedit, & in ipſum influit. Omnes iſtæ conditiones reperiuntur in dotibus animæ, quæ ipſi conferuntur non abſolutè, ſed talitèr quòd Deum immediatè reſpiciant. Et propter hoc excluduntur à ratione dotis, eæ perfectiones tam naturales, quàm ſupernaturales, quæ Deum non reſpiciunt immediatè, & ad ipſum, ut in obiectum non terminantur. Inſuper, ut laudatus D. Thom. docet, non conferuntur animæ iſtæ dotes ante beatitudinis adeptionem. Ac tandem dotes iſtæ præcedunt aliquo modo beatitudinem, in ipſam que influunt. Quæ omnia eruditè diſcuſſa invenies apud noſtros Salmant. tract. 9. diſp. 4. dub. 1.

40. Ad numerum dotium accedentes dicimus: Dotes animæ eſſe tres, ſcilicèt, *viſionem*, *comprehenſionem* & *fruitionem*. Sic D. Thom. loco citat. & 1. parr. quæſt. 17. art. 7. ad 1. Ex quibus *viſio*, & *fruitio* non ſunt actus, quibus Deum anima contemplatur, ipſo que fruitur; ſed ſunt habitus, qui in gloria illos actus eliciunt. Quod ſic brevitèr oſtenditur. Etenim dos animæ eſt *ipſius animæ ornatus vitæ ſufficiens in æterna beatitudine iugitèr perſeverans*, ut diximus num. præcedenti. Hoc autem non convenit *viſioni*, & *fruitioni* ſumptis pro actibus; hi enim ſunt ipſum ſpirituale Matrimonium: *viſio* eſt Matrimonium ſubſtantialitèr ſumptum: *fruitio* eſt Matrimonium completum, & in eſſe iucundi, ac delectantis. Et id, quo anima ornatur ad Matrimonium evidens eſt, quòd nequit eſſe ipſum Matrimonium. Accedit. Quòd, ut diximus num. præcedenti, dos præcedit Matrimonium, in ipſum que influit. Quapropter implicat, quòd dos non ſit re à Matrimonio diverſa. Ac ſubindè quamquàm actus *viſionis*, & *fruitionis* conferantur animæ per ordinem ad Sponſum, & non conferantur ei uſquè ad ingreſſum in Sponſi domum, quæ ſunt duæ priores conditiones dotis. Et ſimilitèr, tametſi dicti actus ſint animæ *vitæ ſufficientes*, *& in æterna beatitudine iugitèr perſeverantes*. Deficit ipſis, quòd ſint *ornatus animæ*, quæ eſt prima particula definitionis dotium, & tertia pro ipſis requiſita conditio.

Eadem certitudine planum eſt, omnia illa convenire habitibus elicientibus illos actus. Sunt enim ornatus quo anima diſponitur ad Matrimonium contrahendum, in ipſum influunt, traduntur per ordinem ad Sponſum, & in æterna beatitudine vitæ animæ ſufficientes iugitèr perſeverant. Vndè ſicùt non adeſt motivum, ut actus viſionis, & fruitionis dicantur dotes: ſic nullum fundamentum adeſt, ut habitus eos actus elicientes dotes non ſint.

41. Circa dotem comprehenſionis tenendum eſt ipſam non eſſe actum ſecundum intellectus, aut voluntatis, ſicùt de viſione, ac fruitione dicebamus: ſed eadem certitudine tenendum eſt non eſſe habitum. Quid ergo erit? Reſpondemus cum noſtris Salmant. loco citat. dicentibus num. 23. Dotem comprehenſionis formalitèr conſiſtere in quadam habitudine, ſive relatione voluntatis ad Deum, ut præſentem per viſionem, connotando remotionem omnium, quæ talem præſentiam impedire poſſunt. Hæc proculdubiò eſt ſententia D. Thom. uti prædicti PP. oſtendunt. Ex ijs, quæ diximus, liquet, duo ad comprehenſionis dotem deſiderari. Primum conſtitutivè: Secundum connotativè. Primum eſt relatio voluntatis ad Deum præſentialitèr viſum. Secundum

dum est remotio omnium eorum, quæ talem præsentiam nata sunt impedire. Hæc autem radicitùs explicata, & in quo singula eorum consistant, vide apud laudatos Teologos: nos enim hæc non discutimus, sed perstringimus, ut ex ipsis, quæ nostram Mysticam facultatem concernunt, eruamus.

42. Vidimus duobus numeris antecedentibus quot, & quæ sunt animæ dotes. Modò autem ante dubij decisionem animadvertendum est idipsum, quod interdùm diximus, & in hac quæstione iam tactum est. Videlicèt, quòd dotes animæ non conferuntur ipsi usquè ad ingressum in gloriam. Quo supposito absurdum insolens esset vestigare; an animæ viatoris dotes animæ glorioſæ concedantur? Quandoquidèm hoc quæsitum, & illud suppositum mutuò se perimunt. Vndè, ut locum habeat quæsitum præsens, disquirimus: an sicùt anima viatoris potest elevari ad unionem fruitivam, quæ dicitur Matrimonium spirituale viæ, quod quidèm est participatio quædam Matrimonij consummati; sic etiam ipsi animæ concedantur aliqua dona, quæ utcumquè queant dotes dici? Vnico verbo. Inquirimus: An sicùt Matrimonium spirituale consummatum, quod propriè Matrimonium est, habet dotes propriè tales; ita & Matrimonium mysticum viæ, quod impropriè Matrimoninm est, habeat easdem dotes, impropriè tamen? Quo supposito ad dirimendam controversiam accedimus.

43. Sit nostra conclusio. *In Mystico Matrimonio Viæ, suo modo, conferuntur animæ dotes, quæ sunt Visio, fruitio, & comprehensio.* Bimembris conclusio est. Cuius prima pars, quæ asserit, animæ dotes suo modo conferri, dùm ad viæ Matrimonium assumitur, videtur certa. Quandoquidèm anima in via interdùm consequitur suam beatitudinem inchoatã & imperfectam: ergo, suo modo, dotes consequitur. Antecedens est certum & consequentia probatur. Nam dotes conferuntur animæ, dùm suam beatitudinem consequitur: sed in via, quodam modo, consequitur beatitudinem: ergo in via habet, suo modo, dotes.

Præterea. Anima viatoris verè, licèt imperfectè, contrahit Matrimonium: ergo habet, licèt imperfectè illas dotes, quæ sunt propriæ illius Matrimonij, quod imperfectè contrahit. Anteced. verum est, & consequentia videtur bona. Si namque ad Matrimonium perfectum concurrunt dotes perfectæ, nihil absonum continet asserere, quòd ad Matrimonium inchoatum, & imperfectum concurrunt dotes imperfectæ, & impropriæ.

Rursùs. Diffinitio suprapositа dotis convenit aliquomodo ijs, quæ conferuntur animæ, dùm ad Matrimonium viæ sublimatur: ergo illa sunt aliquomodò dotes. Bona videtur consequentia, & antecedens probatur discurrendo per eiusmodi definitionis particulas. Etenim ea, quæ animæ ad Matrimonium viæ conferuntur, quæque dicimus esse quodammodò dotes sunt *ornatus perfectus animæ*; ijs enim ornatur anima, ut Verbo Divino desponsetur. Vitæ, quam anima in Matrimonio habet, sufficiunt, ac tandèm, in beatitudine inchoata iugitèr, quantum est ex parte sua, perseverant: Illis igitur convenit, aliquomodo, quòd sint dotes.

Insupèr. Ea quæ animæ viatoris, cum ad Matrimonium assumitur, conferuntur, habent tres illas conditiones, quæ dotibus cõvenire debent, iuxta dicta numer. 39. ergo suo modo dotes sunt. Probatur anteced. Illa enim, ut dictum est, sunt animæ ornatum præcedens Matrimonium, & in illud influens, deindè conferuntur animæ, per ordinem ad Sponsum, quem immediatè, tanquàm obiectum, respiciunt; ac tandèm non conferuntur animæ, nisi cum ad beatitudinem inchoatam, quæ est Matrimonium, ingreditur: sed istæ sunt conditiones, quibus fulgere debet res, quæ dicitur

dos

dos, ut patet ex dicto num. 39. ergo.

Tandèm. Quamquàm anima ſanctiſsima Chriſti Domini propter in diſtinctionem perſonalem, & Angeli propter diverſitatem ſpecificam cum Verbo homine, nequeant contrahere Matrimonium ſpirituale cum ipſo; attamèn quia ei intimè uniuntur, habent dotes animæ glorioſæ, licèt non ſub ratione dotium, hoc eſt, habent ea, quæ aliàs dotes ſunt: ergo anima viatoris perfecti ad intimam unionem cum Deo elevata dotes habet, licèt inchoatè, & imperfectè tales. Conſequentia bona eſt, & antecedens liquet. Quia anima Chriſti Domini, & Angeli habent viſionem, fruitionem, & comprehenſionem, quæ, ut dictum eſt, ſunt dotes animæ glorioſæ; licèt illas non habeant ſub formalitate dotium; eò quòd unio, quam dicunt, non habet rationem Matrimonij.

44. Secunda pars eiuſdem concluſionis aſſerens tales dotes eſſe viſionem, fruitionem, & comprehenſionem, ferè probata ex dictis eſt. Quippè beatitudo, quam in via conſequitur perfectus eadem eſt cum beatitudine patriæ, cum diſtinctione penes perfectionem, & imperfectionem: conſummationem, & inchoationem: ergo eadem diverſitate retenta, eædem ſunt dotes beatitudinis inchoatæ, & beatitudinis perfectæ. Vndè ſicùt dotes animæ in patria ſunt viſio, fruitio, & comprehenſio, non ſumptæ pro actibus videndi, fruendi, & comprehendendi, ſed modo, quem explicuimus num. 40. & 41. ita etiam eadem viſio, fruitio, & comprehenſio, imperfectè participatæ, & non pro actibus ſumptæ, ſunt quaſi dotes animæ viatoris in Matrimonium collocatæ. Verùm hæc declaratione indigent, & expenſione, ad quod ſingula luſtrare, opus eſt.

45. Primò confertur animæ in dotem viſio, quæ accepta, ut debet, pro principio, ſignat habitum, aut etiam auxilium, à quibbus elicitur contemplatio, quæ hominis viatoris beatitudo eſt, & Matrimonium. Contemplatio hæc vel eſt infrà, vel ſuprà fidem. Si ſuprà fidem eſt, elicitur à ſcientia infuſa, ſive habitualitèr impertita, ſive tranſeuntèr collata. Hæc ſcientia elicit contemplationem illam perfectiſsimam, quæ paſsim à Myſticis *viſio* dicitur, ob ſui claritatem, & ad viſionem beatificam propinquitatem. Vndè ipſa ſcientia infuſa dicitur *viſio* ſumpta viſione pro principio actum viſionis eliciente. Si ſub fide eſt talis contemplatio, à fide illuſtrata elicitur: ſic que ipſa illuſtrata fides eſt habitualitèr *viſio*, ut potè principium elicitivum contemplationis, quæ eſt *viſio*, ſeu *intuitus veritatis*. Hanc fidem dicimus quodammodò dotem animæ viatoris, quia conditiones ad dotem requiſitas ei convenire, videmus. Quandoquidèm conceditur animæ, per habitudinem ad Sponſum, quem ipſa fides immediatè reſpicit, tanquàm ſui obiectum formale. Et inſupèr fides ſummè illuſtrata non conceditur ante ſpirituale Matrimonium. Ac tandèm ipſa eſt ornatus animæ, quo hæc ad Matrimonium diſponitur. Tum: quia ſic conſtat ex decantatiſsimo illo: *Sponſabo te mihi in fide*. Tum etiam: quia lumen gloriæ, quod influit in contemplationem facialem, quæ eſt Matrimonium conſummatum, eſt ornatus animæ ad illud Matrimonium: ergo fides, maximè illuſtrata, quæ elicit contemplationem, in qua conſiſtit Matrimonium inchoatum, eſt ornatus animæ ad ipſum Matrimonium. Omnia, quæ in hoc numero dicta ſunt, liquent ex integris quæſtionibus, & etiam diſputationibus, quæ tàm in hoc tomo, quàm in antecedenti reperiuntur.

46. Et quia de fide ſummè illuſtrata loquimur, conſiderandum eſt, hanc ſummam illuſtrationem fidei cauſari à Deo per intimum illapſum unito intellectui in ratione ſummæ lucis, ut ſuperiùs dicebamus. Ex hac ſumma luce elevatur intellectus, & fides, ex parte ipſius ſe tenens, illuſtratur, ut illam emi-

eminentiſsimam contemplationem eliciat. Ad quod, ut eſt aliquorum expoſitio, reſpexit Iſaias capit. 60. in fine dicens: *Non erit tibi ampliùs Sol ad lucendum per diem, nec ſplendor Lunæ illuminabit te: ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloriam. Non occidet ultrà Sol tuus, & Luna tua non minuetur, quia Dominus erit tibi in lucem ſempiternam. Et complebuntur dies luctus tui.* Qui conſideret ea, quæ ex noſtro Myſtico Doctore ſuprà dedimus: Videlicèt, quòd dùm anima viatoris ad Matrimonium admittitur, querelas omnes, inquietamque ſolicitudinem deponens tranquilla pace fruitur, cognoſcet, illa ſuper hunc textum fundari. Vndè completur vaticinium illud: *Complebuntur dies luctus tui.* Et anima planctu præcedenti eliminato, Deo illuminante, eminentiſsmè cognoſcit, quod cap. 58. idem Propheta tradiderat hiſce verbis: *Orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt ſicùt meridies. Et requiem tibi dabit Dominus Deus tuus ſempèr, & implebit ſplendoribus animam tuam.* Clariſsimus textus expoſitionibus non indiget. Videatur tamen inibi D. Thom. & ſuper Pſalm. 35. in fine. Interim tamèn non omittam B. Macarium homil. 8. de hac ſuperna luce, qua anima perfunditur dicentem: *Interdùm lumen ipſum cor illuſtrans aperuit interius, & profundius, ac latens lumen; ita ut totus homo abſorptus ab illa ſuavitate, & contemplatione, non ſit ultrà ſui compos, ſed ſit tanquàm ſtultus, & barbarus huic mundo, propter immenſam dilectionem, ac ſuavitatem, atque recondita myſteria: ita ut tunc temporis homo liber perveniat ad perfectum gradum, ſit que purus, & immunis à peccato.*

Notum ex dictis eſt, quin alia addere opus ſit, quòd Deus per intimum illapſum unitus in ratione ſummæ lucis intellectui viatoris ad ſpirituale Matrimonium ſublimati, ipſum intellectum elevat, ut media fide vividiſsimè illuminata, & interdùm media ſcientia infuſa, ſublimen illam contemplationem eliciat, quæ eſt Matrimonium viæ. Et hoc huius contemplationis principium ab actu, quem elicit, *viſionem* nominamus, dicimusque, eſſe animæ dotem, non propriè talem, ſed impropriè, ob aſsignata motiva, quæ hoc, ni fallor, convincunt.

47. Poſt viſionem ſequitur fruitio, quam animæ glorioſæ eſſe dotem, iam vidimus. Et hanc fruitionem, ſumptam pro actu reperiri in anima viatoris ad Matrimonium elevata, liquet ex omnibus ſupradictis, præcipuè diſput. 23. quæſt. 3. Si ergo fruitio, quæ actus eſt, in illa anima datur, paritèr concedendus eſt habitus, qui illam eliciat, ab eaque dicatur *fruitio*, ſicùt de viſione dicebamus. Habitus iſte eſt perfectiſsima charitas in cella vinaria ab animæ dulciſsimo Sponſo mirabilitèr ordinata. Sicùt enim Deus unitur intellectui in ratione ſummæ lucis, prout vidimus; ſic etiam unitur voluntati in ratione ſummi boni. Qua unione ordinatur charitas, media qua anima ſuo Dilecto ſuaviſsimè fruitur. Ibi ſumma pace gaudet, quam egregiè depinxit Richardus ad illa verba Pſalm. 4. *In pace, in idipſum dormiam, & requieſcam.* Vbi ait: *Pace ſua mens humana tunc veracitèr perfruitur, quandò in id, quod de Divina dulcedine ſentit, tota reſolvitur.* Et poſtmodùm: *Hæc eſt illa pax, in qua anima obdormit: pax, quæ mentem ad interiora rapit: pax, quæ exteriorum omnium memoriam intercipit, quæ ingenij acumen exuperat, quæ rationis lumen reverberat, quæ deſiderium cordis replet, quæ omnem intellectum abſorvet.*

Hac pace perfuſa anima in ſinu Sponſi ſui, ſibi realitèr iam uniti, conquieſcit ſuavitèr, delectabilitèr, deliciosè, tanquàm in proprio centro, non habens iam quid requirat, præter intuitivam viſionem illius, quem iam conſequuta eſt. Quem feliciſsimum ſtatum

deſcribens Gerſon tom. 3. de Myſtica Theolog. practica, conſiderat. 42. ſic eloquentiſsimè ait: *Attribuimus* itaquè Spiritui Sancto bonitatem, & ad hanc tendit vis concupiſcibilis: attribuimus Filio veritatem, & ad hanc tendit vis rationalis: attribuimus Patri potentiam, maieſtatem, & gloriam, & ad hoc tendit vis iraſcibilis. Oportet igitur, ut his viribus ſatiatis per coniunctionem cuiuslibet cum ſuo ſupremo appetibili, anima rationalis totalitèr ſatietur, quietetur, & ſtabiliatur: nam ſi delectatio in bono conveniente, & voluptatis ſuavitate quæritur, quid de animæ voluptate (beatæ maximè) ſentiendum eſt? Audiamus quid Propheta dicit ad Dominum: Torrente voluptatis tuæ potabis eos &c. Deus ergo finis eſt animæ, & ultima eius perfectio: ipſe eſt velùt centrum, & locus naturalis omnium deſideriorum ſuorum: Dum ergo in ſe deficit anima in ſalutare Dei, velùt ad nihilum redacta, nulli iam alteri, nec ſibimet innititur, ſed ſoli Deo, ut ſuæ dulcedini, ut ſuæ veritati, ut ſuæ glorificationi; dicens pro primò: Renuit conſolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus ſum. Dicens pro ſecundo: Nihil arbitratus ſum me ſcire, niſi Ieſum Chriſtum, factus ſtultus propter ipſum. Dicens pro tertiò: Vtinàm qui gloriatur in Domino glorietur. Ac proindè non habens quò ulteriùs tendat, aut quid ultrà requirat, quietatur anima in Deo, atque ſtabilitur, poſsidens in eo omnia, *cætera que contemnens, atque parvipendens.*

In his verbis comprehendit eximius hic Theologus quicquid ipſe cum alijs docet de effectibus, quos in anima cauſat Matrimonium ſpirituale, quos que lectoribus in præſenti offerimus methodo diverſa conſcriptos. Hæc omnia ab illa ardentiſsima charitate, qua anima flagrat, proveniunt: ijs que dulciſsimè deliciatur Sponſo ſuo fruens. Hanc ergo fruitionem ſumptam pro habitu, poſſe quodammodò dici dotem animæ viatoris aſſerimus. Quandoquidèm in ipſa concurrunt tres conditiones pro dotibus requiſitæ, ſicùt de viſione dicebamus. Eſt quippè charitas hæc ſummæ intenſa ornatus, quo anima decoratur ad Matrimonium in eundum. Non confertur ante Matrimonium, nec datur ſine habitudine ad Sponſum, quem immediatè tanquàm ſui obiectum reſpicit.

48. Eaſdem conditiones reperio in *comprehenſione.* Vndè illam debeo inter dotes Matrimonij ſpiritualis viæ collocare. Accedit: quòd definitio doris ſuprapoſita convenit comprehenſioni. Eſt enim *ornatus animæ*, ipſi datus cum habitudine ad Sponſum: eſt *Vitæ ſufficiens*; quia anima in comprehenſione, ſeu tentione ſui Sponſi omnem ſuam ſufficientiam habet. Eſt deniquè in *beatitudine* ſpiritualis Matrimonij viæ *iugitèr perſeverans*; quia nequit verificari comprehenſio ſine Matrimonio nec Matrimonium ſine comprehenſione. Vndè modò, quo unio fruitiva in tertio ſui gradu dicitur Matrimonium, dicimus, comprehenſionem eſſe dotem.

49. Hanc comprehenſionem diximus num. 41. eſſe relationem voluntatis ad Deum, ut præſentem per viſionem, connotando remotionem omnium impedimentorum, quæ illi reali, & effectivæ Dei præſentiæ obeſſe queunt. Per hoc quod *comprehenſio* connotet remotionem impedimentorum, oſtenditur ſecuritas, qua anima gaudet, & quieta tranquillitas, qua perfunditur, dum ſuum dulciſsimum Sponſum comprehendit, ſeu tenet. Quod præcipuè, perfectè verùm eſt de tranquillitate habita in gloria, in qua omnia obſtantia, aut etiam leviſsimè hanc tentionem impedientia penitùs amputata ſunt. Aſt hoc ipſum ſuo modo verificatur de anima viatoris ad Matrimonium evecta. Hæc quippè virtute examinum præcedentium perfectè defæcata ſarcinam vitiorum depoſuit, portionem infimam ſuperiori ſubiugavit. Quibus trophæis ovans canit, uti in ipſius perſona facit Myſti-

cus

cus Noſt. Doctor lib. 1. Aſcenſ. Cant. 1.

En una noche obſcura
Con anſias en amores inflamada:
O dichoſa ventura!
Salì ſin ſer notada,
Eſtando ya mi caſa ſoſſegada.

Et Cantilena 3. eandem veritatem evulgat dicens:

En la noche dichoſa,
En ſecreto que nadie me veia,
Ni yo miraba coſa,
Sin otra luz, ni guia,
Sino la que en el corazon ardia.

Vividiùs autem hoc ipſum exprimit in Cantico ſpirituali Cantilena ultima cuius profundam expoſitionem qui viderit, planè cognoſcet, eſſe ad mentem Sancti Doctoris, quæ tradidimus. Ait ergo:

Que nadie me miraba,
Aminadab tampoco parecia,
I el cerco ſoſſegaba,
I la Cabal'eria
A viſta de las aguas deſcendia.

Ex his omnibus deducitur, etiam in via animas Perfectorum gaudere illa remotione impedientium præſentiam realem Dei in illis.

In recto dicit comprehenſio habitudinem, ſeu relationem voluntatis ad Deum, ut per *viſionem* præſentem. Quòd non ſolùm eſt verum de voluntate in patria, ſed etiam in via. Anima enim poſtquàm Matrimonium inivit, reſpectum ſpecialem dicit ad ipſum, quem comprehendit. Et hoc eſt, quod ei evenit in octavo gradu ſcalæ amoris, qui eſt *ſtringere indiſſolubiliter*. Et hoc *ſtringere* nihil aliud eſt, quàm comprehendere, ſeu *comprehenſio*, de qua loquimur. De hac que comprehenſione, qua ſuum Sponſum tenet, gloriatur anima ſancta cap. 3. Cantic. verſ. 4. ijs verbis: *Inveni, quem diligit anima mea. Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum Matris meæ, & in cubiculum Genitricis meæ.* Hoc eſt, exponit D. Thom. *Ardentiſsima fide, & devotione illi inhæſi nec dimittam eum, ſed in eius amore, & fide perſeverabo, donec introducam eum &c.* Præclarè D. Bernardus ſerm. 79. in Cant. obſervat, Sponſum à Sponſa introductum in domum, & in cubiculum. In domum introducitur, ut afferens ſalutem omnibus iuſtis communem. At introducitur in cubiculum, ut perfectis gratiam ſpecialem concedens. Mellea Sancti Doctoris verba exhibeo: *Sufficiebat ad ſalutem, ſi domum intraret: at ſecreti cubiculum ſignat gratiam. Hodie, ait, huic domui ſalus facta eſt. Quid niſi domeſticis ſalus, Salvatore ingreſſo domum? Sed quæ in cubiculum meretur recipere, ſeorſim habet ſecretum ſuum ſibi. Salus domui ſit. Thalamo deliciæ reconduntur.*

In eodem ſermone agens de charitatis vinculo, quo anima perfecta Deum indiſſolubiliter ſtringi tenet que, ſic eloquentiſsimè procedit melifluus Pater: *Quid hoc tenacius glutino, quod nec aquis eluitur, nec ventis diſſolvitur, nec ſcinditur gladijs? Denique aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem. Tenui eum nec dimittam. Et Sanctus Patriarcha: Non te, inquit, dimittam, niſi benedixeris mihi. Ita iſta non vult eum dimittere. Et fortè magis quam Patriarcha non vult, quia nec pro benedictione quidèm. Siquidèm ille benedictione accepta dimiſit; hæc autem non ſic. Nolo, inquit, benedictionem tuam, ſed te. Quid enim mihi eſt in Cælo, & à te quid volui ſuper terram? Non dimittam te, nec ſi benedixeris mihi. Tenui, nec dimittam.* Sic anima ſancta comprehendit, ſeu tenet Sponſum, qui illam paritèr tenet; & ab ipſa teneri deſiderat, ut proſequitur idem D. Bernardus dicens: *Nec minus forſitàn ille teneri vult, cum perhibeat dicens: Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum. Quod que pollicens ait: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi. Quid hac copula fortius, quæ una duorum tam vehementi voluntate firmata eſt?*

51. Dicta ſat fuerint ad ſtabiliendum numerum ternarium dotium, quas ani-

mæ viatoris ad Matrimonium elevatæ concedi ſtatuimus. Non quia ipſis rationem dotis propriè, & formaliter talem concedamus; ſed ad eum modum, quo unio fruitiva animæ cum Deo, dum eſt in tertio ſui gradu dicitur Matrimonium: quod quidèm non propriè dicitur, ut liquet ex ijs, quæ ſupra dedimus. Aut etiam poſſunt dici dotes, quia ſi aliquæ dotes concedendæ forent animæ viatoris ad Matrimonium aſcendenti, forent iſtæ, & non aliæ. Sicùt de ijſdem viſione, fruitione, & comprehenſione dicitur relatè ad Sanctiſsimam animam Chriſti Domini, & ad Angelos. Iſtis quippè non conferuntur dotes; ſi tamen conferuntur, iſtæ, & non aliæ, eſſent. Aut etiam ſicùt prædicatum Divinum, quod non poteſt non connotare creaturas ab ijs quippè non ſpecificatur. Dicuntur tamen & creaturæ ſpecificativum virtuale illius prædicati, quia ſi illud ab aliquo extrinſeco ſpeciem capere poſſet, illam caperet ab illis creaturis, & non ab alijs. Idem, & fermè in eodem ſenſu dicimus de dotibus animæ viatoris. Quocircà animæ ad viæ Matrimonium aſſumptæ dicimus dotes, quæ quodammodò tales ſint, conferri. Et quia ſpirituale viæ Matrimonium eſt idem inchoativè cum perfecto Matrimonio patriæ; idcircò eaſdem tres animæ dotes illi aſsignamus, cum diſcrimine conſiſtente in eo, quòd dotes patriæ ſunt propriè, & perfectè tales, & dotes viæ ſunt tales impropriè, & imperfectè. Nec alias dotes exigere poſſet Matrimonium imperfectum.

§. II.

Argumenta.

52. PRopoſitum aſſertum poteſt ex multiplici capite arietari. Primum eſt, quod ſuadere intendat, viſionem, fruitionem, & comprehenſionem nullatenùs habere rationem dotis. Illum autem, qui hoc principio uti velit, remittimus ad Theologos, quorum directè eſt, obiectionibus ab eo principio imminentibus ſatisfacere. Nos autem, nec probavimus, ſed ſuppoſuimus tria illa dotes eſſe animæ ad Matrimonium conſummatum admiſſa; nec argumentis contrarium ſuadere conantibus occurrere, tenemur. Secundum eſt, quod neget conferri aliquandò dotes animæ viatoris. Et hoc principium, argumenta que ab illo petita efficaciſsima eſſe, fatemur contra illum, qui dotes propriè, & perfectè tales concederet. An autem, eandem vel aliquam efficaciam habeant contra nos, qui tales dotes concedimus, quales toto §. præcedenti, & præcipuè num. 51. deſcripſimus? iudicent viri docti. Vndè argumenta ab hoc ſecundo principio petita omittimus, ut potè contra nos minimè procedentia. Idem dicimus de illis, quæ à primo principio deſumuntur, niſi contrarium quandoquè occaſio poſtulaverit.

53. Aliundè autem arguitur ſic primò. Fides Theologica nequit eſſe dos animæ viatoris: ergo huius dotes non ſunt illæ tres, quas aſsignavimus. Probatur antecedens primò. Dos animæ viatoris eſt inchoatio dotis animæ comprehenſoris: ſed fides non eſt inchoatio dotis animæ comprehenſoris: ergo. Illatio bona eſt, & præmiſſæ videntur certæ. Maior quidèm à paritate aliarum dotium, ſcilicèt fruitionis, & comprehenſionis, quæ in via ſunt inchoatio fruitionis, & comprehenſionis patriæ. Rursùs: à paritate Matrimonij ſpiritualis viæ, quod eſt inchoatio Matrimonij perfecti. Et idem eſt de beatitudine viæ relatè ad beatitudinem conſummatam. Minor, verò, etiam videtur certa: quia id, quod eſt inchoatio reſpectu alicuius, non deſtruitur, ſed perficitur per adventum illius: ſed fides non perficitur, ſed deſtruitur per adventum dotis animæ comprehenſoris, ut per ſe patet: ergo.

Reſpondetur negando antecedens.

Ad

Ad probationem distinguo maiorem, *inchoatio* sive perficienda, sive evacuanda, concedo: præcisè perficienda nego maiorem. Inter ea, quæ ad ordinem gratiæ vialis spectant, alia dicunt incompossibilitatem cum gratia consummata, & alia non. Quæ sunt primi generis, adveniente gratiæ consummatione evacuantur & non perficiuntur. Quæ sunt secundi generis, perficiuntur, & non evacuantur. Primi generis est fides, & ideò in gloriæ conspectu destruitur. Secundi generis sunt aliæ duæ dotes; & ideò utraque in gloria perficitur. Ratio huius ea est, quòd fruitio, & comprehensio sunt dotes non solùm pro Matrimonio inchoato; sed etiam pro Matrimonio perfecto. Vndè, eo præsente, perseverant, sicùt perseverat eadem charitas, à qua sunt. Fides est dos solummodò Matrimonij inchoati: ac subindè per consummatum destruitur, sicùt & spes. Ratio huius rationis indè petenda est: quòd fruitio, & comprehensio sunt à charitate, quæ eadem est in solo, & in Cælo. Et aliundè charitas nequit frui bono, quod præsens non sit, nec illud tenere, si sit absens. Vndè exigit quòd Deus sit sibi realitèr præsens, ut illo frui, & ipsum tenere queat. Quocircà tàm in gloria, ubi illum perfectissimè præsentem habet, quàm in via, ubi in Matrimonio spirituali habet ipsum realitèr præsentem, ut suprà diximus, fruitur Deo, ipsum que tenet. Et hoc est motivum, ob quod fruitio, & comprehensio viæ perficiuntur in patria. Fides non habet prædicatum, per quod ei repugnet Dei realis præsentia; habet tamen positivam incõpatibilitatem cum Dei intuitione. Eòque hac adveniente evacuatur: & cum præsentia obscura Dei habita in Matrimonio inchoato perseverat, faciens in illo, quod in Matrimonio consummato facit lumen gloriæ.

54. Dices: quod est essentialitèr obscurum, nequit facere in Matrimonio inchoato, quod in consummato facit lumen gloriæ, quod est essentialitèr clarum: sed fides est essentialitèr obscura: ergo. Probatur maior. Si fides faceret in Matrimonio inchoato, quod in consummato lumen gloriæ, fides esset vicaria luminis: Implicat, quòd essentialitèr obscurum suppleat vices essentialitèr clari: ergo.

Respondetur negando maiorem. Ad probationem distinguo maiorem, *Vicaria* quoad id, quod habet à lumine, concedo: quoad alia nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris nego consequentiam. Solutio liquet ex dictis tom. 1. disput. 1. numer. 232. ubi diximus, fidem esse infallibilem, & obscuram. Obscuritatem habet à se; non à lumine. Vndè in hoc nec luminis, nec alterius rei vicaria est: in eo enim, quod quis à se habet, alterius vices haùd suppleet. In infallibilitate gerit vices luminis gloriæ. Et ratione infallibilitatis, quam habet, est dos in Matrimonio inchoato, quod, qua parte inchoatum est, non excludit certitudinem; quin potùs illam exigit: qua verò parte est Matrimonium spirituale, non pugnat cum claritate cùm per illam perficiatur.

55. Replicabis sic inferens. Ergo fides, prout est dos animæ viatoris manet in patria. Probas consequentiam: fides est dos ratione infallibilitatis: sed fides ratione infallibilitatis non est incompatibilis cum gloria: ergo manet in illa. Patet ista, tum; ex se. Tum: a paritate fruitionis, & comprehensionis viæ, quæ, quia nullum prædicatum habent, quod dicat incompatibilitatem cum gloria, perseverant in ea, & ab ipsa perficiuntur. Maior concessa à nobis est, & minor videtur per se nota.

Respondetur negando consequentiam. Ad probationem distinguo minorem, *infallibilitatis* ut sic, concedo: propriæ fidei, nego minorem. Infallibilitas fidei est extrinseca, & propter testimonium dicentis. Infallibilitas quæ est in gloria est scientifica. Quandoquidèm in Civitate Dei nostri, & in

Mon-

Monte Sancto eius verum eſt illud: *Sicut audiuimus, ſic vidimus.* Vndè tàm obſcuritas, quàm certitudo fidei diſparent adveniente gloria. Quod non eſt ſimile de fruitione, & comprehenſione, quia cùm ſint à charitate, terminantur ad Deum, utiquè ut realitèr præſentem; ſed ſub ratione abſtrahente à viſo, & non viſo: ac proindè cum ad præſentiam Dei non viſi ſubſequitur viſio Dei, perſeverant fruitio, & comprehenſio, & perficiuntur. Quod liquet à ſimili charitatis, quæ quia Deum attingit ſub ratione abſtrahente, non ſolùm à viſione, ſed etiam à præſentia, & abſentia; idcircò eſt eadem, perfectior tamèn, in patria, & in via: quamquàm in via nunquàm habuerit Deum præſentem, ut habetur in Matrimonio; ſed abſentem, ut habetur in ſponſalitio, & alijs gradibus inferioribus.

56. Arguitur 2. Dos, quæ eſt *viſio*, eſt habitus, cuius actus eſt viſio, ſeù videre actuale: Actus fidei non eſt *videre*, ſeù *viſio*: ergo fides non eſt dos. Maior conſtat ex dictis, & minor probatur. Actus fidei, non deſtruit, ſed perficit fidem, ſicùt generalitèr evenit omnibus habitibus, qui actibus, quos eliciunt, perficiuntur: ſed *viſio* fidem deſtruit; quippè fides eſt *credere, quod non vides*, ſeù *argumentum non apparentium*, ut alibi ex D. Paulo, & ex D. Auguſt. dicebamus: ergo actus fidei non eſt *viſio*.

Reſpondetur conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: non eſt *viſio*, ſumpta viſione pro certitudinali cognitione, nego: ſumpta pro claritate, ſubdiſtinguo, in ſe ipſo, concedo: in eo, quod ipſi actui ſuccedit, nego minorem. Ad eius probationem diſtinguo minorem, *viſio* ſumpta pro certitudine, nego: pro claritate, ſubdiſtinguo, *fidem deſtruit* in ſe, concedo: in eo, quod illi ſuccedit, & in quo poteſt dici, quòd fides ipſa permanet, nego minorem. Solutio eſt D. Thom. locis referendis, eàque & præſens argumentum enodatur, & præcedentis ſolutio ampliùs aperitur. Itaque *viſio* non ſolùm ſignat cognitionem evidentem, ſed etiam ſignificat certitudinalem cognitionem, ut docet Sanctus Thom. de verit. quæſt. 14. art. 2. dicens: *Ad 15. dicendum, quòd cognitio duo poteſt importare, ſcilicèt viſionem, & aſſenſum, & quantum ad viſionem contra fidem diſtinguitur. Vndè Gregorius dicit, quòd viſa non habent fidem, ſed cognitionem &c. Sed quantum ad certitudinem aſſenſùs fides eſt cognitio, ratione cuius poteſt dici ſcientia, & viſio, ſecundùm illud 1. Corinth. 13. Videmus uunc per ſpeculum &c. & hoc eſt quod Auguſt. dicit in lib. de videndo Deum: ſi ſcire non inconvenientèr dicimur illud, quod certiſſimum credimus, hinc eſt, ut credita rectè, etſi non adſint ſenſibus noſtris, videre mente dicamur.*

Idem docet ſuper Pſalm. 35. ad illa verba: *Prætende miſericordiam tuam ſcientibus te.* Vbi exponit: *Scientibus te per fidem, ſcilicèt, & vocat cognitionem ſcientiam propter certam inhæſionem.* Et in 3. diſt. 35. quæſt. 1. art. 2. quæſtiunc. 2. ait: *Hoc ipſum nomen contemplationis importat, quod viſionem ſignificat.* Et rectè quidèm: nam contemplatio eſt *ſimplex intuitus*, ut ex ipſo Doctore Angelico docent Myſtici Scriptores. Vndè cum contemplatio ſit iuxta eundem Sanctum Doctorem actus fidei illuſtratæ, ut pluribus probavimus diſput. 13. fit conſequens, quòd iuxta ipſius mentem actus fidei ſit viſio modo dicto; atque ideò ipſa fides eſt eodem modo viſio habitualis. Cuius doctrinæ pulchram aliam cauſam dedimus ex eodem diſput. 12. num. 36.

His explicata manet prima illa diſtinctio, oſtenſum que viſionem actualem ſumptam pro certitudinale cognitione eſſe actum fidei, quæ per talem actum non deſtruitur, ſed perficitur. Sumptum verò pro cognitione evidenti dicimus deſtruere fidem in ſe ipſa conſideratam; non autem fidem pro eo, quod ad ipſam ſubſequitur. Hoc

enim

enim est lumen gloriæ, quod essentialitèr clarum est. Quod idem est, ac dicere, quod manebit fides, quatenùs cognitio est, & quatenùs spiritualis ædificij fundamentum est, prout docet D. Thom. in 3. dist. 31. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 1. ubi ait: *Ad 1. ergo dicendum, quòd quantum ad id, quod habet de cognitione, fides est fundamentum, non quantum ad id, quod habet de ænigmate: undè quantum ad id quod est fundamentum, manebit in gloria.* Hinc que cognoscere poteris esse demente D. Thom. id, quod diximus numer. 55. videlicèt, fidem ratione infallibilitatis esse dotem animæ viatoris. Dos enim est quatenùs est fundamentum spiritualis ædificij, & hoc habet fides, non in quantum *habet de ænigmate, sed quantum ad id, quod habet de cognitione*, quæ absdubio infallibilis est.

57. Dices: Fides prout est fundamentum spiritualis ædificij, seu prout est cognitio, manet in gloria: sed prout sic est dos: ergo prout dos manet in gloria. Ergo nullum est discrimen inter visionem ex una parte, & fruitionem, & comprehensionem ex alia.

Respondetur distinguendo maiorem: *manet* genericè, concedo; numericè, nego maiorem. Solutionem iam insinuavimus replicam ex num. 55. dissolventes. Illà que textum D. Thom. immediatè adductum explicamus. Vndè dicimus, intelligendum esse de permanentia fidei in esse cognitionis ut sic, seu genericè, non autem numericè. Sic que D. Thomam exponimus ex ipso D. Thoma inibi quæstiunc. 3. dicente: quod ablatio eius, quod est de substantia rei, inducit corruptionem rei; non autem ablatio eius, quod est rei accidentale. Imperfectio, quam gloria tollit à fide, est substantia fidei, & imperfectio, quam tollit a charitate, est accidentalis charitati. Vndè adveniente gloria, manet eadem charitas numericè, & non manet nisi genericè fides, quæ est dos animæ viatoris. Et hoc nobis non opponitur. Videatur D. Thomas toto eo art. 1. & 4. & etiam 2. 2. quæst. 67. art. 5.

58. Arguitur 3. Spei Theologicæ conveniunt conditiones dotis: ergo est dos animæ viatoris. Ergo huius dotes non sunt tantùm tres. Cætera liquent, & antecedens probatur. Nam spes confertur Sponsæ cum habitudine ad Sponsum, qui spei obiectum est: deindè spes summè perfecta non confertur, sicùt & perfectissima fides, usque dùm anima viatoris ad Matrimonium introducitur. Est deniquè ornatus animæ influens in Matrimonium: ergo habet dotis conditiones.

Respondetur negando antecedens. Ad probationem dicas: Quod dos animæ licèt influat in Matrimonium, debet ipsi Matrimonio coexistere, ex eo, quod est animæ ornatùs: secùs enim Sponsa, dum Matrimonium contrahit ornatum deponere cogeretur. Spes non coexistit Matrimonio spirituali. Nam spes est essentialitèr motus in Matrimonium spirituale consummatum, & inchoatum. Adveniente Matrimonio cõsummato, quod est simplicitèr Matrimonium, cessat simplicitèr, & omnimodè spes. Adveniente verò Matrimonio inchoato, manet quidèm spes quoad motum sibi essentialem in terminum simplicitèr ultimum, cessat tamèn, ut est motus in Matrimonium inchoatum; quia adveniente termino motùs, motus cessat. Vndè nequit illi coexistere. Radix huius doctrinæ desumi debet ex eo, quod in tota hac disputatione, & alijs præ oculis habendum est. Videlicèt, quòd, ut suprà dicebamus, ultrà assistentiam illam physicam, quam Deus habet in omnibus iustis ratione gratiæ sanctificãtis de qua fusè disputavimus supra contra Illust. Godoy, datur alia unio realis, & effectiva, pro qua anima viatoris suspirat; hæc non obtinetur, usque dùm beatitudo obtineatur. Et quia beatitudo, ut sæpissimè diximus, est duplex, una perfecta, & imperfecta alia; nequit anima obtinere

unio-

unionem realem cum Deo, niſi beatitudinem perfectam, aut imperfectam conſequatur. In has beatitudines movetur anima media ſpe. Vndè conſecuta beatitudine perfecta, ceſſat penitùs motus in beatitudinem, ac per conſequens ceſſat ſpes. Conſecuta verò beatitudine imperfecta, ſeu viæ Matrimonio ſpirituali, ceſſat ſpes relatè ad illud, quia iam anima poſsidet realiter illum, quẽ ſolicitè conquirebat. Et quia adhùc non poſsidet ſimplicitèr, & perfectè Deum, manet motus animæ ad perfectam poſſeſsionẽ illius; atque ideò manet ſimplicitèr ſpes. Sed quæ nequeat eſſe dos Matrimonij inchoati, aut conſummati: non primi; quia relatè ad illud ceſſavit; ſed nec ſecundi; quia, cùm illud adveniat, ſimplicitèr ceſſabit. Vndè neutri coexiſtit, prout eſt motus in illud. Contrarium evenit in fide, quæ uſque ad conſecutionem Matrimonij conſummati nullatenùs evacuatur. Ac ſubindè coexiſtens Matrimonio inchoato, & exiſtens in conſpectu præſentiæ realis Dei, quæ habetur in Matrimonio inchoato, eſt dos animæ viatoris ad illud ſublimati.

59. Dices: Sicùt ſpes diſparet adepto termino, ſic & fides in præſentia reali ſui obiecti: ſed fidem manere diximus in præſentia reali Dei habita in Matrimonio inchoato: ergo etiam manet ſpes. Ergo utraque, vel nulla habet rationem dotis.

Reſpondetur diſtinguendo maiorem, *reali* intuitiva, concedo: obſcura, nego maiorem. Fides non evacuatur niſi per facialem viſionem ſui obiecti. Et, ut diximus diſp. 23. quæſt. 3. aliud eſt, quòd anima habeat Deum realitèr præſentem; & aliud, quòd illum intueatur. Primum non evacuat fidem; ſed ſecundum, ut docet D. Thomas 2.2. quæſt. 5. art. 1. per hæc verba: *Illa ſola manifeſtatio excludit fidei rationem, per quam redditur apparens vel viſum id, de quo principaliter eſt fides.* Vnico verbo dicam. Quod fidei opponitur claritas, & ſpei opponitur poſſeſsio. Si res poſsidetur quamvis non videatur, ceſſat ſpes. Si videtur, ceſſat fides. Quocirca in Matrimonio conſummato animæ evacuantur fides, & ſpes; quia Deus videtur, & poſsidetur: in Matrimonio inchoato nullatenùs ceſſat fides, quia obiectum nullo modo videtur: ceſſat tamèn ſecundumquid ſpes, quia Deus quodammodò poſsidetur.

60. Replicabis: Fides eſt ſolùm objecti abſentis: ergo datum diſcrimen non tenet. Probatur antecedens. Fides eſt rerum ſperandarum, ut liquet ex eius definitione: ſed res quæ ſperantur, abſentes ſunt: ergo.

Reſpondetur negando antecedens. Vt enim diximus in Iſagoge lib. 1. num. 153. ſpes ſolummodò ad futura, ſeu abſentia extenditur; fides verò etiam ad præſentia, preterita que terminatur. Dicitur autem ſperandarum rerum propter beatitudinem conſummatam, quæ, durante viatorum ſtatu, ſemper futura eſt. Et ob hoc dicitur ſperandarum rerum; licèt etiam terminetur ad ea, quæ ſperare nefas foret, ut Verbum carnem ſumpſiſſe & alia. Et quamqàm beatitudo gloriæ ſit una, dicitur tamèn fides rerum ſperandarum, ob plurima, quibus frui ſperamus, quæ tanqàm in radice continentur in beatifica viſione, quam omnes, quoad ſuperſtites ſumus, ſperamus, proùt docet D. Thom. in ad Hæbreos cap. 11. Angelicè explanans definitionẽ fidei ab Apoſtolo traditam.

In calce huius quæſtionis obſervare volumus, quòd licèt contra dotem *comprehenſionis* ſint plura dubia, vt videlicèt, an illa relatio voluntatis Deum tenentis ad ipſum Deum, ut præſentialitèr viſum ſit rationis, aut realis, ſit tranſcẽdẽtalis, aut prædicamẽtalis? & alia. Et ſimilitèr ſunt plurima argumenta reſolutionem impugnãtia. Ab ijs tamèn omnibus ſupersedemus propter dicta num. 52. Vndè qui hæc omnia videre cupiat, Theologos adeat, quos ſupra dedimus: res enim hæc potiùs à nobis ſupponenda eſt, quàm diſcutienda.

****

QVÆS-

QVÆSTIO QVARTA.

VTRVM DEVS IVSTO AD VIÆ SPIRITVALE MATRIMONIUM elevato conferat Dotes corporis?

POst dotes animæ dotes corporis vocant nos. Quandoquidèm in patria non ſolùm anima ſuis dotibus gaudet, ſed etiam corpus habet ſuas. Vndè cum Matrimonium inchoatum ſit huius vitæ beatitudo; idcircò poſtquàm noſtrum dictamen revelavimus circa animæ dotes, par eſt, ut illud etiam circa dotes corporis revelemus.

§. I.

Brevem obſervationem præmitto, dotes corporis recenſeo, & dirimo controverſiam.

61. EOdem modo intelligendum eſt quæſitum præſens, ac præcedens. Vndè non inquirimus: An corpus viatoris habeat propriè dotes corporis comprehenſoris? hoc quippè inane eſſet, & proprijſsimè tempus terere. Agimus ergo de his dotibus, ſicùt egimus de dotibus animæ. Quocircà munus, quod aſſumimus, dirigitur ad explorandum, an reperiantur in corpore viatoris illæ ipſæ dotes, quibus fulgent corpora comprehenſorum? Quamquàm non conferantur in ratione dotium propriè talium, nec ea proprietate eas habeant viatores, qua comprehenſores habent; ſed cum proportione ad Matrimonium, ad quod interdùm aſſumuntur: quod Matrimonium improprium eſſe, liquet ex omnibus ſupradictis. Et ſicùt dubium præcedens determinavimus habentes pro norma definitionem dotis, & conditiones quas pro dotibus requirunt Theologi, & Iuriſperiti, quaſque num. 39. obtulimus: ſic etiam & in præſenti eadem menſurà, quicquid dicendum erit, curabimus menſurare.

62. Ad numerum harum dotium accedentes dicimus, eſſe quatuor. Sic communitèr docent Theologi, quibus adhæremus non diſputantes, ſed ſupponentes, quod ipſi circa præſentem materiam docent, ut circa dubium ante actum dicebamus. Hæ quatuor dotes ſunt *Subtilitas*, *Impaſsibilitas*, *Claritas*, & *Agilitas*. Sufficientiam huius numeri aſsignat D. Thomas in 4. diſt. 49. quæſt. 4. art. 5. & ſuper 1. ad Corinth. cap. 15. lect. 6. ex quibus, & ex ijs, quæ docet in 4. diſtinct. 44. quæſt. 2. ſcimus, quòd forma rationalis, & eſt forma corporis, & eſt ipſius motrix. Quatenùs forma corporis dat illi eſſe ſubſtantiale, ipſum que in eo conſervat, & inſupèr præſtat illi vires, & formas ſecundarias, ſcilicèt accidentales, quas etiam ut forma conſervat. Quatenùs corporis motrix, illud ſibi perfectè ſubijcit quoad motus, ut illud quocunquè ferat pro ipſius animæ arbitrio, ſine aliqua ex parte corporis, vel minima reſiſtentia.

Ex eo autem, quòd anima ut forma corporis præbet illi *eſſe* ſubſtantiale, habetur, quòd anima glorificata præſtet hoc *eſſe* ſubſtantiale, ità perfectè, ut corpus ſibi plenè ſubdat, & materiæ capacitatem vel penitùs expleat, vel prorsùs liget, ita ut longè ſit ab eo, quod veracitèr de illa ſcripſit Philoſophus 1. Phyſicor. capit. ultimo dicens: *Materiam non ſatiatam formà machinare maleficium.* Satiatur ergo plenè materia per animam beatam corpus ſibi perfectiſsimè ſubijcientem, & in ipſum proprias ipſius animæ conditiones

derivantem. Anima rationalis ſpiritus eſt; & cùm plenè corpus informat, illud ita ſubtilizat, ut ſpiritus videatur. Dicente D. Paulo loco citat. ex ad Corinth. *Seminatur corpus animale, reſurget corpus ſpirituale.* Fermè quantum diſtat animalitas ab ſpiritualitate, tantum diſtat corpus, dum ſeminatur in morte, à corpore reſurgente ad vitam. Quod diſcrimen provenit ab eiuſdem animæ diverſiſsima informatione. Ante mortem non plenè dominabatur corpori, nec materiæ ambitioſam ſolicitudinem ſatiabat, quam poſt reſurrectionem plenè ſatiat, & explet corporis abſoluta dominatrix. Ex hac abſolutiſsima corporis ad animam ſubjectione reſultat corpus adeò ſpirituale, & ſubtile, ut, ſicùt dicebamus priùs, ſpiritus videatur. Et in hoc conſiſtit dos ſubtilitatis, ut locis citatis tradit Sanctus Thomas, & præcipuè art. 2. ex illa diſtinct. 44. ubi ait: *Complexio, ex quâ corpora humana ſubtilia dicentur, erit ex dominio animæ glorificatæ, quæ eſt forma corporis, ſuper ipſum, ratione cuius corpus glorioſum ſpirituale dicitur, quaſi omninò ſpiritui ſubiectum.*

63. Traditum prædominium animæ glorificatæ in corpus poteſt ſumi dupliciter. Primò quatenùs tale prædominium, ut ſe tenet ex parte materiæ ſatiatæ ſolummodò reſpiciat formam ſatiantem, & ut ſe tenet ex parte formæ ſatiantis nihil aliud reſpicere exprimat, præter materiam ſatiatam. In eo que proùt ſic radicatur dos ſubtilitatis. Secundò poteſt ſumi quatenùs reſpicit omnia nociva, quæ corpori poſſunt nocumentum inferre, illa que avertit, ne talem nocumentum incutiant. Et in hac ſecuritate à quocunque lædente ſtat dos Impaſsibilitatis. ¶ Ab eadem perfectiſsima ſubiectione corporis ad animam, ut formam tribuentem formas accidentales, quas corpus ab anima habet, conſequitur iſta dotem claritatis. *In quantum verò perfectè ſubditur ei, ut formæ ſecundùm accidentales formas, quæ ſunt in corpore ab anima, ſic eſt dos Claritatis*, ait Div. Thomas citata diſt. 49. art. 5.

Diximus, corpus humanum ſubijci animæ rationali ut motrici. Tunc que perfectiſsima erit hæc ſubiectio, quandò anima in gloria corpori pleniſsimè dominetur, ita ut eius arbitrio ſine reſiſtentia moveatur. Et hæc eſt Agilitatis dos, ut ex ſe affatim notum eſt.

64. Ex dictis colligere debes. Dotem Subtilitatis eſſe omnium aliarum veluti cauſam. Quod clariſsimè docuit D. Thomas loco citat. ex diſt. 44. dicens: *Prima autem ſubiectio, qua corpus animæ ſubijcitur, eſt ad participandum eſſe ſpecificum, & deindè ſubijcitur ei ad alia opera animæ, proùt anima eſt motor; ideò prima ratio ſpiritualitatis in corpore eſt ex ſubtilitate.* In ipſa autem anima tribuente *eſſe* ſpecificum, ita vigorosè ut Materiæ potentialitatem expleat, diſtinguenda eſt ipſa expletio potentialitatis in ſe, & expletio potentialitatis cum reſpectu ad nocumenta. Quia licèt utrumque præſtet ſimùl eadem anima, diverſa tamen expreſsio eſt expletio, ſeu completio materiæ in ſe ab expletione materiæ quoad nociva: ſicut diverſa expreſsio eſt, quòd *unum ſit ens indiviſum in ſe, & quòd ſit diviſum à quolibet alio.* Ab eo, quòd anima perfectè ſubijciat corpus in ſe, habetur, ut dictum eſt, *Subtilitas.* Et à ſecunda expreſsione, quæ intelligitur conſervare corpus à nocivis, habetur *Impaſsibilitas.* Rursùs priùs anima communicat corpori *eſſe* ſpecificum formalitèr tale, quàm *eſſe* ſpecificum completivè, ſeù quoad omnia, quæ etiam conſequentèr dicit. Vndè ſubſequitur ſubiectio corporis quoad formas accidentales, ex qua reſultat *Claritas.* Demùm. Priùs anima intelligitur ſubdere corpus ſibi, tanquàm formæ, quàm illud ſubdere ſibi ut motrici: eòque poſt omnia præiacta habetur *Agilitas.* Conſtat igitur ex propoſito diſcurſu numerus dotium corporis glorificati. Conſtat & ordo, ſub quo anima corpus plenè ſubijciente, dimanent.

Conſ-

Constat deniquè, dotes has esse aliquid realitèr distinctum ab anima, ab ipsa dimanativè proveniens, & corpori impressum.

Hæc omnia plures difficultates contra se habere, non dubitamus, sed earum expeditio aliena est à nostro instituto; undè non à nobis, sed à Theologis petenda est. Nos enim eo tantùm motivo hæc adducimus, ut videamus, an istæ dotes, inchoativè, & imperfectè sumptæ, in corpore viatoris reperiantur, sicùt reperiri diximus dotes animæ? Et ad hoc determinandum sufficit oblata dotium corporis glorioſi notitia. Vndè ad dubij decisionem transeuntes illud duplici conclusione resolvimus.

65. Sit prima conclusio. *Corpus viatoris elevati ad spirituale Matrimonium non habet, adhùc inchoativè, & imperfectè, dotes corporis glorioſi.* Authores pro hac sententia non allegamus; quia nullum, quem viderimus, præsentem difficultatem versat. Est tamen assertio proposita adeò consona veritati, & Angelico Præceptori, ut de illa fas non sit dubitare. Probatur ergo conclusio aliquibus discursibus. Primus sit depromptus ex D. Thom. 3. part. quæst. 45. art. 2. in corpore, & alijs locis, reducitur que ad hanc formam. Dos est qualitas permanentèr decorans subiectum ipsius: sed nulla ex præfatis dotibus corporis glorioſi invenitur permanentèr in corpore viatoris, ad spirituale Matrimonium evecti: ergo illi, adhùc impropriè, non conferuntur dotes. Consequentia bona est, quia adhùc impropriè sumpta dos est qualitas permanens. Minor est per se nota & maior expressa D. Thomæ laudati dicentis: *Dos nominat quandam qualitatem immanentem corpori glorioſo.*

66. Si dicas. Dotem esse qualitatem immanentem respectu corporis glorioſi, non verò respectu viatoris. ¶ Contra est primò & probatur secundò assertio, insimùlque ratio facta roboratur. Quod convenit doti corporis glorioſi ex conceptu dotis mysticæ, ubicumquè reperiatur illi convenit, ut per se notum est: sed doti corporis glorioſi ex conceptu dotis mysticæ convenit, quod sit permanens: ergo permanens est ubicumquè detur. Minor, in qua consistere posset difficultas, probatur. Id convenit doti corporis glorioſi ex conceptu dotis mysticæ, quod exprimit dotis mysticæ definitio: sed in definitione dotis mysticæ dicitur, quòd dos est *mysticus ornatus iugitèr perseverans*: ergo ubicumquè verificatur hæc dos, debet dicere permanentiam. ¶ Vrgetur à paritate dotium animæ viatoris, quæ permanentes esse, diximus quæst. præcedenti ex eo, quòd permanentia exacta est à dote ex conceptu dotis.

Contrà 2. & probatur 3. conclusio Christus Dominus dùm viator fuit, non habuit dotes corporis glorioſi: ergo (primò) etiam relatè ad corpus non glorioſum non datur dos sine permanentia. Ergo (secundò) nullus iustus viator dotes corporis glorioſi habet. Antecedens est de fide. Christus enim verè passibilis fuit, quòd non ità esset, si dotes illas habuisset. Et propterea D. Thomas loco citat. improbat opinionem Hugonis de Sancto Victore asserentis Reparatorem nostrum assumpsisse quatuor illas dotes. Et quod præsentis materiæ proprijsimum est, est quòd Div. Thomas concedit Christum viatorem quandoquè habuisse actus ijs dotibus correspondentes, ut subtilitatem in egressu à purisimo utero suæ Sanctisimæ Matris, Claritatem in Transfiguratione, Agilitatem ambulans super aquas, & Impassibilitatem illæsus exiens à turba Iudæorum volentium illum lapidare, & præcipitare ex montis supercilio. Et nihilominùs negat Sanctus Doctor, ipsum illas dotes habuisse, non alio motivo, nisi quia non habuit permanentèr. Ex quo evidentisimè patet bonitas primæ consequentiæ. Secunda autem probatur. Nam dotes istæ sunt prærogativæ insignes, quibus Beati fulgent: ergo si istæ non

non conceſſæ fuerunt viatori capiti Beatorum, nec in viatoribus alijs reperiri, certum eſt.

67. Reſpondebis omittendo antecedens, & negando utramque conſequentiam primam: quia quòd Chriſtus illas dotes non habuiſſet, fuit miraculum, ſeu ex *quadam diſpenſatione*, ut loquitur D. Thomas. Ex quo urgens argumentum in aſſertum noſtrum deſſumitur. Sinamquè, ut eæ dotes in Chriſto viatore non eſſent, opus fuit diſpenſatione: ergo debebat illas habere. Ergo illud noſtrum antecedens, ſi à diſpenſatione præſcindit, falſum eſt, quia circumſcripta diſpenſatione Chriſtus eas dotes aſſumpſiſſet. Si verò ſupponat diſpenſationem verum eſt antecedens: ſed quòd nec concluſionem ſuadeat, nec primam inferat conſequentiam. ¶ Secunda etiam conſequentia neganda eſt. Diſcrimen eſt, quòd dos, ut ſupra diximus, confertur Sponſæ, cuius perſonam gerit iuſtus in Matrimonio ſpirituali: Chriſtus autem Sponſus eſt. Vndè ex quo Chriſtus dotes corporis glorioſi non habuerit, malè infertur eaſdem dotes iuſtis viatoribus non conferri. Quod planè convinci videtur à paritate dotium animæ. Si namquè ex eo, quòd Chriſtus viator non habuit dotes corporis, inferimus iuſtum viatorem illas non habere; ſimilitèr ex eo, quòd nec ante, nec poſt reſurrectionem habuit, nec habet dotes animæ glorificatæ, inferèmus, iuſtum purum hominem nec in via, nec in patria habere eaſdem animæ glorificatæ dotes: ergo inanis eſt diſcurſus factus; tum, ut aſſertum comprobet. Tum, ut factæ objectioni occurrat.

Reſpondetur aerea prorsùs eſſe, quæ hic opponuntur, & ex prava intelligentia procedere. Vndè ad id, quòd contra primam noſtram conſequentiam objicitur, reſpondemus. Quod fuit utiquè miraculum, Chriſtum Dominum non habuiſſe dotes corporis glorioſi ab inſtanti mirabilis, ac pijſsimæ ſuæ conceptionis. Et paritèr dicimus, quòd claritas, qua in transfiguratione reſplenduit, fuit miraculoſa. *Concede ergo quòd utrumque miraculoſum fuit, ſcilicèt, & Corpus Chriſti non fulgere: & ſic fulgere in transfiguratione*, ait Caietanus ad citatum art. 2. D. Thomæ. Quomodo hæc intelligi debeant, apud ipſos reperies: noſtrum quippè non eſt, hæc aperire. Concedimus, inquam, miraculum fuiſſe, quòd Chriſtus à ſua Conceptione non habuiſſet dotes corporis glorioſi. Quod miraculum non aliundè ortum duxit, niſi quia Chriſtus à ſua Conceptione fuit comprehenſor. Et quòd homo comprehenſor non habeat dotes corporis miraculum eſt. Hoc miraculum datum eſt *ex quadam diſpenſatione*. Huius diſpenſationis motivum explora, & illud non aliud eſſe comperies, niſi quòd tunc Chriſtus erat etiam viator: & quia implicat ſtatus viatoris cum dotibus corpori glorioſo debitis, idcircò diſpenſatur, ſuſpenditur lex, ob quam Chriſtus comprehenſor debuit dotes corporis habere, in concurſu legis obligantis ad illas dotes non habendas propter ſtatum viatoris. Confer modò legem legi. Lex ſtatuens hominem comprehenſorem fulgere dotibus corporis ſuſpenditur dùm concurrit in eodem cum lege decernente hominem viatorem illis dotibus non fulgere. Hinc que invictè demonſtratur, maiorem repugnantiam adeſſe in eo, quòd iuſtus viator habeat dotes corporis, quàm in eo, quòd homo comprehenſor illas non habeat. Quandoquidèm in utriuſque concurſu prima ſuſpendit, ac veluti abſorbet ſecundam. Vndè illud noſtrum antecedens verum ſempèr eſt, & circumſcripta, & non circumſcripta diſpenſatione. Eſt verum primo modo; quia ſempèr verum eſt, quòd iuſtus viator nequit habere dotes corporis glorioſi. Eſt verum, immò & veriſsimum, ſecundò modo, quia ipſa diſpenſatio demonſtrat ſummam repugnantiam, quæ datur inter ſtatum viæ, & dotes corporis glorioſi, ut dictum eſt.

Nul-

Nullius quoquè momenti eſt id, quod dicitur contra ſecundam conſequentiam. Concedimus Chriſtum Dominum non eſſe Sponſam; atque ideò non habere animæ dotes, quæ propriè dotes ſint, ſeù in ratione dotium; habet tamẽ eius ſanctiſsima anima ea, quæ in alijs dotes ſunt. Idem ergo dicimus de dotibus corporis, quas negare non audebit obijciens, quòd eas à ſua reſurrectione habet. Has dotes, etſi non in ratione dotium habuiſſet, dùm viator erat; ſi cum ſtatu viatoris non eſſent incompoſsibiles. Et hoc eſt quod intendit ſuadère factus noſter diſcurſus. Et planè convincit. Quia ſi Chriſtus, etiam in via, habuit eas animæ prærogativas, quæ in alijs dotes ſunt, pariformitèr habuiſſet in via, ſicùt modò habet, ea, quæ in hominibus beatis dotes corporis ſunt. Et Ideò illa non habere, eſt quia incompoſsibilia ſunt cum ſtatu viatoris, etiam in viatore illo, qui ſimùl eſt comprehenſor. Quid erit in purè viatore?

68. Secunda concluſio. *In aliquo vero ſenſu poteſt affirmari, quòd iuſto adſpirituale Matrimonium vecto conferuntur dotes corporis glorioſi.* Moveor ad hanc concluſionem ſtatuendam inſigni D. Thomæ teſtimonio in 4. diſtinct. 49. quæſt. 4. art. 5. quæſtiunc. 3. in corpore, ubi docens dotes corporis glorioſi eſſe illas quatuor, quas ſupra memoravimus, fundamentum huius numeri aſsignat verbis ſequentibus, quibus aſſertum, & explico, & ſuadeo. *Quidam autem*, ait, *quatuor dotes corporis quatuor Virtutibus Cardinalibus adaptant, eò quòd Cardinalium Virtutum materia ſunt bona corporalia: ut ſcilicèt Prudentiæ reſpondeat claritas propter cognitionem: Iuſtitiæ, quæ eſt perpetua, & immortalis, impaſsibilitas: Fortitudini agilitas, ex qua contingit, quòd nihil corpori poſsit reſiſtere, undè agilitas notatur* 1. *Corinth.* 15. *per hoc, quòd dicitur: Surget in virtute: Temperantiæ verò quæ corpus attenuat, ſubtilitas. Et ſic quatuor dotes corporis correſpondent quatuor Virtutibus Cardinalibus, ſicut tres animæ tribus Theologicis, ut dictum eſt.* Habemus ex hoc teſtimonio, quòd dotes corporis glorioſi correſpondent quatuor Virtutibus Cardinalibus: quia licèt virtutes iſtæ ſpirituales ſint; & animæ ornamenta; quia tamen earum *materia ſunt bona temporalia*; idcircò ipſis dotes corporis adaptantur. Vndè congruè in aliquo vero ſenſu poteſt dici, quòd habens has quatuor virtutes quatuor dotibus corporis glorioſi fulget.

Nec iſtis virtutibus ſub quocumque ipſarum ſtatu adaptantur gloriæ dotes; ſed tunc, cùm ſunt in ſtatu heroico. Iſtas virtutes heroicas habere debet anima, quæ in hac vita ad culmen ſpiritualis Matrimonij ex Dei benignitate conſcendit. Et tunc virtutes ipſæ ſunt dotes iuſti, ſicùt in ſimili dicebamus de *viſione*, *fruitione*, *& comprehenſione*, quæ ſunt animæ dotes. Has enim diximus, non habere rationem dotis, niſi ſint in ſtatu perfectiſsimo. Idem intellige de Virtutibus Cardinalibus, quæ dotes iuſti viatoris non ſunt, niſi infuſæ ſint, & perfectiſsimæ. Diximus: *niſi infuſæ ſint*, non quia negemus virtutes acquiſitas habere perfectiſsimum gradum, ad quem ſtudio habentis ex gratia queant pervenire, dicique virtutes *purgati animi*. Verùm hoc ad perfectionem acquiſitam ſpectat, ſeù ad unionem fruitivam activam. Præterquàmquòd ratio ſignificata per nomen *Virtus purgati animi*, non ità propriè convenit virtutibus acquiſitis, & proprijſsimè reperitur, & enuntiatur de infuſis. Vti obſervant noſtri Salmant. 1. 2. quæſt. 61. in annotat. ad artic. 5. Quocircà loquimur de virtutibus infuſis, dùm ad illud perfectionis culmen perveniunt, in quo dicantur eſſe *purgati animi*.

69. Quin de illa cogitarem, incidi in celebrem illam diviſionem, qua virtus dividitur in *politicam*, *purgatoriam*, *& purgati animi*, cuius diviſum

ſum non eſt virtus utcumquè, ſed virtus Cardinalis, ut docet Div. Thomas dicto art. 5. De his virtutibus mentionem fecimus diſp. 23. quæſt. 3. ſed quam pro præſenti materia reproducere debeamus audientes iterùm D. Thomam dicentem: *Quædam verò ſunt virtutes iam aſſequentium divinam ſimilitudinem, quæ vocantur virtutes iam purgati animi: ità ſcilicèt, quòd Prudentia ſola divina intueatur: Temperantia terrenas cupiditates neſciat: Fortitudo paſsiones ignoret: Iuſtitia cum divina mente perpetuo fœdere ſocietur, eam ſcilicèt imitando: quas quidèm virtutes dicimus eſſe Beatorum, vel aliquorum in hac vita perfectiſsimorum.* Vel ſolùm nomen *Virtus Cardinalis purgati animi* oſtendit, has virtutes eſſe eorum, qui poſt toleratos labores ſine numero in horribili purgationum examine ad ſpirituale Matrimonium conſcenderunt. Quod dilucidiùs, & ſine tergiverſatione oſtendunt datæ authoritatis ultima verba: *Aliquorum in hac vita perfectiſsimorum.* Hi planiſsimè ſunt feliciſsimi illi, qui Chriſto Domino intimè uniti Matrimonium contraxerunt. Iſti ſunt, qui à Deo Trino ipſorum benigniſsimo Patre in dotem Virtutes Cardinales, quæ ſunt *perfectiſsimorum*, accipiunt, ut eo ornamento decori Sponſi ſui cor vulnerent. Sed quid unaquæque ex Virtutibus Cardinalibus dicat, cùm in dotem confertur in verbis D. Thomæ allatis inſpiciamus.

70. Nobiliſsima inter Virtutes Cardinales, caput que moralium Prudentia eſt. Hæc in culmine ſuæ perfectionis reperitur, quandò *ſola divina intuetur.* Tunc que dos claritatis dicitur *propter cognitionem.* Prudentia definitur per hoc, quòd ſit: *Recta ratio agibilium.* Agibile idem eſt, quòd *eligibile*, aut *arbitrabile.* Vndè Prudentia eſt recta ratio cuiuſcumque quòd eligi, aut arbitrari poteſt. In quo extenſio ſui imperij declaratur. Omne tamē arbitrabile ita reſpicit Prudētia, cùm heroica eſt, ut ſolum Deum intueri videatur; quia ſic ad creata accedit, quatenùs in ipſis relucet Deus, & illis utitur, ut Deo intimiùs adhæreat. Inſignis eſt heroicæ Prudentiæ cognitio, quæ ineffabili claritate iuſtum ornat, & ad clariſsimam Dei contemplationem elevat, in qua omnia mundana, etiam ſe ipſum tranſcendens *ſola divina intuetur.* Miriſsimè huius claritatis, cognitionis indolem deſcribit Dionyſ. Carthuſ. de Fonte lucis capit. 16. dicens: *Cum que hanc lucem omnipotens menti* oſtenderit, mòx mole magnitudinis ſuæ, actualitate, & excellentia maieſtatis, perfectionis, ac luciditatis ſuæ immenſæ mentem in momento, in ictu oculi, in puncto ſic dulcitèr, non violentèr vincit, & opprimit, ut ipſa defluat, atque deficiat à ſe ipſa, ac victa amore, ac ſtupens præ admiratione eius, quam contemplatur, maieſtatis, ac claritatis immenſæ, præ Deitatis, quam cernit, delicioſiſsima ſerenitate, neſciat de ſe ipſa. Sic quidèm repentè tàm validè illuſtratur, ac inflammatur, ut prorsùs ſuccumbens vires, & ſenſus corporales amittat. Tunc mens in increatæ lucis ſecretum introducta, in infinitæ lucis abyſſo demergitur, in æternæ felicitatis occeano rapta deperditur, in amoris igne immenſi involuta cōburitur, ac in ſupervaſtiſsimæ, & ſuperplaniſsimæ ſolicitudinis impertranſibili, & immenſa amplitudine ſecuriſsimæ errat, felicitèr debiat, perdens ſeipſam, *neſciens ubi, vel quandò.*

71. Secundum omnes ſuas partes clariſsima hæc virtus pulcherrima dos eſt, qua iuſtus fulget: quod ſpeciatim in integralibus cernitur. Plures ſunt iſtæ, & omnes in id collineant, ut claritate cognitionis fulgeat. Earum prima eſt *memoria*, quam heroicè prudens indeſinentèr exercet in vilitatis propriæ conſideratione, & ponderatione miſericordiarum, quas ſuſcepit de manu ſui benigniſsimi Domini. Secunda eſt *Intellectus*, quo præſentis ſui ſtatus celſitudinem introſpiens, ſe totum in Dei ob-

obsequiò mancipatur. Tertia est *Docilitas*, qua promptè auscultat Deum loquentem ea, quæ pacis, & perfectionis sunt. Quarta est *Solertia*, qua in instanti assequitur rectam Dei, tot gratias in ipsum corrivantis, æstimationem. Quinta est *Ratio*, & hac benè disponitur intellectiva potentia heroicè prudentis ad contemplandum divina. Sexta est *Providentia*, qua prudens rectè omnia ordinat ad ultimum finem. Septima est *Circumspectio*, quæ confert ea, quæ ad finem ordinantur, ut ex prudenti ipsorum collatione opus penitùs pulchrum evadat. Vltima est *Cautio*, quæ vigilat ad præcavenda mala, quæ possunt evenire, & Matrimonij spiritualis lucidissimam claritatem maculare. His ornatus heroicè prudens ad inuendum spirituale Matrimonium admittitur.

72. Secunda inter Virtutes Cardinales Iustitia est, quæ *sicum divina mente perpetuo fœdere societur, eam scilicèt imitando, heroica est.* Et propter sui perpetuitatem, quam eius definitio declarat, illi *respondet Impassibilitas.* Duplicitèr sumitur Iustitia. Primò pro collectione omnium virtutum. Et quamquàm prout sit elegans ornatus iusti; non tamen hoc modo potest esse dos doti corporis correspondens. Tum: quia intra collectionem virtutum sunt virtutes illæ quas animæ dotes esse, diximus. Tum: quia non omnium aliarum virtutum *materia sunt bona corporalia.* Vndè non possunt esse dotes iusti viatoris correspondentes dotibus corporis glorioſi. Secundò sumitur pro determinata virtute, quæ Iustitia dicitur, de qua Philosop. 5. Ethic. cap. 1. dixit: *Præclarissima virtutum est iustitia.* Hàc, dùm pervenit ad gradum heroicæ, ornatur iustus, & adeò pulcher apparet, ut *neque Hesperus, neque Lucifer sit ita admirabilis*: ut inquit de Iustitia ipsa laudatus Philosophus.

Media hac præclarissima virtute iustus mira pulchritudine fulget, ut modò vel ab Ethnico audivimus, & *cum divina mente perpetuo fœdere sociatur, eam scilicèt imitando.* Vndè ab heroica iustitia habet iustus pulchritudinem ineffabilem, omnium virtutum, quas secùm affert ornamentum & quòd Christum Divinum ipsius Sponsum imitetur. Et hæ sunt prærogativæ, quibus fulget iustus ad spirituale Matrimonium evectus, ut docent Mystæ agentes de huius mirabilis unionis effectibus. Videatur insignis noster Thomas à Iesu de Orat. Div. lib. 4. cap. 25. §. 2. 7. & 8. quia nobis non licèt tantum in his immorari. Sufficere, quæ diximus, certum est, ut quisque cognoscere queat fundamentum, quod habuit D. Thom. ad admittendum, quòd Iustitia in gradu heroico est iusti dos, cui correspondet *Impassibilitas.*

73. Virtutum Cardinalium tertia est Fortitudo. Vltima est Temperantia, quæ si heroicæ sint, prima *passiones ignorat* secunda *terrenas cupiditates nescit.* Inter dotes corporis glorioſi correspondet *Agilitas*, & secundæ *Subtilitas.* Quin alia addere opus sit, hæc pauca sufficiunt, ut cognoscamus, has duas virtutes esse dotes iusti viatoris Matrimonium spirituale contrahentis. Sic docent quotquot de mystico Matrimonio, eiusque mirabilibus effectibus scripsère. Eminet Matriarcha nostra, & Mysticus noster Doctor. Videri debent, quæ ex ipso diximus numer. 49. & in scala amoris gradu 9. qui est *ardere suavitèr.* Vbi etiam D. Bernardus, & D. Thomas hanc ipsam veritatem stabiliunt.

74. Quorum vestigijs insistentes diximus, iterùmque affirmamus, quòd in aliquo vero sensu potest affirmari, quòd iusto ad spirituale Matrimonium evecto conferuntur dotes corporis glorioſi, seu ea conferuntur, quibus dotes corporis glorioſi correspondent.

Quod omnibus hactenùs dictis suadere conati sumus.

§. II.

Argumenta in utranque Concluſionem.

75. COntra primam concluſionem, in qua denegavimus iuſtum viatorem ſpirituale Matrimonium contrahentem decorari dotibus corporis glorioſi arguitur ſic primò. Aliqui perfectiſsimi ad Matrimonium ſpirituale aſſumpti quandoquè in aera elevantur, mira claritate fulgentes: ergo iſti habent propriè ipſas dotes corporis glorioſi. Ergo & omnes alij, qui in eodem ſtatu ſunt. Hæc ſecunda conſequentia videtur nota. Quia non eſt maior ratio de uno, quàm de alio, cum omnes in eodem ſtatu ſint; & cauſa mirabiles illos effectus inducens ſit communis. Prima conſequentia nota eſt ex antecedenti, cuius urgentiſsima probatio experientia eſt. Quandoquidèm Sanctiſsimam Thereſiam ſic interdùm elevatam, & fulgidam videre plurimi. Idem certum eſt eveniſſe Extatico noſtro Doctori, & pluribus alijs. Videantur Ven. D. D. Ioannes de Palafox in Paſt. noct. cap. 12. Spert. Carthuſian. Select. Myſtic. part. 5. cap. 9. num. 2. Ferdinand. Caldera Theolog. Myſtic. lib. 2. cap. 9. numer. 10. cuius aliquot verba dabo, quæ in nos affatim premunt. *Manet*, inquit, *corpus ſuſpenſum, & à terra elevatum, & abſque ullo pondere: Vultus ſplendens, rubicundus, formoſus, atque in carbonem ignitum converſus. Ex quo planè cognoſcitur id, quod ei in æternum præparatur fruendum. Vndè videntibus quaſi cryſtallinus exhibetur.*

Vide, hos ſic elevatos fulgere dote claritatis tanquàm cryſtalini, rubicundi, formoſi &c. apparentes. Fulgere etiam agilitatis dote, manentibus eorundem corporibus ſuſpenſis, à terra elevatis, & abſque ullo pondere. Inſuper fulgent dote Impaſsibilitatis: quãdoquidèm tunc temporis, quamquàm maximè torqueas, nihil ſentiunt. Habent etiam dotem ſubtilitatis. Tum: quia aliæ iſtam ſupponunt. Tum etiam: quia eſt veluti earum cauſa, ut ſuprà monuimus.

De huius argumenti materia moleſtè agit Lucerna Myſtica per tria integra capita 29. 30. & 31. tractatu 5. ea inculcans, quæ non plurima ſoliditate gaudeant. Nonnulla circà hoc dicemus; priùs tamèn debemus occurrere argumento, quatenùs aſſertum noſtrum impugnat. Igitur reſpondemus concedendo antecedens, & omnia, quæ in ipſius comprobationem allegantur, & negando utranque conſequentiam, quæ minimè ex eo inferuntur. Primò. Quia, ut pluribus oſtenſum à nobis eſt, dos ex proprio conceptu dicit permanentiam. Illa elevatio, & mira, quæ in illa contingunt, non ſunt permanentia, ſed communicationes tranſeuntes, quibus miri illi effectus correſpondent. Quibus tranſactis, diſparent elevatio, corporis levitas, & claritas cryſtallina. ¶ Secundò. Quia Matrimonium ſpirituale celebratur ſine aliqua alienatione, ut teſtatur expertiſsima Thereſia, & alij Myſtæ. Vndè illa adeò irregularis elevatio, & effectus indè provenientes contingunt poſt Matrimonij celebrationem. Quocircà nequeunt habere rationem dotis; hàc enim ornatur Sponſa, ut pulchra appareat in die deſponſationis ſuæ, & in die lætitiæ cordis eius. ¶ Tertiò. Quia dotes corporis communes ſunt cuicumque Sponſæ, ut liquet in dotibus animæ: ſed non omnes, qui ad Matrimonium ſpirituale evehuntur, iis favoribus decorantur, ut per ſe notum eſt: ergo non ſunt corporis dotes. ¶ Ad hæc. Dotes corporis procedunt dimanativè ab anima plenè corpus ſubdente ſibi, ut ſupra tactum eſt. Modò ſic: vel eſt propriũ animæ ad Matrimonium aſſumptæ ſubijcere plenè ſibi corpus, vel non? Si non: nequeunt ab illa dotes corporis dimanare. Si ſic: cur iſte perfectus illas elevationes patitur, & non ille? Cur iſte modò eas patitur, & non anteà, vel poſt? Cauſam exhibe, *& eris mihi magnus Apollo.*

Quin-

Quintò. Id, quòd num. 339. inquit Lucerna Mystica de horum perfectorum impassibilitate, etiam cum limitationibus, quibus asseritur, absonum prorsùs est. Quandoquidèm aliud est non sentire *acùs punctum*, aut aliam molestiam, & aliud impassibilem esse. Impassibilitas non solùm excludit actualem dolorem, sed etiam facultatem proximam ad illum percipiendum. Vndè ex negatione actualis passionis rudis est illatio inferens impassibilitatem adhùc imperfectam. Adde: Quòd impassibilitas imperfecta debet imperfectè conservare corpus illæsum; sin minùs nullo modo aderit impassibilitas. Corpus illas alienationes patientis nullatenùs conservatur illæsum: quandoquidèm læditur, plagatur, ab ipso potest amputari manus, & prorsùs per illatam violentè mortem redigi in cadaver illud ipsum corpus, quòd ea fulgebat crystallina claritate, & dùm ipsa fulgebat. O sanè irridenda impassibilitas! quam aeream esse, ab effectu ostendunt medicamina, quibus corpus imprudentissimè plagatum eget, & graves dolores, quibus vexatur, postquàm alienationem patiens ad sensus restituitur. Illato clavo in manum Redemptoris nostri apud Calvarium manus perforatur, & dolore vehementissimo divinus ille homo concutitur. Et primum eveniret etiam si tunc temporis (casùs possibilitate negata) Christus extasim patiens foret à sensibus alienatus. Apud Cœnaculum, dùm Dominus ianuis clausis ingressus est ad Discipulos, quamquàm clavus mitteretur in loca clavorum, aut manus, instrumentum vè ad percutiendum idoneum, in latus eius Sanctissimum, aut in aliam illius Sacratissimi Corporis partẽ mitteretur, nec vulnus causarent, nec dolorem. Et huius discriminis non alia causa quærenda est, nisi quòd in Cœnaculo erat Christus impassibilis, & passibilis in Calvario.

Nec potest sine magna improprietate, & imprudentia dici impassibilis, adhùc imperfectè, qui propter alienationem à sensibus actu vexatus est expers doloris. Ratio est perspicua: quia dos impassibilitatis, sicùt & aliæ dotes, sunt à Deo Authore supernaturali; vel quoad substantiam earum, ut tenet haùd contemnẽda Theologia; vel quoad ipsarum modum, ut probabiliùs docent laudati nostri Salmant. Deus quippè est Author specialis earum, à quo effectivè causantur, & dimanativè ab Anima. Vndè à nullo alio provenire valet dos impassibilitatis. Illa autem impassibilitatis dos, quam Lucerna Mystica fingit, causatur à Dæmone, causatur à Medicis, & Chirurgis partem infirmi secandam, aut vulnerandam veluti insensibilem reddentibus, ut minor, aut nullus sit dolor, qui ex vulnere percipiatur. Vocabis ne medicinam dotis impassibilitatis causatricem? aut ægrotos impassibiles?

77. Enodavi argumentum per hoc solum, quòd miri illi effectus, quos illi perfectissimi experiuntur, non sint permanentes nec ornent sponsam, cùm contrahit Matrimoniũ. Addidi & alia contra ea, quæ asserit Lucerna Mystica, cuius iudicium circa materiam facti argumenti expedit ut videamus. Exploraturus causam traditæ alienationis Author Lucernæ omnium ferè Mysticorum viam deserit, fatente ipso num. 324. & illam lustrat, quam certè non differre videmus ab ea, quam omnes ferè Mystici sequuntur. Quicquid autem de hoc sit, contra omnes ferè Mysticos procedit duabus rationibus valdè difficilibus, suo videri, ut adstruat, illam corporis elevationem provenire ab anima ipsum rapiente non posse. Earum prima est. Quia licèt spiritus possit corpus movere, & aliquantulùm elevare, nequit illud diù conservare elevatum, propter eius naturalem gravitatem, qua insito appetitu, & pondere petit centrum; quam naturalem proprietatem nequit spiritus, aut anima auferre. Vnde videmus, quod dùm aliquis salit, licet aliquantulùm elevetur corpus, statim in suum centrum

trum reducitur; quia ſpiritus nequit ab eo auferre naturalem gravitatem, & appetitum innatum petendi ſuum centrum. Hæc eſt prima difficilis illa ratio, quam ferè ipſius verbis tradidimus. ¶ Secundam rationem æquè difficilem poſitam num. 327. deſerit ipſe num. 329. & quidèm prudentiſsimè, non enim eſt illo Theologo digna.

Poſtmodùm nonnulla minimè Philoſophica ſcribit, & ſuum dictamen revelans inquit: Illam corporis elevationem provenire à dote agilitatis imperfectè communicatà, & ſimili modo alios effectus repertos ibi ab alijs dotibus ortum ducere, & non ab anima.

78. Plurima prætermitto, & ut rationem illam valdè difficilem poſitam numero 77. enervem eſſe demonſtrem, ſic procedo. Animam aliquantulùm poſſe elevare corpus, & in elevatione per exiguum ſpatium temporis conſervare, concedis. Inquiro: in illo inſtanti, quo elevatur ab anima corpus, & elevatum conſervatur, amittit corpus nativam gravitatem, & propenſionem in centrum, vel non? Si non ergo licèt elevetur uſque ad ſupremam aeris regionem, & ibi per mille annos conſervetur, ſemper conſervat ſuam propenſionem in centrum. Patet: quia plus, aut minus, per plus, aut minus temporis elevari, nihil formaliter variat. Si ſic: ergo vis animæ, quæ poteſt elevare corpus parùm à terra, & ſic per tempus valdè exiguum conſervare, auferens pro tunc à corpore ſuam innatam propenſionem, poterit etiam illam auferre pro motu elevatiſsimo, & durabiliſsimo. Qui enim proprietatem alicuius poteſt per unicum inſtans tollere, poteſt & ad ſemper auferre. Quod in hac parte tenere debemus non eſt rudis illa intelligentia ablationis proprietatis à gravi, nec ipſe Deus rerum proprietates tollit, ſi ſecundùm providentiam ordinariam procedat. Vndè ſi corpus in illa elevatione amittit ſuam proprietatem; nec à Deo iuxtà ordinariam providentiam operante poteſt illa elevatio provenire. Tenendum igitùr eſt, quòd à gravi auferri non poteſt, quòd gravitet, ſeù inclinetur in centrum; convenit enim ipſi neceſſario hæc propenſio, quàm non amittit quamquàm ſemper à centro conſervetur ab iunctum. Quippè non eſt proprietas gravis, quòd ſit actualitèr in centro. Vndè quandò anima corpus elevat nullam ab ipſo adimit proprietatem.

Quòd autem illa elevatio, quam Lucerna Myſtica concedit, parum duret, procedit ex eo, quòd corpus non eſt diſpoſitum ad ſuſcipiendam animæ informationem cum pleno dominio erga ipſum; eòque impulſus animæ retardatur, ac tandèm cedit corporis gravitati. Si autem corpus congruam diſpoſitionem haberet, ut ab anima plenè informaretur, tunc nec impulſum animæ retardaret, nec motus ſurſùm foret illi violentus, ut in Beatis evenit. Ad illum exemplum hominis ſaltantis, liquet ex dictis, quòd anima ſurſùm corpus impellens non tollit ab illo propenſionem in centrum: nec per breviſsimum temporis ſpatium poſſet illud elevare, ſi ad elevationē requireretur ablatio propenſionis. Et ſanè ſi in ſaltante perſeveraret impulſus elevans corpus, abſdubiò & elevatio paritèr permaneret. Sicùt permanet in his perfectiſsimis miram illam elevationem patientibus. Quæ autem ſit cauſa huius tam maximæ, & tam durabilis elevationis, eſt tota difficultas præſens.

79. Lucerna Myſtica (abiecta communi Myſticorum ſententia, tenente, quòd illa elevatio provenit ab anima, quæ divino efficaciſsimo impulſu acta ſecùm corpus rapit, & elevatum conſervat toto tempore, quo durat impulſus) novam viam ſterne putat dicens: Talem elevationem, & effectus mirabiles, qui in ipſa eveniunt, non provenire ab anima, ſed à dotibus imperfectè communicatis. Hoc aſſerit, in quo nihil novum reperitur, præter ſiniſtram intelligentiam eorum, quæ in hoc puncto à Myſticis circumferuntur. Itaquè

Myſ-

Mystici miraculo attribuere solent, quòd anima impulsu vehementissimo circumfusa secùm corpus rapiat, & diù elevatum conservet. Hoc potest intelligi duplicitèr. Primò, quòd sine recursu ad dotes corpus miraculosè elevetur, & cõservetur elevatum. Quòd posse à Deo fieri nemo prudentèr negabit. Secundò: quòd Deus communicet tunc imperfectè dotes, ex quarum communicatione effectus illi proveniant. Verùm quod Deus homini viatori dotes glorioli corporis conferat, miraculum est, quod, quamvis verbis neget, reipsà negare non potest Lucerna Mystica. Tantem autumant alij Mystici, quod ex intima unione, quæ est inter corpus, & animam, hàc fursùm vehementissimè rapta secùm ducit corpus.

Hæc à Mysticis communitèr edocentur. & ut proprium dictamen exponam, dico, quod omnibus ijs tribus modis evenit illa elevatio. Itaquè cùm corpus pluriùm elevatur & elevatum consistit, nec dantur alij mirissimi effectus, quales sunt transparens & crystallina claritas, levitas in corpore adeò irregularis ut tenuissimi halitus impulsu hinc, indè circumferatur, & huiusce modi alij: tunc reor, corpus elevari sine dotis receptione sed vel miraculosè, vel propter intimum nexum, quo corpus cum anima copulatur. Magnes quippè ferrum elevans elevat quoquè, quæ ferro coniuncta sunt. Posse primo modo evenire eam elevationem, est plusquàm certum: posse secundo modo contingere, liquet exemplo adducto magnetis, & alijs experientijs huius materiæ proprijs.

Sedebat Extaticus noster Doctor in quodam nostrarum Monialium locutorio. Conversatione inflammatus cognovit impulsum Dei irruentem in ipsum. Humilis voluit dissimulare raptum, & sedem, supra quam sedebat, utraquè manu apprehendit; in cassum tamèn; nàm tanta fuit vis impulsus animam absorventis, ut secùm corpus, & sedem rapiens elevaret. Inquiro nunc à Lucerna Mystica: illi sedi communicata tunc fuit dos agilitatis, nec ne? Primum vel somniare, plusquàm ridiculum foret. Si autem dotem agilitatis non habuit, quomodò elevata est; sicque per non exiguam temporis durationem permansit? Si dicat: hoc ortum duxisse ex apprehensione illa, qua manibus raptum patientis tenebatur. Hoc ipsum & ego dico, subiungens, quòd si extrinsecùs ille nexus sedis cum illam apprehendente sat est, ut sine miraculo raptum ipsius insequatur, potiori iure intrinsecus, & naturalis nexus corporis cum anima sufficiet, ut corpus ad animæ elevationem elevetur. Ex quo liquet, quod debuisset Lucerna Mystica super Mystarum in hac parte dictamine non tantum nauseare.

Si autem alienatio illa singularissima contingat cum ijs particularissimis circunstantijs claritatis &c. Tunc censemus ea omnia à dotibus, quibus correspondent provenire. In quo etiam enormitèr errat Lucerna Mystica putans illos effectus non oriri ab anima. Oriuntur quippè ab ea, & à dotibus. A dotibus dispositivè: hæc enim corpus aptant, ut plenè ab anima informetur, & ab anima plenè informante causantur effectus illi, perfectissimè in patria, ubi perfectissimum, & æternum erit prædominium animæ in corpus: & imperfectè in hac vita ob oppositam rationem. Et adhùc imperfectum prædominium viæ non sempèr æquale est, sed ad mensuram luminis animam absorbentis. Hinc que provenit diversitas, quæ in hisce alienationibus reperitur.

80. Contra secundam conclusionem arguitur primò. Quia contrariatur primæ conclusioni, in qua diximus elevatum ad Matrimonium spirituale viæ non gaudere dotibus corporis glorioli, adhùc imperfectè communicatis. ¶ Respondetur: nullam adesse oppositionem inter utrumque assertum,

In primo enim negamus communicationem dotium in ſenſu, ut ſic dicamus, litterali. In ſecundo autem concedimus dotes in ſenſu Myſtico. Inter quæ oppoſitio nulla datur. Ex hoc enim, quòd in iuſto non reperiantur claritas corporis, Subtilitas, Agilitas, & Impaſsibilitas eiuſdem corporis, quæ ſunt corporis glorioſi dotes, negamus, iuſtum gaudere ijs dotibus, adhùc imperfectè habitis. Sicùt ex oppoſito conceſsimus animæ dotes imperfectè habitas, quia in eodem iuſto reperiuntur viſio, fruitio, & comprehenſio, quæ in ſtatu perfecto ſunt animæ beatæ dotes. Huic doctrinæ, ut dictum eſt, non contradicit, quòd quia in viatore iuſto reperiuntur quatuor virtutes, quarum materia corporalis eſt, & ex illis una tribuit iuſto in cognoſcendo claritatem, alia in permanentia impaſsibilitatem, alia virtute, & robore agilitatem, & alia in attenuatione corporis ſubtilitatem, quæ ſunt dotes corporis glorioſi; idcircò dicamus in ſecunda concluſione, quòd conſiderato eo, quòd iſtæ virtutes ſumptæ in gradu heroico conferunt iuſto, reperiuntur in ipſo ad Matrimonium elevato quatuor dotes corporis glorioſi.

Arguitur 2. De ratione dotis eſt, quòd conferatur Sponſæ cum habitudine ad Sponſum, ut liquet ex dictis: ſed Virtutes Cardinales non conferuntur iuſto per ordinem ad Spõſum Deum: ergo non habent rationem dotis. Probatur minor. Quòd dotes ſpirituales conferantur cum habitudine ad Sponſum, eſt quòd ipſum Sponſum reſpiciant tanquàm obiectum, & finem: ſed Sponſus animæ non eſt obiectum, & finis Virtutum Cardinalium: ergo iſtæ non ſunt dotes iuſti. Maior patet, ex ijs, quæ diximus aſsignantes dotis conditiones. Et minor eſt certa. Quia Deus non eſt obiectum immediatum, & finis niſi Virtutum Theologalium.

Confirmatur. In definitione dotis dicitur, quòd dos eſt *vitæ ſufficiens* ſed Virtutes Cardinales non ſufficiunt vitæ iuſti: ergo non ſunt dotes. Probatur minor. Quia iuſtus ſine charitate nihil eſt.

Reſpondetur. Nos non dixiſſe, quòd Virtutes Cardinales ſint dotes; ſed quòd dotes corporis glorificati adaptantur Virtutibus Cardinalibus, claritas Prudentiæ ob cognitionis claritatem, quam in gradu heroico habita iuſto confert, & ſic de alijs. Quòd autem Deus non ſit obiectum immediatum illius cognitionis claræ, quàm Prudentia præſtat, nihil obeſt, quia quòd dos debeat reſpicere immediatè Deum, eſt verum in dote animæ, non autem in dote corporis, quæ ex eo, quòd ſit corporis dos incapax eſt illius reſpectùs.

Per quæ ad confirmationem patet ſolutio. Datur quippè vita animæ, & vita corporis. Ad vitam animæ requiritur charitas, ſine qua nihil eſt vitæ ſupernaturali vivum: & hæc charitas eſt una ex dotibus animæ, ut conſtat ex anteacta quæſtione. Ad vitam corporis, modò, quo nunc de illa loquimur, ſufficit præſupponere animam Deo intimè copulatam, & quòd ex illa prout ſic deriventur in corpus ſuæ dotes, ut & ipſum, modo ſibi poſſibili, ad felicitatem adeò ſublimen elevetur.

****

DISPVTATIO XXVI.

DE ALIQVIBVS EX INNVMERIS PRÆROGATIVIS iuſtorum, quos Deus ad ſpirituale Matrimonium elevat.

DECREVERAM, IMMO ET pollicitus ſum, Diſputationem inſtituere de unione animæ cum Chriſto Domino in domo ſpecierum Euchariſticarum, quam ſibi immensâ ſapientiâ ædificavit, habitante. Et cùm tempus advenerit, quo promiſſa adimplere poſſem, motiva offendi, ob quæ rationi conſentaneum cenſeo, illam diſputationem prætermittere, & veluti imperfectum relinquere tractatum de ſpirituale Matrimonium. Vnio enim animæ cum Chriſto in Venerabili Euchariſtiæ Sacramento eſt ſpirituale Matrimonium, quod ibi cum ipſo contrahit. Poteſt tamèn ex ijs, quæ in anteactis diſputationibus ſcripta relinquimus, non levis notia deſumi. Nàm ſicùt Deus eſt in anima cuiuſcumque iuſti per gratiam, cuius unio diverſiſsimos gradus habet, prout ex ſupra dictis liquet. Et ex illis gradibus alij alijs perfectiores ſunt, & iuxta graduum perfectionem eſt perfectio unionis, qua anima Deo coniungitur, uſquè dùm perveniat ad illam, in qua Matrimonium celebratur; ſic etiam Gratia ſanctificans eſt omninò neceſſaria ad dignè ſuſcipiendam Sacram Euchariſtiam, & hoc omnibus iuſtis commune eſt. Dantur tamèn huius dignæ ſuſceptionis plures gradus ſe in perfectione ſuperantes quorum ſublimior eſt ille, quo anima tamquàm Chriſti fideliſsima Sponſa ei in Sanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramento cõiungitur. Videndus tamèn eſt N. Thomas à Ieſu de Orat. Div. lib. 4. à capit. 27. qui per plura capita rem ſoliditſsimè, ac eloquentiſsimè verſat, ac planè demonſtrat. Ibi enim reperiet Lector quicquid pro tam divina unione deſideret. Hac ergo diſputatione prætermiſſa, aliam graviſsimam aggredimur, quæ, re benè conſiderata, non eſt diſtincta à præcedenti. Omnia quippè dubia, quæ modò excitanda ſunt, potuerunt ſine calumnia in illa excitari. Verumenimverò lex nulla infringitur, ſi poſt tractationem eorum, quæ ad ſubſtantiam Matrimonij ſpiritualis ſpectant, diverſa diſputatio inſtituatur, in qua decidantur illæ difficultates, quæ ſunt præcedentium appendices. Plurima ſcitu digniſsima ſunt de ijs, qui ad hunc feliciſsimum ſtatum pervenire, è quibus ſelectiora diſcutiemus. In tota diſputatione utemur nomine *Perfecti*; nam licèt non omnes perfecti ſpirituale Matrimonium contraxerint: nos de ijs agimus, qui hanc gratiam iam conſequuti ſunt, illos que unico hoc incomplexo nomine nominamus. Accedamus iam ad quæſtiones, ut videamus, quæ prærogativæ ſint propriæ Perfectorum, & quæ ipſis, etſi adeò perfecti ſint, non concedantur.

***

QVÆS-

QVÆSTIO PRIMA.

VTRVM PERFECTI SINE SPECIALE PRIVILEGIO queant omnia venerabilia vitare?

MYSTICI Scriptores frequentèr huius quæsiti mentionem faciunt, ut videre est apud Magist. Valgornera. N. Philippum à Trinitate. Mysticum N. Directorium, & alios, quibus morem gerens illud in præsenti discutiam.

§. I.

Prænotantur aliqua; proponuntur sententiæ, & vera eligitur.

1. EGregiè naturam peccati venialis, eiusque à mortali discrimen, declarant nostri Salmantic. tract. 13. disp. 19. dub. 1. Ex illis ergo prælibandum est, peccata venialia esse in triplici differentia. Alia enim sunt venialia ex genere ut verbum otiosum, quod, quantuncumquè in suo genere crescat, semper est veniale. Alia sunt venialia ob materiæ parvitatem, ut furtum rei exiguæ, quod quamquàm legi gravi contrarietur; *tamen, quia materia parva* est, idcircò non est mortale. Alia denique sunt venialia ob deliberationem imperfectam, ut motus contra fidem semiplenè deliberatus, qui tametsi legi gravissimæ contrarietur, & materia, quam attingit, magna sit: Tamen quia imperfecta deliberatione attingit illam: propterea non mortale peccatum est, sed veniale.

Hæc peccata venialia sumi possunt vel collectivè, vel divisivè. Quam divisionem vel sic attigisse, sufficiat. Tum: quia notissima apud Scholasticos est. Tum, & præcipuè: quia ex quæstionis progressu plana erit. Sed est notandum, quòd omnia venialia divisivè sumpta vitari possunt sine aliquo speciali privilegio, sed solùm viribus communibus gratiæ sanctificanctis: sicùt etiam certum est, posse aliqua venialia vitari sine gratia. Similitèr acceptum est, posse vitari totam collectionem venialium sine privilegio speciali; si talis collectio restringatur ad aliquod speciale genus venialium ex ijs, quæ iam assignavimus. Vndè fatemur, vitari posse sine aliquo speciali privilegio totam collectionem venialium, quæ sunt talia V. C. ex genere, uti vitasse Sanctiss. Theresiam M. N. sentimus. Posse que modo dicto vitari, ostendit illud votum maximè arduum, quod emisit efficiendi semper quicquid perfectius esse, putaret. Quocirca difficultatis cardo devolvitur ad totam venialium collectionem, prout ambit simùl omnia tria genera supra posita.

2. Qua in re certum omninò est, requiri gratiam sanctificantem, & quidèm perfectissimam, ad vitandam collectionē venialium. Ob quod licèt Mystici supradati discutiant in procœmialibus Mysticæ Theologiæ hoc dubium: nos verò illud usquè ad præsens reservavimus, ubi de iustis singularissimà gratià insignitis agitur. Quod iam superiùs monuimus, & similitèr fecimus cum alijs quæsitis ab ipsis in ijsdem procœmialibus disputatis. Vndè suppositā gratia sanctificante, quam ob sui intensissimam perfectionem, in animabus perfectis cingunt heroicarum virtutum lilia, flores, culmi, botryones, disquirimus: An sola illa sufficiat; an verò necessarium sit speciale gratiæ auxilium, ut omnia venialia vitentur?

Negant Pelagius, Cælestius, alijque Sectarij asserentes, solas vires communis gratiæ sufficere ad vitandam collectionem omnium venialium per totam vitam. His connumerari debet ex

Ca-

Catholicis, Catholicus & ipse, Vega lib. 14. cap. 19. 20. & 21. quatenùs licèt neget, posse Perfectum vitare per longum tempus omnia venialia; hoc tamen non provenire autumat ex defectu virium, quas intrinsecè habet à gratia; sed propter multitudinem, & molestiam obstaculorum, quibus extrinsecè impeditur, ne semper operari queat iuxta vires, quas ei gratia communicat. Vndè asserit: Iustum habere potestatem physicam ad vivendum diù sine venialibus, absque speciali gratiæ auxilio; non tamen habere potestatem moralem. ¶ Alij per oppositum affirmant, non posse per longum tempus vitari omnia venialia sine specialissimo gratiæ privilegio. Sic docent SS.PP. sic & Scholasticum Magistro in 2. dist. 28. & Theologi cum D. Thoma 1.2. quæst. 109. art. 8. & 9. sic etiam Seraphica Theresia lib. de Itin. cap. 15. cum quibus.

3. Sit nostra conclusio. *Non potest venialium collectio per longum tempus vitari sine specialissimo gratiæ privilegio.* Assertio hæc est de fide definita in Concil. Trident. sess. 6. Can. 23. ubi dicitur: *Si quis dixerit: hominem semèl iustificatum posse totâ vitâ peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodùm de B. Virg. tenet Ecclesia, anathema sit.* Quibus verbis apertè docet Concilium nostrum assertum.

4. Dices 1. Concilium non loqui de longo tempore, sed *de tota vita.* Vndè ex verbis Concilij perperàm colligimus, non posse hominem diù permanere, quin venialitèr peccet. Multum quippè distat inter longum tempus, & totam vitam. Et benè potest quisque per longum tempus corporalitèr valere, & non tota suæ vitæ periodo; quia ut minus, morte appropinquante, ægrotabit.

Dices 2. Concilium loqui de Incipientibus, ut non obscurè ostendunt ea verba *hominem semèl iustificatum.* Assertum nostrum loquitur de Perfectissimis illis, qui Deo intimè, ac fruitivè uniti vitam Cælestem in mundo agũt, in Cælis suam conversationem habentes: ergo quamquàm Incipientes & Proficientes nequeant diù esse, quin in aliquod veniale incidant; hoc non est denegandum Perfectis.

Respondetur ad 1. Concilium sumere totam vitam, quatenùs regularitèr vitæ periodus longa est. Vndè illa verba *tota vita* non designant tempus quia vitæ, sed quia longum, ut exponit Curiel, cuius expositio optima dicitur à nostris Salmantic. tractat. 14. disp. 2. num. 218. Ratio quę id suadet; nam tempus vitæ nequit à nobis certò determinari: in uno longum est, in alio breve, aut etiam instantaneum: nec credibile est, Concilium anathema fulminasse contra asserentes, hominem, qui in hoc instanti ad usum rationis pervenit, & in sequenti devivit, in toto suæ vitæ discursu venialitèr non deliquisse. Non est ergo tempus vitæ à Concilio designatum ut vitæ tempus, sed ut tempus longum.

5. Replicabis. Tempus longum est indeterminatum: ergo nequit Concilium de illo intelligi. Antecedens liquet, quia per longum tempus non designatur hora, dies, mensis, aut annus: ut ita possimus cognoscere quodnam sit longum tempus, extra quod possit iustus esse sine peccato veniali. Et consequentia probatur. Iuxta datam expositionem non intelligitur Concilium de tempore vitæ, quia est indeterminatum; alij enim multum, alij parum vivunt: ergo similitèr.

Respondetur distinguendo antecedens, *indeterminatum* materialitèr, concedo. Formalitèr, nego ant. Longitudo temporis non est quidèm materialitèr determinata, quia non significat hebdomadam, mensem, aut annum. Est tamen determinata formalitèr, quatenùs designat tempus, sub quo non potest natura sanata viribus communibus gratiæ consistere resistendo frequentissimis occasionibus venialitèr delinquẽdi, & intrinsecæ appetitùs rebellioni.

Et

Et in his non est alia determinatio quærenda. Quod liquet exemplo idoneo: ut enim diximus disp. 11. numer. 132. Meditativus constituitur per meditationem signatam: seu, & est idem, per hoc, quòd eius principale studium sit meditatio. Vndè etsi horæ transeant, aut etiam dies, in quibus non meditetur; si meditationis defectus non sit per tantum tempus, quòd auferat studium meditationis, manet Meditativus. Si autem multiplicentur dies, in quibus non meditatur; ita ut defectus meditationis faciat, quòd meditationis studium non sit eius studium principale, Meditativus non manet. Quod autem sit materialitèr tempus istud: Deus scit, & talis notitia nobis necessaria non est, ut etiam in alijs præceptis contingit. Idem dicimus de longitudine temporis, ad quod iustus viribus communibus gratiæ suffultus pervenire non potest, quin venialitèr cadat. Quod enim sit determinatè materialitèr, Deus scit. Vndè opinio Mag. Soto dicentis, unum integrum diem esse spatium, in quo iustus potest abstinere à peccatis venialibus, & ultrà non posse, nimia visa fuit Curieli, qui designavit spatium trium, aut quatuor horarum. Hoc etiam nostris Salmant. displicuit dicentibus num. 242. *Cæterùm neque hoc nobis placet, sed censemus, prædictum spatium non posse designari ab hominibus, sed soli Deo notum esse, qui nostram fragilitatem, & varias inclinationes perfectissimè cognoscit.* Hoc dictamen prorsùs nobis arridet, & addimus, non solùm computandas esse fragilitatem, & inclinationem iusti, sed etiam habitum, & statum. Si namquè supponitur habitus venialitèr peccandi, in ipso habitu adest aliud potissimum impellens ad culpam, quod abest, si habitus non datur. Vndè spatium, quod est breve habitum non habenti, habenti illum longum est. Similitèr Perfectus ex sui status nobilitate habet vires robustiores, quam Incipiens, in eo que pars inferior superiori obtemperat. Quocirca tempus, quòd Perfecto breve est, est longum Incipienti. Non est ergo dabile, quòd assignare possimus materialitèr, quodnam sit tempus breve, aut longum. Sed nec hoc, ut dictum est, requiritur, sed sufficit determinatio formalis. Qua caret spatium, seu tempus vitæ. Hoc enim in aliquibus est ita breve, quòd repugnet esse longum; in alijs verò est ita longum, ut implicet, esse breve. Ac per consequens ly *tota vita*, quo utitur Concilium designat tempus vitæ non quia vitæ, sed quia longum propter assignatam rationem.

Ad 2. obiectionem liquet ex dictis; Perfectos etiam non posse consistere per longum tempus sine culpa veniali. Quamquàm breve tempus, quo sine venialibus esse queunt, longum tempus sit Proficientibus, & Incipientibus longissimum, & in hoc stat discrimen, quoad præsens, inter illos: non verò in hoc, quòd Perfecti queant diù sine venialibus esse: quæ ex infrà dicendis ampliùs elucidabuntur.

6. Probatur 2. assertio elegantissimis testimonijs D. Thomæ, qui loco citato ex 1. 2. art. 8. ait. *In statu autem naturæ corruptæ indiget homo gratia habituali sanante naturam ad hoc, ut omninò à peccato abstineat: quæ quidèm sanatio primò fit in præsenti vita secundùm mentem, appetitu carnali nondùm omninò reparato. Vndè Apostolus ad Roman. 7. in persona hominis reparati dicit: Ego ipse servio mente legi Dei, carne autem legi peccati. In quo quidèm statu potest homo abstinere ab omni peccato mortali quod in ratione consistit, ut suprà habitum est. Non autem potest homo abstinere ab omni peccato veniali propter corruptionem inferioris appetitus sensualitatis: cuius motus singulos reprimere potest (& ex hoc habet rationem peccati, & voluntarij) non autem omnes: quia dum uni resistere nititur, fortassis alius insurgit. Et etiam quia ratio non semper potest esse pervigil ad huiusmodi motus vitandos.* Eandem doctri-

trinam tradit Sanctus Doctor pluribus alijs locis, quorum aliqua in quæstionis discursu allegabimus. Modò tamen adijciemus, quæ docet quæst. 24. de verit. art. 12. ubi inquit: *Dupliciter autem aliquid in nobis quasi repentinè fit. Vno modo ex impetu passionis. Motus enim iræ, & concupiscentiæ interdùm deliberationem rationis prævenit. Qui quidèm motus in illicitum tendens ex corruptione naturæ peccatum veniale est. Et ideò post statum naturæ corruptæ non est in potestate liberi arbitrij omnia huiusmodi peccata vitare; quia eius actum effugiunt: quamvis possit impedire aliquem istorum motuum si contrà conetur. Non est autem possibile quòd homò continuè contra conetur ad huiusmodi motus vitandos, propter varias humanæ mentis occupationes & quietem necessariam. Quod quidèm contingit ex hoc, quòd inferiores vires non sunt totaliter rationi subiectæ, sicùt erant in statu innocentiæ, quandò homini huiusmodi peccata omnia, & singula vitare per liberum arbitrium facillimum erat; cò quòd nullus motus in inferiobus viribus insurgere poterat, nisi secundùm dictamen rationis. Ad hanc autem rectitudinem homo in præsenti per gratiam non reducitur, communiter loquendo: sed hanc rectitudidinem expectamus in statu gloriæ. Et ideò in hoc statu myseriæ post reparationem gratiæ homo non potest omnia peccata venialia vitare: Cùm tamen hoc in nullo libertati arbitrij præiudicet.* Et ne plures authoritates ex eodem art. desumptas exhibeamus, illum integrum allegamus in favorem propositæ conclusionis. Ibi enim vel à paritate eorum, quæ docet circa peccatum mortale, de quo directè agit; vel ex ijs, quæ ut suam doctrinam stabiliat, tradit circa peccatum veniale, est multiplex, ea que efficacissima eiusdem comprobatio. Ex ijs ergo, & ex inductis testimonijs sic à ratione.

7. Probatur 1. conclusio. Homo lapsus, licet queat singula peccata mortalia vitare; nequit tamen diù consistere, quin peccet: ergo licèt homo iustus queat singula venialia superare; nequit diù consistere, quin superetur. Ergo pariformiter homo perfectus. Antecedens quoad suppositionem, & quoad enuntiationem est expressum in laudato D. Thoma, supponi que modò debet. Secunda consequentia rectè deducitur ex prima, ut liquet ex dictis num. 5. ampliùs que ex dicendis liquebit. Prima consequentia pro eo, quod enuntiat, probatur. Ideò homo lapsus nequit diù consistere sine casu, quia habet principium intrinsecum ipsum inclinans ad peccandum mortaliter: sed etiam homo iustus habet principium intrinsecum ad venialiter delinquendum: ergo non potest diù consistere sine culpa veniali. Probatur minor multiplicitèr, primò sic. Homo in statu naturæ sanatæ talis conditionis est, ut dum uni peccato veniali resistere satagit, alius motus insurgit: ergo habet principium intrinsecum ad delinquendum venialitèr. Antecedens est certum, constat que ex primo Div. Thomæ testimonio. Et consequentia probatur. Quia quòd tot motus insurgant, est principium intrinsecum obstans resistentiæ venialium per longum tempus. ¶ Probatur 2. minor. ex eodem D. Thoma. Iustus nequit sempèr vigilare ut motus insurgentes superet: sed quòd nequeat sempèr vigilare, habet ab intrinseco: ergo habet principium intrinsecum &c. Minor, in qua stare potest difficultas, est manifesta: quia ex primo peccato contraxit homo incapacitatem, ad sempèr vigilandum. ¶ Probatur 3. Defectus perfectè subordinationis inter portionem inferiorem, & superiorem est principium intrinsecum delinquendi: sed perfecta subordinatio portionis inferioris ad superiorem amissa fuit per peccatum, & ad illam *homo in præsenti per gratiam non reducitur, communiter loquendo, sed hanc rectitudinem expectamus in statu gloriæ*, uti docet idem Ang. Doct. in testimonio secundo: ergo idem quod prius.

Probatur tandèm illa minor, & simùl detegitur fundamentum præcedentium probationum. Etenim fomes non ligatus est principium intrinsecum delinquendi: viribus communibus gratiæ non ligatur fomes: ergo istæ vires non auferunt à iusto principium intrinsecum peccandi. Illatio bona est, minor certa, liquebit que ex verbis subijciendis Div. Pauli perfectissimi. Probatur maior. Quoties fomes non ligatur, verum est illud ex ad Roman. 7. *Ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* Et illud: *Caro concupiscit adversus spiritum*: quæ pugna est principium venialis peccati, ut docet Div. Thomas citato art. 12. per hæc verba: *Ad octavum dicendum, quòd cum caro concupiscit adversus spiritum, est vitium, sed venialis peccati*: ergo fomes non ligatus principium intrinsecum est venialitèr delinquendi.

Hinc que dignoscitur, hanc ultimam illius minoris probationem aliarum præcedentium radicem esse. Quandoquidèm fomes non ligatus origo intrinseca est innumerabilium motuum contra rationem insurgentium, quos ut frænet anima, debet incensantèr vigilare, quod viribus communibus gratiæ fieri nequit. Rursùs. Fomes non ligatus origo est, à qua provenit, quòd pars inferior non sit perfectè subordinata rationi; & quòd dùm hæc motum aliquem compescere intendit, ab alijs impetatur, & interdùm superetur. Vndè nequit per longum tempus omnia venialia vitare. Et cum fomes ligatus non sit adhùc in viris perfectissimis, ut patet ex verbis inductis D. Pauli; idcircò etiam illi nequeunt diù absque venialibus consistere.

8. Secunda ratio, qua exdictis probamus conclusionem, est huiusmodi. Si aliqui Perfecti diù sine venialibus manssissent, maximè Apostoli postquàm in gratia confirmati sunt: sed post hanc confirmationem Apostoli non permansere diù sine venialibus: ergo nullus, etiam Perfectus, est, qui per longum tempus vitet omnia venialia. Cætera constant, & minor probatur pluribus authoritatibus. In primis enim post confirmationem in gratia dixit D. Paulus ea, quæ num. præcedenti exhibuimus. Et quia secundus textus egregiè totam præsentem materiam communit; idcircò exhibendus à nobis est, & brevitèr expendendus. Igitur Epistol. ad Galat. cap. 5. vers. 17. inquit D. Paulus: *Caro enim concupiscit adversus spiritum & spiritus adversus carnem. Hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis.* Loquitur Apostolus de se, de Coapostolis suis ante, & post confirmationem in gratia, de viris perfectissimis, de iustis non perfectis, ac demùm de peccatoribus. De omnibus quippè verificatur hoc dictum. Quæ si penitùs callere desideras, vide in Epist. ad Roman. cap. 7. ea verba: *Non quod volo bonum, hoc ago* &c. Et inibi D. Thomam ea verba enucleantem. Nos autem ad rem præsentem maximè observamus luctamen illud fortissimum, quo caro adversus spiritum, & spiritus adversus carnem præliantur. *Hæc enim sibi invicèm adversantur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis.* Ideſt: caro vult opera carnis exequi, sed, illi adversante spiritu, nequit facere, quod desiderat. Spiritus viri perfecti vult perfectè operari, & reipsa operatur perfectè; sed remurmurante carne, & motus fermè innumeros suggerente, facit, quòd perfectus ipse venialitèr quandoquè delinquat, faciens id, quod non vult.

Et ne imagineris, Apostolum liberi arbitrij immunitati contrariari, audi D. Thomam ibi tuum scrupulum dispellentem, & verba Apostoli angelicè elucidantem. Ait enim: *Non tamen tollitur libertas arbitrij: cum enim liberum arbitrium si ex hoc, quod habet electionem; in illis est libertas arbitrij, quæ electioni subsunt. Non autem omnia, quæ in nobis sunt, simpliciter subsunt nostræ electioni, sed secundum quid. In speciale enim possumus vitare hanc, vel*

vel illam motum concupiſcentiæ, ſeu iræ: ſed in generali omnes motus iræ, vel concupiſcentiæ vitare non poſſumus: & hoc propter corruptionem fomitis ex primo peccato introductam. Sed notã tum eſt, quòd quatuor ſunt genera hominum circa concupiſcentias, quorum nullus facit quæcumque vult. Nam intemperati, qui ex propoſito ſequuntur carnales paſsiones, ſecundùm illud Proverb. lætantur, cum malè fecerint, faciunt quidèm, quod volunt, in quantum ipſas paſsiones ſequuntur; ſed in quantum ipſa eorum ratio remurmurat, & ei diſplicet, faciunt, quæ non volunt. Incontinentes autem; qui habent propoſitum abſtinendi, & tamen à paſsionibus vincuntur, faciunt quidèm, quod non volunt, in quantum ipſas paſsiones contra eorum propoſitum ſequuntur. & ſic intemperati faciunt plus de eo, quod volunt. Continentes autem, qui vellent omninò non concupiſcere, faciunt quod volunt, dum non concupiſcunt; ſed quia omninò, non concupiſcere non poſſunt, faciunt quod nolunt. Temperati verò, quod volunt quidèm faciunt, in quantum in carne domata non concupiſcunt, ſed quia non ex toto domari poteſt quin in aliquo repugnet ſpiritui, ſicut nec malitia in tantum creſcere poteſt quin ratio remurmuret: ideò, cum aliquandò concupiſcunt, faciunt, quod nolunt; plus tamen de eo, quod volunt.

9. Quibus nihil addendum, ſed proſequentes illius minoris probationes adducimus D. Iacobum in ſua Epiſt. cap. 3. dicentem: *In multis offendimus omnes.* Vbi ſermo eſt de omnibus: De minoribus, de maioribus, de peccatoribus, de iuſtis, de Perfectis, ac etiam de confirmatis in gratia, qualis erat Apoſtolus Sanctus cum hæc dixit. Audiendus eſt D. Thomas inibi dicens: *Omnes, non tantum nos minùs eruditi, ſed etiam nos maiores. Gloſſa: Se illis connumerat, ut liberiùs arguat. Alitèr tamen offendit Iuſtus, alitèr iniuſtus, ut tangit Gloſſa. Nam iuſtus venialitèr, carnis fragilitate, & citò reſurgit. Iniuſtus* &c. Vide, Apoſtolum perfectiſsimum ſeipſum illis, quos arguebat connumerantem, nec in hoc mentientem; quia licèt mortalitèr non peccaret; peccabat tamen *venialitèr, & carnis fragilitate.*

Inſuper D. Ioannes Evang. in ſua prima Canon. cap. 1. ait: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Vbi ex Gloſſa ait D. Thomas: *Sicùt ambulamus in luce, ita ſumus mundi: non tamen debemus putare, nos quandiù vivimus, omninò poſſe à peccato mundari.* Ideſt, ad illum nos poſſe ſtatum pervenire, in quo ſine ſpecialiſsimo auxilio poſsimus diù ſine peccato conſiſtere. Præclarè D. Auguſtin. lib. de natur. & grat. cap. 36. inquit in confirmationem huius veritatis. *Si omnes illos Sanctos, & Sanctas* (loquitur de ijs, qui in Curia celeſti infra Beatiſsimam Virg. magis eminent, ut ſunt D. Ioannes Baptiſta, & alij) *cum hic viverent, congregare poſſemus, & interrogare, utrum eſſent ſine peccato? Quid fuiſſe reſponſuros, putamus? Vtrum hoc quod iſte dicit, an quod Ioannes Apoſtolus? Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia ſanctitatis, ſi hoc interrogari potuiſſent, nonnè una voce clamaſſent: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Pulcherrimè ſanè Doctor Sanctus paucis hiſce verbis rem totam declaravit. Nec prætermittendum ducimus, quod D. Thomas obſervat ad citatum textum Div. Ioannis, videlicèt, quòd Sanctus Apoſtolus non ait: *Quoniam peccatum non habuimus* de præterito, ſed *non habemus*; Cuius motivum expenſum iam eſt: quia, ſcilicèt, dum vivimus, ſtatum non habemus, in quo venialitèr non delinquamus. Quibus affatim probata manet minor illa propoſitio, in cuius comprobationẽ hæc omnia adducta ſunt. Conſtat ſiquidèm ex ipſis Apoſtolis poſt-

quàm confirmati erant in grotia, ipsos, & alios, etiam perfectissimos, non esse diù sine venialibus.

§. II.

Obiectiones.

10. CONtra ea, quæ duobus numeris præcedentibus, & præsertim numer. 9. diximus, obijcies 1. Quòd authoritates ibi adductæ ita intelligi debent, ut ob humilitatem dicamus, quòd peccatum habemus, non quia in rei veritate omnes peccent: ergo ex illis non deducitur necessitas auxilij specialis ad vitanda per longum tempus venialia.

Respondetur negando antecedens. Absurdum quippè maximum est dicere, illa verba proferenda à nobis esse propter humilitatem. Quod absurdum Concilia proscribunt, ut patet ex Milevitano statuente cap. 6. *Item placuit, quòd ait Ioannes Apostolus: Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est: quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat propter humilitatem oportere dicere, nos habere peccatum, non quia ita vere est, anathema sit.* Et si ob humiliatem ea dicenda forent, non diceret D. Ioannes: *Veritas in nobis non est*: nec etiam diceret: *Ipsi nos seducimus.* Sed diceret; si nos iactamus immunes à culpa, planè superbimus, & humilitas in nobis non est. Vndè certum est, nos omnes mortales peccatum habere, ut minùs veniale origineæ pestis, quam contraximus, prolem malam.

11. Obijcies 2. Si illæ authoritates intelligantur de peccato originali planum, & plenum sensum habent: ergo non intelligendæ sunt de peccatis actualibus. Probatur antecedens. Quia licèt à peccato originali mundi iam simus, in vero, & usitatissimo sensu possumus dicere, quòd permanet in nobis, qui deploramus miserias, quas induxit, in quibus veluti in sempèr durabili effectu perseverat: ergo.

Respondetur negando antecedens, cuius probatio nulla est. Quia alij textus, cum quibus eæ Scripturæ conferendæ sunt, contradicunt, quòd illæ intelligi valeant de peccato originali. Talis est ille orationis dominicæ, in qua dicimus: *Dimitte nobis debita nostra*, qui quidèm intelligi de peccato originali non potest. Tum: quia hoc unicum est, & non plura. Tum etiam: quia iam dimissum est. Similitèr Proverb. cap. 24. dicitur: *Septies enim cadit iustus.* Quæ de peccato originali quis intelliga? ¶ Adde 1. Quòd post præfata verba subiungit Sanctus Ioannes: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus, & iustus, ut remittat nobis peccata nostra.* Quæ verba neutiquàm intelligi valent de originali culpa. ¶ Adde 2. Quòd si possemus dicere, nos pro nunc habere maculam origineam, quia eius effectibus nunc gravamur: etiam possemus asserere, animas iam regnantes habere nunc originale peccatum; quia licèt illud inse existens non habeant; habent tamen illud existens in eo, quod sint à proprijs corporibus separatæ, quæ separatio est effectus originalis peccati. Et similitèr in æternum, & ultrà diceretur de existentibus in gloria, quam à Christo Redemptore, & Capite habent; illam enim à Christo non haberent, si culpa originalis non præcessisset. Quæ omnia, & singula cùm absurda sint, ac planè intolerabilia; fit consequens, peccatum originale non esse peccatum, de quo traditæ Scripturæ loquuntur.

12. Obijces 3. Vt illæ Scripturæ veræ sint, sufficit, quòd plures homines, aut ferè omnes nequeant diù consistere absque culpa veniali; non tamen requiritur, quòd nullus sine illa sit: ergo ab ea universalitate excipiendi sunt Perfecti. Patet ista, quia si aliqui excipiendi sunt, nulli aptius, nec æquè idoneè ac Perfecti. Probatur antecedens. Quoniam eadem

dem Sacra Scriptura ait: aquas universalis Chataclysmi omnium montium altitudinem superasse; cum tamen olimpi fastigium, & montis, in quo paradysus est, non attigissent. Similitèr in Scriptura dicitur, quòd omnes homines *declinaverunt, simùl inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*; & tamen certissimum est, sempèr fuisse, & esse viros Sanctissimos, quibus cum omnium Dominus deliciatur. Plures alias eiusdem Scripturæ authoritates prætereo, in quibus dictum universale non pro omnibus intelligitur, sed pro ferè omnibus, paucis exceptis: ergo pariformitèr in nostro casu.

Respondetur negando antecedens. Ad probationem dicas: locutiones illas valdè particulares esse; atque adeò intergiversabiles. Sed estò generales sint, intelligi debent iuxta Conciliorum decreta, Patrum doctrinam, & Thelogorum expositionem. Vndè cum Theologi, Patres, & Concilia asserant, omnes, unam Beatissimam Virginem si exceperis, non posse vitare venialium collectionem; sic debemus intelligere Scripturam hoc asserentem. Et ultrà authoritatem est ratio urgens ad sic procedendum, quam sub hac forma propono. Etenim quandò ratio formalis, ob quam aliquid enuntiatur de aliquibus, aut de pluribus individuis, invenitur in omnibus, non adest motivum, ut aliquod, vel aliqua excipiantur à generali regula: atqui ratio formalis, ob quam hic homo nequit per longum tempus vitare venialium collectionem, invenitur in omnibus hominibus, peccatoribus, iustis, Perfectis, & non Perfectis: ergo nullum motivum adest ex vi huius, ut aliquis excipiatur. Consequentia est bona, & maior evidens: Quia quoties non exhibetur privilegium excipiens aliquem à lege communi omnes comprehendit, in quibus adest illud idem motivum, seu ratio comprehendendi: Quocircà, quia originari ab Adam sordido est ratio contrahendi labem originem; idcirco quotquot ab illo ortum ducunt, maculantur. Et propter hanc rationem neminem excipimus ab illa clausula generali: *Omnes in Adam peccavere*, nisi indultum, seu privilegium exhibeat, quale exhibet, & quidèm valdè honorificum, purissima Virgo.

Minor verò constat ex supra dictis. Vidimus enim rationem, ob quam collectio venialium vitari à nobis non potest, esse imperfectam subordinationem partis inferioris ad superiorem, seu fomitem in malum sempèr hominem inclinantem, & illam subordinationem imperfectam appetitùs conservantem. Hoc verificatur de omnibus hominibus, sicut & necessitas moriendi. Vndè sicut omnes morimur, sic etiam omnes, ut minus venialitèr peccamus; quia nisi adsit speciale motivum, necessitas venialitèr peccandi socia inseparabilis est necessitatis moriendi, ut docet Sanctus Thomas citato art. 12. per hæc verba: *Ad 9. dicendum, quòd necessitatem moriendi concomitatur, necessitas peccandi, vel venialitèr, vel mortalitèr, nisi in personis privilegiatis, scilicèt Christo, & Beata Virgine.*

13. Ad id verò, quòd in hac confirmatione tangitur de aquis diluvij, dicimus, quòd ijs aquis *operti sunt omnes montes excelsi sub universo Cælo.* Genes. cap. 7. Ratio que est ex dictis deducenda, & ad motivum diluvij brevitèr applicanda. Duplici motivo diluvium venit. Primò ut omnis caro periret. Secundò, ut quicquid ab homine iniquo maculatum erat, purgaretur. Ex primo capite debuit aqua supra omnium montium cacumina elevari; nesi ad illa confugerent homines; vel animalia, salvarentur. Ex quo colligitur pulchra cohærentia dictorum: quia cum in omnibus montibus inveniretur eadem ratio, ob quam aquis operiri debuissent, nempè ne opitularentur sacrilegis: idcircò omnes operti sunt, præter illum, in quo illa ratio non subsistit ob privilegium speciale. Mons ille

non

non fuit Olympus, qui absdubiò sustinuit aquarum vindicem molem; sed fuit mons, in quo est paradysus, ad quem confugere caro perdenda nequibat ob indultum speciale, quo supra omnes alios montes eminere conspicitur. Audiatur Abulens. Genes. 7. qui postquàm omnes alios montes ab aquis subiugatos docet, addit: *Sed non est eadem causa de loco paradysi, quia illùc neque homines, neque animalia, neque Dæmones ascendere possunt. Cum ibi sit Cherubim habens gladium igneum versatilem ad custodiam ligni vitæ.*

13. Ex secundo capite, scilicèt, ut mundaretur, quòd fuerat ab homine maculatum, debuerunt aquæ montium verticem superantes ita excrescere, ut eos, hoc est, elevatiores per quindecim cubitos superarent. Rationem que huius excessus dedit egregiè Abulensis citatus dicens: Crevit aqua usquè ad quindecim cubitos super cacumina montium, & non erat necesse plus crescere: *quia usquè ad illum locum corruptus fuerat aer in peccatis, & turpitudinibus hominum.* Nec mireris, tantam aëris altitudinem fuisse corruptam malitia hominum, usquedùm Historiam Scholasticam audias cap. 34. in 7. Genes. dicentem: Aquam per quindecim cubitos elevatam fuisse, quia peccatores *in sublimibus sacrificantes ignem accendebant, cuius vapor, & favillæ multum ascendere potuerunt, & aëra maculare.*

Secundus textus ex Psalm. 13. minus urget. Vide D. Thomam, & N. Incognitum ibi, & solutionem habebis. Et sanè cum David loquatur de insipiente dicente in corde suo: *Non est Deus.* Extemplò ac in corde suo hæc dixit caterva insipientium, operati sunt omnes ad illam catervam spectantes ea libertate, ac si non esset Deus. Vndè omnes illi simùl *declinaverunt, inutiles facti sunt*, corrupti sunt, abominabiles facti sunt, & eorum omnium non fuit, qui bonum faceret.

14. Obijcies 4. Si dicti textus rigorosè intelligendi sunt, sequitur, quòd Perfectus nec per brevisimum tempus abstineat à peccando venialitèr: consequens est absurdum, & contra id, quod in præsenti supponimus: ergo illis textibus non probatur, Perfectum non posse diù abstinere à venialibus. Probatur sequela. Nam D. Ioannes, ut & ipsi cum D. Thoma observavimus, non dicit: Quoniam peccatum *non habuimus*, sed de præsenti, *non habemus*: ergo non est tempus præsens, in quo Perfectus peccatum veniale non habeat. ¶ Similitèr in Concilio Milevitano Can. 8. diffinitur, quòd omnis iustus verè, & suo nomine debet dicere: *Dimitte nobis debita nostra*; sed non est tempus, in quo Perfectus non possit hoc dicere: ergo non est tempus, in quo sit sine culpa veniali.

Respondetur negando sequelam, cuius primam probationem diluit Div. Thomas 3. part. quæst. 79. art. 4. dicens: *Ad 2. dicendum, quòd illud verbum non est intelligendum, quin aliqua hora possit homo esse absque omni reatu peccati venialis, sed quia vitam istam Sancti non ducunt sine peccatis venialibus.* Si iustus potest aliquà horà consistere absque reatu peccati venialis, potiori titulo poterit ipse iustus, maximè si Perfectus sit, subsistere aliquibus horis, quin actu venialitèr delinquat. Sensum ergo Apostoli profundissimè expressit Div. Thomas ultimis verbis allati testimonij. Ex quo enim *vitam istam Sancti non ducunt sine peccatis venialibus*: & aliundè ipsis evidentèr non constat, quòd liberi ab illis, & ab eorum reatibus sint: idcircò qui diceret, se non habere peccatum, seipsum seduceret, & veritas in ipso non esset: quandoquidèm tamquàm certum affirmaret id, de quo certus non esset.

Ad 2. sequæle probationem ijsdem verbis Div. Thomæ respondemus, quòd quia *vitam istam Sancti non ducunt sine peccatis venialibus*, in quæ incidunt frequentissimè: propterea semper veracitèr dicere possunt *dimitte nobis*

bis debita noſtra, vel quæ cognoſcimus, vel quæ ignoramus: quia licèt de nullo modò nobis conſtet, non in hoc liberi à debito ſumus; eò quòd Deus iudicat nos. Et ad fundandum dictamen prudens, quod eam deprecationem eliciat, illamque veracem reddat, non requiritur alia certitudo; quia in his non eſt quærenda evidentia.

§. III.

Argumenta.

15. VLtra ea, quæ in præcedentibus obiecta ſunt, reſtant plurima, ea que non exigui ponderis argumenta: maximè ſi de Perfectis, ut par eſt, loquamur. Igitur contra noſtram aſſertionem arguitur ſic primò. Nam Canticor. cap. 4. verſ. 7. ait Cæleſtis Sponſus de anima perfecta, ſibi chariſsima: *Tota pulchra es, & macula non eſt in te.* Vbi perſpicuè dicitur, quòd anima poſtquàm ad culmen perfectionis evecta eſt, omni, vel minima, deformitate, ac nævo caret. Secùs enim *tota pulchra non eſſet.* ¶ Aliæ ſunt Scripturæ Sacræ authoritates, quibus hoc ipſum ſuadetur; quia tamen iſta, quam dedimus, eſt clariſsima; idcircò plurimas derelinquens duas tantùm exhibebo. D. Ioannes Evang. Epiſt. citata inquit: *Qui natus eſt ex Deo non peccat, nec poteſt peccare, quia ſemen eius in ipſo manet.* Vbi clariſsimè dicitur, quòd iuſtus non cadit ea facilitate quam deſcripſimus; quin potiùs nullatenùs peccare dicitur: Cum ab ipſo vel facultas ad peccandum auferatur. De Perfectis loquutus D. Iacobus ſuprà laudatus monet, *ut ſitis perfecti in nullo deficientes.* Ac ſi diceret: Qui Perfectus eſt, in nullo deficit; idcircò vos Perfectos deſidero, ut in nullo, adhùc venialitèr, defficiatis.

Primam authoritatem ſic D. Thomas inibi exponit, ut non ſolùm nobis contraria non ſit; verumetiam ſit aſſerti noſtri probatio. Ait enim: *Omni, inquit, ex parte nullam recipis maculam, aut rugam. Non enim ſoli Doctores, vel Perfecti quique pulchri ſunt ante oculos Dei, qui ſummà ſcientia & contemplatione præeminent: ſed etiam ſimplices, & fideles, qui recta fide, & bonis operibus exornantur, pulchri in oculis Sponſi habentur. Nam ut Pſalmiſta dicit 113. Benedixit omnibus qui timent Dominum puſillis cum maioribus. Ideò dicit: Tota pulchra es, non pars tua. Hæc autem ideò dicimus, non quòd aliquis in præſenti vita ſine peccato eſſe poſsit, cum ſcriptum ſit: Nemo eſt ſuper terram ſine peccato, nec infans unius diei; ſed ideò, quia fides perfecta, & cæleſte deſiderium omnem abſtergit maculam peccati levioris. Non enim de gravioribus nunc ratio eſt, quæ qui committunt, iam Sponſa Chriſti non ſunt: nec ullam habent particulam huius ſanctæ pulchritudinis. Hinc eſt quòd Ioannes dicit 1. Can. 3. Qui natus eſt ex Deo, non peccat, ſcilicèt peccatum ad mortem, non quòd levibus peccatis quis careat, ſine quibus vita iſta agi non poteſt. Tota eſt ergo pulchra Eccleſia, in quantum ſe caſtam, & immunem ab omni peccato cuſtodit. Si quandò autem levi peccato fuſcatur, citò plenitudine et recta fide ac cæleſti deſiderio in ea priſca pulchritudine reparatur.*

Hùc reſpicit D. Gregorius, quandò eadem verba exponens inquit. *Dum ſancta anima à peccatis quotidianis ſe per pœnitentiam mundat: dum quotidiè peccata minuta cũ lachrymis abluit, & à maioribus ſe obſervat, quamvis frequentèr peccet, per aſsiduam tamen pœnitentiam munditiam ſuam aſsiduè ſervat. Hinc enim alibi præcipitur: ſempèr ſint veſtimenta tua candida. Et illud: Iuſtus autem ex fide vivit. Quamvis enim mox ut peccat à iuſtitia deviet; tamen dum ſempèr credit in eum, qui iuſtificat impium, & aſsiduè ſub eius fide peccata ſua deflet, per aſsiduas ablutiones iuſtitiam ſuam retinet.* Liquet ex horum Patrum teſtimonijs animam iuſti, pulchram, & ſine macula

dici,

dici, quia quamvis venialitèr peccet, citò ad priſcam pulchritudinem reſtituitur. Vndè & venialitèr peccare ſupponitur, & textus obiectus explicatur.

Secundus textus ſic ſe habet. *Qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in ipſo manet: & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.* Illum tamen non eſſe contra nos, ſola D. Thomæ expoſitio convincit. Ait quippè: *Peccatum non facit, ſcilicet, mortale, quod eſt contrarium generationi ſpirituali. Et intelligendum eſt cum reduplicatione, in quantum ſcilicet ex Deo natus eſt. Vel intelligendum eſt coniunctim, quamdiù natus, ideſt, nativitatis gratiam cuſtodit &c. Et non poteſt peccare. Quaſi dicat, non ſolùm non peccat, ſed non poteſt peccare. Gloſſa, quandiù Verbum retinet. Et intelligitur de potentia diſpoſita & propinqua, non remota. Poteſt enim potentiâ naturæ, ſed non poteſt potentiâ habitûs gratiæ: ſicut diceretur, quòd bonus ſcriptor non poteſt malè ſcribere.*

Textus ultimus ex D. Iacobo deſumptus non loquitur de Perfecto ſimplicitèr, ſed de Perfecto in linea patientiæ, ut liquet ex littera. Sanctus Apoſtolus hortatur nos, ut ita exerceamus patientiam, quòd in nullo deficiamus. Ad quod ſufficit, quòd omnia occurrentia ſuperare poſsimus, quamquàm reipsà non omnia ſuperemus. Vndè hortatur hic Div. Iacobus per ordinem ad patientiam, idipſum, quod ſimplicitèr monet D. Ioannes in ſua prima Canon. cap. 2. verſ. 1. *Filioli mei, hæc ſcribo vobis, ut non peccetis*, & exponit inibi D. Thomas, *aliquo genere peccati.* Quocircà utriuſque dicti idem eſt ſenſus, cum ſolo diſcrimine aſsignato. Videlicèt, quòd monitum Div. Iacobi reſpicit materiam determinatam, & D. Ioannis præceptum nullam materiam determinat, ſed omnes comprehendit.

16. Arguitur 2. Non eſt Perfectus, qui aliquod peccatum veniale habet: ergo non eſt Perfectus, qui peccat venialitèr. Ergo Perfectus ſine aliquo ſpeciali auxilio poteſt omnia venialia per lõgum tempus cavere. Hæc ſecunda conſequentia liquet ex prima, quam infert antecedens: quòd probatur primò. Perfectus dicit excluſionem eorum, quæ pugnant cum perfectione: cum hac pugnat peccatum veniale: ergo non eſt Perfectus, qui illud habet. ¶ Probatur 2. Peccatum veniale habens eſt peccator, & imperfectus; peccatum quippè illud nequit non habenti tribuere illas denominationes: ſed implicat, quòd quis ſit ſimul Perfectus, & imperfectus: ergo idem quod priùs. ¶ Probatur 3. Ex Myſtico N. Doctore, qui inflam. Cant. 1. verſ. 6. inquit: *Perfectum habere appetitus, & affectus mortificatos, & animæ operationes divinas*: ſed operationes humanæ, quæ *divinæ* myſticè denominantur, nullatenùs poſſunt eſſe peccaminoſæ, aut imperfectæ: ergo. ¶ Probatur 4. Ex eodem Myſtic. Doctore, qui lib. 1. Aſcenſ. cap. 9. ait: *Si in particulari offerre decerneremus quantum cum unione animæ cum Deo pugnant imperfectiones, & earum varietas, & quantum peccata venialia, quæ quidèm multò magis quam imperfectiones impediunt, & ipſorum diverſitas, numquàm finem haberet ſermo noſter.* Quibus clariſsimè edocemur, quòd habens peccatum veniale implicat, quòd ſit Perfectus.

Confirmatur 1. Quia idem Extat. Doctor in ſuo Epithalam. Cant. 20. ad illum verſ. *Montes, Valles, Riberas*, docet, quòd per illud verbum *Riberas* intelliguntur actus potentiarum, qui ſunt peccata venialia, aut imperfectiones: ſed hæc, prout ibi explicat Sanctus Doctor, poſſunt ab illa anima vitari; debetque huic ſtudio incumbere, ut perfectionem obtineat: ergo ſignum eſt perfectionis nondùm obtentæ, ſi illa omnia non vitat.

Confirmatur 2. Quia idem Seraph. Parens inibi Cantilena 3. inquit, animam polliceri, ſe nec mortalitèr, nec venialitèr peccaturam ijs verbis, *Ni co-*

ge-

gerè las flores, ni temerè las fieras: ergo in ſua poteſtate habet anima illa cavere à venialibus, ſicut & mortalibus.

Reſpondetur argumento diſtinguendo antecedens, *veniale* habituale, concedo, actuale, ſubdiſtinguo, frequentèr, & ex plena deliberatione factum, concedo, non frequentèr commiſſum, nec ex plena deliberatione, adhùc diſtinguo, *non eſt Perfectus* perfectione patriæ, concedo, perfectione viæ, nego antecedens. Ad cuius primam probationem negetur minor ſub diſtinctionibus datis. Ad ſecundam probationem diſtinguo maiorē *imperfectus* ſecundumquid, concedo. Simplicitèr, nego maiorem. Perfectus, de quo loquimur, denominatur talis ab unione, qua intimè unitus Deo eſt: quæ unio eſt ſimplicitèr talis relatè ad ſtatum viæ, & quia viæ unio eſt, permittit peccatum veniale ex imperfecta deliberatione proveniens. Et quamquàm hoc peccatum denominet committentem imperfectum, nulla in hoc datur contradictio: quia ſimplicitèr perfectus poteſt eſſe imperfectus ſecundumquid. ¶ Ad 3. probationem diſtinguo maiorem, *divinas* viæ, concedo, patriæ, nego maiorem. Ab unione intima cum Deo habet anima, quòd in ipſum tranformata ſit; hinc que eius operationes dicuntur myſticè *divinæ*; aſt quia ipſæ operationes non procedunt à gratia conſummata, patiuntur ſecum peccata venialia, non ex habitu procedentia, nec frequentia, & ex plenà advertentià, ſed ex imperfecta deliberatione. Per quæ patet ad ultimam probationem antecedentis. Ibi enim agit Sanctus Doctor de imperfectionibus, & peccatis venialibus ex habitu, & plena deliberatione procedentibus.

17. Explicatur ſolutio. Etenim ſicùt datur multiplex genus peccati venialis, proùt initio quæſtionis dicebamus, ita diverſo modo de ipſis loqui debemus. Vndè peccatum veniale habituale, ideſt, habitus vitioſus venialitèr peccandi, ſive in omni, ſivè in aliqua determinata materia, pugnat certè cum ſtatu eminentiſsimo Perfectorum; immò & cum proficientium ſtatu, proùt ſæpiſsimè docet Extat. N. P. Div. Ioannes à Cruce. Peccatum autem veniale actuale, hoc eſt, quod nec habitum cauſat, nec ſupponit, eſt duplex. Aliud, quod procedit ex imperfecta deliberatione: & aliud, quod ex plena deliberatione, & advertentia procedit. Ex quibus primum pugnat quidèm cum conſummata perfectione; cæterùm cum perfectione inchoata non pugnat. Aſt ſecundùm conſummatæ & inchoatæ perfectioni contrariatur. Vtrumque miriſsimè docuit Seraphica Mat. noſt. lib. vitæ. cap. 41. Verbis ſequentibus, quibus noſtrum aſſertum ſuadet. Illa proprio idiomate dabimus ob proprietatem doctrinæ.

Ait enim: *De los pecados veniales eſteis con mucho cuydado de no hacerlos de advertencia: que de otra ſuertte, quien eſtarà ſin hacer muchos?* (obſerva profunditatem, & proprietatem huius Cæleſtis Doctricis) Proſequitur: *Mas ay una advertencia muy penſada, y otra tan de preſto, que caſi haciendoſe el pecado venial, y advirtiendoſe es todo uno, que no nos podemos entender. Mas pecado muy de advertencia, por muy chico que ſea, Dios nos libre de èl: que yo no sè, como tenemos tanto atrevimiento, como es ir contra un tan gran Señor, aunque ſea en muy poca coſa: quanto mas, que no ay poco, ſiendo contra una tan gran Mageſtad, y viendo que nos eſtà mirando, que eſto me parece à mi es pecado ſobre-penſado, y como quien dice: Señor, aunque os peſe, harè eſto: yà veo, que lo veis, y sè, que no lo quereis, y lo entiendo; mas quiero mas ſeguir mi antojo, y apetito, que no vueſtra voluntad. Y què en coſa de eſta ſuerte ay poco? A mi no me parece leve culpa, ſino mucha, y muy mucha.*

Quibus addiderim, quæ lib. de Itin. cap. 15. docet per hæc verba: *Bien mirado, nunca nos culpan ſin culpas, que ſiempre andamos llenos de ellas; porque*

cae ſiete veces al dia el Juſto, y ſeria mentira decir, que no tenemos pecado. Pro completa horum, pluriumque aliorum ſolutione adducam etiam Doctricis almæ doctrinam, qua erudire ſatagit filias ſuas ſuper Cantica capite 1. §. *Dexemos almas.* dicens: *Siempre os temo, como he dicho, quando no os doliere algo la falta que hicieredes: que de pecado, aunque ſea venial, yà ſe entiende, os ha de llegar al alma, como gloria à Dios creo lo ſentis aora.*

Non potuit formaliſsimus, & ingenioſiſsimus Scholaſticus arcana hæc ſubtiliore profunditate, ac proprietate diſſerere. Habemus ergo ex aſſertis ab inſigni Magiſtra, Perfectum poſſe omnia venialia vitare; licèt nequeat dici conſiſtere, quin delinquat venialitèr. Habemus etiam, venialia ex plena advertentia, ac deliberatione illa pleniſsima commiſſa, rotundè pugnare cum ſtatu perfectionis. Illa verò, quæ ex imperfecta deliberatione procedunt, perfectioni inchoatæ haùd contrariari; illis tamen animam, quantum ſtatus præſens patitur, in Deum per intenſiſsimum amorem transformatam vehementiſsimè torqueri, & conteri. Habemus tandèm hac ipſa doctrina enodari omnes antecedentis probationes, & plurima alia, quæ hic opponi poſſunt.

Ad primam confirmationem dicimus, optimè noſtrum Myſticum Doctorem aſſerere, dum dicit, iuſtum omnia peccata venialia poſſe vitare. Hoc ipſum dicimus nos, tenentes quandoquè cadere, quod nec negat, nec negare poſſet Sanctus Doctor. Qui etiam optimè dicit, animam perfectionis cupidam promittere, ſe ex divinæ gratiæ auxilio nec mortalitèr, nec venialitèr peccaturam. Hunc animum habere debet quiſquis ad perfectionem tendit: & ut illum habeat, ſufficit ei, quòd viribus communibus gratiæ queat vitare mortalia, & etiam venialia ex habitu, aut perfecta deliberatione procedentia, quæ pugnant cum perfectione, quam intendit. Alia tamen, quamvis vitare diù nequeat, poteſt abſolutè, & prout occurrunt, vitare. Et hoc ſufficit, ut talem animum habeat. Per quod patet ad ſecundam confirmationem.

18. Sed contra, & arguitur 3. Si Perfectus nequiret, dici conſiſtere, quin peccaret venialitèr, hoc eſſet propter venialia, quæ imperfecta deliberatione fiunt; ſed hæc poteſt per longum tempus vitare Perfectus: ergo, & omnia. Maior liquet ex omnibus ſupradictis, & minor probatur multiplicitèr. Primò: quia, ut conceſſum à nobis eſt, Perfectus poteſt vitare plura venialia, quam ille, qui Perfectus non eſt: ſed imperfectus poteſt vitare omnia venialia, præter illa, quæ ſunt ex deliberatione imperfecta: ergo hæc poteſt vitare Perfectus; ſecùs enim non plura vitabit. ¶ Probatur 2. Quò gratia perfectior eſt; eò ex eius influxu queunt plura venialia vitari: ergo tantùm hæc gratia poteſt creſcere in viris Perfectis, ut omnia venialia vitent. ¶ Probatur 3. Perfectus habet appetitum plenè ſubiectum rationi: ergo poteſt omnia venialia cuiuſcumque generis vitare. Conſequentia liquet ex multoties à nobis affirmatis & antecedens probatur. Quia, ut diximus in Iſagoge lib. 5. num. 19. purgatio paſsiva partis ſenſitivæ in id collineat, ut pars inferior perfectè rationi ſubdatur, ſicùt purgatio paſsiva partis intellectivæ dirigitur ad perfectè ſubordinandam rationem Deo: ſed Perfectus iam ſubijt has purgationes: ergo gaudet ea perfecta ſubiectione. ¶ Probatur tandèm. Eò non poſſet Perfectus illa peccata vitare, quia ſubiti motus intercipiunt rationem: atqui hoc non eſt verum in viris Perfectis: ergo illa vitare poteſt. Cætera conſtant, & minor probatur ex Seraphico P. N. qui in ſuo Cantico Cantilena 27. ad illum verſum: *Alli le prometi de ſer ſu Eſpoſa* agens de anima perfecta ait: *Anima quæ ad hunc ſtatum pervenit, ſecundùm primos motus intellectùs, memoriæ, voluntatis, & appetituum regularitèr incli-*

clinatur, & movetur in Deum ob protectionem, & dilectionem quàm à Deo habet, & ob perfectam conversionem ad bonum: ergo.

Respondetur negando minorem, quæ nulla ex ijs probationibus evincitur. Non primâ, quia licèt Perfectus queat per maius tempus à venialibus abstinere; non tamen abstinet sempèr. In quo ab imperfecto discriminatur. A quo etiam differt in eo, quòd magis pœnitet eum peccasse. Et etiam in eo, quòd citiùs resurgat. Ac tandèm: quia propter perfectam illam conversionem ad bonum magis vigilat, ac veluti sine reflexione inclinatur, & movetur in Deum; ac subindè minus à subitis motibus prævenitur: non tamen potest omnia illa venialia vitare, quia hoc non sempèr ei evenit, sed *regulariter*, ut ait laudatus Nost. Parens. Per quòd patet ad ultimam minoris probationem.

Ad 2. probationem neganda est consequentia dicendumque, quòd venialium vitatio non provenit à gratiæ communis incremento, sed a privilegio speciali fomitem vel extinguente, vel ligante. Vndè quãtuncumque gratia crescat, si illud privilegium non datur, non vitantur venialia. ¶ Ad 3. probationem distinguatur antecedens, quòd verum est de plena subiectione appetitus in statu naturæ sanæ; non autem in statu naturæ sanatæ. Inter quos status hoc interest: quòd in statu naturæ sanæ, non solùm erat appetitus perfectè subordinatus rationi; verùm etiam ipsa ratio secundùm portionem inferiorem, quæ respicit temporalia, perfectè subdebatur portioni superiori ipsius rationis, quæ respicit æterna. Vndè nec appetitus rationem subitis motibus præveniebat, nec pars inferior rationis præter, aut contra præscripta à portione superiori operabatur. Ac subindè in illo felicissimo statu non poterat homo venialitèr peccare, quin priùs gravi crimine fœdaretur. In statu autem naturæ sanatæ per Christum duplex illa subordinatio appetitûs, & rationis inferioris deest, nec a gratia, quantumvis perfectissima, conferri potest. Vndè haberi nequit, nisi vi specialissimi auxilij consistentis in ipsa gratia sanctificante communicata cum novo intrinseco modo, quo fomitem extinguit.

19. Hæc tamen subiectio, quæ dabilis est in statu naturæ reparatæ, data que fuit in Beatissima Virgine, ut supra ex Tridentino audivimus, nunquàm pertingere potest ad celsitudinem subiectionis repertæ instatu iustitiæ originæ: quia nunquàm potest auferre capacitatem peccandi venialitèr sine respectu ad peccatum mortale priùs commissum; atque ideò quin status ipse vnionis supponatur amissus. Quòd sanè habebat status originalis iustitiæ; quo durante, peccatum veniale repugnabat. Quod discrimen refundunt Theologi, quos, si placet, consule, imperfectionem illius status, huius status perfectionem superantem. In statu naturæ sanatæ si adsit speciale privilegium, non datur peccatum veniale; potest tamen dari. Quia licèt fomite extincto, ligato vè, repugnent venialia, quæ sunt ab appetitu sensitivo rationem præveniente, & ad malum stimulante, non repugnant ea, quæ proveniunt à non ita perfecta subiectione rationis inferioris ad superiorem. Vndè hac conservante debitam subordinationem ad Deum, potest illa pro libito occupari circa aliqua temporalia, quæ sunt peccatum veniale vel ex genere, vel ob materiæ parvitatem. Et hæc etiam venialia reipsa vitat, qui gaudet illo speciali privilegio, ut visum est in Sanctissima Dei genitrice. Cũ nihil perfectionis derogatur per hanc non repugnantiam, quam in ipsa ad huiusmodi venialia supponimus. Sed quod indè colligere licèt, est, quòd status, in quo producta fuit divina hæc creatura non æquet perfectionem statûs originalis iustitiæ, sicùt nec locus, in quo orta est, æqualis erat Hierusalem Metropoli Iudæorum. Immò ce-

dit in Virginis dignitatem, quòd nata ſub ſtatu non æquè nobili, omnium, qui ſpectarunt, & ſpectare potuerunt, ad ſtatum iuſtitiæ originalis perfectionem facilè ſuperaverit.

His ſic ſtatutis, quibus notitiam huius privilegij ſpecialis dedimus, & aliquot obiectiones præocupavimus, ad enodandam tertiam illam probationem revertentes dicimus quòd ultra has ſubiectiones, quas deſcripſimus, quæ que ſunt materia propria Scholaſticorum, datur alia, quæ Scholaſticos non excludens directè ſpectat ad Myſticos. Et hæc eſt ſubiectio appetitus ad rationem; hanc ſecundùm portionem inferiorem, ad ſuperiorem, & iſtam ad Deum, ſecundùm quod requiritur ad intimam unionem cum Deo, ſubordinans. Hæc ſubiectio eſt, de qua Myſtæ loquuntur, nos que cum ipſis locuti fuimus in illo lib. 5. fuſius que loquemur in 4. prædicabili. Hæc obtinetur viribus communibus gratiæ. Vndè nec eget ſpeciali illo gratiæ privilegio, nec venialia ex imperfecta deliberatione excludit.

20. In calce huius quæſtionis animadvertere placet, quòd forsàn plurima alia argumenta in aſſertum militantia deſiderabis, quibus Theologi utuntur. Inſuper deſiderabis illud ſpeciale auxilium ſeriò expenſum. Sicùt etiam, quo fundamento Gloriosiſsimæ Virgini concedatur, & an alijs conceſſum ſit? Hæc, inquam, fortè deſiderabis; ſed deſiderium tuum implere nequeo. De ſolis Perfectis loquor. Vndè argumenta, quæ ad Perfectos attinent, adduxi, ea que proprio labore fabricata dedi nollens, quod facillimum foret, Theologos tranſcribere, qui planè de iuſto, non de Perfecto, loquuntur, & apud quos illa argumenta, & ipſorum ſolutiones reperies. Sicùt etiam motiva, ob quæ Virgini Beatiſsimæ illud privilegium conceſſum ſupponatur, & denegatum alijs. Nos, ut diximus, loquimur de viro Perfecto in communi, non de hoc, aut illo Perfecto. Vndè egimus de illo, in quo Theologus Myſticus aliquam difficultatem invenire poteſt, & hanc ſuperare ſtuduimus. Alia, in quibus hæc ratio non viget, aliena ſunt à noſtro inſtituto, quocircà illa præterimus.

***

QVÆSTIO SECVNDA.

VTRVM IN VIRO PERFECTO MENDACIVM SIT peccatum grave?

INſulſus diſputator eſſem, ſi inquirerem de mendacio, quod ex ſe, aut ex adiuncta circunſtantia contẽptùs, ſcandali, aut aliundè; grave peccatum eſt. Hoc enim à quocumque proferatur, eſt peccatum mortale. Vndè nihil, quod Perfectorum ſit privativè proprium, explorarẽ. Quærimus ergo: an illud ipſum mendacium, quod in non perfecto leve peccatum eſt; ſit peccatum grave, ſi à Perfecto proferatur? Breviſsimè, pariterque clariſsimè ſtatum quæſtionis expoſui. Et vel ipſius titulus Perfecti prærogativam oſtendit. Vel ſola dubitatio huius ſignum evidens eſt ſublimitatis, qua Perfectus fulget. Quippè fundamentum huius dubitationis non eſt mendacium ipſum abſolutè ſumptum, ſed quatenùs Perfectum concernit; relatè ad quem, & ad ipſius celſitudinem id, quod in alijs leve eſt, an gravitatem in duat? dubitatur.

*****

§. I.

§. I.

Aliqua prælibo, sententias refero, & quid sit in præsenti tenendum statuo.

21. SVpervacaneum esse proponere modò mendacij multiplicitatem, indè evidentèr constat, quòd nostra consideratio non versatur circa aliquod mendacium speciale; sed de omni, & solo mendacio agit, quod, ut iam diximus, prolatum ab imperfecto leve est. Vndè sive mendacium sit iocosum, sivè officiosum, sivè quodcumque aliud, dummodò ex se leve sit, de illo agimus. Alia autem considerare, nostri instituti non est. Videri tamen possunt apud Magistrum in 3. dist. 38. & apud D. Thomam 2. 2. quæst. 110. & apud eorundem Expositores.

22. Quòd autem in præsenti præoculis habere debemus, & multiplex significatum huius vocis *Perfectus*. Potest quippè sumi, prout significat *Perfectum* in doctrina, quales sunt Magistri, quibus ex munere incumbit discipulos erudire. Et hoc sivè sit ad instruendum intellectum, sive etiam ad inflammandam voluntatem. Primum faciunt, qui suis litterarijs luctaminibus aliorum instructioni insudant. Secundum exequuntur, qui suis sermonibus, & doctrinis alios à vitijs revocare, & per cælestem mandatorum viam dirigire, satagunt. ¶ Secundò potest sumi *Perfectus*, prout significat illum, qui est in statu perfectionis, quamquàm Perfectus ipse non sit. Hoc que modo Domini Episcopi, & Religiosi dicuntur Perfecti; quia ipsorum status perfectionis est. Cum discrimine, quòd Religiosi debent tendere ad perfectionem, quam Illustrissim. Episcopi habent. His connumerari debent Sacerdotes propter sui gradùs celsissimam dignitatem. ¶ Vltimò sumitur nomen *Perfectus* pro eo, qui verè est in se ipso Perfectus, & perfecta charitate decorus ad intimam unionem cum Deo in matrimonio spirituali assumptus est. Hic tamen advertendum est, quòd Perfectus propter perfectam charitatem alius est occultus, & est ille, qui famà perfectionis non viget: & alius manifestus, & est ille, qui ob patrata miracula, & ob heroicarum virtutum exercitium ab omnibus, ipso obsistente, ut Perfectus, ac Dei habitaculum veneratur.

Harum omnium acceptionum meminimus, quia de *Perfecto* sub his omnibus acceptionibus agunt in præsenti Doctores. Nos autem claritati consulentes eas ad datam formam redegimus: quamquàm de Perfecto solùm in ultima acceptione disputabimus cum loquamur de Perfecto ad spirituale matrimonium elevato. Quid verò sentiendum sit circa alios, non penitùs præteribimus.

23. In præsenti controversia duplex opinio est è diametro contraria. Prima tenet, quodcumque mendacium, etiam ex se levissimum, si à Perfecto proferatur, esse peccatum grave. Sic opinantur aliqui Authores, quos suprefso nomine referunt D. Thomas, & D. Bonaventura allegata distinctione 38. Authores huius opinionis non eodem modo sumunt *Perfectum*, sed alij sub una, & alij sub alia ex ijs acceptionibus, quas numero antecedenti retulimus. Illi tamen omnes conveniunt in eo, quòd Perfectus, qui talis est à charitate perfecta, nunquàm venialitèr mentitur. Sed, si mendacium proferat, illud mendacium, quòd in alio esset leve, in ore ipsius est grave. Non omnes hi Authores eodem motivo ad suam positionem stabiliendam ducuntur. Eorum enim aliqui dicunt, illud mendacium ex se leve gravitatem habere ex eo, quòd Perfectus, qui à perfecta charitate talis est, nullam habet proniratem ad mentiendum. Ex quo intimè unitus est æternæ veritati, neutiquàm propensus est ad mendacium; immò ipsi specialitèr refragatur. Quocircà, quòd ad mentiendum determinetur, non potest non provenire ex magna ipsius malitia. Quo

reſpicere videtur Sancta Mat. N. Thereſia. num. 17. laudata. Et ſanè illa authoritas non parùm negotij faceſſeret, ſi vel ipſa de ſolo mendacio loqueretur, aut hi Authores nullum peccatum veniale agnoſcerent in viro Perfecto, ſed quodcumque ipſius peccatum dicerent, eſſe grave. Aſt affirmare ex una parte, Perfectum poſſe venialitèr delinquere ex ira, ex negligentia &c. & ex alia tenere, ipſum non poſſe venialitèr mentiri, ſuffugium reperire nequit in teſtimonio de omnibus peccatis venialibus procedente.

Alij huius ſententiæ Authores prædictum motivum contemnentes ad duo alia recurrunt. Primum eſt circunſtantia ſcandali, quam inſeparabilem rentur à mendacio viri perfecti: omnes quippè qui illum mentientem vident, ſcandalum patiuntur, & ſpiritalem ruinam; & ratione huius ruinæ & ſcandali non poteſt illud mendacium, aliàs leve, non eſſe grave. Secundum motivum eſt conſcientiæ dictamen. Et hoc ſecundum motivum non gravificat illud mendacium ſeparatum à primo, ut videtur ſentire D. Bonavent. allegata diſtinctione 38. art. 1. quæſt. 4. ſed ex utroque integrum motivum gravificans coaleſcit. Ita vt conſcientia Perfecti dictet, ſibi mentiendum non eſſe propter activum ſcandalū indè alijs reſultans. Quamobrem nequit Perfectus publicus mentiri, quin reus ſit criminis gravis.

Valdè inclinatum video adductum D. Bonavent. in hanc ſententiam ſic explicatam, illam que attribuit D. Auguſt. *Poteſt igitur*, ait, *concedi ſecundùm Auguſtinum, quòd viris perfectis, quorum perfectio publica eſt, mendacium quantuncumque parvum imputatur in mortale peccatum: quoniam propter ſcandalum vitandum dictare debet eius conſcientia nullatenùs eſſe mētiendum ne faciant veritatem venire in contemptum. Et hoc videtur ſenſiſſe Auguſtinus, qui fuit præcipuus veritatis amator, & omnis vir, qui veritatem amat, vehementèr odit mendacium.* Et infra in ſolutione ad 4. ait: *Hæc autem ſunt dicta de mendacio, ſecundùm quòd verba B. Auguſtini prætendunt, qui propter magnum veritatis zelum maximè deteſtatus eſt mendacium, & conatus eſt illud ab omnibus excludere, ſaltèm à viris perfectis voluit elongare, ut veritas in aliquibus inveniret ſolidam ſedem.*

Hæc Seraph. Doctor, & ſempèr mihi erit ſummè arduum, quòd D. Auguſtinus regulet gravitatem peccati per ſuam oppoſitionem ad illud; ita ut illud ſit grave, quod ipſe maximè deteſtatus eſt, & illud leve, cui non tantum opponebatur. Opponebatur Auguſtinus peccato, quia pecatum erat, & pro peccati qualitate erat & Auguſtini oppoſitio: non autem res peccatum erat, aut tale peccatum, propter oppoſitionem, aut talem oppoſitionem Auguſtini. Sunt plures genialem oppoſitionem habentes ad aliquot vitia, & propenſionem genialem ad oppoſitas virtutes. Liberalis, independentèr à motivo ſupernaturali, odit ea, quæ liberalilati per defectum opponuntur, & fræno indiget, ne in ea ruat, quæ liberalitati per exceſſum contrariantur. Et ſic de alijs. D. Auguſtinum vehementèr odiſſe mendacium fatemur. Non autem hinc colligendum eſt, ipſum habuiſſe pro mendacio id, quod mendacium non eſt: aut mendacium leve, tamquàm grave reputaſſe. Quæ autem fuerit mens Auguſtini, infrà dicemus.

24. Secunda ſententia extremè oppoſita docet, nullum mendacium leve gravificari per hoc, quòd à Perfecto proferatur. Hæc proculdubiò eſt D. Thom. loco citato ex 3. ſentent. quæſt. 1. art. 4. ad 4. & 2. 2. quæſt. 110. art. 4. ad 5. & ibi Caietanus. Tenet etiam Albertus Magnus art. 4. ſuper dictum librum ſententiarum. D. Bonavent. utramque ſententiam tenere videtur propter authoritatem D. Auguſtini, ut iam vidimus. Vndè eo motivo circunſcripto, debet connumerari inter huius ſententiæ defenſores, cum quibus ſentio. Et ideò.

25. Sit noſtra Concluſio, *Mendacium*

cium leve non est peccatum grave in viro perfecto etiam publico. Loquimur de Perfecto, cuius perfectio alijs innotescit; quia de hoc est maior difficultas: qua superata, nulla superanda restat per ordinem ad Perfectum occultum. Assertionem istam esse D. Thomæ liquet, ex verbis ipsius loco citato ex 2. 2. ubi ait: *Ad 5. dicendum quòd quidam dicunt, quòd perfectis viris omne mendacium est peccatum mortale: sed hoc irrationabiliter dicitur.* Et postmodum: *Et ideò mendacium officiosum, vel iocosum non est peccatum mortale in viris perfectis, nisi fortè per accidens ratione scandali.* Eandem doctrinam tradit in sententiarijs his verbis: *Dicendum, quòd nec mendacium, nec aliud peccatum, quod ex genere suo peccatum mortale non est, perfectis viris peccatum mortale fit, nisi sit contra eorum votum: sed per accidens potest eis mortale fieri, sicut & alijs, ut si fiat contra conscientiam, quam vis errantem, vel ratione scandali, vel alicuius huiusmodi.*

26. Probatur assertio 1. ratione D. Thomæ, qua etiam utuntur Div. Bonaventura, & Albertus Magnus. Nequit mendacium leve prolatum à viro perfecto esse grave, nisi quia profertur ab ipso: sed ex quo à viro perfecto proferatur, non habet gravitatem: ergo etiam si à viro perfecto proferatur, leve est. Illatio formalis est, & maior continet sensum proprium huius cõtroversiæ. Probatur minor. Quod illud mendacium à viro perfecto sit, nil addit, nisi circunstantiam personæ: sed circunstantia personæ non potest transferre mendacium leve in speciem mendacij gravis: ergo. Maior liquet ex sæpiùs dictis. Nihil aliud consideramus in mendacio, de quo loquimur, supra ipsum absolutè sumptum, seu prout à non perfecto dictum, nisi quòd a Perfecto proferatur. Minor autem est expressa D. Thomæ loco citato ex 2. 2. dicentis: *Circunstantia autem personæ non transfert in aliam speciem, nisi forte ratione alicuius annexi (puta, si sit contra votum ipsius) quod non potest dici de mendacio officioso, vel iocoso.*

27. Dices: Circunstantia personæ est circunstantia *quis*: sed hæc circunstantia, quia circunstantia, & quia talis inducit differentem malitiam: ergo ruit doctrina data. Minor pro prima parte, nempè, quòd ut circunstantia inducat differentem malitiam est doctrina Div. Thomæ pluribus in locis, ut de Malo quæst. 2. art. 8. & in 4. dist. 16. quæst. 3. art. 2. quæst. 4. & alijs. Quòd autem ut talis etiam inducat novam speciem malitiæ aut faciat de veniali mortale: Probatur multiplicitèr. Primò: Quia Adam in statu innocentiæ non poterat peccare, nisi mortalitèr, & post amissionem illius felicissimi status potuit, & peccavit, venialitèr: sed hoc non aliundè proveniebat, nisi ex circunstantia personæ: ergo circunstantia *Quis*, seu personæ facit, quòd peccatum sit mortale, aut veniale. ¶ Probatur 2. Circunstantia Prælati in faciente proprias oves peccare, est nova species malitiæ in Confessione aperienda, ut docent N. Salmanticenses tract. 24. disp. 8. num. 111. ergo circunstantia *Quis* inducit novam malitiam.

Probatur 3. Authore D. Hyeronimo in Epist ad Eustoch. *Nugæ in ore Laici nugæ sunt, in ore autem Sacerdotis blasphemiæ*: sed blasphemia est de se peccatum grave: ergo per solam circunstantiam *Quis* est aliquid vel indifferens, vel veniale, vel mortale. ¶ Probatur 4. Plus sine comparatione distat licitum à peccato mortali, quam ab hoc differat veniale: sed sola circunstantia *Quis* facit, quòd res licita sit mortalis: ergo potiori iure faciet, quòd veniale sit mortale. Probatur minor. Negotiari est secundùm se licitum: & tamen in Clerico peccatum est: ergo.

Respondetur negando minorem pro utraque parte. Ad probationem primæ dicas: D. Thomam clarissimè se explicare ijs locis. Ait enim. Circunstantias esse in multiplici differentia: nam aliæ ita concurrunt ad moralitatem actus, ut illum intra novam speciem col-

collocent: ſicut furtum rei ſacræ, & magnos ſumptus facere, quòd ex ſe ſpectat ad magnificentiam: aſt ſi fiant ad reparandam, dotandam, ſeu ornandam Eccleſiam, pertinet ad Religionem. Huiuſmodi circunſtantiæ aggravant in infinitum, ſeu faciunt de veniali mortale. Non tamen hoc faciunt, quatenùs merè circunſtantiæ ſunt; ſed quatenùs quodammodò tranſeunt in conditionem obiecti, habentque rationem cuiuſdam ſpecificæ differentiæ, ut docet Angelic. Doctor 1. 2. quæſt. 18. art. 10. per hæc verba: *Ad 1. ergo dicendum, quòd circunſtantia, ſecundùm quòd dat ſpeciem actui, conſideratur ut quædam conditio obiecti (ſicut dictum eſt) & quaſi quædam ſpecifica differentia eius.* Hinc que ortum habuit, quòd aliqui Theologi negent, circunſtantias (utiquè ut merè tales) in infinitum aggravare, ſeu actui ſpeciem refundere. Quòd teſtatur Angelic. ipſe Doctor citata quæſtiuncul. 4. in fine corporis dicens: *Quia circunſtantia, quæ ſpeciem mutat, non eſt iam ut circunſtantia computanda, ut dictum eſt; ideò dicitur à Magiſtris, quòd circunſtantia in infinitum non aggravat.*

Aliæ circunſtantiæ ſunt, quæ ita actum circunſtant, ut novam bonitatem, aut malitiam non refundãt, ſed augeant præcedẽtem. Vndè deſerviunt *ad quantum* actûs; eiûs malitiam, aut bonitatem augentes, aut etiam minuentes. Hæ non aggravant in infinitum; hoc eſt, non faciunt, nec facere queunt de veniali mortale; augent tamen, aut minuunt malitiam; ut ſi centum, aut quinquaginta fureris, idem peccatum commitis, maius, vel minùs iuxta maiorem, vel minorem quantitatem ablatam. ¶ Sunt & aliæ circunſtantiæ, quæ neque ſpeciem mutant, nec actus malitiam, aut bonitatem augent, quæ potiùs dicendæ ſunt accidentia communia, quàm circunſtantiæ. Vt ſi rem alienam abſtuliſti, peccaſti. Sed quòd illam auferres manu dextra, vel ſiniſtra: quòd tunc eſſes veſtitus veſte alba, aut rubra, & alia huiuſmodi, nihil conducunt ad quantitatem peccati. Vndè ex dictis nõtum eſt, quòd ſolæ circunſtantiæ ſecundi generis ſunt propriè, & formalitèr circunſtantiæ. Nam primæ recedunt à munere circunſtantiæ per exceſſum, & per defectum tertiæ. Eſt quippè de ratione circunſtantiæ, quòd per modum differentiæ accidentalis conducat ad moralitatem actus. Quod non habent circunſtantiæ ultimæ, quia ad actus moralitatem non conducunt: nec primæ, quia ſunt *quaſi quædam ſpecifica differentia eius.*

Per quæ ad illam probationem minoris pro prima parte conſtat, D. Thomam nunquam dixiſſe, omnem circunſtantiam inducere novam malitiam; quia ultimæ circunſtantiæ incapaces ſunt novam illam malitiam refundendi. Secundæ refundunt quidèm, ſed non ad intentum obijcientis; quandoquidèm neque in infinitum aggravant, neque novam ſpeciem introducunt. Primæ ſolæ ſunt, quæ in infinitum aggravant; ſed talitèr, quòd hoc non faciant, prout ſunt formalitèr accidentia actûs, illum circunſtantes; ſed quatenùs ſunt conditio ex parte obiecti ſe tenens, & ſunt, *quaſi quædam ſpecifica differentia.* Vndè falſum eſt, quòd omnis circunſtantia in infinitum aggravet, & quòd aliqua circunſtantia, qua formalitèr talis, aggravet in infinitum.

28. Dictis affatim evacuata eſt illa minoris probatio. Verùm quia materia hæc ſummè neceſſaria eſt pro tota hac controverſia, noſtra referre cenſemus, principium, quoad fieri queat certum conquirere, ad quod recurrere poſſimus, ut practicè cognoſcamus, quandò circunſtantia novam malitiam inducit, & quandò hæc malitia eſt diverſa ab illa, quam iam præſupponit in actu. Ea quippè quæ diximus, communia ſunt; nec ex illis certa regula habetur; ut quiſque cognoſcere poſſit, cui determinatæ circunſtantiæ illud conveniat, & cui non. Dùm ſedulus hoc radicale principium conquirebam, occurrunt grauiſſimi Noſtr. Salmanticenſes tractat,

tat. 11. disput. 3. num. 33. ubi loquentes de circunstantia *Quis* hæc dictant: *Conditio verò personæ agentis dupliciter tantùm potest dicere ordinem ad regulas morum: vel quia inducit specialem oppositionem inter actum, & talem personam: vel quia ipsa persona reflectitur supra suam conditionem se præferendo, aut subijciendo alteri, cui debet subijci, vel non subijci. Ratione primi habet specialem malitiam in Religioso actus incontinentiæ propter circunstantiam personæ adstrictæ Castitatis voto, cui illud peccatum speciali ratione opponitur. Et omne peccatum ortum, ex malitia, vel contemptu habet plus aliquid in persona maioris virtutis scientiæ dignitatis &c. quia ratione harum conditionum magis ei dissonat operari malè:: Ratione secundi peccat gravius peccato* V.g. *Superbiæ persona vilis dum alteri se præfert, quàm peccaret nobilis:: Et propter eandem rationem actus humilitatis eo cæteris paribus, est melior, quò maior est, qui se humiliat; eòque magis æstimatur in Rege, quàm in rustico.* Post quæ concludunt: *Præter hos autem casus haùd facilè apparet qualiter locus & conditio personæ afficiant moraliter actum humanum.*

Eandem doctrinam tradidere ipsi Patres tract. 24. disput. 8. num. 109. his verbis: *Curandum est, aliquam assignare communem regulam pro his in genere discernendis, ex qua possimus ad resolutionem particularium casuum descendere. Nulla verò aptior, aut explicatu facilior nobis occurrit, quàm comparare actum aliàs ex sua specie, sive obiecto proximo peccaminosum cum conditionibus personæ, illud peccatum committentis. Et si inter tale peccatum, & conditionem aliquam peccantis reperiamus specialem repugnantiam sivè oppositionem ob violationem specialis obligationis; ibi profectò occurret circunstantia Quis addens novam speciem peccato. Sed ubi talis oppositio non occurrit inter peccantem, & conditionem peccantis, non erit circunstantia speciem mutans, sed ad summum precisè aggravans;* V.g. *peccat Religiosus peccato incontinentiæ, peccat etiam peccato iudicij temerarij. Si comparemus peccatum incontinentiæ cum conditione Religiosi ibi reperiemus specialem oppositionem cũ voto Castitatis à Religioso facto, atque ideò circunstantiam quæ mutat speciem sed comparando peccatum iudicij temerarij cum conditione Religiosi talem specialem oppositionem non reperimus: nihil enim in Religioso præ alijs Christianis est, quo specialiter obligetur ad non temerè iudicandum: quarè in tali peccato non datur circunstantia, quæ speciem variet: sed ad summum aggravet intra speciem, ob maiorem sanctitatem, quam decet Religiosum habere.*

Has regulas, seu eandem diversis vocibus traditam offerunt laudati Patres, qui illam desumpsisse videntur ex Angelico Magistro regulam solidissimã tradente dicta quæstiuncula 4. qua in tota hac non admodùm pervia controversia dirigèmur. Verba D. Thomæ subijcio: *Ad quartam quæstionem dicendum, quòd circunstantia, ut ex dictis patet, quandoquè aggravat peccatum, & speciem mutat: quandoquè autem aggravat, sed speciem non mutat. Quando speciem non mutat, sed aggravat, adhùc manet in ratione circunstantiæ, & non potest in infinitum quantitatem peccati augere, ut ex veniali mortale fiat: quia, ut dictum est, circunstantia talitèr aggravans ex suppositione præcedentis deformitatis, habet rationem maioris deformitatis ex eius virtute: undè etiam si illa sit infinita, non potest infinitam deformitatem addere. Si autem speciem mutet, potest in infinitum aggravare, sed non semper hoc facit: quia quandò ex deformitate speciali, quam circunstantia addit, habet directè, oppositionẽ ad charitatem (quòd ostenditur ex hoc, quòd est directè contra præceptum legis, cuius finis est charitas) tunc in infinitum gravitatem addit, scilicèt peccati mortalis. Quandò illa autem deformitas non directè habet oppositionem*

ad legem, ut sit contra eam, sed præter eam, tunc non aggravat in infinitum, sivè sit peccatum veniale, cui additur, sivè mortale. Sicut ad actum gulæ, qui est præpropere, addit hæc circunstantia lautè specialem deformitatem, quæ etiam ex se peccatum faceret sed non est directè contra legem, & ideò non aggravat in infinitum.

Summa totius huius doctrinæ, nobis modò apprimè necessaria est: quòd circunstãtia moralis sub ratione talis exprimit ordinem ad regulas morum. Quo ordine circũscripto, manebit quidèm circunstantia, sed non in esse circunstantiæ, sed in esse accidentis communis ut diximus n. 27. Omnis circunstantia exprimẽs specialẽ ordinẽ ad regulas morũ aggravat, sed nõ omnis mutat speciem. Illa nõ mutat speciẽ, & si aggravet, quæ manet in ratione circunstãtiæ, nec trãsit in quãdam conditionem se tenentem ex parte obiecti; nec fit *quasi quædam specifica differentia.* Hæc circunstantia licèt augeat peccatum, nequit illud in infinitum augere, hoc est, nequit facere de veniali mortale. Ratio est, quia quòd talis circũstãtia sit aggravans habet ex virtute præcedẽtis deformitatis. Vndè si deformitas præcedens est finita, hoc est, deformitas venialis, nequit deformitas inde orta esse infinita, hoc est, peccati mortalis. Si verò deformitas præcedens est infinita, nequit adæquari à deformitate ex eius virtute aggravante: ac subindè hæc manet intra lineam finitam, hoc est, peccati venialis.

29. Circunstantia verò, quæ speciem mutat, potest in infinitum aggravare, idest, potest facere de veniali mortale. Hoc tamẽ, quod sempèr potest facere non facit sempèr. Ratio est; quia interdùm deformitas, quam circunstantia addit, opponitur directè charitati in se, aut in aliquo legis præcepto, cuius finis est charitas: & tunc deformitas illa, quam circunstantia addit, mortalis est. Interdùm autem deformitas illa non est directè contra præceptum charitatis, aut legis, sed præter illa: & tunc talis deformitas licèt sit alterius speciei, non est peccatum mortale, sed veniale. Et hoc, sivè addatur ea deformitas peccato veniali, sive mortali. Hæc est doctrinæ D. Thomæ in proposita authoritate traditæ clarissima summa, ad quam veluti ad regulam nobis recurrendum erit in subsequentibus.

30. Vndè ad primam probationem minoris ex n. 27. pro secunda parte, respondetur, concessis, seù prætermissis maiori & minori, negando consequentiã, quæ neutiquàm formalis est, quamquàm minor vera foret. Itaque ratione status iustitiæ originalis non poterat primũ peccatũ Adæ esse veniale; & hoc nec de linea mendacij, nec de alia quacumque linea. Perfectus verò, adhùc in cõtrariorum opinione, potest venialitèr delinquere, præterquã mentiẽdo propter specialẽ repugnãtiã, quæ adest inter statũ Perfectorum & mendacium: quam repugnantiam nec ipsi probant, nec nos possumus reperire. Si autem æquipararent statum Perfectorum cum statu iustitiæ originalis, & sicùt huic, ita & illi denegarent potestatem ad admittendum secum peccata venialia formaliùs procederent; sed tunc paritatem negaremus. Dicere verò, quod Perfecto repugnat levitèr mentiri, sicut Adamo innocenti repugnabat venialitèr peccare, res prorsùs dissona est.

Ad secundam probationem concesso antecedenti, distinguatur consequens. *Inducit* ratione adiuncti, concedo, ratione personæ præcisè, nego consequentiam. Non negamus, quòd cũm ex parte personæ adest adiunctum aliquod, quale est præceptum, votum, aut officium commissum, & alia huiusmodi, tunc hæc circunstãtia in infinitum aggravat propter specialem oppositionem, quam dicit cum charitate, quæ finis præcepti est. Talis est ille casus, quem hæc probatio repræsentat. Prælato enim committitur munus Prælati in subditorum ædificationem, non in eorundem destructionem, quam absdubiò causat Prælatus, qui proprias oves mac-

tat,

tat, & perdit. Vndè mortalitèr peccat etiam ex parte huius circunſtantiæ. Quod ſi Prælatus ille delinquat cum ovibus quæ ad ſuum ovile non ſpectant, ceſſat hæc circunſtantia; quia quamvis perſeveret eadem perſona, non manet idem adiunctum: atque adeò licèt tunc dignitas peccatum aggravet, non aggravat in infinitum; eo quòd non adeſt ſpecialis directa oppoſitio inter adiunctum illud, & aliquod præceptum legis: quæ planè adeſt; dùm peccat cum ove propria. Et hoc evidentèr oſtendit, quòd circunſtantia illa non aggravat in infinitum ratione perſonæ peccantis, ſed ratione adiuncti. Quandoquidèm adiuncto ceſſante, ut ſi prælatuta finiatur, vel de materiali ſe habente, quamquàm eadem perſona perſeveret, dari quidèm poteſt aggravatio culpæ: non tamen datur, quòd aggravatio ſit mortalis. In noſtra concluſione habemus Perfectum, qui ſi mentiatur iocosè, aut officiosè, graviùs quidèm peccare, fatemur, ratione perfectionis, quam habet: aſt illa circunſtantia non inducit deformitatem mortalem; eò quòd non adeſt præceptum legis, quod gravitèr vulneretur à Perfecto mendacium ex ſe leve proferente. Nec poteſt veniale ex ſe tranſire in mortale, niſi ratione adiuncti præcepti, voti, aut officij, ut modò dicebamus, eſt que dictrina ſupra adducti D. Bonaventuræ. Nil horum habet Perfectus: & ideò non eſt undè illud veniale mortale fiat. Si recurras ad ſcandalum, ut facit idem Seraph. Doctor, infrà reſpondebimus.

Ad 3. probationem reſpondet Div. Thomas citato artic. 8. ex quæſt. 2. de *Malo* ſic: *Ad 5. dicendum, quòd circunſtantia perſonæ, & ſi aggravet, non tamen facit ex veniali mortale niſi conſtituat ſpeciem peccati, putà, ſi Sacerdos aliquid faciat contra præceptum ſibi datum à Sacerdotibus, vel contra votum. Verbum autem Hieronymi intelligitur per exagerationem dictum: vel per occaſionem; quia nugæ in ore Sacerdotis poſſunt eſſe alijs occaſio blaſphemandi.*

Ad ultimam probationem reſpondet idem Ang. Magiſter: *Ad ſecundum dicendum, quòd circunſtantia, quæ facit de non peccato peccatum, conſtituit peccati ſpeciem: & talis circunſtantia poteſt etiam de veniali facere mortale.* Quæ, ut planè intelligas, non obliviſcaris præcedentium. Etenim circunſtantia perſonæ non aggravat ex ſe in infinitum, ſed ratione adiuncti dicentis directè ſpecialem oppoſitionem cum præcepto legis. Negotiatio ſecundùm ſe indifferens eſt. Clerico autem interdicta eſt in Sacris Canonibus, & ratione huius interdictionis dicit oppoſitionem cum quarto præcepto legis negotiatio in habente ſtatum Clericalem. Vndè id, quod de ſe erat indifferens, evadit peccaminoſum.

§. II.

Alia eiuſdem aſſerti fundamenta.

31. QVamquàm ratio præcedens planè intentum ſuadeat, operæpretium duxi alias addere in confirmationem ſtatutæ veritatis. Probatur ergo 2. aſſertio ratione deſumpta ex D. Thoma adducta diſtinctione 38. quam ſic conſtruimus. Perfecti poſſunt venialitèr peccare contra patientiam motu iræ, contra humilitatem motu ſuperbiæ, & ſic de alijs: ergo ſimilitèr poſſunt venialitèr peccare contra veritatem. Ergo falſum eſt, quòd omne mendacium ſit ipſis mortale. Secunda illatio eſt per ſe nota. Antecedens conceditur ab Authoribus ſententiæ adverſæ, & prima conſequentia probatur. Nihil eſt in mendacio ſpecialitèr incompatibile cum perfectione, quod paritèr non reperiatur in aliis culpis vel ex ſe, vel ex parvitate materiæ, aut etiam ex imperfecta deliberatione levibus: ſed iſtæ non ſunt mortales in viro perfecto: ergo nec mendacium. Cætera notiſsima ſunt, & maior probatur efficacitèr recenſendo momotiva, quibus cauſantur contrarij ad excludendum mendacium leve à viro

perfecto. Etenim unum ex ijs motivis relatum inibi à D.Thoma, est quòd quia Perfectus intimè adhæret summæ veritati, nequit mentiri nisi cum deliberatione; nec potest cum deliberatione peccare, quin ex contemptu delinquat; nec potest ex contemptu delinquere, quin delictum grave sit. Hic est istorum processus, in quo plus arbitrij reperio, quàm discursùs. Et in primis illa non rectè cohærent cum his, quæ ipsi in præsenti supponunt, dicentes dubium procedere de Perfecto publicè tali. Quia sicut Perfectus publicè talis est intimè unitus summæ veritati; sic & Perfectus, qui publicè talis non est: ergo vel uterque, vel nullus mentitur cum deliberatione, & ex contemptu, atque ideò gravitèr. Verùm quia forsàn eorum aliqui illam suppositionem non faciunt, eò contra omnes.

Procedo sic: sicut Perfectus, sivè publicus, sivè occultus est intimè unitus summæ veritati; sic etiam est intimè unitus summæ bonitati; quia Deus, cui intimè unitus est, est summa veritas, & bonitas summa: sed quamquàm Perfectus sivè publicus, sivè occultus sit intimè unitus summæ bonitati, potest maculari defectu veniali bonitatis in materiæ iræ, gulæ, superbiæ, & alijs: ergo licèt sit intimè unitus summæ veritati, potest maculari defectu veniali veritatis.

32. Propter hoc recurrunt alij ad hoc, quòd Perfectus publicus est tanquàm Conservator veritatis; & ideò non potest contra illam procedere, quin gravitèr delinquat. Quandòquidèm si veritatis conseruator deviet à veritate, nec ipsi, nec alijs poterit adhiberi fides. Non ipsi; quia, ut supponimus, mentitur: non alijs, quia si veritatis conservator illam deserit; paritèr & alij erunt de ipsius desertione suspecti. Ex quo maximũ præiudiciũ irrogatur veritati, quod starare nequit absque peccato gravi.

Sed hoc quoque leve est. Primò: quia sicut Perfecti sunt veritatis conservatores, quatenùs populum debent pascere verbo veritatis; sic etiam sunt omnium virtutum conservotores, quatenùs omnes promovere debent ad virtutem suo exemplo: sed licèt sint aliarum virtutum conservatores, admittit opinio adversa, quòd possint venialitèr delinquere in materia aliarum virtutum: ergo pariformitèr deficere venialitèr possunt in materia veritatis. Maior, de qua posset quis dubitare, certissima est; quia Perfecti doctrina, & exemplo debent alijs prælucere, & ob hoc sunt firmissimæ columnæ Sanctæ Mat. Ecclesiæ: ergo non solùm veritatis, sed etiam aliarum virtutum conservatores sunt.

Secundò: quia hoc quòd est, quòd Perfectus sit veritatis conservator, designat aliquod ipsius munus, seu officium, ipsi collatum, cùm ad perfectionem assumitur. Ex quo deducitur, quòd quandò illud officium exercent, nequeant venialitèr deserere veritatem propter præiudicium, quod veritati irrogarent, & ruinam, quam causarent in populo sibi, ob propriam perfectionem, commisso. Aut hoc nec adversarijs prodest, nec nobis obest. Tum: quia idem dicimus de alijs virtutibus. Tum etiam: quia indè solùm habetur, quòd dum tale officium exercent, debeant omni veritate procedere, ita, ut si à veritate advertentèr devient, committant peccatum mortale. Dum verò illud munus conservatoris non exercent, si mendacium, quòd alijs leve est, proferant, venialitèr solummodò peccant. Cuius doctrinæ ratio ex dictis habetur. Vidimus quippè ex D.Thoma, *quòd circunstantia personæ, & si aggravet; non tamen facit ex veniali mortale.* Cæterùm si talis, aut alia circunstantia, ratione alicuius annexi, seu coniuncti inducit specialem directam oppositionem cum præcepto legis: tunc illa circunstantia, non solùm aggravat, sed aggravat in infinitum; & mutans speciem facit de veniali mortale. Hæc omnia §. præcedenti expensa sunt. Et illis suppositis, dicimus, quòd Perfectus munus conservatoris non exercens, habet illud munus

nus veluti de materiali: & ideò mendacium de ſe leve, ipſi quoque leve eſt, nam licèt perfectio aggravet, non aggravat in infinitum. Dum verò illud munus exercet, dicit illud de formali; ac ſubindè munus illud inducit ſuum effectum, qui eſt, ita reſpicere aliquod præceptum legis, ut ſi Perfectus tunc mentiatur, eòipſo illi præcepto contrarietur. Debet quippè alios doctrinà, & iudicio paſcere, quos, ſi ſic non paſcit, occidit. Et idem Ang. Doctor, qui illam regulam, quam ſequeremur, nobis dedit, illà uſus eſt in 3. diſtinct. 38. quæſt. 2. art. 4. ad 4. dicens: *Sed hoc iterùm nihil eſt, quia non creditur eis* (Perfectis) *tanquàm conſervatoribus veritatis in omnibus eorum factis, vel dictis: ſed in illis tantùm quæ ad officium conſervandæ veritatis ſpectant, ſicùt doctrina, & iudicium, in quibus, ſi à veritate deviarent, non eſt dubium, quin peccarent mortaliter.*

33. Aliam viam luſtrant contrarij, ut nullum mendacium leve concedant in viro perfecto, recurrentes ad ſcandalum, quod omnibus indefectibilitèr præbet, ſi mentiatur. Hanc viam arripit D. Bonavent. non tamen abſolutè; non enim Sanctus hic Doctor eſt nobis abſolutè contrarius; ſed quatenùs non parvam difficultatem invenit in quadam D. Auguſtini authoritate, quam poſtmodùm exhibebimus, & explicabimus.

Hic etiam recurſus nec ſolidus eſt, nec à propoſita à nobis difficultate liberatur. Quandoquidèm ſi Perfecti mendacio aliquo ſcandalizant, etiam ſcandalizabunt dictis alijs non oppoſitis veritati, ut ſcurrilitate, voce propter iram elata, aut alijs modis, quibus ore poſſumus alios ſcandalizare. Similitèr ſcandalum præbebunt factis. Vndè ijs omnibus modis, quibus concedit ſententia oppoſita, quòd Perfecti poſſunt venialitèr peccare, poterunt & ſcandalum præbere. Non eſt ergo motivum aliquod ſpeciale ad reſtringendum ſcandalum præſtitum à Perfectis ad ſolum mendacium. Quod ut evidentiùs appareat: provolutus inquiro à Seraphico Doctore: ſi videret ſuum Sanctiſsimum Patriarcham, aut meam Matriarcham Sanctiſsimam, dùm tanquam gratiæ portenta ab omnibus colebantur, furantes, obolum, putaret illam actionem eſſe ſcandaloſam, nec ne? Si non: debet ratio diſcriminis aſsignari, quod nobis impoſsibile apparet. Eſt quippe penitùs impoſsibile, quòd Perfectus mendacium ex ſe leve proferens ſcandalizet, & quòd non ſcandalizet furtum leve ex parvitate faciens. Si ſic: ergo idèm dicendum erit de omnibus illis peccatis venialibus, quæ poſſunt viri perfecti committere. Ac ſubindè nullum peccatum ex ſe veniale erit veniale in viro publicè perfecto illud coram alio, vel alijs committente. Cur ergo ad ſolum mendacium reſtringis?

34. Hæc ſanè movent nos, ut noſtram, ſeu potiùs D. Thomæ rationem, qua in hoc §. noſtrum aſſertum ſuademus, demonſtrativam eſſe dicamus. Verumenimverò hoc, quod de ſcandalo dicitur, nos impellit, ut rem præſentem radicitùs aperiamus. Vereor enim, an inter utranque ſententiam lateat non nihil æquivocationis, aut non ita completæ explicationis. Quæ ſi adſunt, ex parte noſtri aſſerti non ſe tenere certum eſt. Itaque D. Thomas veræ doctrinæ Magiſt. Ang. 2. 2. quæſt. 43. art. 6. ait: *Ad 3. dicendum, quòd peccata venialia Perfectorum præcipuè conſiſtunt in ſubitis motibus, qui, cum ſint occulti, ſcandalizare non poſſunt. Si qua verò etiam in exterioribus dictis, vel factis venialia peccata committant, tam levia ſunt, ut de ſe ſcandalizandi virtutem non habeant.* Confer verba iſta cum ijs, quæ num. 15. diximus ex D. Thoma, ac D. Gregorio, & numer. 17. ex Seraphica noſtra Doctrice, & videbis, quòd ea omnia collineant ad erudiendum nos idipſum, quod iam inibi tradebamus. Scilicèt, quòd dantur peccata venialia ex habitu vitioſo procedentia, & alia, quæ etiamſi non procedant ex habitu, fiunt cum omni deliberatione, & certa ſcientia

tia de diſplicentia divina, uti vividiſsimè explicat inibi alma Mater noſtra. Vtrunque hoc genus peccatorum venialium, in quacunque materia ſint, ſivè mendacij, ſive ſuperbiæ, ſive gulæ, ſivè alia: quocunque modo fiant, ſivè verbo, ſivè opere, non eſt compatibile cum ſtatu perfectionis, propter motiva iam alibi diſcuſſa. Vndè ſi ſententia oppoſita dicat, quòd mendacium officioſum hac pleniſsima deliberatione commiſſum, quod que in viro non perfecto illum à proprio ſtatu non deiicit, exturbat perfectum à culmine perfectionis; verum dicit: nec nos unquam contrarium aſſeruimus. Hoc tamen non eſt ad mendacia limitandum, ſed ad omnia venialia, & ſimili pleniſsima deliberatione commiſſa, extendendum, ut clariſsimè liquet ex Seraphica Matre noſtra num. 17. laudata.

Nec cogites, hoc à me dictum propter ſcandalum ex illis peccatis dicto modo commiſsis reſultans, aut quia munus conſervatoris frangeretur: hoc quippè vaniſsimum, vel, ut minus, prorsùs ſuperfluum cenſemus. Ex prædicatis enim intrinſecis perfectionis hoc repugnat. Vndè etiam ſi aliquis illa peccata dicto modo faceret; talitèr tamen quòd nullo ſciente fierent; immò ſic peccans totam ſuam induſtriam collocaret, ut ea ſua peccata ab aliorum notitia abſconderentur, non eſſet Perfectus, ſed hypocrita. Antequàm ergò Perfectus illis peccatis alios ſcandalizaret, iam, amiſſa perfectione, Perfectus non eſt. Ex quo enim huiuſcemodi peccatis aſſenſum præbuit, perfectionem amiſit. Ac ſubindè recurſus ad ſcandalum præſtitum, & ad munus conſervatoris veritatis aereus eſt. Nec D. Thomas num. 32. à nobis datus requirit opus externum, quo munus conſervatoris infringitur, niſi ad externam manifeſtationem perfectionis amiſſæ: re enim ipſa iam ante mendacij prolationem amiſſa erat.

Sunt & alia peccata venialia ex ſemiplena deliberatione commiſſa, quæ ſi interiora ſint, nec ex ſe pugnant cum perfectione huius viæ, nec datur aliquod aliud caput, ob quod cum ipſa perfectione ſint incompatibilia, eò quòd ſi aliquod caput eſſet, maximè ſcandalum, quod dari nequit in ignorante peccatum. Si verò illa peccata ſenſibilia alijs fiant; dictis, vel factis, *tam levia ſunt, ut de ſe ſcandalizandi virtutem non habeant*, dixit iam nobis Sanctus Thomas. Hæc ſunt peccata illa venialia, ſine quibus Perfectus vivere nequit, ut vidimus quæſtione præcedenti. In illis non habet locum illud, quod de ſcandalo ingeminant adverſarij; quia, ob ipſorum levitatem, virtutem non habent ex ſe ad inferendam ruinam. Et ob eandem rationem ceſſat etiam in huiuſmodi peccatis illud de conſervatoris munere. Quæ omnia perſpicuè nobis tradita ſunt in eo teſtimonio, quod ex Sanctiſsima Thereſia dedimus num. 17. Conſidera duplicem illam advertentiam, quam delineat, & videbis, Perfectorum ſtatui non contrariari advertentiã illam exiguam, ſed illam plenè deliberatam, à qua proindè ſcandalum reſultare poteſt.

35. Vnico verbo rem totam abſolvam. Sumus inter duo extrema, quorum primum eſt: Perfectum non poſſe non incidere in aliqua venialia, de quo egimus quæſt. antecedenti. Aliud extremum eſt, quòd Perfectus nequit alios ſcandalizare, de quo agemus quæſtione 4. Vndè neceſſariò fateri debemus, quòd peccata venialia, quæ compatiuntur cum perfectionis celſitudine, neminem ſcandalizare queunt. Et hæc peccata venialia, non ſunt determinatæ ſpeciei, ſed ad omnes peccatorum venialium ſpecies ſpectant. Illa verò, quæ alios ſcandalizare poſſunt, incompatibilia ſunt cum Perfectorum ſtatu. Verùmetiam iſta ad omnes peccatorum venialium ſpecies attinent. Non ſolùm ad ſpeciem mendacij, ſed etiam ad ſpeciem ſuperbiæ, iræ, gulæ, &c. Quocirca nec iſta, ſicut nec præcedentia, de-

debent ad certam aliquam ſpeciem limitari. Hæc eſt totius huius difficultatis ſumma, & doctrinæ, quam deffendimus, totalis explicatio. Vndè dicimus, quòd mendacium exſe leve non eſt peccatum grave in viro perfecto, ſi dicto modo proferatur; quia tale peccatum, non habet undè in viro perfecto gravificetur, aut alios ſcandalizet.

36. Dices: Qui audit Perfectum mentientem, aut videt ſuperbientem, aut iracundum, habet quantum ſat eſt ad ſcandalum: ergo licèt illa peccata ex imperfecta deliberatione fiant, ſcandalum cauſant: ac per conſequens non ſunt venialia. Probatur antecedens. Illa peccata quatenùs ſenſibus perceptibilia ſunt, non differunt a peccatis ex perfecta deliberatione procedentibus; id quippè, quòd videtur, idem eſt in omnibus illis, & deliberatio, quæ non eſt eadem, non videtur: quis enim ſciat, mendacium, quod ab alio audit, eſſe ex plena, aut ſemiplena deliberatione? ergo.

Reſpondetur negando antecedens. Ad probationem negetur antecedens. Deliberatio enim, ex qua procedit peccatum veniale Perfecti, ſenſibus perceptibilis eſt, non in ſe ipſa, ſed in effectu adeò levi, qui ipſa ſua levitate, & modo affatim manifeſtat, imperfectam eſſe deliberationem, à qua procedit. Et hoc oſtendere voluit Div. Thomas illa phraſi: *Tam levia ſunt.* Videantur, quæ dicta relinquimus allegatis numeris 15. & 17.

37. Revertentes ergo ad rationem poſitam num. 31. eam ſic inſtauramus. Perfectus poteſt venialitèr peccare peccato elationis, & alijs: ergo ſimilitèr poteſt venialitèr mentiri. Ergo in viro perfecto non omne mendacium eſt peccatum grave. Prima conſequentia probatur: Nullum fundamentum adeſt, ut mendacium ex ſe leve, ſit in ore Perfecti peccatum grave: ergo poteſt venialitèr mentiri. Probatur antecedens. Illud mendacium nequit eſſe peccatum grave ob contemptum, ob ſcandalum, aut propter aliud, quod ſit incompatibile cum ſtatu perfectionis: ergo. Probatur antecedens primò: Quia illud mendacium *tam leve eſt* in ore Perfecti, ut neque ex contemptu procedat, neque ſcandalum generet, neque aliud caput habeat illud gravificans. Probatur 2. antecedens. Quia ſi mendacium ex ſe leve nequiret in viro perfecto non provenire ex contemptu, aut ſcandalum generare, aut aliud caput ſuæ gravitatis habere, hoc ipſum verificaretur de alijs peccatis, in quæ impingere poſſet Perfectus: Hoc non admittunt contrarij: ergo. Probatur 3. Idcircò alia venialia non ſunt gravia in viro perfecto, quia poſſunt ab illo fieri nõ ex habitu, aut ex plena deliberatione: ſed hoc eodem modo poteſt ab illo proferri mendacium: ergo. Quæ omnia ex dictis, maximè à numero 34. clariſsimè liquent.

§. III.

Argumenta.

38. PRæcipua argumenta, quæ noſtrã reſolutionem inquietare poſſent, ſunt obiectiones, quibus §§. antecedentibus occurrimus. Superſunt tamen aliqua, quibus obviam ire opus eſt. Arguitur ergo 1. ab aliquibus authoritatibus. Quoniam lib. Sapientiæ cap. 1. verſ. 11. dicitur: *Os, quod mentitur, occidit animam.* Hoc autem verum debet eſſe de aliquo: ſed non eſt verum de non perfecto; iſte enim, quamquàm mentiatur, *non occidit animam*: ergo verificatur in viro perfecto. ¶ Præterea. Super illud ex Pſalm. 5. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* dixit Gloſ. *Perfectis omninò mentiri non convenit.* Quòd ſanè dictum eſt, quia mentiri eſt Perfectis culpa gravis; alioquin ſi de culpa levi loqueretur, idem dicere poſſet de imperfectis, quibus etiam levitèr *mentiri non convenit.* ¶ Rursùs D. Auguſt. lib. de mendacio cap. 6. inquit: *Quomodò dilexit proximum tanquàm ſeip-*

ſum,

ſum cui ut præſtet temporalem vitam, perdit æternam. Loquitur de mendacio officioſo, & illo, ait, amitti vitam æternam, quæ non niſi per peccatum grave amittitur. ¶ Vltrà idem D. Auguſtin. ibi cap. 18. inquit, quòd vir perfectus, *tàm clauſum ſibi deputat ad ſubveniendum homini per mendacium, quàm ſi per ſtuprum tranſire cogatur.* Sed omne ſtuprum peccatum mortale eſt: ergo & omne mendacium eſt viro perfecto peccatum mortale. ¶ Tandèm Magiſter diſt. 38. ait ex ipſo Auguſtino, quòd mentiri eſt damnabile in viro perfecto.

Reſpondetur nulla ex ijs authoritatibus noſtram reſolutionem infirmari. Non primà: quia ibi ſermo eſt de mendacio pernicioſo, ut docet idem Magiſter dicens: *Ex his conſtat, omne mendacium eſſe peccatum; non tamèn de omni mendacio accipiendum eſt illud perdes omnes qui loquuntur mendacium. Nec illud, os, quod mentitur, occidit animam.* ¶ Ad ſecundam authoritatem dicimus: Quòd omnibus illicitum eſt mentiri, ſed magis viris perfectis, propter ſtatus celſitudinem. Et hoc eſt, quod Gloſſa illa intendit.

Tertia authoritas eſt, quam iudicamus eſſe totale motivum ſententiæ oppoſitæ; cum tamèn non adeò urgens ſit. Illam tamen explicant aliqui apud Albert. Mag. dicentes, quòd mendacium pro vita propria poteſt provenire vel ex amore ad propriam vitam mortalitèr peccaminoſo, vel ex amore, qui ſolummodò venialitèr peccaminoſus ſit. Cùm mendacium provenit à primo amore, grave peccatum eſt, quo abſdubiò perditur æterna vita. Et Auguſtinum de hoc mendacio loquutum eſſe, dicunt. Non multum hoc placet Alberto, qui Auguſtinum explicat, non de perditione reali, quam ſanè inducit peccatum grave, ſed de amiſsione vitæ æternæ diſpoſitiva, quam ſecùm affert peccatum veniale. Vtràque explicatione in ſua probabilitate relicta, dicimus cum D. Thoma loco citato ex 2. 2. D. Auguſtinum loquutum fuiſſe de mendacio ratione ſcandali ſubſecuti. Dum enim ſcandalum intervenit, nequit non intervenire vitæ æternæ amiſsio, ac per conſequens perfectionis, quæ perfectionis amiſsio manifeſtatur, dum ſcandalum præbetur, ut dictum eſt. Quocircà idem Auguſtin. ait cap. 17. *Perfectis eſſe præceptum non ſolùm non mentiri, ſed nec velle mentiri*: quia ex quo ad mentiendum determinantur, iam non ſunt Perfecti; ſi ex animo determinentur, ut illud verbum *Velle* probè intellectum ſignificat. *Quamvis hoc Auguſtinus non aſſertivè, ſe ſub dubitatione dicat*: ait laudatus Sanctus Thomas. Quæ cum ita ſint, non eſt cur D. Auguſt. authoritate aperiemur. Ipſius doctrinæ vel verba ſingula veneramur: aſt præſenti authoritate non premimur propter dicta. Nec illà, tanquàm inexcricabili debuiſſent tot conſtantiſsimi commoveri.

Quarta authoritas eſt pulcherrima expreſsio genij Div. Auguſtini, & profunda manifeſtatio firmiſsimi propoſiti, quod Perfectus habet de non offendendo Deum, etiam in re minutiſsima. Genium D. Auguſtini erat ſummè oppoſitum mendacijs, ut ſuprà ex D. Bonavent. obſervabamus. Videns ergo Sanctus Doctor, perfectum intimè adhærere Deo: ex qua intima unione reſultat illud fervidiſsimum propoſitum placendi Deo in omnibus; ut hoc propoſitum extolleret, dixit: ita firmum eſſe in viro perfecto propoſitum de non mentiendo, ac propoſitum de ſtupro vitando. Quod ſi mendacium ſumatur modo, quo in præcedenti ſolutione dicebamus: Tunc nihil Div. Auguſtinus ponderavit, dum hoc dixit: quia tunc mendacium eſt peccatum mortale, ſicut ſtuprum.

Ad ultimam reſpondet D. Thom. dicta diſtinct. 38. *Quod verò dicitur in littera, quòd mendacium officioſum perfectis viris eſt damnabile, intelligendum eſt comparativè: quia in eodem genere peccati magis peccat Perfectus,*

quam

quam imperfectus: quamvis utrique, vel venialiter, vel mortaliter; non tamen hæc circunstantia aggravans aggravat in infinitum, ut quod uni est veniale, alteri mortale fiat.

39. Arguitur 2. Mendacium apud imperfectos leve est mendacium iocosum, & officiosum: sed hoc duplex mendacium est in ore Perfecti grave: ergo in ore Perfecti non est mendacium leve. Maior certa est apud Theologos dividentes mendacium in iocosum, officiosum, & pernitiosum, quorum ultimum semper est peccatum grave; primum ab imperfecto prolatum semper est leve, secundum verò quandoquè est leve, & quandoque grave. Probatur ergo minor pro prima parte. Quoniam D. Paulus ad Ephes. cap. 5. invitans Ephesios ipsos ad perfectionem ijs verbis: *Estote ergo imitatores Dei, sicut filij charissimi: & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos*, monet, ipsos fugere ab aliquibus vitijs, quæ sunt perfectionis eversiva, inter quæ nominat scurrilitatem: sed scurrilitas aut est mendacium iocosum, aut iocus sine specie mendacij: ergo mendacium iocosum grave est, si à viro perfecto proferatur. ¶ Quoad secundam partem probatur eadem minor. Mendacium officiosum superat in malitia iocosum, ut de se liquet; ergo est peccatum grave, si proferatur à viro perfecto.

Vrgentur ista. Mendacium, quod à Perfecto excludere volunt Sancti illud esse grave dicentes, & præsertim D. Augustin. Vt iam vidimus, est mendacium officiosum: ergo iudicant esse in ipso grave. Patet ista: quia si leve esset, sicut iocosum, vel utruque, vel nullum excludere curarent: ergo illa Sanctorum, ac præcipuè D. Augustini specialis solicitudo signat, non posse Perfectum officiosè mentiri, quin gravitèr peccet.

Respondetur argumento negando minorem. Ad probationem pro prima parte dicas: Scurrilitatem ex se esse vitium per excessum oppositum virtuti Eutrapeliæ. Scurra enim nimium deditus est facetijs, & iocis, quibus ex toto animo studet. Et hoc modo peccare, adhùc levissimè, iam diximus, non compati cum statu perfectionis. Nec Apostolus inibi loquebatur cum Perfectis; sed cum illis, quos ad perfectioem instruebat. Quam ut obtinere possent, arcere ab illis satagit ea vitia, & peccata, quæ vel in se mortalia sunt, vel *sunt mortalia, in quantum ad peccata mortalia ordinantur*, ait ibidem Sanctus Thomas. Et hoc sanè non *decet Sanctos*, hoc est, *Sanctos*, qui iam perfectionem obtinuerunt, de quibus in præsenti loquimur; vel *Sanctos*, qui ad sanctitatis perfectionem tendunt: quia volutari in cœno committendi venialia, etiam levissima; immò & immorari in imperfectionum volutabro, est rotundè oppositum perfectioni, ut dicta suadent, & indefessè clamat Extatic. N. Parens.

Ad probationem eiusdem minoris quoad secundam partem negetur antecedens, quod nec de se liquet, nec verum est. Quippè mendacium iocosum nullam utillitatem præsefert; officiosum verò secùm affert utilitatem: qui enim ad salvandam vitam alterius, seu ad vindicandum ipsius honorem, aut rem familiarem, mentitur; utiquè proximi, quem verè amat, utilitate ducitur; nec tale mendacium unquàm proferret, si utile proximo non foret. Vndè mendacium iocosum est purè malum; officiosum verò habet admixtam utilitatem. Consequentèr que est minus malum.

40. Dices: Mendacium tantùm habet de malia, quantùm habet de mendacio: sed in esse mendacij officiosum præstat iocoso: ergo & in ratione malitiæ. Minor, in qua difficultas consistere videtur, probatur. Mendacium quo aliquis alium fallere intendit, est in esse mendacij maius eo, in quo talis fallendi intentio non datur: In mendatio officioso datur intentio fal-

lendi, quæ non datur in iocoſo: ergo.

Vt hanc obiectionẽ,&plurimas alias, quæ hic fieri poterant, plenè ſolvas, audi D. Thomam citata diſtinctio 38. art. 5. dicentem: *Ad tertium dicendum, quòd quamvis mendacium officioſum habeat plus de ratione mendacij, quàm iocoſum, in quantum habet plus de aſſertione; tamen officioſum habet minus de malo ratione utilitatis adiunctæ; & ideò eſt minus peccatum.* Vbi utruque hoc mendacium ſe adinvicèm ſuperare, dicitur, & motivum huius reciproci exceſſus aſsignatur. Ad id, quod dicitur de intentione fallendi, reſpondet ipſe Angelic. Doctor ibi art. 1. ad 5. quòd intentio faſſendi poteſt inttelligi dupliciter. Primò,prout in fallente tantùm. Secundò, prout eſt in fallente, & in eo, qui fallitur. Mendacium officioſum dicit intentionem fallẽdi utroque modo ſumptam. Mendacium iocoſum dicit illam ſolo primo modo conſideratam; *Vndè minimum habet* (concludit S. Thomas) *de ratione mendacij*. Sed quia nullam utilitatem ſecum affert; eò eſt maius officioſo in ratione malitiæ.

Per quæ patet ad urgentiam. Fatemur enim Sanctos, & Magiſtros ſpirituales dirigere ſuum conatum ut excludant mendacium officioſum à Perfecto. Quod ita frequentèr faciunt de mendacio iocoſo, ſicut nec de pernicioſo. Non de hoc, quia non ſolùm pugnat cum ſtatu perfectionis, ſed etiam cum ſtatu gratiæ. Non de illo, quia aut fit ex libidine mentiendi; aut ex libidine audientibus placendi. Quorum utrunque longiſsimè diſtat ab animo viri perfecti. Mendacium officioſum, quamquàm peccatum ſit, habet, ut obſervat allegatus Albertus Mag. nobilem occaſionem, quæ eſt pietas. Quia que Perfectus proximum ardentiſsimè diligit; idcircò frequentiſsimè admonetur, ut mendacia officioſa fugiat; ne allectus pietate liberandi proximum à morte, vel infamia, in illa ruat.

41. Arguitur ultimò. Quòdcumque mendacium eſt grave in ore Magiſtri Theologiæ, & Prædicatoris: ergo etiam in ore viri perfecti. Conſequentia liquet à paritate, quæ non obſcurè colligitur ex dictis num. 22. & antecedens probatur primò. Quia Prædicator (idem de Theologiam docente collige) mentiens directè procedit contra doctrinam veritatis, quam docet: ergo peccat mortalitèr. Patet iſta: quia procedere contra doctrinam veritatis eſſe non poteſt ſine culpa gravi. ¶ Probatur 2. antecedens. Qui mentitur, dum prædicat, non eſſe mentiendum, peccat mortalitèr: ſed Prædicator veritatis prædicat, non eſſe mentiendum: ergo ſi mentitur, peccat mortalitèr.

Reſpondetur diſtinguendo antecedens *mendacium*, ſi ſit contra munus Magiſtri, & Prædicatoris, concedo. Si ſit præter illud munus, ſeu de accidentalitèr ad ipſum pertinentibus, nego antecedens. Dictum à nobis eſt cum D. Thoma 2. 2. quæſt. 110. art. 4. ad 5. quod qui ex officio tenetur ad conſervandã veritatem: ſi officium exercens contra veritatem procedat in ijs, quæ directè pertinent ad ſuum illud officium, peccat mortalitèr. Hoc evenit Magiſtro Theologiæ, qui ſciens ſe falſum docere, illud aſſertivè docet. Quam enim excuſationem habere poterit, qui ſciens, & prævidens doctrinam nocivam infert? Idem, & graviori motivo, dic de Prædicatoribus veritatis. Tum: propter eorum ſtatum. Tum: quia eorum verba non ſolùm diriguntur ad mentem inſtruendam, ſed etiam ad voluntatem inflammandam. Idem dic de Iudice, qui ſi dum iudicat, mentiatur contra ea, quæ ad iudicium directè ſpectant, non poteſt illud mendacium non eſſe grave. Si verò mendacium ſit de accidentalitèr pertinentibus ad munus Iudicis, Prædicatoris, & Magiſtri, tunc poteſt eſſe leve.

Vndè colliges cum Caietano loco citato ex 2, 2. Quòd peccat gravi-

tèr

tèr Prædicator, qui falſa miracula evulgat, aut vitas Sanctorum fingit. Aſt ſi mentiatur unum librum Sacræ Scripturæ pro alio allegans, ut Evangelium pro Apocalypſi; aut unum capitulum pro alio; & ſimilitèr de Authoribus, ut ſi pro D. Thoma alleget Auguſtinum: quia tunc illi non occurrit, quod certum eſt, & indecoroſum putat Authorem, capitulum, aut librum non allegare: tunc peccat quidèm, ſed peccat venialitèr. Ratio huius corollarij ea eſt, quod miracula falſa evulgans, aut vitas Sanctorum fingens, fallit contra doctrinam veritatis. Alius verò fallit non contra veritatis doctrinam, ſed in accidentibus eius.

Qua doctrina ſuppoſita, ad primam probationem illius antecedentis dic, quòd non ſempèr quòd Prædicator mentitur, procedit contra doctrinam veritatis; ſed quandoquè mentitur circa illius accidentia, ut dictum eſt. ¶ Ad ſecundam reſpondetur cum citato Alberto. *Quòd prædicat, & docet abſtinendum eſſe ab omni peccato mortali, & veniali, ſed non prædicat, quòd ſit mortale venialitèr peccare: & ideò non facit contra id, quod docet.* ¶ Vel clarius, diſtinguo maiorem, *qui mentitur*, contra doctrinam, & in ijs, quæ ſunt de eius ſubſtantia, concedo. Præter doctrinam veritatis, aut in accidentalitèr convenientibus, nego maiorem. Solutio conſtat ex dictis. Videantur D. Thomas, D. Bonaventura, Caietanus, & Beatus Albertus prælegati.

QVÆSTIO TERTIA.

VTRVM PERFECTVS QVEAT SCANDALIZARI?

MOdò videndum reſtat, an Perfectus queat ſcandalum pati, aut præbere? quod diſquirimus cum infra referendo D. Thoma. Claritatis tamen gratia in diverſis quæſtionibus duplex illud dubium diſcutiemus, in quo etiam Ang. Præceptorem imitamur. Vndè relicta ad quæſtionem ſubſequentem ſecunda difficultate, de prima agendum eſt in præſenti.

§. I.

Aliqua de ſcandalo præmittuntur, & vera ſententia proponitur.

42. DE ſcandalo agit D. Thomas 2. 2. quæſt. 43. & eſt duplex, activum, ſcilicet, & paſſivum. Activum iuxta allegatum Div. Thomam art. 1. *Eſt dictum, vel factum minus rectum præbens occaſionem ruinæ.* Dicitur *dictum, vel factum*, Tum: quia debet dari actio externa; id namquè, quòd ſenſibile non eſt, nequit ſcandalizare. Tum etiam: quia non ſolùm verbis, ſed etiam nutibus, aut alijs, quibus animus reſeratur, ſcandalum verè tale præbetur. Dicitur *minus rectum*, quia ad ſcandalum propriè tale non requiritur *dictum, vel factum*, quod ſit determinatè malum; ſed ſat eſt, ſi ſpeciem mali habeat. Dicitur *præbens occaſionem ruinæ*; quia ad ſcandalum activum non exigitur, quòd ſcandalizatus reipsà ruat in culpam, ſed ſat eſt, quòd ipſi occaſio ruendi præbeatur.

43. Scandalum paſsivum, ut docet laudatus D. Thomas, eſt *ipſa ruina eius, qui ſcandalizatur, occaſione accepta ex dicto, vel facto alterius.* Vbi, ut vides, ad ſcandalum paſsivum duo concurrere debent. Primum eſt ruina, ſcandalum patientis. Secundum eſt, quòd huius ruinæ occaſio ſit dictum, vel factum ſcandalizantis. Quocircà ſi ex dic-

to, vel facto alterius non detur occasio ruinæ, & nihilominùs scandalum adsit; tale scandalum provenit vel ex malitia scandalizati; vel ex ignorantia, aut infirmitate ipsius. Si proveniat ex malitia, dicitur scandalum Pharisæorum, sumpta denominatione à perfidis Pharisæis, qui ex rectissimis Christi Domini, & Apostolorum operibus, ob suam perversam malitiam, scandalum patiebantur. Si proveniat ex infirmitate, aut ignorantia dicitur scandalum *pusillorum*, ut si quis ex licita actione proximi in peccatum propriâ ignorantiâ, aut debilitate ruat. Vtrunque hoc scandalum alienum prorsùs est à præsenti controversia. Primum quidèm, quia negari non debet, quòd ex recta actione Perfecti valeat quis scandalizari propriâ scandalizati malitiâ, aut ignorantiâ. Secundùm etiam, quia certò certius est, quòd Perfectus nequit scãdalum pati ob licitam proximi operationem.

Restant ergo scandalum activum, & passivum, quorum ruina oriatur ex alterius dicto, vel facto. Ex his scandalis explorabimus quæst. futura, an Perfectus valeat scandalum alijs præbere? Et in præsenti inquirimus, an ex dicto, vel facto alterius queat scandalizari? Plurima alia scitu digna, quæ de scandalo activo, passivo que tradunt communitèr Doctores, vide apud D. Thomam loco citato ex 2. 2. & alijs, in quibus hanc ipsam materiam versat. Nobis autem ea solummodò, quæ præmisimus, necessaria sunt. Nec negamus, dari alias scandali acceptiones ad nos directè spectantes; illæ tamen ex progressu manifestæ erunt. Modò quippè nolumus vel ipsas argumentorum solutiones prævenire. Vndè ad resolutionem accedentes.

44. Sit nostra Conclusio. *Perfectus nequit propriè scandalizari.* Addidimus *ly propriè* propter ea, quæ infra dicenda sunt. Assertio hæc certissima est, eamque expressè docet D. Thomas loco citato ex 2. 2. & in 4. distinct. 38. quæst. 2. art. 3. quæst. 1. Quam probamus 1. Verbis Christi Domini apud Matth. cap. 18. dicentis: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt* &c. Quæ verba sic explanat D. Hieronym. ibidem dicens: *Nota, quòd qui scandalizatur, parvulus est, maiores enim scandalum non recipiunt.* Glossam Doctoris Maximi, & verba Reparatoris nostri adducit Div. Thomas citato art. 5. ut convincat, quòd licèt pusilli, hoc est imperfecti possint scandalum pati: Perfecti nequaquàm scandalizantur.

45. Probatur 2. Conclusio ratione D. Thomæ sic constructa. Perfecti non patiuntur ruinam occasionatam ex dicto, vel facto alterius: ergo non patiuntur scandalum. Patet ista. Tum ex diffinitione scandali passivi, quam dedimus num. 43. Tum ex alijs, quæ iam subijcimus. Antecedens autem probatur. Qui rei immobili firmitèr inhæret, nullam ruinam occasionatam ex dicto, vel facto alterius patitur: Perfectus firmitèr inhæret rei immobili nempè Deo, cui media unione fruitiva intimè, & firmissimè copulatus est: ergo non patitur ruinam ex dicto, vel facto alterius. Illatio formalis est, & minor evidens. Probatur maior. Qui patitur ruinam ex dicto, vel facto alterius, patitur commotionem animi ab illo bono, cui inhæret: sed qui Deo firmitèr inhæret, animi commotionem pati nequit ex dicto, vel facto alterius: ergo. Maior est expressa D. Thomæ eo art. 5. dicentis: *Scandalum passivum importat quandam commotionem animi à bono in eo, qui scandalum patitur.* Et minor præterquam quòd est eiusdem D. Thomæ, probatur ex illo Psalm. 124. *Qui confidit in Domino, sicut Mons Sion, non commovebitur in æternum, qui habitat in Hierusalem.* Quocircà idem Psaltes Psalm. 118. ait: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.*

Vide, quòd diligentibus Legem Dei, hoc est, Perfectis, ut exponit D. Thomas, *non est scandalum.* Quo af-

fer-

tio noſtra probatur. Verùm illa minor propoſitio ſuadebitur, ſi conſideres motivum, quo ductus Propheta Sanctus aſſerit, ſcandalum paſsivum alienum eſſe a Perfectis. Quod motivum aliud non eſt, niſi *Pax multa*, qua gaudent, dum immobili bono firmitèr, & fruitivè inhærent. Pacem ſummam tenent Perfecti; in ipſis alter Olympus adeſt. Vndè ſicùt nubes exceſsit Olympus, ita ut ipſius culmen turbinum moleſtia non inquietet, ſic & Perfecti, qui alium Olympum longè perfectiorem inhabitant, ex dictis, vel factis aliorum nullam animi commotionem, aut inquietudinem patiuntur. Neque mors, neque vita, neque Angeli, neque creatura alia poteſt illos ſeparare, aut commovere à pace multa, qua fulgent, Chriſto Ieſu Domino noſtro copulati.

46. Confirmatur ratio facta, & ſimùl præoccupatur obiectio, qua impugnari poſſet. Etenim quamquàm Perfecti inhæreant ſuis Prælatis, qui quandoquè ſcandalosè vivunt, ex hoc tamen nullum ipſi ſcandalum patiuntur: ergo ſcandalum paſsivum non invenitur in viris perfectis. Conſequentia legitima eſt: nam ſi Perfecti ſcandalizari poſſent, non quàm ad hoc maius immò nec æquale fundamentum haberent, quàm dùm vident, ſuos Prælatos, quibus abſdubiò inhærent, ſcandalosè procedere. Antecedens autem probatur. Quia Perfectus non inhæret Prælato, niſi quatenùs ipſe Prælatus Chriſto inhæret: ſed Prælatus non ſcandalizat, quatenùs inhæret Chriſto, ſed potiùs quatenùs à Chriſto abiungitur: ergo ex activo ſcandalo Prælati nullum ſcandalum patitur Perfectus. ¶ Diſcurſum iſtum deſumpſimus ex D. Thoma, qui dicto art. 5. ait: *Perfecti etſi inhæreant ſuis Prælatis, non inhærent eis, niſi in quantum illi inhærent Chriſto ſecundùm illum* 1. *ad Corinth.* 4. *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Vndè quantumcunque videant alios* (ſive ſint, ſivè non ſint eorum Prælati) *inordinatè ſe habere dictis, vel factis, ipſi à ſua rectitudine non recedunt.*

47. Hæc ultima Sancti Thomæ verba moverũt Eximium Theologum Capponi ad ſingularem veriſimam excogitationem, quam ut potè ratione Sanctam, & Scripturis ſancitam, obvijs manibus excipimus, illà que ſic ultimò noſtram aſſertionem probamus animadvertentes, quod verba illa *quantumcunquè videant* &c. duplicem ſenſum habent. Primus eſt textualis, iuxta quem probat Angel. Doctor, Perfectos non gravari ſcandalo paſsivo, licèt videant alios ſive Prælatos, ſive ſubditos inordinatè procedentes; eò quod ipſi, quamvis illud videant, *à ſua rectitudine non recedunt.* Sic que probatur ſimplicitèr concluſio. Secundus ſenſus eſt per figuram, quæ minus dicens plus ſignificat. Iuxta quem ſenſum ait Theologus præcitatus, mens D. Thom. eſt quòd ex inordinatis dictis, vel factis aliorum, etiam Prælatorum, non ſolùm *à ſua rectitudine non recedunt* Perfecti, verumetiàm ex illorum perceptione *in ſua rectitudine confirmantur magis.* Quæ omnia videre poteris apud ipſum Capponi ad allegatum art. 5. D. Thomæ. Hac ergo animadverſione præmiſſa.

Probatur ſic urgentèr noſtra concluſio. Inordinatio in dictis, vel factis aliorum, etiam Prælatorum, non commovet Perfectos à ſua rectitudine: ergo in illis ſcandalum paſsivum non habet locum. Patet iſta: quia ſcandalum hoc aliundè haberi nequit, niſi ab eo, quod in antecendenti recenſetur, & antecedens probatur. Inordinatio in dictis, & factis aliorum, etiam Prælatorum, magis firmat in ſua rectitudine Perfectum: ergo illa inordinatio non commovet Perfectum à ſua rectitudine. Illatio eſt innegabilis, & antecedens probatur primò authoritate propoſita D. Thomæ intellecta per figuram minus dicentem, & plus ſignificantem, ut patet ex præmiſsis. Quippè iuxta hanc figuram idem eſt dicere, quòd *quantumcunquè videant alios inordinatè*

tè ſe habere dictis, vel factis, ipſi à ſua rectitudine non recedunt; ac affirmare, quòd Perfecti magis in ſua rectitudine firmantur, ex hoc quòd alios inordinatè ſe habere, videant.

Probatur 2. antecedens clariſsimis Scripturis, quibus etiam profunditas D. Thomæ manifeſtatur. Etenim Pſ. 118. inquit perfectiſsimus David: *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ; ideò dilexi teſtimonia tua.* Itèm ibidèm: *Diſsipaverunt legem tuam: ideò dilexi mandata tua.* Rursùs inibi: *Propterea ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui.* Obſervari maximè debent cauſalitates, quibus perfectus David veluti impellitur ad diligendum mandata, & Legem Domini, & ad ſe ipſum in obſervationem mandatorum ipſius dirigendum. *Ideò* inquit, *dilexi teſtimonia, & mandata tua, & propterea ad omnia mandata tua dirigebar, quia prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ*, & quia ipſi peccatores: *diſsipaverunt legem tuam*, ac deniquè quia *omnem viam iniquam odio habui.* Id ipſum, quod in non perfectis eſt occaſio ruinæ, & motivum ſcandali, fuit perfectiſsimo David impulſus, ut magis in ſua rectitudine firmaretur. Tam longè eſt Perfectus à patiendo ſcandalum, quòd motivum ſcandali eſt in ipſo excitativum virtutis. Quod egregiè docuit ipſe Propheta ibi dicens: *Tempus faciendi, Domine, diſsipaverunt legem tuam*: quæ peccatorum infelix applicatio ad Legem Domini diſsipandam duos effectus in David cauſavit, ſeu unum diverſis vocibus expreſsum: nam ex eo, quòd iniqui Legem Domini diſsiparēt, quo imperfecti ſcandalum paterentur, ratus eſt perfectus Rex adveniſſe tempus faciendi, ſeu obſervandi ipſam Legem, & mandata Domini in lege ipſa contenta diligendi. Quibus affatim probatum eſt illud noſtrum antecedens, & demonſtrata profunditas D. Thomæ, qui unica illa phraſi tot mira complexus eſt.

§. II.

Argumenta.

48. CONtra concluſionem arguitur 1. Chriſtus Dominus, qui perfectiſsimus fuit, & exemplar totius perfectionis ſcandalum paſſus eſt: ergo Perfectus poteſt ſcandalizari. Probatur antecedens verbis ipſius noſtri Reparatoris apud Matth. capit. 16. verſ. 23. dicentis Petro: *Vade, poſt me Satana, ſcandalum es mihi.*

Reſpondetur diſtinguendo antecedens, *ſcandalum* largè, & impropriè ſumptum, concedo, propriè, nego antecedens. Solutio eſt D. Thomæ dicta quæſt. 43. art. 5. & 2. ubi ait: *Ad 2. dicendum, quòd ſcandalum ibi largè ponitur pro quolibet impedimento. Volebat enim Petrus Chriſti paſsionem impedire, quodam pietatis affectu motus ad Chriſtum.* Itaquè ultrà dicta initio quæſtionis ſcandalum paſsivum eſt duplex. Aliud propriè tale, quod ſupra definivimus, & de quo loquimur in præſenti. Aliud largè, & impropriè tale, quod eſt idem, ac quoddam impedimentum ab extrinſeco poſitum, vel paratum, ut id, quod exequi debet, impediatur, aut retardetur. Quæ licèt ex ſe clariſsima, infrà magis aperientur. Modò autem audi iterùm D. Thomam ſuper allegatum D. Matthæi caput verba illa ſic exponentem: *Origenes dicit, quòd Perfectis non eſt ſcandalum. Undè non ſcandalizantur, ſed poteſt aliquis eis ponere ſcandalum. Undè Petrus ſcandalum aſſumpſit, ſed Chriſtus non. Vel ſic, quia reputat ſcandalum membrorum eſſe ſuum: Undè Paulus: Quis ſcandalizatur, & ego non ſcandalizor. 2. Corinth. 11. Quia ergo poſſet aliquis ſcandalum eſſe, dixit: Scandalum mihi eſt, non propter me, ſed propter membra mea.* Habes ergo duplicem viam, qua verba noſtri Redemptoris exponas. Prima de ſcandalo in nobis, qui ſumus membra Chriſti. Secunda partitur in duas. Prima ſumit

mit ſcandalum impropriè. Secunda fatetur ſcandalum oblatum, ſed negat acceptum.

49. Arguitur 2. Quod procedit ex virtute, invenitur perfectiſsimè in viro perfecto: ſed ſcandalum poteſt ex virtute procedere: ergo invenitur in viro perfecto. Cætera nota ſunt, & minor probatur. Quia ſcandalum D.Petri proceſsit ex quodam *pietatis affectu ad Chriſtum*, ut modò ex D. Thoma vidimus, eſt que illa opinio cuiuſdam Gloſſæ: ergo vera eſt illa minor.

Confirmatur. Imperfectus inordinatè verbis, aut factis procedens coram ſolis Perfectis verè ſcandalizat: ergo ſcandalizat Perfectos. Conſequentèrque iſti verè ſcandalizantur. Antecedens liquet; quia imperfectus ille ſcandali reus eſt. Et conſequentia probatur 1. quia, ut ſupponimus, non ſunt alij præſentes, qui ſcandalizentur. Probatur 2. Quia nequit imperfectus Perfectum diligere, quin iſte diligatur: ergo nequit Perfectum ſcandalizare, quin iſte ſcandalizetur.

Reſpondetur ad argumentum primò diſtinguendo maiorem, *ex virtute* ſecundùm ea, quæ virtus ex ſe dicit, concedo. Secundùm ſtatum imperfectum, quem concernit, nego maiorem. Exemplum adeſt in virtute purgatoria, quæ prout virtus eſt, in viro perfecto datur: prout autem purgatoria eſt, in eo non reperitur. Quam doctrinam facto Div. Petri applicantes dicimus: quòd Sanctus Apoſtolus perfectus non adhùc erat, cum illa dixit; prout videbimus quæſtione ſequenti. Vndè ex virtutis, ſcilicèt, pietatis affectu, potuit ſcandalizare. Si autem pietas illa fuiſſet tunc (quod habuit poſtmodùm) purgati animi, neutiquàm in ſcandalum declinaret. In Chriſto autem reperiri potuit, quod eſt ab illa virtute, ut purgati animi eſt; non verò, quod eſt ab illa ut purgatoria.

Reſpondetur 2. Conceſſa, ſeu prætermiſſa maiori, diſtinguendo minorem, quæ vera eſt de ſcandalo largè ſumpto; non verò de eodem propriè conſiderato. Solutio hæc eſt D.Thomæ citata diſt. 38. quæſt. 2. artic. 2. ubi ait: *Ad 2. dicendum, quòd ſecundùm illam Gloſſam videtur, quòd Petrus non peccaverit volens Paſsionem Chriſti impediri: quia Paſsio Chriſti poterat & placere laudabilitèr, & diſplicere ſecundùm diverſa: & tunc ſcandalum ſumitur largè pro quolibet impedimento alicui præſtito in via aliqua, quam proſequi intendit.*

Reſpondetur 3. ex dictis num. 47. Concedendo totum argumentum ad hunc ſenſum, quòd id ipſum, quod ſcandalum activum, ſive à bona, ſive à mala radice ortum, cauſat in viro imperfecto, hoc etiam, perfectiſsimè tamen ſumptum, cauſat in viro perfecto. Hoc eſt, quòd ſicùt ſcandalum activum cauſat paſsivum in imperfecto; ſic etiam eſt Perfecto occaſio, qua ipſe magis in ſua rectitudine confirmetur. Et hoc dicimus, eſſe perfectiſsimè ſcandalum in viro perfecto: quia ſicut imperfectè, eſt in imperfecto, quem occaſionalitèr perdit; ſic etiam dicimus, eſſe perfectiſsimè in viro perfecto, quem in ſua rectitudine occaſionalitèr firmat. Cui excogitationi anſam præſtitit illud adverbium *perfectiſsimè* poſitũ ex parte prædicati in maiori propoſiti argumenti: quod ſecundùm hanc intelligentiam nobis contrarium haùd eſt.

Ad confirmationem reſpondetur omittendo antecedens, ſeu illud iuxta modò dicenda concedendo, & negando conſequentiam, cuius prima probatio ſupponit falſum, videlicèt, quòd tunc aliquis reapsè ſcandalizetur. Ponit quidèm imperfectus quantum in ſe eſt ut ſcandalizet; ſed ſcandalum non admittitur ab alio. Sicùt alium provocans ad furandum iam illius criminis reus eſt; adhùc tamen poteſt alius illi non acquieſcere. Vndè verificatur tunc verè provocans, ſed non verificatur cum effectu provocatus. Similitèr dicimus de ſcandalum præbente: quia quantum ad ipſum ſpectat, ſcandalizat; ve-

verùm ſcandalum videns poteſt illud non admittere: quod Perfecti ſempèr faciunt, & quandoquè non perfecti.

Ad ſecundam probationem qua hæc doctrina impugnatur, conceſſo antecedẽti, negetur conſequentia. Diſcrimen eſt, quòd *amare* eſt operatio immanens non tranſiens in exteriorem materiam: *Scãdalizare* eſt actio tranſiens in exteriorem materiam. Inter quas actiones hoc intereſt: quòd in actionibus immanentibus activa verè convertitur in paſsivam, & è contrà. Vndè ſi datur intelligens, videns, amans &c. datur res amata, res viſa, & intellecta: quæ pariformitèr è conversò vera ſunt: quandoquidèm implicat res viſa, amata, & intellecta, ſine intelligente, vidente, & amante. Et hoc eſt converti activam in paſsivam, & è contrà. In actionibus tranſeuntibus non ſempèr convertitur activa in paſſivam: quia poteſt poni actio, quantum eſt de ſe, inductiva alicuius paſſionis; & tamen paſsio non ſequi; vel propter libertatem patientis, nolentis illam ſuſcipere, ut liquet exemplo appoſito provocantis ad furtum, cui, quia liberè denegatur conſenſus, non correſpondet aliquis reipsà provocatus. Vel etiam propter impedimentum occurrens, ut liquet in plenè determinato ad occidendum, qui, quantum eſt de ſe, occidit, ſed propter ſuperveniens impedimentum non datur occiſus, licèt detur modo dicto occidens. Sic ergò licèt detur, quantum eſt de ſe, ſcandalizans, non infertur, quòd detur reipſa ſcandalizatus; eò quòd ſcandalizatio, ſeu ſcandali exhibitio eſt actio tranſiens in materiam exteriorem.

50. Dices; omnis activa, ſive ſit actionis tranſeuntis, ſivè immanentis, convertitur in paſsivam: ergo nullum eſt aſsignatum diſcrimen. Probatur antecedens primò. Quia hæc eſt communis omnium conceptio. Probatur ſecundò. Quia ſicut actio tranſiens tendit in materiam externam, ſic & immanens: ergo. Probatur antecedens. Intelligens lapidem intelligit illum lapidem, qui eſt extra, & ille eſt, qui ſubit denominationem intellecti: ergo.

Reſpondetur antecedens eſſe verum apud Grammaticos, qui non conſiderant ſubſtantiam actionis, ſed modum ſignificandi. Sicque apud ipſos omnis activa convertitur in paſsivam; quia omne activum verbum ſignificat actionem, ut tranſeuntem in alium. Ac ſubidè apud eoſdem non datur provocans ſine provocato, nec ſine ſcandalizato ſcandalizans. Et hæc eſt communis Theologorum, & Philoſophorum conceptio: per quod patet ad primam antecedentis probationem. Si verò conſideretur ſubſtantia actionis, quandoquè actio non inducit reipſa paſsionem, aut propter impedimentum obſtans, aut propter liberam renuentiam paſsi, ut dictum eſt. ¶ Ad ſecundam probationem, quæ aliò divertit, dicas: Rem, quæ eſt extra, intelligi; ſed non, prout eſt extra, ſed quatenus in intelligente reperitur.

Omnis huius, & antecedentis numeri doctrina eſt expreſſa D. Thomæ allegata quæſt. 2. art. 3. ubi ait: *Ad 2. dicendum, quòd Grammaticè loquendo omnis activa convertitur in paſsivam, quia Grammaticus non conſiderat ſubſtantiam actionis, ſed modum ſignificandi. Omne autem verbum activum ſignificat actionem, ut in alium tranſeuntem. Sed conſiderando ſubſtantiam actionis aliquandò actio egreditur ab agente, & nõ pertingit uſquè ad patiens, quod habet in ſua poteſtate recipere effectum agentis, & non recipere, vel propter aliquod impedimentũ interveniens. Et ideò realitèr loquendo in omnibus actionibus, quæ terminantur ad aliquid extra agẽtem activa non convertitur in paſsivã, ſicùt eſt percutere, occidere ſcandalizare, & alia huiuſmodi. Sed amare, & cognoſcere ſunt actus interiores animæ, quæ non progrediuntur ad rem extra, niſi ſecundùm quòd eſt aliqualitèr in ipſo agente. Et ideò in talibus etiam realitèr loquendo, ſempèr activa in paſsivam convertitur.*

Ar-

51. Arguitur 3. Perfectus potest venialitèr peccare, ut vidimus quæstione præcedenti: ergo & potest scandalizari. Probatur consequentia scandalum quandoquè est peccatum veniale: ergo qui potest peccatum veniale committere, potest scãdalum pati. ¶ Cõfirmatur. Scandalũ passivum nihil aliud est, nisi impedimentum quoddam, quod alicui ponitur, ne in via spirituali proficiat: sed Perfectus quandoquè sic impeditur: ergo.

Respondetur argumento distinguendo antecedens, *potest &c.* ex infirmitate carnis, concedo; ex aliorum inordinatione, nego antecedens. Perfectus potest quidèm venialitèr peccare ex propriæ debilitatis, aut infirmitatis causa; non autem ex scandalo, quod ab alijs recipiat. Vndè ratio non sequitur. ¶ Adde ex laudato D. Thoma, quod venialitèr peccare ex aliorum inordinatione dupliciter intelligi potest. Primò ita, ut visa aliorum inordinatione eligat quis venialitèr peccare. Et hoc modo negamus scandalum passivum in viro perfecto. Secundò ita, ut visa inordinatione aliorum, oriatur indè aliquis motus iræ influens in culpam venialem. Et hoc Perfecto evenire posse, concedimus. Sed hoc non est scandalum. Vndè nec aliquam vim habet contra nos. ¶ Ad confirmationem dic: Quòd in actibus exterioribus potest Perfectus impediri; non autem in actibus interioribus voluntatis V.g. quibus Deum cordicitùs amat. Vndè scandalum propriè dictum neutiquam pati potest.

QVÆSTIO QVARTA.

VTRVM PERFECTVS ALIOS SCANDALIzare posſit?

52. QVÆ supponi debent pro quæstione præsenti, iam in præcedenti prælibavimus. Ibi enim scandalum activum diffinivimus & alia insinuavimus, quæ pro huius quæsiti intelligẽtia necessaria sunt. Forsàm methodum nostrã suggillabis, quia priùs egimus de scandalo passivo, quod est minus peccatum, quàm scandalum activum. Vndè priùs de hoc disputandum erat. Si namquè scandalum, quod est minus peccatum, denegamus Perfectis, potiori iure debemus & ipsis scandalum activum, quòd est maius peccatum, denegare. Sed apagè calumniæ murmur. Quia reverà, ut illam methodum observaremus, maximum fundamentum habuimus. Sic enim processisse Ang. Præceptorem locis citatis notum est. Vndè ipsius vestigijs insistentes à quacumque calumnia liberamur. Cui fundamento, quod omnium aliorum caput est, accedit primò. Quòd non est inter huiusmodi scandala ea connexio, aut subordinatio, quæ necessaria erat, ut nos cogeret ad aliam methodum insequendam. Datur quippè scandalum passivum sine activo, ut liquet in scandalo Pharisæorum. Quandoquè datur activum sine passivo, ut ex dictis notum est. Interdùm ex activo gravi inducitur passivum leve, sicut etiam ex activo levi passivum grave. Quæ affatim manifestant, non dari inter hæc scandala ea connexio, aut subordinatio, quæ illam calumniam gignere, & alere valeat. ¶ Accedit secundò. Quod non est ita inconcussum, quòd scandalum activum sit maius peccatum, quam passivum. Et hoc patet. Tum ex modò dictis, quia interdùm ex activo levi occasionatur passivum grave. Ratio que à priori huius doctrinæ à libertate voluntatis petenda est. Tum etiam: quia sic docet Div.

nom. loco allegato ex ſententiarijs art. 2. ad 3. Ex quibus, & alijs, quæ prætermittimus, conſtat, nos in præſenti ſine calumnia procedere.

§. I.

Eligitur vera ſententia.

53. SIt noſtra Concluſio. *Scandalum activum reperiri nequit in viris perfectis.* Aſſertio hæc eſt abſdubiò D. Thomæ locis præallegatis, quæ probatur 1. Ratione ipſius Ang. Mag. dicta quæſt. 43. ex 2. 2. in argumento *ſed contra.* Etenim plus repugnat perfectioni ſcandalum activum, quam paſsivum: ſed propter repugnantiam, quam cum perfectione dicit ſcandalum paſsivum, non poteſt reperiri in viro perfecto: ergo minus reperiri in eo poteſt ſcandalum activum. Cætera liquent, & maior probatur. Scandalum activum ultra culpam ſcandalizantis dicit impactionem, quam ſcandalizans alijs offert, ut cadant, quod non habet ſcandalizatus; ipſe quippè, quamquàm peccet, non facit alios peccare: ſed magis repugnat perfectioni, peccare, & ſimùl inducere alios ad peccandum, quàm peccare ſine tali inductione: ergo.

54. Probatur 2. Concluſio diſcurſu eiuſdem Ang. Doct. citato art. 3. quo ratio præiacta roboratur, reducitur que ad hanc formam. Perfectus conſtitutus eſt in exemplar aliorum, ut eos ſuo exemplo provocet ad virtutem: ergo nequit alios ſcandalizare. Patet iſta: quia eiuſdem non eſt provocare exemplis ad bonum, & ſcandalizare. Vndè ſi ad Perfecti dignitatem ſpectat, quòd alios ad bonum promoveat, longè ab eius dignitate diſtat, quòd eos ſcandalizet. Antecedens pluribus probari poterat, tum: à ratione. Tum; ab authoritate. Sufficiat afferre verba noſtri Redemptoris, qui apud Matth. capit. 5. loquens cum Apoſtolis, & Apoſtolicis viris eos appellat ſal, & lucem. Sal, quo alij condiantur, & lucem, qua illuminentur. Sal eſt Perfectus, qui, ſi ſcandalizet infatuatus, iam non debet tanquàm Perfectus haberi, ſed omnium pedibus conculcari. Tam proprium Perfectorum eſt, alios ad virtutem promovere, ut ſi, hoc ſuum proprijſsimum munus adimpleant, ſint populis condimentum; ſin minùs erunt illis in improperium, ac deriſum. Lux eſt Perfectus; ſicque debet eorum vita coram hominibus lucere, ut omnes eorum bona opera videant, & glorificent Patrem omnium, qui in Cælis eſt. Videri debet Ang. Doctor ſuper Matth. textum iſtum exponens, & mira in huius veritatis comprobationem ediſſerens.

Confirmantur hactenùs dicta. Perfectus adhibet ſpecialem ſolicitudinem ut ſuis dictis, aut factis nemo ſcandalizetur: ergo eius non eſt ſcandalizare. Patet iſta: quia ſcandalũ præbere & habere illam ſpecialem ſolicitudinem non compatiuntur. Antecedens autem edocetur à D. Thoma dicta quæſt. 43. ubi dicit, Perfectum ſeria ſolicitudine applicari, ut quicquid agit, ſecundùm regulam rationis ordinet, iuxta oraculum illud 1. ad Corinth. cap. 14. *Omnia honeſtè, & ſecundùm ordinem fiant in vobis.* Et hanc ſolicitudinem, ait Ang. Magiſter *præcipuè adhibent in his, in quibus non ſolùm ipſi offenderent, ſed etiam alijs offenſionem parerent.*

55. Dices: Licèt Perfectus cautus ſempèr ſit, ne Deum offendat, non tamen poteſt omnia peccata vitare, ut vidimus tota quæſtione prima: ergo quamquàm ſolicitus ſit, ne alios ſcandalizet, quandoquè tamen poterit ſcandalum dare, quin in hoc aliqua ſpecialis repugnantia detur.

Reſpondetur primò: tunc obiectionem tenere, quandò Perfecti ſolicitudo relatè ad omnia æqualis foret. Vigilat maximè, ne Deum etiam leviſſimè offendat. Hæc tamen cautela maior eſt reſpectu eorum, quibus poteſt alijs offenſionem parare, ut dixit nobis Sanctus Thomas. Vndè ſi propter

ſo-

ſolicitudinem, quam collocant, ne Deum offendant; eorum defectus & pauciſſimi, & leviſſimi ſunt: fit conſequens, quòd collocata maiori cautela, ne alijs offenſionem parent, eos neutiquàm ſcandalizent.

Reſpondetur 2. Verbis eiuſdem D. Thomæ dicentis: Quòd ſi in virorum perfectorum *manifeſtis dictis, vel factis aliquid ab hac moderatione deſit, hoc provenit ex infirmitate humana ſecundùm quam à perfectione deficiunt: non tamen in tantum deficiunt, ut multum ab ordine rationis recedatur, ſed modicum, & levitèr, quod non eſt tam magnum, ut ex hoc rationabilitèr poſſit ab alio ſumi peccandi occaſio.* Ex magna cautela, quam adhibent Perfecti, ne aliis impactionem offerant ad peccandum, reſultat, quòd, dùm ex infirmitate humana delinquunt, ita leviſſimus ſit caſſus, ut indè nullum datum fundamẽtum habeant alij ad delinquendum.

56. Replicabis: Sicùt Perfectus poteſt peccare venialitèr, poteſt etiam ſcandalum præbere: ergo tradita doctrina ruit. Probatur antecedens expreſſo teſtimonio D. Thomæ dicto art. 3. ex ſententiar. Vbi quæſtiunc. 2. ait: *Ad ſecundam quæſtionem dicẽdum quòd ſcandalum activum quandoquè eſt veniale, quandoquè mortale peccatum, ut ex dictis patet. Secundùm ergo quod eſt mortale peccatum, nullomodò Perfectis competit, ſicut nec peccare mortalitèr: ſed ſecundùm quod eſt veniale peccatum convenit etiam quandoquè Perfectis ſicut & peccatum veniale in quantum in eis aliquid infirmitatis remanet.* Quid clarius?

Propter hoc teſtimonium poſſet quiſpiam ſuſpicari D. Thomam ſuam illam ſententiam retractaſſe. Nobis autem hic facilis interpretandi modus ſempèr ſuſpectus eſt, nec illum ſine evidenti fundamento, aut à ratione, aut ab authoritate, unquam eligimus. Præterquam quòd in præſenti effugium illud eſt omni fundamento penitùs deſtitutum. Moveor: quia D. Thomas inquirens, an Perfectus queat ſcandalizare? planè inquirit de ſcandalo, de quo poteſt dubitari, dicere compatibilitatem, aut non repugnantiam cum ſtatu perfectionis. Secùs enim vaniſsimè procederet, ut de ſe patet. Scandalum, de quo hoc dubitari poteſt, non eſt mortale, ſed veniale. Si ergo de ſcandalo veniali inquirit hic, & 2. 2. & utrobiquè reſolutio eſt negativa, quomodo aſſerit data authoritate, Perfectum poſſe ſcandalum veniale præbere? Hanc difficultatem diſsimulare nolui, quod cum alijs innumeris à me factum, propter motivum ibi expreſſum, multotiès dixi. Igitur, ut dictum eſt, ſcandalum, de quo loquimur, eſt veniale, ſicut & quæſtione antecedenti de ſcandalo paſsivo veniali loquebamur. Scandalum activum veniale (idem intellige de mortali) poteſt dupliciter intelligi. Primò formaliter, quatenùs eſt ſpeciale peccatum. Tunc que evenit, quandò fit peccatum ex intentione inducendi alios ad peccandum venialitèr. Et huiuſmodi ſcandalum longè eſt à viro perfecto: nunquàm enim, Perfectus manens, eò deveniet, ut aliorum ſpiritualem ruinam, etiam venialem, intendat. Quod tanquàm per ſe notum debet in præſentiarum ſupponi. Secundò poteſt ſcandalum activum veniale intelligi materialitèr; tunc que eſt circunſtantia peccati. Omnia, quæ circa hæc dicimus, dicemus que, expreſſisimè traduntur à D. Thoma præallegatis locis. Vt autem dictum, vel factum alicuius ſcandalum propriè tale offerat, *debet de ſe tale eſſe, ut alterum natum ſit inducere ad ruinam.* Quòd ſi deſit à dicto, vel facto, quamquàm alijs non deeſſe videatur, tale dictum, vel factum non erit, adhùc venialitèr, ſcandaloſum. Perfectus poteſt quidèm dicere, aut facere aliquid, quod ſit peccatum veniale. Dubitatur tamen, an illud *de ſe tale ſit, ut alterum natum ſit inducere ad ruinam?* Reſpondet noſtra Concluſio negativè. Cui non opponitur

authoritas obiecta D. Thomæ, cuius ultima verba hæc sunt: *In quantum in eis aliquid infirmitatis remanet.* Possunt Perfecti venialitèr peccare; illa tamen peccata venialia non aliam radicem agnoscunt, nisi aliquid infirmitatis humanæ in ipsis remanens. Et peccatum veniale, cuius unica radix est infirmitas humana, non est *de se tale, ut alterum natum sit inducere ad ruinam.* Cur ergo in obiecto testimonio concedit D. Thomas scandalum? quia non loquitur de scandalo ex se, & de se, sed de scandalo quoad apparere.

Moveor ad sic interpretandum dictum D. Thomæ 1. Quia alitèr scandalizat peccans venialitèr mutum, & ex habitu, aut consuetudine, & crasa negligentia; quàm peccans modicum, & ex imperfecta deliberatione: sed peccans venialitèr ex habitu, aut consuetudine, aut crasa negligentia, ita peccat, quod eius peccatum sit natum de se inducere ad ruinam; atque ideò est de se scandalosum: ergo perfectus qui modicum, & ex imperfecta deliberatione peccat venialitèr, committit peccatum, quòd de se non est natum inducere ad ruinam: seu, quod de se scandalosum non est, sed tantùm quoad apparere. Præmissæ certæ sunt, & consequentia videtur bona: sumus quippè extra recursum ad magis, vel minùs scandalizare; cum loquamur de *scandalizare* simplicitèr, & de simplicitèr non *scandalizare*: seu, & est idem, de actione de se inductiva ruinæ, & de actione ruinæ inductiva, quoad apparere tantùm, & non de se.

Moveor secundò, & magis modò dicta explicantur verbis ipsius D. Thomæ datis numero præcedenti. Ibi enim expressissimè docet, perfectos quandoquè delinquere venialitèr. Ast quia modicum, & levitèr delinquunt, illud peccatum *non est tam magnum, ut ex hoc rationabilitèr possit ab alio sumi peccandi occasio.* Nemo sumit *rationabilitèr* occasionem peccandi, cum perfecti delinquunt venialitèr. Cur ergo? Quia ly *rationabilitèr* idem ibi est ac *sufficienter.* Vndè dictum D. Thomæ est: Peccatum illud perfectorum *non est tam magnum ut ex hoc sufficiens fundamentum consurgat, ut quis sumere queat occasionem peccandi.* Peccandi occasionem poterit quis sumere, sed reipsa non sufficientem, licèt sumenti sufficiens videatur. Non est enim actio illa, ex qua sumit occasionem peccandi, de se inductiva ruinæ, quamvis sic esse appareat. Hic que magis urget id, quod supra dicebamus. Nam cum Div. Thomas modò negat perfectum scandalizare, non loquitur de scandalizatione mortali; hæc quippè perfecto, & iusto repugnat. Loquitur ergo de veniali, quæ duplex est: alia sufficiens, & insufficiens alia. Primam offert actio de se inductiva ruinæ: secundam offert actio, quæ, licèt de se non sit, sumenti tamen videtur ruinæ inductiva. Primam ubique negat Doctor Sanctus, & secundam concedit in authoritate obiectiva.

Moveor tandèm, & modò dicta roboro. Quia ipse Ang. Magister allegata quæst. 43. ex 2. 2. loquutus artic. 5. de scandalo passivo ait: *Ad 3. dicendum, quòd perfecti viri ex infirmitate carnis incidunt interdùm in aliqua peccata venialia, non autem ex aliorum dictis, vel factis scandalizantur secundùm veram scandali rationem: sed potest esse in eis quædam appropinquatio ad scandalum secundùm illud Ps. 72. Mei penè moti sunt pedes.* Hæc Sanctus Thomas de scandalo passivo Perfectorum, & cum idem fermè philosophari queat de activo, dicimus, Perfectos quandoquè scandalizare, *non autem secundùm veram scandali rationem; sed potest esse in eis quædam appropinquatio ad scandalum secundùm illud Psalm.* &c. Igitur scandalizare *secundùm veram scandali rationem* denegatur viris perfectis, ex eo quòd eorum peccaminosa dicta, vel facta non sunt de se inductiva ruinæ. *Ast quædam appropinquatio ad scandalum* ipsis con-

conceditur, quatenùs ea dicunt, vel faciunt, rarò tamen, quæ licèt de se non sint, videntur tamen penè esse alicuius ruinæ inductiva.

Hæc, & non alia sunt, quæ à D. Thoma edocentur eà quæstiuncula, cuius argumentum *sed contra* planè negat, Perfectos scandalizare, utiquè venialitèr, de hac enim scandalizatione dubium erat: Postmodùm in solutione ad 2. hoc ipsum confirmat ex facto D. Petri, qui eoipsò, quòd reprehensibilis fuit, præbuit scandalum, non tamen *secundùm veram scandali rationem*, sed quia appropinquavit ad scandalum. Eomodo scandalizavit D. Petrus, quo & venialitèr peccavit. Suo illo indiscreto facto non venialitèr peccavit secundùm rem, sed secundùm apparentiam: hoc ergo ipso modo scandalizavit; & ideò reprehensus fuit, de quo postea. Huic doctrinæ nihil contrarium dixit D. Thomas in corpore eiusdem quæstiunc. cuius integrum corpus est obiectus textus In eo negat Sanctus Perfectis scandalum grave, quod per se notum est. Concedit autem ipsis scandalum leve; non tamen quodcunque, sed illud, quod provenit ex infirmitate carnis, nempè *in quantum in eis aliquid infirmitatis remanet* quod non est scandalum *secundùm veram scandali rationem*, sed *quædam appropinquatio ad scandalum*. Hoc est, non scandalum de se tale, quod iam negaverat in argumento *sed contra*, & negavit in solutione argumenti; sed scandalum, quod tale sit quoad apparere. Vndè omnia consonare videntur.

§. II.

Difficile argumentum proponitur, & enodatum.

57. PRimum argumentum contra conclusionem desumitur ex casu illo D. Petri posito numer. 48. in quo nulla specialis difficultas continetur, aperit tamen viam ad ingentem difficultatem in hoc §. discutiendam. Arguitur ergo 1. D. Petrus scãdalum præbuit Christo Domino, qui illum reprehendens dixit: *Vade post me Sathana, scandalum es mihi*: sed D. Petrus erat Perfectus: ergo Perfectus potest scandalizare.

Respondetur facilè negando minorem, quia D. Petrus tunc temporis perfectus non erat, sicùt nec alij Apostoli, sic que docet plurimis in locis D. Thomas, qui dicta quæst. 38. artic. 3. quæstiunc. 3. ait: *Sed contra Petrus ante passionem nondùm erat in statu perfectionis, quia nondùm erant Cæli, id est, Apostoli verbo Dei, & spiritu oris eius confirmati*. Vndè hoc argumentum non militat contra resolutionem nostram.

58. Obijcies 1. Tunc Div. Petrus erat inchoativè beatus: ergo & Perfectus. Patet ista: Quia ut sæpesepiùs diximus, perfectio huius viæ est beatitudo inchoata. Antecedens probatur. Quia tunc iam Apostolus à Christo audierat: *Beatus es Simon Bar-jona*. Quæ verba sic inibi exponit Div. Thomas: *Beatus es; quia incipis esse beatus*.

Obijcies 2. Tunc D. Petrus iam erat constitutus Ecclesiæ fundamentum, & tanquàm Ecclesiæ Princeps acceperat claves Regni Cælorum. Quæ omnia ex eodem capite constant: ergo iam erat perfectus: non enim illa ipsi concessa fuissent, nisi iam evectus esse ad apicem perfectionis.

Respondetur ad primam obiectionem distinguendo antecedens, *beatus*, quia suprà rationem cognoscebat, concedo. Quia Perfectus erat, nego antecedens. Solutio est Divi Thomæ ibidem distinguentis duplicem modum cognoscendi Deum. Primum iuxta rationem: secundùm supra ipsam. Primus beatos non facit, quia dubius est. Secundus facit beatos initiativè, quatenùs constituit in via, qua obtinetur viæ inchoata beatitudo. Secundum istam cognitionem, quæ non est à carne, & sanguine, sed à Deo revelante dic-

dictus fuit Apostolus *beatus*. Vndè non sequitur, quòd iam tunc esset perfectus. ¶ Secundam obiectionem solvit idem D. Thomas ex D. Hieronym. dicens: *Suprà dixerat: Tu es Petrus, & super hanc petram* &c. *Hic autem appellat eum Sathanam. Hieronym. dicit, quòd quæ promisserat Dominus, nondùm habebat.* Vndè licèt illa haberet in promissione, non habebat in re, ac subindè Perfectus non erat. Sic que poteris & primam obiectionem enodare.

59. Contra omnia tamen dicta obijcies id, quod non exiguam difficultatem ingerit. Etenim post acceptum Spiritum Sanctum cum iam esset perfectus D. Petrus, reprehensus fuit à D. Paulo propter scandalum, quod præbuerat: ergo & Perfectus potest scandalizare, & quòd D. Petrus ante Passionem scandalizaverit, non est, quia tunc non erat perfectus. Consequentia legitima est ex antecedenti, quòd probatur. Nam ad Galatas cap. 2. ait D. Paulus: *In faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.* Et postmodùm, causa reprehensionis exposita, adiungit: *Cum vidissem, quòd non rectè ambularent ad veritatem Evangelij, dixi Cephæ coram omnibus* &c. sed qui reprehensibilis est, & facit, alios *non rectè ambulare ad veritatem Evangelij*, scandalum præbet: ergo.

Ab hac admodùm urgenti difficultate sunt, qui facillimè se expediant, dicentes: Petrum non fuisse à Paulo reprehensum, sed Cepham, qui unus fuit è septuaginta Discipulis. Sic que ex illa historia nullum argumentum desumi valet, quod nostrum assertum impugnet. Huius opinionis sunt Doroth. in Synop. Clem. lib. 4. & Euseb. Cæsarien. lib. 1. Quod placitum non multum displicere videtur la Haie in prolegom. ad novum testam. sect. 6. cap. 7. Suæ que non displicentiæ motivum reddit, videlicet, quòd Paulus non nominat Petrum, sed Cepham dicens eodem cap. vers. 11. *Cum autem veniisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti* &c. Vndè cum Paulus esset Petro inferior, & superior Cepha Discipulo, rationabiliùs videtur eius reprehensio fulminata, non in Apostolum Antistitem reprehendentis, sed in Discipulum subditum obiurgantis. Secùs enim fateri tenebitur, & Paulum esse superiorem Petro, & Petrum postquàm perfectus erat, publicum scandalum præbuisse: quorum utrumque malè apud Catholicos audit.

Verumenimverò solutio hæc non alio motivo excogitata videtur, nisi ad declinandam argumẽti efficaciam, quòd nec veritas sincerè investiganda patitur, nec decet serium indagatorem veritatis. Fundamentum la Haie ruinosum videtur: quia pro *Cephas* clarissimè est in Græco *Petrus*, qui à Christo Domino Cephas nominatus est: *Tu vocaberis Cephas*. Quocircà post hanc Christi Domini erga Petrum dignationem, quãdoquè Cephas, & quãdoquè Petrus dicitur. Nec longè eundum nobis est, hæc ut comprobemus. Etenim eodem cap. 2. vers. 8. ait Paulus: *Qui operatus est Petro in Apostolatum Circumcisionis* &c. Et immediatè numer. 9. inquit: *Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse.* Vbi per ly *Cephas* nec ipse la Haie intelligit alium, quàm Petrum Apostolorum Principem. Cur ergo versu 11. non hic, sed ille alius Discipulus intelligendus est nomine Cephas? De Petro igitur loquitur Paulus: sic que sentiunt Div. Hieronym. Div. Augustinus, D. Greg. D. Ambros. D. Thomas, & quotquot benè sentiunt, ita sentiunt.

60. Quarè propositam difficultatem alitèr enervare satagit D. Hieronymus dicens: Petrus quidèm fuisse à Paulo coram multitudine reprehensum. Verùm reprehensio illa non fuit ex animo, sed, ut loquitur Doctor Maxim. dispensatoria. Visum fuit Paulo, Petrum apparenter corrigere ob apparentem culpam, quam commisisse videbatur segregans se à Gentibus, quibus cum antea manducaverat: ne ijs,

qui

qui ex circunciſione erant, ſcandalum paterentur. Et ob hoc apparens delictum, quod ſcientibus omnibus fecit, illum palàm, ſimulatoriè tamen, reprehendit. Vt ſic Iudæi videntes Eccleſiæ Caput reprehenſum, & correctionem æquo animo ſuſtinens, quia ſe à menſa Gentilium ſegregabat, & cum ipſis Iudeæis pranſum ibat, faciliùs legis iugum tumularent. Vndè culpa apparens apparẽtem correctionem ſubijt. Hac expoſitione vires obiectionis dehiſcunt: quia ſi Petrus non fuit verè, & ex animo correctus, ne reprehenſibilis; nihil ex hac hiſtoria poteſt in noſtram aſſertionem opponi.

Et ut liberè revelem, quod ſentio, hæc D. Hieronymi expoſitio, quæ etiam eſt Chyſoſtomi, Græcorum, Baronij & aliorum, ſempèr mihi probabiliſsima viſa eſt. Tum: ob maximam Doct. Maximi authoritatem. Tum: ob alia motiva urgentiſsima, inter quæ eminet: Quod D. Paulus multotiès id ipſum fecit, quod in Petro, ſemèl dumtaxat factum, reprehendit. Qua ergo fronte, inquiunt D. Hieron. & Græci, Paulus ſeriò, & ex animo Petrum corrigeret in eo, quod ipſe totiès fecit? Quòd autem feciſſet, conſtat primò: Quia Timotheum, à ſe ipſo in ſocium aſcitum *aſſumens circumcidit eum propter Iudæos, qui erant in illis*, ut dicitur in Actor. Apoſtol. cap. 16. verſ. 3. Ecce Paulum circumcidentem hominem ex Patre Gentili *propter Iudæos, qui* &c. & hoc, cum lex circumciſionis iam eſſet mortua, quamquàm nondùm ſepulta. ¶ Liquet 2. Quia Paulus ex voto ſibi Caput Cenchris totondit, ut in eodem libro capit. 18. verſ. 18. habetur. ¶ Patet 3. quia inibi capite 21. verſ. 24. D. Iacobus, & alij ſocij monuerunt Paulum, ut ſe obſervatorem legis ſimularet, nè manibus Iudæorum in ipſum, tamquàm in legis impugnatorem clamantium, periret. Hæc omnia fecit Sanctus Paulus, in quibus nec umbram peccati cognoſcimus omnes. Cur ergo in facto D. Petri erit?

Si dicas: Paulum ea feciſſe, ut maius malum vitaſſet. Reſpondeo primò, quòd non totondit ſibi caput, ut maius malum, aut aliquam Iudæorum commotionem ſedaret, ſed ut votum adimpleret. ¶ Reſpondeo ſecundò. Quod etiã Petrus id, quod fecit, fecit ob idem motivum. Videlicèt, propter metum Iudæorum, de quorum tenera fide verebatur, ut ipſe Paulus ſcribit: ergo ſicùt Paulus non peccavit in eo, quod ab ipſo factum diximus, ſic nec Petrus verè reprehenſibilis fuit; ac ſubindè nec ſcandalizavit.

61. Quamquàm hæc ſententia ſit probabiliſsima, ut diximus, reſpondetur tamen 3. cum D. Auguſtin. D. Cypriano, D. Thoma, innumeris que alijs: D. Petrum dicta occaſione peccaſſe quidèm, & ſeriò correctum fuiſſe à Paulo. Omnia hæc tradit D. Thomas 1. 2. quæſt. 103. art. 4. ubi etiam docet, in quo Petri peccatum conſiſteret, hiſce verbis: *Ad 2. dicendum, quòd ſecundum Hieronym. Petrus ſimulatoriè ſe à Gentibus ſubtrahebat, ut vitaret Iudæorum ſcandalum quorum erat Apoſtolus. Vndè in hoc nullomodo peccavit: ſed Paulus eum ſimiliter ſimulatoriè reprehendit, ut vitaret ſcandalum Gentilium, quorum erat Apoſtolus. Sed Auguſtinus hoc improbat quia Paulus in Canon. Scriptura, ſcilicèt Galat. 2. in qua nefas eſt credere, aliquid falſum eſſe, dicit, quòd Petrus reprehenſibilis erat. Vndè verum eſt, quòd Petrus peccavit, & Paulus verè eum, non ſimulatoriè reprehendit. Non autem peccavit Petrus in hoc, quòd ad tempus legalia obſervabat, quia hoc ſibi licebat, tanquàm ex Iudæis converſo: ſed peccabat in hoc, quòd circa legalium obſervationem nimiam diligentiam adhibebat, ne ſcandalizaret Iudæos; ita quod ex hoc ſequebatur Gentilium ſcandalum.* Habes ergo ex dictis, Petrum peccaſſe: & etiam, in quo peccavit, habes. Ac tandèm habes ex ultimis verbis authoritatis exhibitæ, quòd ex facto D. Petri *ſequebatur Gentilium ſcandalum.*

Nec

Nec offendas in eo, quod poſt acceptum Spiritum Sanctum dicamus peccaſſe Div. Petrum, quod videtur eſſe contra opinionem communem. Hunc quippè ſcrupulum ſuper caput 2. epiſt. ad Galat. vidit Sanctus Thomas, ac paritèr repulit dicens: *Reſpondeo dicendum, quòd poſt gratiam Spiritus Sancti nullomodo peccaverunt mortaliter Apoſtoli. Et hoc donum habuerunt per potentiam divinam, quæ eos confirmaverat, Pſalm. 74. Ego confirmavi columnas eius &c. Peccaverunt tamen venialiter: & hoc fuit eis ex fragilitate humana.* Igitur peccavit Petrus in eo, quod dicta occaſione fecit; fuit tamen veniale eius delictum, & adhùc inter peccata venialia, exigua valdè fuit eius culpa. Quandoquidèm non ex malitia ortum habuit, ſed ex fragilitate, aut non conſideratione. Vndè peccatum illud cum D. Petri ſublimi perfectione non pugnavit, ſicùt ſtatutum eſt quæſtione prima. Sed nonne ſcandalum inde ſequutum erat quoque cum ipſa perfectione compoſibile?

62. Reſpondet Caietanus 2.2. quæſt. 33. art. 4. ad 2. Scandalum illud non fuiſſe activum, ſed paſſivum. Factum quippè D. Petri non fuit talis conditionis, ut occaſionem ruinæ daret, licèt ipſam ſumerent, qui ſcandalum paſſi ſunt. Vndè nihil fuit in illo actu cum perfectione pugnans, nec noſtræ reſolutioni contradicens.

Sed contra primò. Nam iuxta D. Thomam ipsà 2. 2. quæſt. 43. art. 6. ad 1. Scandalum paſſivum ſempèr ab aliquo activo cauſatur: ergo ſcandalum paſſivum in ſcandalizato ſupponit activum in ſcandalizante: ergo D. Petrus verè tunc ſcandalizavit.

Contra 2. Quia data ſolutio eſt expreſsè contra D. Thomam qui inibi art. 1. ad 4. explicans quid ſit ſcandalum activum per ſe ait: Tunc dari ſcandalum activum per ſe *quandò aliquis ſuo modo verbo, vel facto intendit aliquem ad peccatum inducere; vel etiam ſi ipſe hoc non intendat, & ipſum factum eſt tale, quod de ſui ratione habet, quòd ſit inductivum ad peccandum, putà, cùm aliquis publicè facit peccatum, vel quod habet ſimilitudinem peccati. Et tunc ille, qui huiuſmodi actum facit, propriè dat occaſionem ruinæ. Vndè vocatur ſcandalum activum.* Itaquè ad ſcandalum activum per ſe tale requiritur, & ſufficit dictũ, aut factũ minus rectũ cum intentione ruinæ alienæ; vel ſine tali intentione requiritur dictum, aut factũ peccaminoſum, etiam apparentèr, quòd tamen de ſe ſit cauſativum ruinæ: ſed factum D. Petri fuit verè peccaminoſũ. & de ſe inductivum ruinæ, ut liquet ex animoſa Pauli contradictione: ergo fuit ſcandaloſum.

Contra 3. impugnatur ex ipſa diffinitione ſcandali, quod, ut ſuprà dicebamus, *eſt dictum, vel factum minus rectum præbens occaſionem ruinæ*: ſed opus Div. Petri fuit *minus rectum*, ut potè venialitèr peccaminoſum; præbuit etiam Gentilibus occaſionem ruinæ, ut dictum eſt: ergo nihil ei defuit, quo minus per ſe foret ſcandaloſum.

63. His tamen non obſtantibus, ad interrogationem in fine numeri 61. propoſitam reſpondemus, illud ſcandalum compatibile fuiſſe cum D. Petri perfectione: quia non fuit datum, ſed acceptum: non fuit activum, ſed paſſivum. Et hoc paſſivum ſcandalum Gentilium in cauſa fuit, ut Paulus ipſorum Magiſter D. Petrum obiurgaret, veritus ne ſui diſcipuli in fide parvuli occaſionem ſumerent ex facto Petri tranſeundi ad Iudaiſmum, putantes legalia eſſe de neceſsitate ſalutis. Nec verba illa D. Thomæ nobis contraria ſunt, quia concedimus, quòd ex hoc ſequebatur Gentilium ſcandalum; negamus tamen, tale ſcandalum fuiſſe activum; ſed fuit paſſivum, quod cum Petri perfectione compoſsibile erat. Quamobrèm ſolutionem Caietani inter arguendum datam admittimus, quæ non eſt contra D. Thomam: quin potiùs illam à D. Thoma didicit Caietanus. Ipſe enim Ang. Doctor in eo art. 6. ad 2. ait: *Vndè*

dè Gentiles patiebantur scandalum passivum, non autem erat in Petro scandalum activum.

Vndè ad ea, quibus Caietani solutio impugnabatur, respondentes dicimus ad primum: mentem D. Thom. esse clarissimam verbis, quæ subiungit: *Sed non semper*, ait, *ab aliquo scandalo activo alterius, sed eiusdem, qui scandalizatur; quia, scilicèt, ipse seipsum scandalizat.* Non datur scandalum passivum sine activo; hoc tamen scandalum activum non semper est in subiecto distincto ab eo, quod scandalizatur; sed interdùm evenit, quòd ipse scandalizatus, non ab alio, sed à seipso scandalizetur. Et hoc est, quòd in nostro casu repertum fuit. In eo namquè Gentiles scandalizati seipsos scandalizavere.

Ad 2. respondetur: datam solutionem Caietani esse prorsùs conformem menti Ang. Præceptoris. Obiectam authoritatem admittimus, quæ nobis contraria non est. Diximus enim factum D. Petri neutiquàm fuisse causativum ruinæ spiritualis Gentilium ad fidem conversorum. Ipsi enim non ab Apostolo, sed à se ipsis scandalizati sunt, ut dictum est, infra que magis explicabitur. Quarè ad discursum ex illa authoritate deductum, concessa maiori, & minori pro prima parte, negamus illam pro secunda: non enim factum D. Petri fuit de se causativum ruinæ, fuit tamen reprehensus à Div. Paulo propter assignatum motivum, videlicèt, ne Gentiles, quorum Apostolus erat, putarent, legalia esse necessaria ad salutem.

64. Dices: D. Petrus fecit actum minus rectum, ex quo Gentilium scandalum ortum duxit: ergo eos scandalizavit. ¶ Respondetur distinguendo antecedens, *minus rectum*, & non præbentem occasionem ruinæ, concedo. Præbentem subdistinguo, ex mala dispositione Gentilium, concedo. Ex intentione operantis, aut operis, nego antecedens. Diffinitio scandali non est præcisè *dictum, vel factum minus rectum*, sed etiam *præbens* ex facientis animo, vel operis conditione *occasionem ruinæ*. Quorum utrumque abfuit in facto D. Petri.

65. Replicabis. Qui ponunt scandalum passivum ab activo separatũ non ponunt in operante actum malum, sed virtuosum, ob quem aliquis præter suam malam dispositionem scandalizatur: sed actus D. Petri non fuit virtuosus, sed peccaminosus, ut dictum est: ergo fuit de se scandalosus.

Respondetur distinguendo maiorem, *sed virtuosum*, quia sic frequentèr evenit, concedo. Quia iudicent, non posse aliter evenire, nego maiorem. Deindè distinguatur minor, *peccaminosus* ex nimia adhæsione ad legalia, concedatur, ex circunstantia scandali, negetur minor. Itaquè verum est, quòd scandalum activum à passivo separatum eo modo explicatur. Hoc tamen ideo est, quia sic frequentissimè evenit, & etiam, quia sic faciliùs percipitur, quod explicandum assumitur. Re tamen vera circunstantia scandali activi, non ab hac radice venatur; sed ab eo, quòd præbeat occasionem ruinæ. Quod si desit, poterit quidèm dari scandalum; sed erit Pharisæorum, quod causatur ex mera malitia illud patientium, qui ex bono opere, quod debuissent in exemplar assumere, scandalizãtur. Scandalum autem, quod Pharisæorum non est, semper supponit in operante vel actum malum, vel actum habentem speciem mali. Et hoc est, quod exprimitur ijs vocibus positis in diffinitione scandali est *dictum, vel factum minus rectum*. Per ly enim minus rectum designatur actus, vel de se malus, vel mali speciem habens, qui absdubiò requiritur ut detur scandalum, quod non sit Pharisæorum. Vltrà quod exigitur necessariò, quod talis actus sive de se, sive ex intentione operantis præbeat occasionem ruinæ. Si non adsit actus modo explicatus malus, vel non dabitur scandalum, vel erit Pharisæorum. Si adsit,

& non sit ruinæ spiritualis occasio, neque ex se, neque ex facientis intentione, nullum scandalum datur, ut minus *secundùm veram rationem scandali*. Sed erit *quædam appropinquatio ad scandalum*, prout à D. Thoma audivimus in fine numeri 56. Ex quibus habes, quòd etiam si detur actus malus, non eoipso datur scandalum: & quòd multotiès datur, quin operanti imputari debeat. Quandoquidèm licèt non rectè operetur, nullam tamen alicui præbet ruinæ occasionem, aut ex sua, aut ex sui operis intentione. Ex quibus liquet, falsum esse, quòd tunc solùm datur scandalum passivum ab activo seiunctum, quandò ex parte operantis supponitur operatio virtuosa. Et etiam liquet, quòd actio Div. Petri, quàmquàm non recta, non fuit scandalosa, quia nulli præstitit occasionem ruinæ de se, aut ex intentione operantis. Vndè ad summum poterit dici *quædam appropinquatio ad scandalum*, aut scandalosa, sed non *secundùm veram rationem scandali*.

66. Vrgebis: Sola mala dispositio pusillorum sat est, ut dictum, vel factum sit scandalosum secundùm veram rationem scandali: sed factum D. Petri hoc habuit: ergo fuit propriè scandalosum. Illatio tenet, & maior continet doctrinam communissimam: quippè scandalum pusillorum supponit culpam in scandalizante, qui debuisset actionem, aliàs bonam, & non de necessitate salutis, ad tempus prætermittere, ne pusilli scandalum patiantur. Quod si non faciat, iam actus ex hac circunstantia scandalosus evadit. Minor autem videtur certa: quia factum Div. Petri coram pusillis Gentilibus fuit: ergo hac circunstantia fuit propriè scandalosum.

Respondetur distinguendo maiorem, *dispositio* non prævisa, nego. Prævisa, subdistinguo & non evacuata, concedo. Et evacuata, nego maiorem. Itaquè vel D. Petrus non advertit, quòd ex suo facto scandalum originari poterat, quod verisimum propter subijcienda censemus. Vel, si advertit, cognovit, ipsos, qui scandalum pati possent, plurimas rationes ad manus habituros, si vellent, ut ingressum querelis intercluderent. Et qui sic operatur, quamquàm aliundè non rectè, scandalosus non est. Quia que rem magni momenti præ manibus habemus, opus est adducere Doctores, & doctrinas datas distinctiones protegentes. Vt vel sic à pluribus, ex innumeris instantijs, quibus hic dicendi modus opprimitur. (à quibus omnibus immunis prorsùs est opinio D. Hieronym. D. Chrysostomi, Baronij, & sequacium suprà posita) si possumus, liberemur.

67. Itaquè culpa D. Petri, ut suprà ex D. Thoma vidimus, fuit facere rem licitam *incautè*, *indiscretè*, aut, quod idem est, imprudenter. Nec hoc cum eximia perfectione pugnat. Vt enim ait Ang. Magist. 2. 2. quæst. 49. art. 3. ad 3. *Nullus in his, quæ subsunt prudentiæ sibi, quantum ad omnia, sufficit.* Vndè D. Petrus imprudenter operatus est, non prævidens pusillorum ruinam, quòd proprijs terminis apud Estium in 2. ad Galat. videbis; ibi enim dicitur: *Per inconsiderationem à Petro peccatum est.* Quod non minori perspicuitate traditum est à magno Expositore Lyrano hisce verbis: *Propter hoc Paulus, qui erat Gentilium Apostolus ipsum publicè reprehendit: & Petrus, audito* (observa) *periculo Gentilium, ipsi acquievit.* Vbi duo notanda sunt. Primum est: quòd Petrus ipse, quem imprudenter operatum esse, diximus, prudentissimus fuit, quod eius docilitas manifestat. Extemplò ac periculum inaudivit, nuntianti acquievit, quòd docilitatis est, ac subindè prudentiæ: quia *convenienter docilitas ponitur pars prudentiæ*, ait laudatus Div. Thomas. Secundum, quod abservari debet, est verborum emphasis: *Et Petrus audito periculo* &c. ergo prius de illo periculo nihil cogitarat. Si namquè cogitasset, viam arreptam neutiquàm assump-

ſumpſiſſet; vel aſſumptam propugnaſſet. Et in hoc fundatur prima illa diſtinctio noſtra. Qua ſola tota huius difficultatis machina ruit. Quia proculdubiò ſcandalum puſillorum ortum ducit ex actione bona, indiſcretè tamen facta. Vndè non conſiderato motivo indiſcretionem in operationem refundente, non manet operatio ſcandaloſa. Non à ſe; quia bona eſt: Non ex intentione operantis; quia hic tam longè diſtat ab intentione ſcandalizandi, quòd nec ſcandalum, quod ex videntium infirmitate, aut ignorantia ſubſequi poteſt, conſiderat. Vndè quamquàm peccet, quia non conſiderat, quod conſiderare debuiſſet; minimè tamen ſcandalizat. Et hæc pro noſtræ diſtinctionis expenſione ſufficiant.

68. Subdiſtinctionis fundamentum eſt, quòd etiam ſi D. Petrus illud periculum prævidiſſet, ipſum paritèr motivis urgentiſsimis diſipaſſet, in quorum conſpectu periculum illud evaneſceret: ac ſubindè non adeſſet ſcandalum ab ipſo datum, ſed eſſet, ut reipsà fuit, acceptum. Periculum illud non aliud erat, niſi quòd Gentiles concíperent, legalia eſſe de neceſsitate ſalutis; quia videbant, Petrum Apoſtolorum Caput, qui priùs eorum mensà utebatur, modò ad Iudæos remeaſſe. Hoc tamen motivum pluribus evacuari poterat. Primum eſt, quòd ipſe D. Petrus, conſpicientibus plurimis Iudæis, qui tunc temporis Anthiochiæ degebant, Gentilium cibis apud ipſos Gētiles veſcebatur: quo facto evidentèr oſtendit legalium neceſsitatem ceſſaſe. Nec modò ad Iudæos rediens contrarium ſuadebat. Tum: quia in re adeò gravi non ea facilitate mutatur ſententia. Tum: quia ipſe Div. Petrus de hac legalium neceſsitate, ſi adeſſet, præmonuiſſet. Tum etiam: quia D. Paulus Gentilium Doctor, ac Magiſter illam abſdubiò prædicaſſet. ¶ Secundum eſt: Quòd Iudæi, ad quorum menſam tranſivit Petrus, non erant utcumquè Iudæi, ſed erant Legati miſsi ex Hieroſolimis ab eorum Epiſcopo D. Iacobo. Et quòd ad hos Petrus pranſum iret, erat honoris, & urbanitatis causà: non tamen ob neceſsitatem legalium. Quia ſi ob hoc motivum tranſitum feciſſet, nunquàm apud Gentiles manducaſſet; ſed apud alios Iudæos, quorum plures, ut dictum eſt, Antiochiæ tunc temporis habitabant. ¶ Tertium eſt: Quia ſicùt Paulus erat Gentium Apoſtolus; ſic Petrus erat Iudæorum Predicator, ſecundùm illud ex 2. ad Galat. ſuprà datum: *Qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum Circunciſionis operatus eſt mihi inter Gentes.* Vndè ſi apud Gentiles veſcebatur eorum Doctor, quin Iudæi ſcandalum paterentur: debuerunt quoque Gentiles, non ſcandalizari, ex eò, quòd ad Iudæos hoſpites, & Epiſcopi Hieroſolymorum Legatos, diverteret Apoſtolus Iudæorum. His motivis, & ijs, quæ in iſtis implicantur, evacuari poterat quicquid in reſolutionem Div. Petri occurreret. Vndè licèt ea reſolutio non nihil imprudentiæ habuiſſet, ob quod fuit à D. Paulo reprehenſa, nullatenùs tamen fuit ſcandaloſa.

69. Nec rogare omiſerim, ſi ijs diebus, quibus ante adventum Legatorum prandebat D. Petrus cum Gentilibus, ſcandalizarentur Iudæi, qui tunc Anthiochiæ morabantur, tale ſcandalum Iudæorum imputaretur D. Petro? Similitèr rogo: ſi poſt Legatorum adventum Div. Petrus nunquàm apud ipſos manducaſſet, & ex hoc ijdem Legati, & alij Iudæi ſcandalum paterentur, tale ſcandalum imputaretur Apoſtolo? Ad hoc ſecundum (idem de primo intellige) reſpondet laudatus Eſtius negativè. Et hoc ipſum nos omnes negare tenemur: quia tunc caſus D. Petrus urgenti motivo duceretur, ac ſubindè ſcandalum Iudæorum merè paſsivum foret. Idem proportionabilitèr dicimus in noſtro caſu.

70. Si dicas: Eſſe magnum diſcri-

men, quia tunc Petrus non peccaret. Vndè nec ſcandalum præberet. In caſu propoſito peccavit, & ſuo peccato ſcandalum præbuit. ¶ Sed vanè ad peccatum recurris, ut ſcandalum perſuadeas. Fatemur, in ijs duobus caſibus Apoſtolum immunem à culpa fore, quam commiſit in caſu argumenti. Verùm cum illa culpa, nec ex ſe, nec ex peccantis intentione ruinam occaſionaret: indè eſt, quòd non fuit ſcandaloſa. Per quæ patet ad ultimum, quod obijciebatur in fine numeri 62. Illud enim ſcandalum, quod Gentiles patiebantur, ipſis, & non Apoſtolo imputari debet.

71. Inſurges. Ei, qui aliquem ad peccatum cogit, imputatur culpa: ſic fuit D. Petrus: ergo ſcandalum cauſatum, ei imputandum eſt. Probatur minor expreſſisimis verbis D. Pauli citato cap. 2. dicentis Petro: *Quomodò Gentes cogis iudaizare?*

Reſpondetur. D. Petrum non propriè Gentes ad iudaizandum coegiſſe, ſed ſuo exemplo ad iudaizandum veluti invitaſſe: quatenùs illum ad Hieroſolimorum Legatos divertentem, & utentem ciborum diſcretione, ipſi Gentiles, exemplo illo moti, ſequerentur. Vndè ait inibi D. Thomas. *Cogis, non quidèm imperio, ſed tuæ converſationis exemplo.* Si autem imperaſſet, aut ſuum factum proceſiſſet cum prævisione illius ſcandali, aut non habuiſſet motiva, quæ expendimus numer. 68. ſcandalum ſubſequutum ipſi abſdubiò imputaretur. Non tamen imputabile eſt, ijs circunſtantijs conſideratis, quas debuiſſent conſiderare Gentiles, & nos quoque conſiderare debemus, ut Sanctum Apoſtolum immunem ab illo ſcandalo prædicemus, quamquam correctioni obnoxium fateamur.

****

§. III.

Alia argumenta.

72. ARguitur ſecundò. Chriſtus Dominus perfectiſſimus fuit; & tamen ſcandalum præbuit: ergo ſcandalum activum non pugnat cum perfectione. Probatur minor. Tum ex illo Lucæ capit. 2. ubi Symeon de Chriſto dixit: *Eccè poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael*: ſed eſſe in ruinam multorum idem eſt, ac multos ſcandalizare: ergo. ¶ Similitèr apud Matth. capit. 15. dixerunt Diſcipuli ad IESVM: *Scis, quia Phariſæi audito verbo hoc ſcandalizati ſunt?* Ergo Chriſtus Dominus ſcandalizavit.

Reſpondetur negando minorem. Cuius prima probatio vel loquitur de ruina, qua Chriſtus Iudex vivorum, & mortuorum mortuos ad gratiã caſtigat. Vel ſi de ruina, quam ſcandalum cauſat, verba facit, intelligenda eſt Scriptura illa de ſcandalo non à Chriſto dato, ſed à perfidis accepto. Vndè non Chriſto, ſed illis imputandum eſt, uti egregiè expenit D. Chryſoſt. apud Caten. auream dicens: *Sicut enim lux, & ſi oculos debiles turbet, lux eſt; hoc modo Salvator perſeverat, & ſi corruant plurimi: neque enim eſt officium eius deſtructio, ſed eorum Veſaniæ: quamobrèm non ſolùm ex ſalute bonorum, ſed etiam ex malorum diſſipatione virtus eius oſtenditur: nam Sol quoniam multum radiat: propterea viſus debiles præcipuè perturbat.* ¶ Secundus textus clariſsimè loquitur de ſcandalo Phariſæorum, ab ipſa eorundem malitia occaſionatum.

73. Arguitur 3. Scandalum activum eſt aliquandò peccatum veniale: ſed Perfectus poteſt peccatum veniale committere: ergo etiam poteſt ſcandalum præbere. Conſequentia bona eſt. Maior liquet ex ſe, edocetur que à D. Thoma ſupra dato. Et minor tradita

à no-

à nobis est quæstione 1. huius disputationis.

Respondetur. Quòd peccata venialia Perfectorum, etiam quæ alijs sunt manifesta. *tam leVia sunt, ut de se scandalizandi Virtutem non habeant.* ait D. Thomas citata quæst. 43. art. 6. ad 3. Vide ibidèm præclarum Theologum Capponi, hæc subtilitèr, & valdè textualitèr ediffèrentem.

74. Arguitur 4. Perfectus potest inducere alios ad ingrediẽdum in quancumque Religionem ex approbatis ab Ecclesia; ergo potest scandali causa esse. Antecedens liquet tum ex se. Tum etiam: ex D. Thoma 2. 2. quæst. 189. articul. 9. ubi inquit: *Dicendum, quòd inducentes alios ad Religionem non solùm non peccant sed magnum præmium merentur.* Tum denique: Quia hæc inductio est de meliori bono, quod quis vovere potest. Vndè videtur, quòd sit proprium Perfectorum hoc maius bonum consulere, & ad illud alios inducere, sicùt & ipsi, quibus consulitur, queunt illud vovere. ¶ Consequentia autem probatur: Quia inter Sacras Religiones aliquæ possunt esse, in quibus non nihil recedatur à vitæ perfectione à suis Fundatoribus stabilita, & à maioribus felicissimè observata: sed qui hanc Religionem ingrederetur, proculdubiò scandalum pateretur, videns in maioribus tepiditatem, quam videre non sperabat, & in minoribus relaxationem, quæ in mentem suam non venerat: ergo Perfectus hunc ad talem Religionem iuducens scandali ab ipso passi causa foret.

De huius argumenti materia profundissimè, & verissimè agit Dom. Caietanus inibi, & cum ipso, & ex ipso Capponi ibidem, & quæst. 43. art. 6. §. *Coroll.* Cum quibus sentio dicens quod si inductus ad Religionem scit, cum illam ingreditur, vivendi methodum, quæ in ipsa observatur: tunc non adest motivum ad scandalum. Nec pariformitèr adest, si Perfectus inducens modum procedendi, qui inductum latet, ipsi revelet. Cæterùm inducere ad Religionem, quæ à sua perfectione recessit, eum, cui talis relaxatio ignota est, non est opus Perfecti. Rationem assignat Caietanus, quia videlicèt, inducere ad talem vitam est *actus ex suo genere malus: quoniam inducitur quis ad Vitam reprehensibilem. Vndè* (concludit) *Vituperabile est, non solùm inducere, sed etiam ingredi, & recipere ad Vitam irregularem personas utriusque sexus, quam Vis Ecclesia toleret hoc permissivè.*

75. Arguitur ultimò. Scandalum passivum est proprium pusillorum: ergo scandalum activum Perfectorum proprium est. Antecedens est certum, & consequentia probatur. Quia contraria contrarijs respondere debent: sed scandalum activum, & passivum sunt contraria: ergo si scandalum passivum est pusillorum, scandalum activum erit Perfectorum, qui pusillis contrariantur.

Confirmatur. Illi scandalizant, qui exemplo suo provocant alios ad peccandum: sed soli perfecti alios ad peccandum provocant: ergo solummodò Perfecti scandalizant. Minor, in qua consistere poterat difficultas, probatur. Quia imperfecti propter suæ vitæ dissolutionem nullam ruinam spiritualem in alijs causant: ergo.

Respondetur argumento concesso antecedenti, negando consequentiam. Ad probationem dicas, quòd nec scandalum activum contrariatur passivo: nec Perfectus est subiectum capax, ut scandalum activum in ipso reperiatur. Primùm patet, quia dum quis seipsum scandalizat, ut multotiès evenire suprà vidimus, est in eodem utrumque scandalum. Et hoc non sic eveniret, si daretur illa contrarietas. Similitèr dum quis scandalizatur ab alio, & alios scandalizat, utrumque illud scandalum simùl reperitur. Secundum etiam liquet, quia scandalizans debet dicere, vel facere,

cere id, quod ex se est causativum ruinæ: quod viro perfecto repugnare, dictum est. Vndè hoc argumentum nihil in nostram resolutionem suadet.

Ad confirmationem respondetur. Quòd ratio formalis scandali activi est præbere occasionem ruinæ. Et hoc ab imperfecto viro fieri posse, & reipsa fieri, ambigendum non est. Perfectus verò, quia nequit hanc ruinæ occasionem præbere, dicimus, non posse scandalizare. Videatur Div. Thomas dicta distinct. 38. quæst. 2. artic. 3. quæstione 3.

QVÆSTIO QVINTA.

VTRVM HVMANITAS SACRATISSIMA CHRISTI Domini sit objectum contemplationis perfectorum?

PLurima, quæ huius quæsiti propria sunt, discussa reperies in hoc nostro Cursu; ita ut iam decisum rectè censeas. Quocircà illud omitteremus, nisi specialia motiva impellerent, ut quæ in diversis locis sigillatim obtulimus, sub uno dubio simul offeramus. Methodus in ipso observanda maiori ex parte doctrinalis erit, quia res agenda, & motivum, ob quod de illo agimus, hoc exposcunt.

§. I.

Relatis sententijs, vera eligitur, & esse de mente nostri Mystici Doctoris comprobatur.

NEutiquàm noster sermo procedit de obiecto primario Divinæ contemplationis, hoc enim Deum esse, liquet ex dictis tomo primo disput. 1. quæst. 2. Immò nec modò alicuius momenti est disputare, an Christi Sacratissima humanitas sit obiectum primarium, vel secundarium Divinæ contemplationis? Omnes quippè quotquot præsentem difficultatem versant, supponunt, obiectum primarium Cælestis Contemplationis esse Deum. Vndè sensus tituli propositi, in quo est præsens controversia enucleanda, est, an Perfectus, qui, ut ex procœmio huius disputationis supponitur, est intimè, & fruitivè Deo unitus, ab ipso que ad celsitudinem matrimonij spiritualis sublimatus, possit contemplari Sacratissima mysteria vitæ, passionis, mortis, & alia Dulcissimi Redemptoris? Quæ omnia verbo *humanitas* comprehenduntur. Ac proindè exploramus, an Perfectus queat contemplari illam Sanctissimam humanitatem sive in via, sive in patria, sive in Cruce, sive in gloria?

76. Qua in re triplex reperitur opinio. Prima tenet ab omnibus, & sempèr contemplandam esse Christi Domini humanitatem. Secunda per oppositum affirmat, impediri quietem contemplationis, si contemplans Christi humanitatem contempletur. Harum opinionum mentionem faciunt communitèr nostrates. Catena mystica, Medulla, Antonius ab Annunt. Philippus à Sanctissima Trinitate. Ex alijs verò illius inter alios meminit Illust. Brachar. 2. part. Compendij capit. 11. §. 2. Verùm Authores pro ipsis non referunt. Eorum fundamenta iam exhibemus. ¶ Tertia sententia inter illas media est, & asserit: falsum esse, imaginem Christi Domini, ut hominis, seu ipsius humanitatem obesse quieti contemplantis: & etiam, non esse dabilem contemplationem divinam in homine viatore, quæ non habeat pro obiecto Christi Domini nostri humanitatem. Vndè tenet

net hæc ſententia, quòd humanitas illa Sanctiſsima, quandoquè contemplanda eſt, & quãdoquè contemplanda non eſt. Tum: quia nec ſempèr poteſt, nec ſempèr debet contemplari. Hanc ſententiam tuentur Matriarcha noſtra Sancta Thereſia, Extaticus noſter Doctor, quos noſtrates omnes ſequuntur. Eſt que hæc ſententia communiſsima inter Myſticos, conformis SS. Patribus, & conſona Sacræ Scripturæ. Illam autem in ſubſequẽtibus quoad omnia, quæ continet, declarabimus.

77. Sit noſtra prima concluſio. *Abſurdum ingens eſt, dicere, quòd ab omnibus & ſempèr contemplanda eſt Chriſti Domini humanitas.* Hanc concluſionem ſtatuo contra primam opinionem, illam que ſic probo. Inter contemplativos alij ſunt Perfecti, & alij Perfecti non ſunt: ſed eſt abſurdum ingens aſſerere, quòd tam imperfecti, quam Perfecti in omni ſua contemplatione debent ſempèr habere pro obiecto Chriſti humanitatem: ergo vera eſt noſtra aſſertio. Probatur minor primò. Obiectum, ſeu materia circa quam contemplantium ſolet eſſe eadem, ac materia meditantium: ſed materia meditantium non eſt ſempèr Chriſti humanitas: ergo nec contemplantium. Illatio tenet, & maior eſt per ſe nota: contemplantes enim non differunt à meditantibus penes materiam circa quam, ſed penes modum, quo ipſam materiam verſant; quatenùs meditantes diſcurſibus utuntur, circa eandem materiam hinc indè apes argumentoſæ diſcurrentes, & unum ex alio colligentes. Quod contemplantibus non evenit: hi enim acie fixa, ſimplici videlicet intuitu, obiectum illud cognoſcunt. Hoc eſt, quoad præſens, diſcrimen inter meditantes, contemplantes que. Quod etiam roborari poteſt ex unanimi Myſtarum placito, ſuo loco à nobis diſcuſſo. Qui meditatur, poſtquàm voluntatem inflammatam videt, diſcurſibus valedicens ponderat id ipſum, quod meditatus eſt, & poſtmodùm unico tranquillo, & pacifico intuitu id, quod meditatus eſt, & iam ponderavit, intuetur. Hæc intuitio contemplatio eſt, ut eſt in confeſſo apud omnes. Ex quo duo colligere debes. Primum eſt, quòd in caſu dicto id ipſum, quod eſt meditationis materia, eſt quoque contemplationis obiectum. Et hoc oſtendit veritatem illius maioris propoſitionis aſſumptæ. Secundum eſt. Quòd non ſempèr humanitas Chriſti ſit obiectum contemplationis Religioſæ. Quandoquidèm, ut iam videbimus, illa Sacratiſſima humanitas non eſt ſempèr materia meditationis. Vndè ſi idipſum quod meditationis materia fuit, eſt obiectum cõtemplationis, ſi humanitas Chriſti non fuit meditationis materia, nec erit contemplationis obiectum.

Minor autem probatur. Quia meditationis materia ſunt propria peccata, quæ in Deum commiſſa ſunt; quatuor noviſsima; myſteria redemptionis noſtræ, & alia huiuſmodi: ergo non eſt ſemper Chriſti humanitas. Antecedens continet doctrinam omnium Myſticorum, quos ſequuti fuimus in Iſagoge lib. 1. num. 114. ipsàque experientiâ ſuadetur: quoniam de illis omnibus agunt, quotquot meditationem exercent. Iam peccata deplorantes, ſe que ipſos ob ſuam in Deum ingratitudinem confundentes. Iam viventes ad inferum tranſeuntes, ut tot pœnarum conſideratione perterriti per virtutis v ã dirigant greſſus ſuos. Iam eorum conſideratio ad regna ſyderea conſcendens tales illos mira dexteritate figurat, ut eorum converſatio in Cælis ſit. Iam mortis amaritudinem, quotidiè morientes, præveniunt. Iam iudicij rigore concutiuntur. Iam deniquè in conſideratione myſteriorum vitæ, mortis, & gloriæ noſtri Reparatoris ſpatiantur. Hæc ſunt materia *circa quam* omnium, qui meditationem exercent. Vndè falſum eſt, quòd, ſi hæc ipſa, ut probatum eſt, ſunt materia contemplantium, horum contemplatio habeat ſempèr pro obiecto humanitatem aſſumptam.

Quod

78. Quod ſi adverſa opinio inſtet, quòd qui infernum, gloriam, peccata &c. aut meditatur, aut contemplatur, debet recurrere ad noſtrum Redemptorem, qui illum ab inferno liberavit, gloriæ ianuas adaperuit, & ipſius peccata proprio cruore deterſit. Hoc ſi dicat, verum dicit, ſed quod noſtrum aſſertum non impugnat, nec factum diſcurſum infirmat. Quia hoc non eſt, quod meditatio, aut contemplatio habeant ſempèr pro obiecto Chriſti humanitatem: ſed quòd Chriſtus homo eſt via, per quam omnis ſivè meditaturus, ſivè contemplaturus graditur. Eſt oſtium, per quod quiſquis ſuam ſalutem deſiderat, ingreditur. Ex quo affulget diſcrimen inter myſteria noſtræ redemptionis, ſeu Chriſtum hominem ex una parte, & alia, quæ ſunt meditationis, & contemplationis materia. Quippè qui contemplatur tartari horrorem V. C. nihil de gloriæ delicijs contemplatur. Aſt qui contemplatur gloriæ inenarrabiles delicias, aut baratri interminabiles preſſuras, ſempèr habet aditum pervium ad noſtrum Reparatorem illum à preſſuris baratri redimentem, & ad gloriæ delicias invitantem. Vndè Sancti, & Magiſtri Spirituales, quorum authoritatibus craſsè intellectis, Authores contrarij abutuntur, perperàm ab ipſis allegantur. Nihil enim aliud dicunt, ſi, ut par eſt, introſpiciantur, niſi, quæ modò diximus.

79. Probatur 2. minor illa ex numer. 77. quoad ſecundam partem, quæ directè ad nos ſpectat. Perfecti interdùm aſſumuntur à Deo ad contemplandum illud, quod Deus ipſis infundit: ſed nulla lege tenetur ad infundendam contemplationem humanitatis, quod de ſe notum eſt, & ipsà experientià convincitur, quandoquidèm iam illos elevat ad contemplandum aliquod prædicatum purè divinum, aut cumulum totius Divinitatis ſub conceptu negativo cuiuſcumque perfectionis, quæ poſsit cadere in mentem hominis: ergo abſurdum ingens eſt dicere, quòd omnes perfecti habent ſempèr pro obiecto ſuæ contemplationis humanitatem à verbo aſſumptam.

Probatur 3. eadem minor verbis perfectiſsimi David Pſalm. 50. dicentis: *Et peccatum meum contra me eſt ſempèr.* Vbi D. Thomas inquit: *Alia littera: coram me. Et ſic deſignatur quòd recognoſcit culpam, & quòd continuè meditatur de ea.* Illius actus, quo Perfectus David *continuè* ſuam culpam meditabatur, obiectum erat ipſa culpa. Et aliud intelligere, abſurdum eſt: ergo.

80. Tota doctrina tradita deſumpta eſt ex Sacra Scriptura, & ex SS. Patribus. Quippè apud Ioan. cap. 14. ait Chriſtus Dominus. *Ego ſum via, veritas, & vita.* Vbi Chriſtus dicitur *via*, quia profectò ut homo *via* eſt, qua ad Deum tendimus, nec alia via eſt, qua in Deum feramur, dicente D. Auguſtino ſerm. 54. de verbis Domini: *Ambula per hominẽ, & pervenies ad Deum. Per ipſum vadis, ad ipſum vadis: noli quærere, qua ad ipſum venias, niſi per ipſum.* Hoc ipſum breviùs tradidit Div. Thomas inibi per hæc verba: *Via quidèm ſecundùm humanitatem; terminus ſecundùm Divinitatem.* Chriſtus eſt quidèm *via*, quam luſtrant contemplativi, & omnes, qui ſuam ſalutem operantur. Ex hoc tamen non convincitur, quòd ut homo ſit Chriſtus obiectum cuiuſcumque actionis, aut contemplationis elicitæ ab omnibus, qui ſuæ ſaluti inſidant.

Extaticus noſter Doctor pluribus in locis hanc veritatem edocuit: modò ſolùm ea, quæ dictat lib. 2. Aſcenſ. cap. ultim. ſub finem dabimus. Ait enim: *Toda la doctrina que en eſte libro ſe ha dicho de total abſtraccion, y de contemplacion paſsiva, dexandoſe llevar de Dios con olvido de todas las coſas criadas, y deſnudèz de imagenes, y figuras, deteniendoſe con ſencilla viſta en la ſumma Verdad: no ſolo ſe entiende para aquel acto de perfectiſsima contemplacion cuyo levantado, y del todo ſobrenatural*

ſoſ-

ſoſsiego impiden aun las hijas de Jeruſalem, que ſon buenos diſcurſos, y meditaciones, ſi en aquel miſmo tiempo ſe quiſieſſen tener; ſino tambien para todo el tiempo, que nueſtro Señor comunica la ſencilla general, y amoroſa advertencia yà dicha; ò el alma, ayudada de la gracia, ſe pone en ella. Porque entonces ſiempre ha de procurar eſtarſe con ſoſsiego de entendimiento, ſin entremeterſe otras formas, figuras, ò noticias particulares, ſi no fuere muy de paſſo, y no muy procuradas, ſino con ſuavidad de amor, para encenderſe mas. Pero fuera de eſte tiempo en todos ſus exercicios, actos, y obras ſe ha de valer de las memorias, y meditaciones buenas, de la manera, que ſintiere mayor devocion, y provecho: particulariſsimamente de la vida, paſsion, y muerte de nueſtro Señor Jeſu-Chriſto, para conformar ſus acciones, exercicios, y vida con la ſuya.

81. In hac huius Illuminatiſsimi Doctoris doctrina continetur quicquid in præſenti dictum, dicendumque eſt. Habemus enim, quòd extra tempus quietæ, & pacificæ contemplationis debet contemplativus ſeriò, & ex propoſito auxilium ſibi quærere in ſanctis meditationibus, quæ ſine imaginibus exerceri nequeũt. *& ſpecialiſsimè meditari debet vitam, paſsionem, & mortem Domini noſtri Ieſu-Chriſti, ut cum ipſius vita ſuas actiones, exercitia, vitamque conformet.* Hæc Sanctus iſte Doctor, quibus edocemur, quàm contrarium ſit veritati, quod ſuſtinet prima illa opinio, cui immediatè prima hæc noſtra aſſertio contradicit. Quandoquidèm dum habetur perfectiſsima infuſa contemplatio, non habentur diſcurſus, aut imaginum conſideratio; immò nec haberi poſſunt: quia tunc eſt tempus tranquillæ, & puræ contemplationis, & contemplanti materia contemplanda à Deo contemplationem infundente præſcribitur. Quòd ſi materia contemplanda, quæ à Deo præſcribitur contemplanti, fuerit Chriſtus, Homo tunc contemplans nec diſcurſus elicit, nec eius contemplationi quietiſsimæ humanitas Sanctiſsima obeſt. Qualitèr hoc fieri queat, in quo minus perſpicaces offendunt, infrà declarabitur. Modò enim in enucleanda propoſita authoritate occupati addimus; quòd non ſolùm dicto tempore, verumetiam & cum Deus in animam imprimit ſubtiliſsimas apprehenſiones, quibus animam ad ſuperiora trahit; & cum ipſa anima ſe, ex auxilio gratiæ, inquiete contemplationis conſtituit; nequit meditationibus, aut imaginum attentione occupari. Sinminus neutiquàm contemplabitur. Poterit tamen tunc admittere aliquam particularem notitiam, imaginem, ſeu figuram; ſed quam valdè raptim admittat, & non anxiè procuret, ſed ſuavitèr, & eo ſolo fine, ut ferventiùs inſiſtat contemplationi. Vndè adhùc non habemus neceſsitatem illam, quam opinio adverſa ſatagit introducere, dum adſtruit, non dari contemplationem Religioſam, cuius obiectum non ſit humanitas à verbo aſſumpta. Si verò contemplatio, in quam ſe ipſam ex gratiæ adiutorio anima elevat, fuerit circa Chriſtum hominem: infrà, ut dictum eſt, videbimus, quo modò illi contemplationi humanitas Chriſti non obſit.

82. Tranſactis verò ijs temporibus poteſt contemplativus. & debet occupari in ſanctis meditationibus, & admittere notitias particulares, imagines, & figuras. Sed nec iſtæ debent neceſſariò eſſe Chriſti hominis. *Specialiſsimè debet meditari vitam, paſsionem, & mortem Domini noſtri Ieſu-Chriſti.* Sed & alia etiam meditari poteſt, quamquàm illud *ſpecialiſsimè*. Vndè commentitia eſt illa neceſsitas, quam contrariæ ſententiæ Patroni ſuadere intendunt, nec aſſequuntur: oppoſitum enim docet expertiſsimus noſter Doctor, ut clariſsimè liquet ex teſtimonio inducto, & alijs.

83. Dices: Quiſquis contemplationem Religioſam exercet, tẽdit in Deum,

qui eſt obiectum illius contemplationis: ſed via, qua ad Deum itur, eſt Chriſtus, ut conſtat ex ipſius verbis ſupradatis, & eſt via *ſecundùm humanitatem*, iuxta expoſitionem D. Thomæ: ergo non datur contemplatio Religioſa, cuius obiectum non ſit Chriſtus.

Reſpondetur. Deum eſſe obiectum primarium illius contemplationis. De ratione autem obiecti primarij eſt, quòd actus vel terminetur ad ipſum, vel ſi ad aliud obiectum terminetur, ſit quatenùs à primario dependet. Hoc non invenitur inter obiecta ſecundaria. Vndè poteſt aliquis actus terminari ad hoc obiectum ſecundarium, quin ad aliud ſecundarium obiectum terminetur. Humanitas Chriſti obiectum ſecundarium eſt divinæ contemplationis. Quocircà poteſt hæc reſpicere aliquod ex alijs obiectis ſecundarijs ipſius; quin humanitatem illam, tanquàm obiectum reſpiciat.

84. Verùm quia textus obiectus planè urget, docens humanitatem Chriſti, ſeu Chriſtum hominem eſſe viam ad Deum, & iuxta datam D. Auguſtini expoſitionem non eſt alia via, *quæ ad ipſum venias, niſi per ipſum.* Idcircò hæc à nobis ediſſerenda ſunt; quia forsàm tota fabrica ſententiæ oppoſitæ in celebri æquivocatione fundatur. Hùc que etiam afferri poteſt id, quod Seraph. Mat. noſtra ait Manſ. 6. capit. 7. videlicèt. *Yà puede ſer, que todos digamos una miſma coſa.* Itaquè apud Ioan. cap. 6. ait: Chriſtus Dominus: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Circa quod triplex dubium movet D. Thomas ibi, ubi ſunt ſequentia: *Secunda quæſtio eſt. Quia cum dicatur, quòd Filius trahit ad Patrem. Matth.* 11. *Nemo novit Patrem, niſi Filius, & cui voluerit filius revelare, infrà* 17. *Pater, manifeſtavi nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi: quomodo hic dicitur, quòd Pater trahit ad Filium?* Vide quid D. Thomas pro enodando iſto dubio dicat. Vide etiam, quæ docet, ut explicet illa eiuſdem Nri. Redemptoris verbà eodem cap. *Erunt omnes docibiles Dei.* Et præcipuè illa: *Sic ergo omnes, qui ſunt in Eccleſia ſunt docti non ab Apoſtolis, non à Prophetis, ſed ab ipſo Deo. & ſecundùm Auguſt. hoc ipſum quod ab homine docemur, eſt ex Deo, qui docet interiùs Matth.* 23. *Vnus eſt Magiſter veſter Chriſtus, nam intelligentia, quæ neceſſaria eſt præcipuè ad doctrinam, eſt nobis à Deo.*

Ex omnibus ergo ibi à D. Thoma dictis habemus, quòd Pater trahit nos ad Chriſtum infundens nobis fidem, qua ipſum eſſe ſuum Vnigenitum credamus: & Chriſtus trahit nos ad Patrem influens in nos, tanquàm verùm caput noſtrum, ea omnia, quibus indigemus, ut ad Patrem trahamur. Et hoc non ſolùm interiùs, ſed etiam exteriùs. Interiùs quidèm imprimens in nos, quicquid exigitur, ut actus noſtri ſalutares ſint. Nec enim aliquid eſt ad noſtram ſalutem conducens, quòd à noſtro hoc capite non habeamus. Exteriùs etiam, quia per ea, quæ apud nos fecit, & ſuſtinuit, & per exhortationes, prædicationes, miracula, exempla, & alia, quæ ex eius influxu facta ſunt, & modò fiunt in noſtram utilitatem, verè ad Patrem trahimur. Vndè hiſcè omnibus verè nobis revelat Patrem, ipſum que nobis manifeſtat. Ac proindè eſt *via*, & unica *via*, qua ad Deum tendimus; quia non eſt alia via, qua ad Deum accedere valeamus. Quocircà ſi ſententia oppoſita ſolùm velit, quòd Perfectus, aut imperfectus; ſive contemplationem, ſive meditationem exercens; ſive vitæ activæ, ſive contemplativæ deditus, ſemper procedit ex influxu Chriſti in ipſum, & vadit per viam, quàm Chriſtus verbo, & opere docuit. Hoc ſi velit, inficias non ibimus: neque nobiſcum loquuntur eæ authoritates, quæ in nos vibrat; quia illæ ſolummodò ſuadent, quod neutiquàm denegamus; quin potiùs toto cordis iubilo confitemur gratias noſtro digniſsimo capiti ob tam perenne, & ſublime beneficium hu-

humilitèr rependentes. Ex hoc tamen non infertur, quòd cuiuscumque actus salutaris obiectum sit Christi humanitas.

Exemplo rem illustro. Decernit quis navare operam Theologiæ Sacræ sub Principe Theologiæ Div. Thoma, cuius litteræ vacare statuit, ratus, & verissimè quidèm, quòd ex solius litteræ lectione uberrimos sibi fructus comparabit. Hic sanè non sempèr dùm D. Thomam legit, meminit D. Thomæ, sed D. Thomas in sua littera est illi via, per quam ambulat ad Theologiam comparandam. Si ad Thomæ expositores divertat, non recedit à via D. Thomæ. Tum: quia illam ipsam viam lustrant illi Expositores. Tum: quia ad illos accedit, ut meliùs intelligat litteram D. Thomæ. Vndè quin sempèr actu meminerit D. Thomæ, sempèr illi D. Thomas via est, vel in sua littera, vel in eadem prout ab Expositoribus declarata. In Doctorem, ac Præceptorem datus est nobis Christus IESVS, ut testantur Scripturæ, ut Sacram Beatorum Theologiam, hoc est, visionem beatificam, obtinere valeamus. Hunc Præceptorem audire promisimus in Sacro Baptismo. Eius doctrina nobis est penitùs necessaria, ut illam Sacram Theologiam sivè consummatam, sivè inchoatam nanciscamur. Non est alia Schola, alius Magister non est, in qua, & à quo Sacram spiritùs doctrinam comparare possimus. Vndè sempèr, quòd in illa proficimus, ille noster Magister est, & *via secundùm humanitatem*. Quin necessarium nobis sit, illum ponere obiectum cuiuscumque contemplationis.

85. Mirissimè hanc doctrinam confirmat D. Paulus ad Hebræos cap. 12. dicens: *Curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in Authorem fidei, & consummatorem IESVM, qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. Recogitate enim eum, qui talem sustinuit, à peccatoribus adversus semetipsum contradictionem: ut ne fatigemini, animis vestris deficientes.* His verbis hortatur Apostolus, ut Christum Crucifixum intueamur, meditemur, & contemplemur. Sed observa, quòd ipsum dicit *Authorem fidei, & consummatorem*. Quod exponit inibi D. Thomas dicens: Christum esse *Authorem fidei dupliciter. Primò eam docendo verbo. Secundò eam in corde imprimendo.* Similitèr Christus *est consummatio fidei dupliciter. Vno modo ipsam miraculis confirmando. Item fidem præmiando.* Et quodnam est fidei præmium? Respondet Ang. Doctor: *Contemplatio est merces fidei, cui mercedi per fidem corda mundantur.* Considera: quòd fides, sive terminetur ad contemplationem facialem, de qua ibi sermo est, ipsam gloriam contemplando: sive terminetur ad miracula, quibus confirmatur, sempèr respicit Christum, ut fidei consummatorem. Similitèr respicit Christum ut Authorem fidei, vel cum ipsius doctrinam contemplatur, vel cum, ut interiùs ab ipso infusa, procedit. Sempèr illi Christus via est, quamquàm non sempèr actu Christum, cum contemplatur, respiciat. Et hoc est, quod nostrum assertum tenet, nec aliud probant omnia, quæ opposita sententia nititur introducere.

86. Sit 2. conclusio. *Contemplationi Perfectorum non obest Sanctissima Christi humanitas; & ideò est absurdum maximum asserere, quòd proprio studio debet anima segregari ab hac Sanctissima humanitate.* Secunda pars huius assertionis apertè constat ex prima. Si namquè humanitas Christi non obest contemplationis quieti, falsum absdubio est, & plus quam falsum videtur, studium illud segregandi se ab illa. Patroni hanc nostram conclusionem protegentes innumeri sunt, quorum aliquos in discursu nominabimus. Probatur ergo assertio ratione cruta ex D. Thoma in 4. dist. 49. quæst. 4. reducitur que ad hanc formam. Anima Perfecti est Sponsa Christi, secundùm

quòd homo eſt: ergo humanitas Chriſti non obeſt quieti contemplationis. Antecedens eſt certum, iam que à nobis expenſum eſt diſput. 24. & 25. ubi diximus: Angelos non gerere perſonam ſpõſæ relatè ad Chriſtum, ſive ut Deum, ſive ut hominem, quia cum illo nec ut homine, nec ut Deo dicunt ſpecificam convenientiam. Et ſimilitèr diximus, animam noſtram non eſſe ſponſam ipſius Chriſti, ut Dei, ſed ut hominis; quia ab illo ſub prima conſideratione differt ſpecificè; & quia ſpecificè non differt ſub ſecunda, idcircò illius, prout ſic, ſponſam eſſe, aſſerimus.

Conſequentia autem probatur multiplicitèr. Primò ſic. Sponſus ſub nulla conſideratione datur ad obicem ſeu nocumentum ſponſæ; quin potiùs ab ipſo habet ſponſa ſuam tranquillitatem, ſolatium, & quietem: ſed Chriſtus ut homo eſt animæ perfectæ ſponſus, ut modò vidimus: ergo Chriſtus ut homo nequit impedire quietem ſponſæ contemplantis. Patet iſta. Quia alias ſub aliqua conſideratione ſponſus daretur in nocumentum ſponſæ. Quod de ſponſo ſub conceptu ſponſi dici nequit, & de Sponſo Cæleſti eſt plusquam abſurdum affirmare. ¶ Probatur 2. Conſequentia; Chriſtus ut homo eſt quies & requies animæ perfectæ contemplantis: ergo Chriſtus ut homo eſt, non obeſt quieti contemplationis animæ perfectæ. Illatio bona eſt, & antecedens probatur. Nam Cant. cap. 8. dicitur de anima perfecta: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens, innixa ſuper dilectum ſuum.* Quam Scripturam intelligit Myſtic. noſter Doctor, ut iam alibi ponderabamus, de anima Perfecti evecta ad unionem in matrimonio ſpirituali cum Chriſto homine eius dilectiſsimo Sponſo. Videatur Sanctus Doctor in ſuo Cantico ſpirituali Cant. 22. In cuius verſu tertio aſſerit, ipſam animam ad ſuum placitum requieſcere ſuper brachia Chriſti ſui Sponſi, quod clariſsimè traditur in ipſo textu ijs verbis: *Delicijs affluens.* Ex quibus procedo ſic: Illa Sanctiſsima anima erat tunc in altiſsima contemplatione, ut inibi docet Sanctus Gregorius dicens: *Sancta anima de deſerto aſcendit, quia in exilio huius peregrinationis poſita, ad cæleſtia gaudia mente cogitationibus tendit. Vndè & Paulus dicebat: Noſtra converſatio in Cælis eſt*; quòd infrà magis declarabimus: ſed illa contemplatio erat ſummè delicioſa, quieta, & tranquilla animæ contemplanti, tranquillitate proveniente a ſuo Sponſo, qui eſt Chriſtus ut homo: ergo Chriſtus ut homo eſt quies animæ perfectæ contemplantis.

87. Probatur 3. illa conſequentia. Id, quod ſummè exoptat Perfecti anima in contemplatione perfecta conſtituta, non obeſt quieti illius contemplationis: ſed anima in contemplatione perfecta conſtituta ſummè appetit Chriſtum ut hominem: ergo &c. Maior liquet. Tum: quia anima illà eſt ſummè prudens: ac ſubindè non exoptaret id, quod quietem ſuæ contemplationis impediret. Tum etiam: quia dum illud appetit, & petit, iam eſt ſibi mentaliter præſens; & tamen prout ſic non impedit illam contemplationem. Minor autem probatur illà ſcripturà, quam multoties exhibuimus ex cap. 1. Cant. v. 1. Vbi anima in altiſsima contemplatione poſita intonat: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Quibus verbis petere præſentiam Chriſti hominis delectiſsimi ſponſi ſui concors eſt PP. & Theologorum ſententia, quam amplectitur Seraphica Thereſia ibidem. Sed quia hoc iam alibi conſideravimus, probatur ipſa minor verbis animæ perfectiſsimæ eodẽ Cant. libro capit. 8. verſ. 1. dicentis: *Quis mihi det te fratrem meum ſugentẽ ubera Matris meæ, ut inveniam te foris, & deoſculer te, & iam me nemo deſpiciat.* Quæ verba ſic ad noſtrum propoſitum ediſſerit D. Thomas: *Tu, qui modò es in ſinu Patris, quis det, ut homo efficiaris, & particeps, ac conſors naturæ meæ exiſtens, frater meus*

appe-

appelleris? Vt inveniam te foris, hoc est, ut hominem factum in aperto videam. Quasi enim intus erat adhùc Deus cum in sinu paternæ maiestatis lateret, sed foris inventus est, cum homo factus, visibilem se hominibus præbuit, & incomprehensibilis voluit comprehendi. Et deosculer te, inquit, idest, aperta visione aspiciam, quem nunc, totum in fide teneo. Hoc est osculum, quod in initio carminis optabat dicens: Osculetur me osculo oris sui &c. Optat ergo, ut per semetipsum adveniens illam osculetur, hoc est, in carne præsentiam exhibeat. Habemus ergò animam perfectissimam eminentissimè contemplantem, quæ habet Christum hominem mentalitèr præsentem, illum que physicè præsentem exoptat: ergo nec physica præsentia Christi hominis obest quieti cõtemplationis animæ perfectæ; alioquin illam non peteret prudens anima: nec mentalis præsentia impedit; secùs enim illa contemplatio adeò perfecta non esset.

88. Probatur tandèm consequentia discursu brevissimo & qui non potest non vehementissimè torquere adversarios. Etenim dùm Perfectus primo assumitur ad matrimonium spirituale, est in eminentissima contemplatione: sed illius contemplationis obiectũ est humanitas Christi Dñi. ergo Christi Domini humanitas non obest quieti contemplationis habitæ à Perfecto. Cõsequentia legima est, & maior innegabilis. Minor verò expressè edocetur à Seraphic. Mat. nostra Manss. 7. cap. 2. cuius verba dedimus disput. præcedenti: modò autem hæc adducimus: *Cum primò Deus*, ait, *elevat animam ad matrimonium, exhibet se illi in visione imaginaria suæ Sacratissimæ humanitatis; ut anima benè percipiat, certior que fiat de receptione doni adeò superni.* Vide humanitatem Christi animæ perfectæ perfectissimam contemplationem non solùm nõ impedientẽ, quin potiùs perficientem, & elevantem. Falsum est ergo, quòd illa Sacratissima humanitas quietem cõtemplationis Perfectorum impediat.

Confirmatur ratio facta, & simùl omnia, quæ tradidimus, roborantur. Cum Christus Dominus corporalitèr, aut imaginariè apparet, illa visio, aut corporea, aut imaginaria, compatitur cum perfectissima contemplatione: ergo Christi humanitas quieti contemplationis non obest. Consequentia bona est, & antecedens liquet ex innumeris locis Sanct. Mat. nostræ Theresiæ, & aliorum veritatem ipsius edocentium, in simùl que in seipsis experientium. Quotiès enim Matriarcha nostra vidit, vel sensu externo, vel imaginatione humanitatem Sacratissimam Christi, sive ad columnam ligati, sive Crucem baiulantis, sivè post suam Resurrectionem triumphantis? Vidit, & altissimè, acquietissimè contemplata est. Quoties viri perfectissimi Christum hominem sub forma pueri pulcherrimi, vel alià contemplati sunt, illum sub illa forma videntes, in SANCTISSIMO SACRAMENTO? Qui hoc negaret, irridendus, ac sibilandus foret. Vndè ad alia pergo.

§. II.

Eadem veritas diversis authoritatibus comprobatur.

89. POstquàm discursibus præcedentibus asserta nostra stabilibimus, & aliquibus authoritatibus comprobavimus, ostendentes à num. 80. Vtrumque esse ad mentem Extatici nostri Doctoris, supereſt, ut eiusdem & aliorum Doctorum alia testimonia subijciamus, quibus veritas §. præcedenti discussa omnibus innotescat. Aliqua D. Thomæ testimonia hùc spectantia dedimus tomo 1. disp. 1. quæst. 2. ubi etiam opinionem, quam modò sequimur, numer. 40. remissivè amplexati sumus. Videantur ibi dicta, quia non parum conducunt pro intelligentia eorum, quæ in præsenti dicta, dicenda que sunt.

Quæ

Quæ autem videri præcipuè debent, ſunt ea, quæ diſp. 17. quæſt. 4. ſtabilivimus circa phantaſmata, & phantaſiæ concurſum ad contemplationem viæ, ſine quo repugnare viæ contemplationem, aſſeruimus, & aſſertum communivimus quam plurimis teſtimonijs D. Dionyſij, D. Thomæ, Ariſtotelis, & aliorum. Quæ omnia ad manum habenda ſunt in præſenti controverſia. Ibi etiam §. 9. ſtatuimus, diſcrimen inter meditantes, & contemplantes quoad uſum imaginum internarum, ſeu phantaſmatum, & diſcurſuum. Nos cohærentèr ad ibi ſtatuta procedimus modò. Vndè ijs omnibus teſtimonijs, quibus ibi oſtendimus, impoſsibilem eſſe contemplationem propriam hominis viatoris ſine phantaſmatibus, ſuademus & nunc ſecundum aſſertum §. præcedenti ſtabilitum, in quo contendimus, humanitatem Sanctiſsimam Chriſti Domini non obeſſe quieti contemplationis, etiam perfectiſsimæ. Vltra illas verò authoritates alias addere, neceſſarium iudicamus. Earum primam nobis offert.

90. Illuſtriſ. dignitate, virtute, & doctrina D. Fr. Bartholom. à Martyribus 2. part. Compendij cap. 11. §. 2. ubi ait: *Multorum ſententia fuit*, hanc unionem quamvis eſſet, à quibuſcumque imaginibus poſſe impediri, licèt eſſent imagines ipſæ utiles, quæ animam ipſam diſpoſuerant, ut imagines myſteriorum humanitatis Chriſti, & etiam divinorum attributorum: hoc tamen cautè intelligendum eſt, ne erroris exiſtat occaſio. Si enim intelligimus has imagines, dùm ſe offerunt intellectui animæ iam immediatè quieſcentis, ac fruentis unione divina pura, non eſſe tenacitèr recipiendas, nec morosè eo temporis articulo illis vacandum, aut rebus, quas illæ repræſentant, ſed reverà claudendos eſſe ad eas mentis oculos regularitèr loquendo; verum hoc fateamur neceſſe eſt: divertere autem ad eas morosè impedit progreſſum immediatæ unionis cum Deo. Si autem intelligamus has imagines, quotieſcumquè occurrunt purè contemplanti, atque amanti Deum, impedire, hebetare que vigorem, ac perfectionem unionis, credo falſum eſſe: experientiâ enim conſtat, hoc ſæpè evenire, cum homo in ſolum Deum toto mentis actu fertur. Fit enim, ut eo tempore raptim occurrat intellectui hæc imago, videlicèt, hic Deus pro me homo factus eſt, ac Crucifixus; hæ namquè imagines non ſolùm non impediunt, verùm etiam promovere, & augere ſolent unionem amoris, atque admirationis ſuſpenſivæ: immò nec imago peccatorum raptim tranſiens officiet, videlicèt, hic Deus tot crimina pro ſua benignitate condonavit: nam hæc imago non perturbare, ſed quietem mentis occaſionalitèr adaugere ſolet: dummodò homo tunc non deſcendat ad ſpecialem ipſorum conſiderationē, *ſed mox reſiliat in fontem aquæ vivæ.*

Hactenùs hic verè Apoſtolicus vir perſpicuè docens, dictas imagines, aut res per ipſas repræſentatas, non eſſe *tenacitèr recipiendas*, aut *morosè eò temporis articulo* conſiderandas. Aſt ſi non *tenacitèr*, aut *morosè*, ſed *raptim* occurrentes advertantur, *non ſolùm non impediunt, verumetiam promovere, & augere ſolent unionem amoris, atque admirationis ſuſpenſivæ*, quæ eſt puriſsima, & tranquilliſsima contemplatio. Quibus utrumque noſtrum aſſertum communitur.

91. Seraphica Mat. noſtra Sancta Thereſia multotiès utramque concluſionem docuit. Ipſam aliqua dicentem audiamus. Lib. vitæ cap. 22. egregiè de hoc puncto differit, & inter alia inquit: *Entiendaſe bien eſte punto, que querria ſaberme declarar*: quando Dios quiere ſuſpender todas las potencias, como en los modos de Oracion que quedan dichos, hemos viſto; claro eſtà, que aunque no queràmos, ſe quita eſta preſēcia de la humanidad de Chriſto. Entonces vaya en hora buena: dichoſa tal pèrdida, que es para gozar mas de lo que nos parece ſe pierde: por-

porque entõces se emplèa el alma toda en amar à quien el entendimiẽto ha trabajado en conocer, y amò lo q̃ no comprehendiò, goza de lo que no pudiera tambien gozar, si no fuera perdiendose à sì, para, como digo, mas ganarse. Mas que nosotros de mañ a, y con cuidado nos acostumbrèmos à no procurar con todas nuestras fuerzas traer delante siempre (y pluguiesse al Señor fuesse siempre) esta Santissima humanidad, esto digo, que no me parece bien, y que es andar el alma, como dicen en el ayre; porque parece no trae arrimo, *por mucho que le parezca anda llena de Dios.*

92. Ibidem alma Doctrix amarè flet, se aliquandò, suadentibus Directoribus, operatam fuisse iuxta secundam illam opinionẽ autumantem Christi Domini humanitatem obesse contemplationis paci. Verba ipsius offero. *O Señor de mi alma*, y bien mio Jesu-Christo Crucificado! No me acuerdo vez de esta opinion que tuve, que no me dè pena; y me parece, que os hize una gran traycion aunque con ignorancia &c. Durò muy poco estàr en esta opinion; y assi siempre tornaba à mi costumbre de holgarme con este Señor, en especial quando comulgaba. Quisiera yo traer siempre delante de los ojos su retrato, è Imagen, yà que no podia traerle tan esculpido en mi alma, como yo quisiera. Es posible, Señor mio, que cupo en mi pensamiẽto, ni una hora, que Vos me aviades de impedir para mayor bien? De donde me vinieron à mi todos los bienes sino de Vos? No quiero pensar, que en esto tuve culpa, porque me lastimo mucho, que cierto fue ignorancia. Y assi quisisteis Vos, por vuestra bondad, remediarla, con darme quien me sacasse de este yerro, y despues, con que os viesse tantas veces, como adelante dirè, para que mas claro entendiesse quan grande era, y que lo dixesse à muchas personas, que lo he hecho, y para que lo pusiesse aqui. Tengo para mi, que la causa de no aprovechar mas muchas almas, y llegar à muy gran libertad de espiritu, quando llegan a *tener oracion de union, es por esto.* Et post alia subiungit. No parece ha sido en mano de este Señor apartarse dẽ nosotros, por lo que nos ama, ni un momento, por esto se quedò en el SANTISSIMO SACRAMENTO. Y que aya sido en la mia apartarme yo de vos, Señor mio, por mas serviros? O què mal camino llevaba, Señor! Yà me parece iba sin camino, si vos no me tornarades à èl: que en veros cabe mi, he visto todos los bienes: no me ha venido trabajo, que mirandoos à vos qual estuvisteis delante de los Juezes, no se me haga bueno de sufrir. Con tan buen amigo presente, con tan buen Capitan, que se puso primero en el padecer, todo se puede sufrir. El ayuda, y dà esfuerzo: nunca falta: es amigo verdadero: y veo yo claro, y he visto despues, que para contentar à Dios, y que nos haga grandes mercedes, quiere que sea por manos de esta humanidad Sacratissima, en quien dixo su Magestad se deleyta. Muy muchas vezes lo he visto por experiencia. Hamelo dicho el Señor. He visto claro, que por esta puerta hemos de entrar, *si queremos nos muestre la Soberana Magestad grandes secretos.*

93. Eadem Cælestis Magist. mansione 6. capit. 7. eandem doctrinam, & planctum reproducit hisce verbis: *Creo, que* queda dado à entender lo que conviene por espirituales que sean, no huir tanto de las cosas corporeas, que les parezca aun haze daño la humanidad Sacratissima. Alegan lo que el Señor dixo à sus Discipulos, que convenia que èl se fuesse. Yo no puedo sufrir esto. Aosadas que no lo dixo à su Madre bendita, porque estaba firme en la fè, que sabia que era Dios, y hombre: y aunque le amaba mas que ellos, era con tanta perfeccion, que antes le ayudaba. No debian de estàr entonces los Apostoles tan firmes en la fè, como

des-

despues estuvieron, y tenèmos razon de estàr nosotros aora. Yo os digo, hijas, que lo tengo por peligroso camino, y que podria el Demonio venir à hazer perder la devocion con el SANTISSIMO SACRAMENTO. El engaño que me pareciò à mi que llevaba, no llegò à tanto como esto, sino à no gustar de pensar en nuestro Señor Jesu-Christo tanto, sino andarme en aquel embebecimiento, aguardando aquel regalo que sentia en la contemplacion: y vi claramente que iba mal; porque como no podia tenerle siempre, andaba el pensamiento de aqui para alli, y el alma me parece como una ave rebolando, que no hallaba adonde parar, y perdiendo harto tiempo, y no aprovechando en las virtudes, ni medrando en la Oracion. Y no entendia la causa, ni la entendiera, à mi parecer, porque me parecia era aquello muy concertado, hasta que tratando la Oracion, que llevaba con una persona sierva de Dios me avisò. Despues vi claro quan errada iba, y nunca me acababa de pesar, de que aya avido algun tiempo, que yo careciesse de entender, que se podia mal ganar con tan gran pèrdida: y quando pudiera, no quiero ningun bien, *sino adquirido por quien nos vinieron todos los bienes.*

94. Insupèr eodem capite dixerat: *Tambien os parecerà*, que quien goza de cosas tan altas no ternà meditacion en los mysterios de la Sacratisima humanidad de Christo nuestro Señor, porque se exercitarà yà todo en amor. Esto es una cosa, que escribi largo en otra parte, que aunque me han contradicho en ella, y dicho, que no lo entiendo (porque son caminos por donde lleva nuestro Señor, y que quando yà han passado de los principios, es mejor tratar en cosas de la Divinidad, y huir de las corporeas) à mi no me haràn confessar que es buen camino. Yà puede ser que me engañe, y que digamos todos una cosa; mas vi yo, que me queria engañar el Demonio por aì; y assi estoy tan escarmentada, que pienso, aunque no lo aya dicho mas veces, deciroslo otra vez aqui, porque vais en esto con mucha advertencia: y mirad que oso decir, *que no creais à quien dixere otra cosa.*

95. Totum illud caput exscribere vellem, quia fermè non habet verbum, quo omnia, quæ diximus, non fulciantur. Non autem possum sequentia præterire, quia infrà nobis necessaria erunt. Ait enim: *Mas no ternà, digo, razon, si dize, que no puede detenerse en estos mysterios*, y traerlos presentes muchas vezes, en especial, quando los celebra la Iglesia Catholica; ni es posible que pierda memoria el alma que ha recibido tanto de Dios, de muestras de amor tan preciosas; porque son vivas centellas para encenderla mas en el que tiene à nuestro Señor, sino que no se entiende; porque entiende el alma estos mysterios por manera mas perfecta: y es, que se los representa el entendimiento, y estampanse en la memoria, de manera que de solo ver al Señor caido con aquel espantoso sudor en el Huerto, aquello le basta para no solo una hora, sino muchos dias. Mirando con una sencilla vista quien es, y quan ingratos hemos sido à tan gran pena. Luego acude la voluntad, aunque no sea con ternura, à desear servir en algo tan gran merced, y à desear padecer algo, por quien tanto padeciò, y otras cosas semejantes, en que ocupa la memoria, y el entendimiento. Y creo, que por esta razon no puede passar à discurrir mas en la Pasion, y esto le hace parecer no puede pensar en ella. Y si esto no hace, es bien, que lo procure hazer, que yo sè, que no lo impediria la mui subida Oracion: y no tengo por bueno, que no se exercite en esto muchas veces. Si de aqui la suspendiere el Señor muy en hora buena, que aunque no quiera, la harà dexar en lo que es-

tà,

tà. Y tengo por muy cierto, que no es estorvo esta manera de proceder, sino gran ayuda para todo bien: lo que seria, si mucho trabajasse en el discurrir, que dixe al principio. *Y tengo para mi que no podrà quien ha llegado à mas.*

96. Post almam Doctricem æquum est, ut Mysticum nostrum Doctorem audiamus. Iam vidimus num. 80. nostras conclusiones esse prorsùs ad mentem ipsius. Expedit tamen modò alia ex ipso colligere eandem doctrinam continentia. Lib. 3. Ascens. cap. 1. inquit: *Este estudio de olvidar*, y dexar noticias, y figuras, nunca se entiende de Christo, y su humanidad: que aunque alguna vez en lo subido de la contemplacion, y vista sencilla de Divinidad, no se acuerde el alma de esta Santissima humanidad, porque Dios levantò el espiritu de su mano à este como confuso, y muy sobrenatural conocimiento: pero hacer estudio de olvidarla, en ninguna manera conviene; pues su vista, y meditacion amorosa ayudarà à todo lo bueno, y por ella se subirà mas facilmente à lo muy levantado de la union. Y claro està, que aunque otras cosas visibles, y corporales se hayan de olvidar, y estorven, no ha de entrar en este numero el que se hizo hombre por nuestro remedio: *El que es Verdad, puerta, camino, y guia para los bienes todos.* Et ne huiusce modi textibus paginas oppleamus; cum ad eandem veritatem demonstrandam omnes illi dirigantur: consulat, qui voluerit, nostram Catenam Mysticam fol. 272. & plura alia testimonia ibi allegata videbit, in quibus Sanct. Doctor idem docet; sic que promissis stamus.

97. Miraberis forsàm quòd nos tot authoritatibus, eandem doctrinam continentibus, fulcire conati simus doctrinam, quæ unico ex ijs testimonijs affatim fulciretur. Demiraberis tamen, si consideres, non deesse, qui inter Mysticum nostrum Doctorem, & Sanctam nostram Matriarcham adesse in hac parte oppositionem autumet. N. Antonius ab Annun. Quodlib. 14. art. 2. memi nit cuiusdam Anonymi hæc de nostro Estatico Parente dicentis: *Aunque no diga expressamente*, que se ha de excluir la humanidad de Christo nuestro Señor, como el contemplar en ella pide imagenes, quien se governare por su doctrina, en la practica se vera obligado à hacerlo. Y este daño *es muy grande, que por no caer en èl se ha de evitar.* Hinc que procedit ad ostendendum hanc nostri Doctoris doctrinam doctrinæ D. Augustini contrariari. Affert ex D. Augustino ea, quæ num. 80. dedimus. Rursùs eandem doctrinam refragari, ait, Seraphic. Theresiæ: quod ut persuadeat, adducit illa quæ ex alma nostra Doctrice retulimus num. 91.

Verumenimverò iste Author quisquis ille sit (si fortè latet) prudentiùs procedere debuisset: quandoquidèm præpropera resolutio acrisia planè laborat. Sensus, seu dictamen Mystici nostri Doctoris in hac parte ipsissimum est cum illo, quod Seraph. Theresia efformavit, ut testantur adductæ utriusque authoritates, tibi que notum erit, illas reciprocè si contuleris. Cælestis Magistra docet, non esse meditato amandandam Christi Domini humanitatem Sanctissimam à mente contemplativi perfecti. Idem docet D. Ioannes à Cruce, ut vidimus num. 80. & 81. & præsertim num. 96. Seraph. Theresia docet, quòd cum Deus animam suspendit; tunc hæc contemplatur illud obiectum, seu veritatem, quam Deus in eam imprimit, quæ veritas esse potest, & interdùm est, veritas purè divina. *Si de aquì* (ait) *la suspendiere el Señor, muy en hora buena, que aunque no quiera, la harà dexar en lo que està.* Vt vidimus numer. 95. Idèm omninò docet D. Ioannes à Cruce, ut dictum est numeris allegatis. Sancta Mat. nostra docet Sanctissimam humanitatem Christi Domini excipiendam esse à regula illa generali, quæ præcipit contemplativos à figuris, & imaginibus segregari, ut liquet ex num. 92. & 93. Idem prorsùs

docet D. Ioannes à Cruce, ut constat ex numer. 96. Ex quibus omnibus deducitur, utrumque assertum nostrum esse ad mentem duplicis huius mysticæ doctrinæ columnæ: insimùlque demonstratur, ipsas interse nec minimum contrariari. ¶ Sed nec D. Augustino opponitur Mysticus noster Doctor: sensum quippè D. August. & textus, quem exponit intelligentiam dedimus n. 80. 84. & 85. est igitur perperàm fabricata oppositio illa, quam ille Anonymus fatagit introducere.

98. Dices: Seraphica Theresia inquit numer. 95. quòd solùm cum Deus elevat animam illi infundens aliquam veritatem purè divinam debet anima segregari à Christi Domini humanitate: sed Mysticus noster Doctor num. 80. datus excludit imagines, etiam illius Sanctissimæ humanitatis, non solùm tempore contemplationis infusæ; sed etiam, cum ex auxilio gratiæ habetur acquisita: ergo verè inter illos datur tradita oppositio.

Si hoc, ut suspicor, est imaginatæ contradictionis fundamentum: ipsum ruinosum esse, pluribus demonstrari poterat: ast brevitati consulentes dicimus, quòd studium segregandi se à Christi humanitate longè debet esse à viro contemplativo, & à quocumque, qui suæ saluti insidiat. Hoc que ex inductis testimonijs sine ambiguitate liquet. Dum autem anima elevatur ad contemplationem infusam prædicati purè divini; tunc non considerat Sanctissimam illam humanitatem; hoc tamen non est ex animæ studio, sed ex Deo animam elevante, ut tactum est à num. 79. & in his omnibus conveniunt nostri Theodidacti Parentes. Vltra quæ addit Mysticus noster Doctor id, quod dicitur de contemplatione acquisita. Quod si, ut par est, introspiciatur, continet doctrinam solidissimam. Etenim Sanctus Doctor loquitur de discursibus, & imaginibus, & utrumque docet, quieti contemplationis obesse: aliter tamen, & aliter: nam discursus absolutè pugnat cum contemplationis quiete: est quippè contemplatio terminus, in quem tendimus medio motu meditationis & discursuum. Vndè sicut motus ad terminum & quies in eo pugnant; sic etiam discursus & contemplatio. Et hoc sive contemplatio sit circa humanitatem assumptam, sivè circa prædicatum purè divinum. Immò sive sit contemplatio Religiosa; sive purè speculativa, aut Philosophica: dum enim intellectus à conclusione regreditur ad præmissas, ut in ipsis iudicio resolutivo veritatem illatam contempletur, discursu non utitur: quietem quippè iudicij resolutivi perturbaret; si tunc discurreret. Hoc meditationis genium & discursuum oppositum esse quieti contẽplationis, ubique docet noster Mysticus Doctor, cui non contrariatur Seraphica Theresia, ut videre est in fine authoritatis relatæ numer. 95. & solummodò admittunt tempore contemplationis discursus pacificè, & raptim habitos ad fovendum contemplationis incendiũ, quia reverà iuxta oraculum divinum ignis contemplationis meditationibus, & discursibus, modo dicto habitis, exardescit. Et hoc modo etiam respicere potest contemplativus, qui eximiam contemplationem exercet, humanitatem à verbo assumptam, ut suprà dixit nobis Illust. Bracharensis.

His circa discursum statutis, ad id, quod de imaginibus obijcitur, accedentes dicimus, quòd imaginum usus est duplex, ut vidimus num. 89. & ex §. 9. ibi allegato constat, in quo consistat duplex hic usus imaginum. Et quia §. sequenti de hoc loquuturi sumus: idcircò maiorẽ nunc explicationem omittimus, addentes solùm quòd Perfecti contemplantes utuntur imaginibus eo secundo modo, quem dicto §. 9. in fine numeri 236. tradimus; sic que humanitatis assũptæ imago ipsorum tranquillam contemplationem non perturbat.

Per quæ patet ad obiectionem, ad quam primò negetur maior: alma quippè Doctrix non dicit, quòd solùm cùm Deus elevat animam &c. Verba ipsius

sunt

ſunt: *Si de aqui là ſuſpendiere el Señor, muy en hora buena que aunque no quiera la hará dexar en lo que eſtá.* Eſt dicere: Anima, quæ occupata eſt in meditatione Paſsionis Sacratiſsimæ, quandoquè accipit à Deo veritatem aliam, ſeu myſterium, in cuius contemplatione occupetur. Hoc tamen non ſignificat determinatè contemplationem infuſam; ſed vel hanc, vel acquiſitam, cuius obiectum ſit vel veritas purè divina, vel quodvis aliud myſterium Sanctiſsimi noſtri Reparatoris. Hoc enim tunc proponitur animæ contemplandum, ſuſpendente Domino animam, & illam tranſire faciente ab eo, in quo erat occupata ad aliud, quod contempletur. Vndè nulla inter Seraph. Doctricem, & Doct. Extaticum adeſt oppoſitio.

Reſpondetur 2. negando minorem. Sanct. quippè Doctor ſolũ excludit imagines *valdè à contemplante procuratas* tempore contemplationis, ſive acquiſitæ, ſive infuſæ, generalis tamen. Tunc enim notitia, ſeu imago particularis obeſt, ſi ſit *valdè procurata*. Si verò eo modo habeatur, quem Seraph. Thereſia docet in authoritate nobis obiecta; tunc nõ obeſt Imago Sacratiſsima Chriſti Domini, ſed plurimùm prodeſt. Introſpice differentias, ſub quibus Sacratiſsima illa imago repræſentari poteſt, & nullam oppoſitionem in ijs authoritatibus reperies. Vide, quæ dicta ſunt in dictis locis.

99. Dices: Si hæc ita ſunt, etiam poterit Perfectus in ſua contemplatione uti imagine interna Glorioſiſsimæ Virginis, Sanctorum, & cuiuſcumque entis: ſed hoc eſt falſum: ergo & quòd humanitatem, à verbo aſſumptam contempletur. Maior, ſeu ſequela liquet: quia ille modus contemplandi imagines internas cuiuſcumque entis non obeſt paci contemplationis, ut ibidem diximus. Vndè earum uſus compatibilis eſt cum ſublimiſsima contemplatione Perfectorum. Falſitas autem conſequentis indè conſtat: quia omnes quotquot præſentem materiam verſant, ſolummodò excipiunt Sanctiſsimam Chriſti Domini humanitatem, eiuſque internam imaginem: ergo falſum eſt, quòd aliorum internis imaginibus hoc conveniat.

Reſpondetur hanc inſtantiam non parùm urgère contra plerosque ex noſtratibus, qui poſtquàm inquirunt, an humanitas Chriſti refragetur tranquillitati contemplationis perfectæ? Et negativè reſpondentes ijs aſſertum ſtabiliunt, quæ ſunt privativè propria Chriſti Domini: ut eſt illud: *Ego ſum via* &c. Et illud: *Ego ſum oſtium*, & huiuſcemodi alijs: poſt quæ id ipſum, quod de illa Sanctiſſima humanitate aſſeruere, docent de Beatiſsima Virgine, alijs que, ut videre eſt apud ipſos. Nos autem obiectio facta haùd premit, qui conſtantèr fatemur, eſſe priuilegium ſpeciale ſolius humanitatis aſſumptæ, & ex ipſa, quòd quieri perfectæ contemplationis non obſit. Qualitèr autem hoc fiat, §. ſequenti declarabimus. Modò verò præſtat, inſtantiam illam diſpellere, utcumquè tamen; operoſiùs enim mòx extricanda erit. Vndè dicimus, quòd noſtra doctrina methodicè procedit incipiens à communibus, ut indè ad peculiaria ſe conferat. Commune in hac parte eſt id, penes quod contemplatio Perfectorum convenit cum contemplatione eorum, qui perfecti non ſunt. Comtemplatio hominis viatoris, ſive imperfecti, ſive Perfectiſſimi, dummodò huius viæ propria ſit, non fit ſine phantaſiæ, phantaſmatum que concurſu, prout fuſiſsimè ſtabilitum eſt loco allegato. Vndè corruit ſedula illa, etiam noſtratum, ſolicitudo in extirpando phantaſiæ concurſu ad contemplationem Perfectorum. Si namquè repugnat viæ contemplatio ſine phantaſiæ adiutorio: deridiculum planè eſt, diſidium ſupponere inter Perfectorum contemplationem, phantaſiam que. Conveniunt ergo contemplator Perfectus & non perfectus in hoc, quòd uterque phantaſmata ſpeculatur. Diſcriminantur autem in modo; qui modus poſitus à nobis eſt dicto §. 9. numero 236. ubi videri debet.

100. Habemus ergo iam Perfecti contemplationem diversam à contemplatione non perfecti secundùm puriorem modum connotandi phantasmata. Verùm sub isto perfectissimo modo cognoscit Perfectus quicquid cognoscit. Vndè adhùc obiectio facta soluta haùd est. Considerandum tamen est, quod Perfectus, de quo loquimur, est ille, qui Deo copulatus est unione fruitiva: & iste necessariò expertus est purgationes sensuum externorum, internorum, & potentiarum animæ. Inter has facultates sunt memoria sensitiva, & intellectiva, quæ purificatæ supponuntur per sedulam, & studiosam abrenuntiationem quarumcunque imaginum in ipsis asservatarum. Quocircà ex hoc capite omnes eæ imagines quietem perfectæ contemplationis natæ sunt perturbare: saltem non anteiret ipsarum abrenuntiatio. Ab hac generalissima regula excipitur humanitas Sanctissima Christi Domini. Motivum huius exceptionis assignatum iam à nobis est, explicatiùs que assignabitur postmodùm: nunc verò solummodò dicimus, motivũ huius exceptionis esse suprà adducta testimonia Scripturæ, S. Augustini, D. Thomæ, & aliorum, præsertim Sanctæ Mat. nostræ Theresiæ, & Mystici nostri Doctoris, qui numero 96 clarissimè loquitur, nec minus perspicuè procedit eodem lib. cap. 14. in quo tota doctrina præsens continetur. Ibi enim inter alia ait: *Pues lo que pretendemos es, que el alma se una con Dios, segun la memoria en esperanza*: y lo que se espera es lo que no se possee: y que quanto menos se possee de otras cosas, mas capacidad ay, y mas habilidad, para esperar lo que se espera, y consiguientemente mas perfeccion de esperanza: y que quanto mas cosas se possean, menos capacidad, y habilidad ay, para esperar, y consiguientemente menos perfeccion de esperanza: y que, segun esto, quanto mas el alma desapossessionare la memoria de formas, y cosas memorables, q̃ no son Divinidad, ò Dios humanadò, cuya memoria siẽpre ayuda al fin, como de el que es verdadero camino, y guia, y Autor de todo bien: tanto mas pondrà la memoria en Dios, y mas vazia la tendrà, *para esperar de èl el lleno de su memoria*: His visis, Anonymus prælegatus herbam porrigere debet, & suam illam cerebrosam oppositionem tumulare. Nos autem transeamus oportet ad hæc omnia radicitùs edisserendum, tum authoritate modò exhibita; idcircò hactenùs reservata: tum etiam toto illo capite, in quo continetur, cuius subtilissima doctrina, si rectè perpendatur, omnes contrarij insultus flocci fient. ¶ Interim tamen ad factam obiectionem negetur sequela. Perfectus enim, ex quo Perfectus sit, memoriam purgatam habet ab omnibus imaginibus, & figuris corporeis, præterquàm ab imagine *Dei humanati*. Horum sensus explanationem aggredior.

§. III.

Doctrina tradita explicatiùs discussa, & sensus nostrarum assertionum fundamentaliter expositus.

ARdua planè sũt quæ §§. præcedentibus tradidimus: sed quæ facillima videantur, si cum ijs, quæ modò aggredimur, comparentur. Tum: quia ibi dictum à nobis est id ferè, quod à pluribus dicitur. Modò autem illam doctrinam exenterare, aut radicitùs propinare intendimus. Quod licèt ab alijs desideratum sit, an votis exitus correspondeat? alij iudicent. Tum etiam: quia inibi cum contrarijs præliabamur: & modò præliabimur cum domesticis. Ad rem ergo.

101. Dubium præsentis controversiæ consistit in detegendo radicem illius discriminis versantis inter humanitatem Sanctissimam Christi, & alia obiecta corporea, quæ obiecta quietem contemplationis impediunt, quam non im-

impedit, ſed fovet, Chriſti Sanctiſsima humanitas. Rationes dubitandi, eæ que non admodùm contemnendæ ſunt: prima, quòd humanitas Chriſti eſt eiuſdem materialitatis, & rationis cum alijs aliorum hominum; ut ponderavimus dicto §. 9. num. 240. ergo vel Chriſti humanitas obeſt contemplationis perperfectæ paci; vel nulla illam pacem inquietat. Ergo vel phantaſma Chriſti humanitatem repræſentans maculat cõtemplationis perfectæ puritatem; vel illam nulla phantaſmata maculant.

Secunda ratio dubitandi: Non eſt ens extra Deum, quod non ſit obiectum ſecundarium contemplationis perfectæ: ergo vel nullius, vel cuiuſcumque entis extra Deum phantaſmata obſunt quieti illius contemplationis: ergo vel Chriſti humanitas obeſt, vel illam non inquietant aliorum entium creatorum phantaſmata. Antecedens continet doctrinam apud Myſticos certiſsimam. Prima & ſecunda conſequentia videntur legitimæ: quia ſi omnia illa ſunt obiecta ſecundaria; arduum planè eſt aſsignare diſcrimen, ob quod, aliis contemplationem perturbantibus, unicum non perturbet. Aliæ ſunt rationes, quibus propoſita difficultas augeatur; ſed aſsignatæ ſufficiant, ut illis moveamur ad explorandum, quid ſit nobis tenendum in re non admodùm pervia.

102. Illam ut expediant aliqui è noſtris Authoribus, nonnulla præmittunt, & ex ijs ſuum dictamen ſtatuunt, proùt autumant ipſi, conſonum veritati. Primum, quod præmittunt, eſt: quòd non datur veritas, quæ obiectum contemplationis non ſit; alitèr tamen, & alitèr: nam veritas increata eſt obiectum primarium, cæteræ autem veritates ad obiectum ſecundarium ſpectant. ¶ Secundò ſupponunt, quòd non ſolùm in parte ſenſitiva, ſed etiam in intellectiva datur memoria, in qua habitualitèr aſervantur ſpecies, quas à conditionibus individuantibus denudavit intellectus agens, quæ que naturam V. g. humanam repræſentantes ſuſcipiuntur in intellectu poſsibili. Hæ, ut dictum eſt, tranſacta contemplatione, remanent habitualitèr in memoria intellectiva, & quoties contemplativus vult, illis actualitèr utitur: ad quod nec diſcurſu eget, nec novo phantaſiæ adiutorio; ſed ſola earundem ſpecierum apprehenſione.

Supponunt 3 quòd licèt intellectus noſter nequeat cognoſcere plura, ut plura: benè tamen poteſt eodem actu plura ordinata cognoſcere: quia tunc illa plura ſunt formalitèr unum. ¶ Supponunt tandèm: quòd ſolus intellectus poteſt cognoſcere ſubſtantiam, aut eſſentiam rei, cuius eſt attingere *quod quid eſt*. Senſus autèm ſive externi, ſive interni ſola accidentia, & conditiones individuantes, quæ ſunt planè extra eſſentiam, cognoſcere valent. Vndè viſus ſolùm attingit colorem, ſaporem guſtus, & ſic de alijs ſenſibus: ſolius autem intellectus eſt cognoſcere naturam rei guſtabilis, & viſibilis.

103. His prælibatis, de quo videri poſſunt præallegatus noſter Antonius à numer. 29. uſquè ad 43. & Medull. Myſtic. à num. 33. deſcendunt illi Authores ad dirimendam controverſiam, & dicunt: humanitatem Chriſti Domini eſſe obiectum contemplationis, non primarium, ſed ſecundarium, ut liquet ex primo prælibato. Et quia de ratione obiecti ſecundarij eſt cognoſci per ordinem ad primarium; idcircò utrumque obiectum non eſt formalitèr duplex, ſed unum, ut conſtat ex prælibato tertio. Quocircà eodem actu contemplatur intellectus Perfecti humanitatem aſſumptam, quæ eſt obiectum ſecundarium illius contemplationis, & verbum aſſumens humanitatem, quod eſt obiectum primarium. Et quia cognoſcere Chriſtum hominem non eſt cognoſcere eiuſdem Chriſti accidentia, ſed naturam, aut eſſentiam eius, quà homo eſt; ideò Chriſtus ut homo non poteſt cognoſci, niſi ab intellectu: quicquid enim de Chriſto cognoſcunt ſenſus

ſenſus externi, interni que eſt extra ipſius eſſentiam; ſunt quippè accidentia, ſeu conditiones individuales, ut patet ex ultimo prænotato. Vt autem intellectus cognoſcat Chriſti hominis naturam, ſat ſibi eſt, quòd ſpeciem illius aſſervatam habeat in theſauro memoriæ intellectivæ, ex quo illam contemplativus pro libito ſuo extrahit, & actu Chriſti naturam contemplatur. Ad quod nullo actuali miniſterio phantaſiæ, aut alterius ſenſus indiget intellectus; ſed ſufficit, quòd tale miniſterium ſenſuum, & intellectus agentis præceſſiſſent, & quòd ſpecies in memoria intellectiva habitualitèr perſeveret, ut vidimus in ſecundo prælibato.

104. His præiacti Theologi rem omnem ſe confeciſſe, putant. Quando-quidèm datur contemplatio perfecta, cuius obiectum eſt humanitas à verbo aſſumpta. Nec hanc contemplationem maculant phantaſmata, aut imagines internæ: quia reverà nulla ibi imago concurrit; cum non detur concurſus phantaſiæ, cuius eſt imagines, ſeu idola fabricare. Vndè nihil eſt in illa Sanctiſsima humanitate eo modo contemplata, quòd puritatem perfectæ contemplationis maculet, aut eius divinum otium inquietet.

Si dicas: eodem modo poſſe conſiderari humanitatem perfectiſsimã Glorioſiſsimæ Virginis, Sancti Ioſeph, & aliorum Sanctorum, imò & hominum, & aliorum omnium entium materialium. Ab hac difficultate facillimè expediuntur, concedentes de alijs entibus, quòd de Chriſti humanitate ſtatutum eſt. Vnius ex illis verba exhibeo: *Ex quo patet*, inquit, *quomodò contemplans in contemplatione ipſa poſsit uti memoria ipſius Virginis, aliorumque Sanctorum; quin & rerum omnium totius univerſi, abſque eo quòd contemplationis puritati obſtent: ordinando videlicèt omnia ad primam veritatem divinam, quæ eſt obiectum & finis primarius contemplationis: reliqua verò obiectum ſunt, quatenùs ad primam veritatem ordinantur. Hoc enim modo non ut plura, ſed ut unum ſub unico, ac ſimplici intellectus intuitu cadere poſſunt.*

105. In iſta horum Theologorum ſententia placet ſubſtantia; cætera omnia diſplicent. Subſtantiam dico conſiderationem illam, ſub qua humanitatem Chriſti terminare contemplationem adſtruunt: dicunt enim, & quidèm rectè, humanitatem illam non eſſe obiectum illius contemplationis, prout eſt ens quoddam ab intellectu proprijs viribus contemplabile; ſed quatenùs eſt natura quædam à verbo aſſumpta, & ſuppoſitata. Et proùt ſic non eſt obiectum ſenſuum, nec intellectùs nudè ſumpti, ſed per fidem elevati. In hoc ergo (quod infra explicabimus) placent ij Authores. Sed quid inde? nam ipſa humanitas, prout eſt obiectum contemplationis non perfectæ, & meditationis, & Theologicæ ſpeculativæ cognitionis, attingitur ut natura extranea à verbo aſſumpta; atque ideò exigit, ut minùs præſupoſitivè fidem. Vndè nil ſpeciale dicunt ij Authores de Sacratiſsima Chriſti humanitate, prout eſt obiectum contemplationis Perfectorum: ac ſubindè manet in explicatum id ipſum, quod ſatagunt explicare. Quocircà niſi hoc ampliùs explicetur, nequit penitùs arridere. Cætera verò, quæ aggregant, ut hoc explicent; diſplicent poſitivè. Vndè contra illa omnia, incipiens ab ultimo, quod in fine numeri præcedentis dedimus.

106. Diſputo ſic. Aliquid ſpeciale habet humanitas Chriſti, ut queat eſſe obiectum contẽplationis Perfectorum quo carent alij Sancti, alij homines, & alia entia extra Deum: ſed opinio adverſa nõ explicat hoc ſpeciale, quin potiùs nec illud recognoſcit; cum dicat, poſſe contẽplari res omnes *totius univerſi, abſque eo quòd contẽplationis puritati obſtent*: ergo non ſine calumnia procedit. Bona eſt conſequentia, & minor certa: maior autem nobis evidens eſt propter authoritates ſupra datas. Clariſsimè loquitur ipſe Dominus, ac Redemptor noſter apud Ioan. cap. 14. verſ. 6. *Ego ſum*

ſum via, veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem niſi per me. Clariſsimè etiam ad rem præſentem explanavit nobis hæc verba D. Auguſtin. ſupra num. 80. Quibus adeò perſpicuum eſt hoc ſpeciale in Chriſto ut homine repertum, ut tergiverſari nequeat. De Seraphica Matre noſtra ambigendum non eſſe teſtantur, quæ ex ipſa dedimus §. 2. ſemper, & ſolam Chriſti humanitatem hac ſpecialitate gaudere, docet. Audienda iterùm ſunt nonnulla ex ijs quæ num. 93. nobis dixit: *Conviene*, ait, *por eſpirituales que ſean, no huir tanto de coſas corporeas, que les parezca aun haze daño la humanidad Sacratiſsima.* Ac ſi diceret. Obſunt quidèm res corporeæ puritati, & paci contemplationis perfectæ; ſed non omnes: quia humanitas Sacratiſsima eſt res corporea; & tamen paci, ac puritati illius contemplationis non obeſt. Videant hæc oppoſiti Theologi, maximè accolæ Carmeli reparati, & ponderent, quantum diſtet poſitio ſua à doctrina Reparatricis Carmeli. Obſervent etiam, quid ipſis porſit illa ſua philoſophia, qua utuntur dicentes in ſecundo prælibato num. 102. dari in parte intellectiva memoriam, in qua conſervantur ſpecies totius corporeitatis expertes. Hanc Philoſophiam admittimus, & nihil ad præſens deſervire, putamus: quia Sanctiſsima Matriarcha non loquitur de his imaginibus, ſeu formis ſpiritualibus; ſed de imaginibus, aut rebus corporeis. Hoc data eius verba clariſsimè oſtendunt, quòd ſolus ille negabit, qui in luce meridiana cæcutiat. Interim autem, quòd hæc ponderant, & obſervant, iterùm Myſticum noſtrum Doctorem audiamus.

Sanctus Doctor totus eſt lib. 2. & 3. Aſcenſ. in ſegregando à tribus animæ potentijs omnes formas creatas, quæ poſſunt contemplationis puritatem, & impetum retardare. Lib. 3. per 14. capita inſtruit contemplativum, ut memoriam purget ab omni imagine interna, ſeu forma creata ſibi impreſſa. Omnia illa 14. capita allego in cõprobationem doctrinæ, quam præ manibus habemus. Audiendus tamen eſt capite 1. & ultimo, ut ſic cognoſcere valeas, quod alia 12. interiecta eandem doctrinam continent. Cap. ergo 1. hæc inter alia ait: *Con eſta purgacion de la memoria ſolo digo aqui el modo neceſſario, para q̃ activamente, quanto es de ſu parte, ſe ponga en eſta noche, y purgacion: y es que de ordinario el eſpiritual tenga eſta cautela. En todas las coſas*, que viere, oyere, oliere, guſtare, ò tocare, no hacer particular archivo, ni preſa, ò detenimiẽto dellas en la memoria, dexandolas paſſar, y quedandoſe en ſanto olvido ſin reflexion ſobre ellas; ſinó fuere quando para algun buen diſcurſo, ò meditacion fuere neceſſario. Y eſte eſtudio de olvidar, y dexar noticias, *y figuras, nunca ſe entiende de Chriſto, y ſu humanidad* &c. Sicut n. 96. omnes notitiæ particulares, & figuræ eliminandæ à memoria ſunt, iuxta hanc ſolidiſsimam inſtructionem. Non materiali, & impoſsibili eliminatione, qualem intelligere bardus poſſet; ſed quam illa verba manifeſtant: *No hazer particular archivo, ni preſa, ò detenimiento de ellas en la memoria.* Hoc eſt, non illas voluntariè retinere, illis meditato inhærere, aut ſupra ipſas reflectere, aſſumere que tanquàm medium ad unionem. Hæc regula generalis eſt, ab omnibus que obſervanda, qui ad intimam unionem aſpirant. Exceptio tamen huius regulæ generalis iuxta Doctorem Sanctum eſt Chriſti Domini humanitas Sacratiſsima, ut vidimus: ergo in hac Sacratiſsima humanitate aliquid ſpeciale, quoad præſens fulget, quo caret memoria *rerum omnium totius univerſi.* Et hanc ſpecialitatem non aſsignat ſententia oppoſita: idcircò allatis teſtimonijs contraria eſt, & inſufficiens ad explicandum id ipſum, quod nobis aperire intendit.

Pergo tamen, & dicti lib. 3. caput 14. Conſiderans invenio, quòd in illo Sanctus Doctor propinat nobis medullam

dullam totius doctrinæ, quam tredecim capitibus præcedentibus tradiderat, & inter alia ait ea, quæ transcripsimus numer. 100. Exquibus sequentia solummodò reproducimus: *Quanto mas el alma desapossessionare la memoria de formas, y cosas memorables, que no son Divinidad, ò Dios humanado::: Tanto mas pondrà la memoria en Dios.* Restat tibi, hoc audito, via aliqua, ut deneges, quòd omnis forma, aut res memorabilis, quæ non sit Divinitas, aut Deus homo, seu humanitas Christi, est impeditiva unionis intimæ animæ cum Deo, & contemplationis perfectæ? Et ut etiam dicas, non esse aliquid speciale in Sacratissima Christi humnitate, ratione cuius excipitur ab illa generali regula? Difficillima, ac subtilissima hæc esse, non diffiteor; sed paritèr verissima sunt. Illa tamen postmodùm, quantum per materiam præsentem licèt, aperiemus, reservantes pleniorem explicationem usquè ad 4. prædicabile, ubi est propria istorum sedes.

107. Modò autem ad prælibata num. 102. posita me convertens dicam, primum, & tertium esse valdè generalia. Vndè nihil particulare ex illis deduci potest in hac determinata materia. Supponimus omnes, intellectum non posse cognoscere plura, ut plura unico actu. Supponimus etiam, quòd ubi sunt plura propter unum, ibi non sunt plura, sed unum. Hinc tamen nulla specialis lux affulget, qua præsentis dubij notitia habeatur. Sunt enim hæc principia pro materia præsenti valdè remota, & penitùs disparata. Præsens luctamen est: An humanitas Christi obsit contemplationi perfectæ? Huius determinatio conquiritur, & discrimen inter humanitatem illam, & alia entia exploratur: ad quod est omninò remotum, quòd humanitas sit obiectum secundarium, & quòd intellectus cognoscere queat plura, ut plura, aut plura ordine quodam.

108. Secundum præsuppositum admitto, quatenùs asserit, dari in parte intellectiva memoriam. Sed quid prosit hæc philosophia contrarijs Authoribus, videamus. Species Christi hominis (dicis) depurata ab accidentibus, & conditionibus individuantibus, opere intellectus agentis, asservatur habitualitèr in memoria intellectiva, & quotiès perfectus vult, sola apprehensione intellectus possibilis veluti extrahit illam speciem è memoriæ Thesauro, & facit, quòd, non iam habitualitèr, sicut priùs, sed actualitèr repræsentet. Sed siste gradum, & responde mihi: quid actu repræsentat illa species denuò extracta è memoriæ scrinio? Repræsentat ne Christi humanitatem, ut humanitas est; an verò ut *hanc*, hoc est, ut humanitas Christi est? Non secundum: quia humanitas Christi dicit necessariò conditiones individuantes, seu hæcceitatem, à qua iam pridèm denudata est humanitas, quam illa species repræsentat. Est ergo verum, quòd humanitas in ea specie repræsentata est humanitas secundùm prædicata essentialia humanitatis: Qualitèr est negativè communis, & indifferens ad omnia individua naturæ humanæ. Vndè species repræsentans humanitatem prout sic, non magis repræsentat Christum, quam Anti-Christum; imò nullum individuum repræsentat, sed præcisè naturam humanam in statu solitudinis.

Verùm generositate utentes demus adversarijs, illam speciem, modo dicto sumptam, repræsentare (quòd implicat) sacrum illud naturæ nostræ individuum, Christum Dominum. Ad hoc, dicunt, non requiritur phantasiæ operatio, sed sufficit sola intellectus apprehensio. In quo Peripateticæ, & Angelicæ doctrinæ contrariantur. Est siquidèm doctrina Aristotelis, & Div. Thomæ certissima, quòd ut intellectus actu contempletur media specie, quam memoria conservat, debet actu concurrere phantasia. Vide hæc fusè discussa disp. 17. q. 4. concluſ. 9. §. 24. &

& etiam. 25. Vbi plurimis, ijsque clarissimis testimonijs Philosophi, & Ang. præceptoris ostendimus, non posse intellectum actu cognoscere, media specie intelligibili præaccepta, & conservata, sine exercito adiutorio phantasiæ. Videatur tamen D. Thomas 1. p. q. 84. art. 7. de quo infra.

Vlteriùs procedentes permittamus adversarijs, speciem intelligibilem habitualitèr in memoria conservatam, posse reduci ad actuale exercitium repræsentandi sola intellectus apprehensione. Hoc ipsis permisso, adhuc suum intentum se neutiquàm consequutos esse, cognoscant. Ratio que ea est: quòd iuxta nostrum Mysticum Doctorem ijs 14. capitibus præadductis, & alibi, non solùm debet contemplativus purgare memoriam sensitivam à formis imaginarijs; sed etiam memoriam intellectivam debet purgare à formis, & notitijs rerum creatarum, seu extra Deum. Videatur Sanctus Doctor capitibus citatis, & ut aliquot speciale offeramus, legatur caput 13. ubi se de memoria spirituali agere, docet. Nec posset non de illa agere; cum de formis, & notitijs spiritualibus sermo ibi sit. De his ergo idem docet, ac de formis imaginarijs, quæ asservantur in phantasia, seu memoria sensitiva. Sic ergo loquitur Doctor Sanctus de his formis, seu notitijs intellectualibus rerum creatarum: *Digo que (como acabo de decir de las formales en el capitulo precedente, de cuyo genero son tambien estas, que son de cosas criadas) quando le hicieren buen efecto, se puede acordar de ellas: no para quererlas retener en sì, sino para avivar el amor, y noticia de Dios: pero si no le causa el acordarse de ellas buen efecto, nunca quiera passarlas por la memoria.* Eodem ergo modo se habere debet contẽplativus ad unionem tendens cum formis spiritualibus extra Deum, ac cum imaginarijs: Vndè omnibus illis abrenunciare debet: ac subindè superflua est divisio illa specierum conservatarum in memoria sensitiva, ac in intellectiva,

¶ Adde. Quòd dùm intellectus possibilis de novo suscipit speciem intelligibilem opere intellectus agentis depuratam, vel potest media illa specie denuò habita elicere contemplationem perfectam; vel non? Si sic: ergo vanè recurris ad speciem præhabitam, si idem posse fieri, concedis per speciem denuò acceptam. Si non: ostende, quid illi speciei deficiat, ut, eà mediâ, perfecta contemplatio habeatur.

109. Vltimum præsuppositum summè displicet; est quippè prorsùs absonum, quòd sensus solùm accidentia cognoscant. Cognoscunt enim quicquid relatè ad ipsos sensibile est; seù omne id, cuius similitudo est in ipsis. In sensibus, V.g. in visu, ut modò ex scientia de anima supponi debet, non solùm est similitudo coloris, qui visùs est sensibile proprium, & similitudo figuræ, magnitudinis & aliorum, quæ sunt sensibilia communia; sed etiam est similitudo hominis, non quatenùs homo est, sed quatenùs subtractum est sensibilis proprij, & communis. Quam doctrinam clarissimè tradit D. Thomas 1. part. quæst. 17. articul. 2. in corp. qui omninò videri debet. Iuxta quæ dividitur sensibile in proprium, commune, & per accidens. Sensibile proprium cognoscitur, seu sentitur à sensu, primò, & per se: sensibile commune sentitur per se, sed non primò: sensibile per accidens nec primò, nec per se sentitur: sentitur tamen per accidens, hoc est, accidentalitèr, quatenùs accidit, quòd sensibile proprium, aut commune insint alicui substantiæ. Sentitur per accidens, hoc est in accidenti, quod est aliquid sui; sentitur per accidens, hoc est, cognito accidenti, quod in esse rei est coniunctum substantiæ, excitatur intellectus ad cognoscendam substantiam, quæ illi accidenti subsstat. Vndè eadem cognitio, seu contemplatio, & elicitur ab intellectu, & à sensibus excitatur. Videantur nostri Complut. de Anima disput. 8. quæst. 1. per totam, maximè num. 5. Et ex hoc convincitur, sensum excitantem ad contemplationem non obesse con-

templationi, ſed requiri ad illam; ut potè attingentem, vel in aliquo ſui, vel excitativè obiectum comtemplationis.

110. Plurima ſunt huius prælibati diſplicentiam in nobis progignentia. Et eſt ſeria reflexione dignum, quòd Sacræ Scripturæ videatur contrarium. Dicitur enim apud Iſaiam cap. 1. verſ. 3. *Bos cognovit poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui*; ſeu (eſt enim Hypallage) *dominum præſepij ſui.* Vbi bos, & aſinus, quibus non eſt intellectus, dominum, & poſſeſſorem aſſeruntur cognoſcere: Non dicuntur cognoſcere accidentia ſola, ſed ipſum poſſeſſorem, & dominum: quamquàm non illum cognoſcant quoad *quid eſt*, ſeu quatenùs homo eſt; ſed quatenùs ſubſtat ijs accidentibus, quorum cognitionis capaces ſunt. Aliud eſt enim res cognita, & aliud ratio ſub qua cognoſcitur. Quod Author illius prælibati non negat; quandoquidèm affirmat ſenſus cognoſcere accidentia, & conditiones individuantes. Hoc aſſerit, & quidèm rectè: eſt quippè doctrina illa communiſſima, ab Ariſtot. 1. Phyſic. text. 20. edocta ijs verbis: *Intellectus eſt univerſalium; ſenſus verò ſingularium.* Si ergo *ſenſus eſt ſingularium*: ergo cognoſcit ſingularia, ſicut intellectus univerſalia cognoſcit. Si ſingularia cognoſcit: ergo cognoſcit hunc hominẽ, Chriſtũ, Franciſcum, Antonium. Quæ adeò certa ſunt, ſicùt & quòd ſingulare nequit omninò directè cognoſci ab intellectu. Et hæc modò non ſunt comprobanda, ſed ex ſcientia de anima ſupponenda. Verba aliqua noſt. Complutenſium adducam, qui inibi lib. 3. diſp. 17. in fine diſputationis agentes de modo, quo intellectus noſter cognoſcit ſingularia per ſpecies non quas intellectus agens abſtrahit, ſed quas ipſe poſſibilis intellectus producit, & memoria conſervat, inquiunt: *Vndè valet producere ſpeciem expreſſam, in qua ſingulare diſtinctè, & expreſsè cognoſcat: ex qua cognitione relinquitur etiam ſpecies impreſſa, quæ ſingulare per ſe primò, & quaſi directè repræſentat. Ad hæc tamen præſtanda indiget intellectus concurſu imaginativæ, & cogitativæ, quarum eſt ſingularia omninò directè cognoſcere.*

In hiſce verbis plura habemus ad improbandum dictum prælibatum clariſſima, & ad determinandam præſentem controverſiam idonea. Igitur intellectus poſſibilis procedens ſive per ſpeciem denuò acceptam, ſive in memoria intellectiva conſervatam, ſingularia cognoſcit. Aſt procedens per ſpeciem denuò acceptam à ſenſibus, cognoſcit ea in confuſo, & virtualitèr; quatenùs cognoſcit naturam abſtractam à ſingularibus, in qua ipſa ſingularia potentialitèr continentur, & à quibus natura ipſa abſtracta fuit: procedens verò per ſpeciem in memoria intellectiva relictam cognoſcit ſingularia, non iam in confuſo, ſed expreſsè; non tamen *omninò directè*, *ſed quaſi directè*. Et quia abſonum foret, quòd adeò eminentia attingibilia non poſſent attingi ab homine omninò directè in præſenti ſtatu; idcircò in ſtatu præſenti habet homo facultates ab intellectu diverſas, *quarum eſt ſingularia omninò directè cognoſcere.* Iſtæ facultates ſunt *imaginativa*, *& cogitativa*, ſine quarum adiutorio nequit intellectus ſingularia cognoſcere: etiam dùm procedit per ſpecies ab ipſo productas, & in memoria intellectiva relictas, quæ ſunt perfectiores, ut potè minus materiales: quia *ad hæc præſtanda indiget intellectus concurſu imaginativæ, & cogitativæ.*

111. Ex quibus iam notiſsima eſt inſufficientia & falſitas eorum, quæ ſententia adverſa prælibat. Etenim præſens difficultas ſupponit, humanitatẽ Chriſti Domini non obeſſe quieti contemplationis Perfectorum, ut vidimus in ſecundo noſtro aſſerto: exploramus autem modum, quo Sanctiſsima illa humanitas terminet huiuſcemodi contemplationis actum. In quo evidens eſt, dubium non procedere de illa humanitate abſtracta à ſingularitate; ſeu à conditionibus individuantibus: ſic quippè certo certius eſt, illam humanitatem, non eſſe Chriſti, ſed

ſed eſſe communem omnibus naturæ humanæ individuis; ſub qua communitate ad præſentem controverſiam non ſpectat. Procedit autem ſollicitudo noſtra de illa humanitate, *ut hac*, ut ſingularizata, ut Chriſti propriâ, ac ſubindè ut realitèr ab alijs diſtincta, & à parte rei phyſicè exiſtente. De illa humanitate ſic ſumpta eſt præſens litigium. Si verò aliquis de illa alitèr ſumpta loquatur, nobiſcum non diſputat, nec nos cum illo contendimus.

Humanitatem hoc modo conſideratam nequit intellectus pro hoc ſtatu cognoſcere propter dicta deſumpta ex D. Thoma quæſt. 10. de verit. art. 2. ubi ait: *Intellectus non cognoſcit ſingulare, ut eſt hoc; ſed ſecundùm communem quandam rationem, ut quantum eſt homo, vel albus.* Et hoc eſt, quòd intellectus *ſit univerſalium*, uti ſupra ex Philoſopho dicebamus. Et quia negari nequit, quòd intellectus ad ſingularia cognoſcenda etiam extendatur: videndum eſt, qualitèr illa cognoſcat. Hoc docuerat Ang. ipſe Doctor ibi quæſt. 2. toto artic. 6. ubi inter alia ait: *Cum ſimilitudo rei, quæ eſt in intellectu noſtro, accipiatur ut ſeparata à materia, & ab omnibus materialibus conditionibus, quæ ſunt individuationis principia, relinquitur, quòd intellectus noſter per ſe loquendo ſingularia non cognoſcat, ſed vniverſalia tantùm: Omnis enim forma, in quantum huiuſmodi univerſalis eſt &c. Sed per accidens contingit, quòd intellectus noſter ſingulare cognoſcit.* Proſequitur Sanctus Doctor oſtendens modum, *quo per accidens contingit quòd intellectus noſter ſingulare cognoſcit*, qui non eſt alius, niſi reflexio ad phantaſmata, à quibus ſpecies illa univerſalis abſtracta eſt.

Hæc D. Thomas loquutus de prima cognitione, qua intellectus noſter ſingularia cognoſcit, nempè dum actu accipit ſpeciem à rebus. Dum autem ipſa ſingularia ſecunda cognitione contemplatur, evenit, quod num. 100. audivimus à noſtris Complutenſ qui ſuam illam doctrinam didicere ex eodem Angelic. Præcept. citato articul. 2. ubi ait: *Ad 7. dicendum, quòd nulla potentia poteſt aliquid cognoſcere non convertendo ſe ad obiectum ſuum, ut viſus nihil cognoſcit, niſi convertendo ſe ad colorem. Vndè, cum phantaſmata ſe habeant hoc modo ad intellectum poſsibilem, ſicut ſenſibilia ad ſenſum, ut patet per Philoſophum in 3. de Anima, quantuncumquè aliquam ſpeciem intelligibilem apud ſe habeat, nunquàm tamen actu aliquid conſiderat ſecundùm illam ſpeciem, niſi convertendo ſe ad phantaſmata. Et ideò ſicut intellectus noſter ſecundùm ſtatum viæ indiget phantaſmatibus ad actu conſiderandum, antequàm accipiat habitum; ita poſtquàm acceperit.* Hæc Sanct. Thomas, quibus & omnia, quæ diximus, ipſius Angel. authoritate fulciuntur, & ſententiæ oppoſitæ prælibata penitùs extirpantur. In ſimùlque via paratur, qua excitatum litigium determinetur.

112. Igitur iuxta noſtrum Antonium allegato opuſc. à num. ſuo 29. uſquè ad 43. & Medull. Myſt. à num. 33. & noſtr. Philip. part. 3. tract. 1. diſcurſ. 2. art. 3. in fine, humanitas Sanctiſsima Chriſti & eiuſdem Domini noſtri vita, & myſteria (quæ omnia verbo *humanitas* ſignificamus, uti initio quæſt. dictum eſt) ſumi poſſunt dupliciter. Primò, ut meditanda: Secundò, ut contemplanda. Verba laudati Philippi doctrinam Seraphic. Mat. noſtræ exponentis, hæc ſunt: *Per hoc tamen non vult S. M. ut ſe ipſam explicat, quòd in meditatione humanitatis, & Paſsionis Chriſti ſic immoremur, quòd ad inſtar incipientium ſemper meditemur; imò vult, quòd quidèm ſæpè Myſteria Chriſti ſibi tunc contemplanda potiùs, quàm meditanda proponat, ut in eis ſummi eius amoris ſigna videat.* Humanitas meditanda eſt humanitas ut obiectum inquiſitionis, & motus diſcurſivi, qui veritatem, & quietem inquirit. Humanitas contemplanda eſt humanitas prout eſt obiectum pacificæ cognitionis, & activiſsimi amoris

in veritate reperta quieſcentis : eſt humanitas ab anima cognita ſub altiori, & perfectiori modo, quàm prius illam cognoſcebat. Nobilitatem, & perfectionem huius eminentiſsimi modi cognoſcendi Sacrã Chriſti humanitatẽ egregiè expreſsit Seraph. Thereſia Manſ. 6. cap. 7. §. *Verdades*, ubi ait: *Verdades, que à quien mete yà el Señor en la ſeptima morada, es muy pocas veces, ò caſi nunca, las que ha meneſter hacer eſta diligencia, por la razon que en ella dirè (ſi me acordare) mas es muy contino ſe apartar de andar con Chriſto nueſtro Señor con una manera admirable, à donde divino, y humano junto es ſiempre ſu compañia.*

Convenientiſsimè alma Doctrix rem totam expoſuit. Divinitatem, & ſimùl humanitatem frequentiſsimè coram ſe habet anima ad unionem fruitivam elevata; quin humanitas Divinitatem obnubilet; aut Divinitas humanitatem impediat; nam ſicut in eadem perſona modo ineffabili divina, humana que natura reperiuntur; ſic etiam eadem divina perſona eſt terminus contemplationis perfectæ ſecundùm utramque naturam. Modus autem, ut ait Seraph. Thereſia, eſt *admirabilis*. Hic *admirabilis* modus ille eſt, quem eadem Sancta mox explicuit verbis, quæ iam diximus num. 95. Videantur, & meditentur; illis enim docet expertiſsima Magiſtra quicquid pro materia præſenti deſiderari poteſt: &, ut ſupra monuimus, totum illud caput videri debet, conferri que cum ijs, quæ num. 96. docuit Myſtic. noſt. P. ſic que fatuitatis convincetur irreverens illa vox pipiens oppoſitas in hac parte eſſe has duas myſticæ doctrinæ columnas.

113. Quamquàm modum, quo Sacratiſsima Chriſti humanitas terminet contemplationem perfectam, dixerimus: explicandum ſupereſt, divinam hanc humanitatem poſſe conſiderari duplicitèr. Primò: ut eſt individuum quoddam ſub humanitate ut ſic, quam ut ſibi, & alijs humanitatibus communem inſpicit. Secundò: ut eſt natura quædam totalis reſpiciens ſubſiſtentiam divinam, à qua incommunicabilis alteri ut ſuppoſito redditur. Primo modo ſumpta non eſt præſentis inſtituti: ſic enim illa humanitas nihil ſpeciale dicit ſupra alias humanitates: eſt eiuſdem materialitatis; alia que habet, ob quæ ad hanc controverſiam non attinet. Et per hæc ſolvitur prima ratio dubitandi poſita num. 101. In ea quippè ſumitur illa humanitas, ut ſubijcitur humanitati ut ſic, hoc que modo conſiderata nihil ſpeciale habet, ut dictum eſt. Per quæ etiam patet ad ſecundam rationem dubitandi. Sub hac enim conſideratione idem dicimus de humanitate Chriſti, ac de alijs; in hoc que ſenſu loquuti fuimus de hac Sacra humanitate in illo §. 9. Quod ut penitiùs calleas, attente conſidera, quòd indigentia phantaſmatum, ſeu imaginis internæ ex duplici capite provenire poteſt. Primum eſt potentia eliciens contemplationem. Secundum eſt contemplationis obiectum. Ex primo capite requiritur phantaſiæ concurſus ad quamlibet hominis viatoris contemplationem; etiamſi obiectum contemplatum expers ſit totius materialitatis, & potentialitatis; atque ideò etiamſi propter ipſum obiectum non exigatur adiutorium phantaſiæ. Et hoc indè liquet, quia *incorporeas ſubſtantias in ſtatu præſentis vitæ cognoſcere non poſſumus, niſi per remotionem, vel aliquam comparationem ad corporalia: & ideò cum de huiuſmodi aliquid intelligimus, neceſſe habemus converti ad phantaſmata corporum, licet ipſorum non ſint phantaſmata*, ait D. Thomas 1. part. quæſt. 84. art. 7. ad 3. De hac que neceſsitate loquuti fuimus illà quæſt. 4.

Secundum caput, primum non excludens, eſt, quandò obiectum talis conditionis eſt, ut, ultra ſui materialitatem, dicat etiam hæcceitatem: tunc enim etiam ex ſe petit phantaſiæ actum ut cognoſcatur directè. Et hoc modo ſumi debet phantaſiæ concurſus in præſenti. Loquimur quippè de re materiali,

riali, & ſingulari: ac ſubindè quæ ſine ſenſus cooperatione cognoſci nequit à noſtro intellectu.

Secundo modo poteſt ſumi Chriſti humanitas, ut natura quædam, ſeu ſingularis forma totalis naturæ Divinæ copulata in unitate perſonæ. Sic que cognoſci non poteſt, nedùm à ſenſu, verùm neque ab intellectu nudè ſumpto: eſt enim neceſſaria, ut minùs præſupoſitivè, fides Theologica, ut illa humanitas, prout ſic, cognoſci queat. De humanitate hoc modo ſumpta procedunt aſſerta noſtra, & quicquid hactenùs dictum eſt. Vndè totam doctrinam priùs traditam brevitèr redonantes dicimus: eſſe abſurdum aſſirmare, quòd omnis, & cuiuſcumque contemplatio habet pro obiecto Chriſti Domini humanitatem, qualitercumquè hæc conſideretur. Et hoc eſt aſſertum primum ſtatutum numer. 77. ¶ Dicimus inſupèr, eſſe planè diſſonum, quòd ſpiritualis, qui, ut Perfectus ſit, debet memoriam purgare ab omni interna imagine corporea, non excipiat ab hac generali regula Sacratiſsimam humanitatem Chriſti Domini, ſumptam prout eſt forma totalis ſuppoſitata per eandem ſubſiſtentiam, per quam natura divina in Verbo divino perſonatur. Hoc eſt ſecundum aſſertum poſitum num. 86. Modum verò, ſub quo humanitas illa aſſumitur contemplanda à viro perfecto, egregiè nobis expreſsit Expertiſsima Thereſia, prout iam vidimus, præſertim à numer. 112.

114. Hinc tamen conſurgit præcipua huius luctaminis difficultas. Sinamquè Chriſti Domini humanitas, eo perfectiſsimo modo accepta, non obeſt quieti perfectæ contemplationis; paritèr nec ipſam perfectam contemplationem impediet quæcumque alia totius univerſi res extra Deum eodem perfectiſsimo modo contemplata. Ab hac difficultate nonnulli ſe expeditos eſſe autumant, concedendo idem quoad præſens ſentiendum eſſe de alijs entibus intra ambitum univerſi, ac de Chriſti humanitate. Sic ipſos diſcurrentes vidimus num. 104. Horum doctrinam improbavimus num. 106. Aſt quia ibi, & num. 95. ad hunc locum remiſimus huius materiæ explicationem: Idcircò dicimus, quòd non eſt abſolutè denegandum, quòd aliæ univerſi res deſervire queant pro perfectiſsima contemplatione habenda: nec nos id inibi denegavimus: ſed demonſtrare conati ſumus, humanitatem Sanctiſsimam non eſſe ſegregandam à memoria contemplativi, ſicùt alias aliorum entium imagines præcipitur ſegregare. Hoc tunc diximus, & idem modò iteramus: hoc autem explicatiùs tradere debemus.

Itaquè verùm eſt, quòd contemplativus nequit ad unionem intimam cum Deo pervenire; quin ſuam memoriam denudet ab omni imagine. Quid ſit à memoria imagines evacuare? aut quomodo hæc evacuatio fiat? non eſt præſentis loci, ſed ad 4. prædicabile ſpectat. Pro materia autem præſenti ſatis ſuperquè declaratum hoc eſt à noſtro Myſtico Doct. num. 106. adducto. Ex eo habemus, quòd memoriam ab imaginibus purgare nihil aliud eſt, niſi illis non ſtudioſè inhærere, ſupra illas ex animo non reflectere, aut eas ſpeciali conamine non retinere. Sed illis uti quantum deſervire poſſunt, ut mens illis excitata ad Divina conſurgat. Et, ſecundùm exceſſum perfectionis eorum, quorum ſunt imagines, ſunt & ipſæ magis, vel minus ad contemplationem ideneæ.

115. En quomodò mihi cum ſententia oppoſita convenit in eo, quòd omne ens totius univerſi poteſt ad contemplationem perfectam deſervire. Diſidium tamen eſt; quia nos aliquid ſpecialiſsimum reperimus in ſacra interna imagine humanitatis Sanctiſsimæ, quod in ſententia oppoſita explicatum non video. Hoc ſpecialiſsimum eſt, quòd Sacra Chriſti humanitas à memoria contemplativi releganda non eſt, eo etiam modo, quo alias imagines diximus relegari. Vndè illi debet contemplativus ad-

adhærere, ſicut conſtat ex ijs quæ Myſt. N. Doctor docuit num. 100. & 106. Vbi hoc perſpicuè comprobatum eſt. Et hoc eſt ſpecialiſsimum illud, quo humanitas Chriſti, modo dicto conſiderata eminet ſupra alia omnia extra Deum. Et inibi Sanctus Doctor expreſiſſe videtur huius ſpecialitatis motivum ijs verbis: *Que no ſon Divinidad, ò Dios humanado, cuya memoria ſiempre ayuda al fin como del que es verdadero camino, guia, y Author de todo bien.* Eſt dicere: memoriam Chriſti ſeriò retinendã eſſe, quia ipſe eſt *vera Via, Dux, & Author totius noſtri boni.* Libet tantispèr in horum verborum declaratione immorari: continent quippè aſsignati diſcriminis fundamentum.

116. Seriò retinenda eſt Chriſti hominis memoria à contemplativo, quia ipſe *via eſt*, qua contemplativus graditur ad contemplandam Divinitatem: quam dùm perfectè contemplatur, *viæ* memoria pacem contemplationis non inquietat. Ratio eſt, quia licèt via ad terminum, & quies in ipſo repugnent, cum via eſt aliud quid à termino obtento: nullum tamen impedimentum obvenit quieti in termino à memoria viæ, quandò idem eſt via, & terminus. Idem Chriſtus *eſt via* ſecundùm humanitatem, & terminus ſecundùm Divinitatem. Nullum ergo nocumentum contrahit contemplatio Divinitatis Chriſti ex ipſius Chriſti humanitate. Quamquàm omnia Angelorum agmina luſtres, & omnes omnium hominum claſes, nullum reperies, qui ſimùl ſit via, & terminus, præter illum divinũ hominem, qui ſimùl Deus eſt. Vndè præter iſtum hominem divinum cuius *memoria ſiempre ayuda al fin*, omnibus alijs, quæ intra entis creati limites continentur, uti poſſunt, & debent quotquot ad intimam unionem aſpirant; talitèr tamen, quòd modum iam præſcriptum nequaquàm prætergrediantur. Et ſanè alij ſive Angeli, ſive homines viam noſtræ ſalutis oſtendunt nobis ſuis illuſtrationibus, virtutibus, doctrinis, & exemplis: nullus tamen eorum *via* nobis abſolutè eſt, aut ſimplicitèr appellatur; quia hoc illi ſoli reſervatum eſt, qui in eadem perſona, unione ineffabili, adunat, quòd via ſit, & terminus idem. Et hoc eſt illud ſpeciale, ob quod Chriſti humanitas excipitur ab illa regula generali imagines internas evacuandas eſſe præcipiente. Quæ ex modo dicendis amplius elucidabuntur.

117. *Dux noſter* eſt Ieſus Chriſtus Dominus noſter; & quia *Dux* noſter eſt non obeſt ipſius humanitatis memoria hominum perfectioni. Perfectorum intimæ unioni, ipſorum que perfectæ contemplationi. Plures alios eſſe Duces noſtros in via ſpiritus, ambigendum non eſt. Sed omnes illi ſub Magno Duce Chriſto Ieſu militant, ſicùt & nos quoque milites militamus. Id ipſũ de Chriſto Duce dicimus, quod de Chriſto Mediatore noſtro tradidimus diſp. 5. quæſtione 2. à num. 26. Vndè ſolus Chriſtus eſt *Dux*, & Meditator authoritatis, & redemptionis, tametſi alij dentur, qui ſunt Duces, ac Mediatores interceſsionis. Iſti neceſſarij nobis ſunt ad illum: & ille nobis neceſſarius eſt ad ipſum, ut Deum. Audi D. Bernardum à nobis inibi num. 33. datum hæc docentem breviſsimis hiſce verbis: *Opus eſt nobis Mediatore ad iſtum Mediatorem.* Immediatus Mediator noſter apud Deum Chriſtus eſt; alij autem mediati ſunt: quocircà primi memoria non obeſt contemplationi perfectæ.

Dum hæc dictarem, venit in mentem: pulchra ſententia Div. Proſperi part. 2. de prædic. & promi. cap. 11. ubi loquutus de Ioſue, cuius nomen parum, aut nihil diſtat à Sacroſancto nomine IESV inquit: *Rectè huic nomini etiam terrena hæreditas diſtribuenda ſervata eſt: quoniam non eſſe aliud nomen ſub Cælo datum hominibus, in quo nos oporteat ſalvari, apoſtolicà eſt ſententiâ præfinitum, quæ noſtrum Ducem Chriſtum Ieſum Dominum oſtendit, ſuis hæreditatem perpetuam ſeipſum diſtribuentem.* In eo exercitu, cui Ioſue imperabat

rabat, erant milites, & duces, quorum omnium caput erat Iosue, qui Domini nostri Iesu Christi figuram gerens ostendit, Ducem præcipuum, cui alij parent, introducentem nos in terram promissionis, nostræ felicitatis esse Dominum nostrum Iesum Christum.

118. Modò datus Div. Prosper. scripturam offert, in qua quicquid diximus, continetur. Itaquè in actibus Apostolor. cap. 4. vers. 12. post sanationem claudi illius, qui sedebat ad portam speciosam templi: malesuadæ Iudæorum invidiæ reposuit Princeps Apostolorum, ostendens IESVM esse, in cuius nomine infirmus ille salutem suam consequutus fuerat: *Non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub Cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Vide, quòd nihil potest adversus ea, quæ diximus opponi, quod hanc Scripturam paritèr non impugnet. In solo IESV est nostra salus. Non est sub Cælo alius, *in quo oporteat non salvos fieri*, nisi solus IESVS. Plurimæ hominum myriades, medijs pluribus procellis sanctitatis, ad portum salutis felicitèr appullere; & tamen nullus sub Cælo est, *in quo oporteat nos salvos fieri*, nisi solus IESVS. Tum: quia alij, quantumvis Sanctissimi, salutem nostram operantur intercedendo; IESVS verò ut Dominus sanitatis. Vndè ab alijs petimus, quòd preces pro nobis fundant; *Orate pro nobis*: sed à Christo, quòd nostri misereatur: *Miserere nobis.* Tum etiam: quia, ut ait inibi Lorinus: *A Christo igitur salus tantùm est, quoniam quicquid ad eam confert, ex eo, meritis que ipsius vim, & valorem habet.* Tum deniquè: quia, ut observat Lira ibidèm, in illo, & ab illo est tantùm sub Cælo salus, qui verus homo, verus que Deus est. Vndè, cum non sit sub Cælo alius, qui Deus, & homo sit; indè est, quòd ille solus nostræ salutis dator est, *& Author totius nostri boni*, ut illum ultimò nominavit Mystic. nost. Doctor: quia reverà *totius nostri boni Author est.* Qui & bona nobis confert, & opera aliorum conferentium valorat.

Si benè observasti. Quòd Christus sit vera Via, Dux, & Author nostri boni in id refunditur, quòd Deus, & homo sit: in ipsum que principium refundimus & nos, quòd eius Sacratissima humanitas exceptio sit illius regulæ generalis, qua præcipimur memoriam ab imaginibus denudare. Ex quo enim Deus simùl, & homo sit, *totius nostri boni Author est.* Inter bona creata nostrum maius bonum est nostra beatitudo, quæ in contemplatione, & amore sita est, ut alibi dicebamus. Nunquàm in id deveniam, quod dicam: Authorem felicitatis nostræ nostram felicitatem impedire. Et hoc est illud speciale, quod habet Christi humanitas, ut quieti contemplationis non obsit.

§. IV.

Argumenta in secundam Conclusionem.

119. COntra primam conclusionem nullum argumentum est, cuius memoria specialis fieri debeat. Plura, quæ militant contra secundam soluta in præcedentibus sunt; supersunt tamen aliqua, quibus occursum ire opus est: Arguitur ergo 1. Verbis illis Christi Domini apud Ioannem cap. 16. vers. 7. ubi dicitur: *Expedit vobis, ut ego vadam: Si ego non abiero, Paraclytus non veniet ad vos: Si autem abiero, mittam eum ad vos.* Hanc Scripturam sic explicat D. Augustin. 1. de Trinitat. cap. 9. *Hæc autem non dixit propter inæqualitatem Verbi Dei, & Spiritus Sancti, sed tanquam impedimento esset præsentia filij hominis apud eos, quo minus veniret ille, qui minor non esset.* Et D. Bernard. serm. 5. de Ascens. ait: *Nisi carnis præsentia vestris subtrahatur obtutibus spiritualis gratiæ plenitudinem occupata mens non admittit, non recipit animus, non capit affectus.* Ex quibus hoc argu-

gumentum conficitur. Præſentia humanitatis Chriſti retrahebat Apoſtolos à contemplatione Divinitatis: ergo hæc humanitas obeſt quieti contemplationis perfectæ. Conſequentia legitima videtur ex antecedenti, quod ſuadet allatus textus, & eius adiunctæ expoſitiones.

Hoc argumentum ab aliquibus magnificatur; cum tamen nihil probet: imò magna ex parte noſtram aſſertionem probat: quod ſic oſtendo. Etenim Chriſtus Dominus à ſuis Apoſtolis ſe abiungens, in Cælum conſcendens, ab ipſis abſtulit præſentiam phyſicam, ſeu corporalem ſuæ humanitatis, non autem imaginariam: poterant quippè Apoſtoli (& reipsà factum ab eis, quis abnuat?) ſuum Dominum, iam commorantem in Cælo, imaginari, quemadmodùm & nos, qui nunquàm illum vidimus, ipſum imaginamur, meditamur, contemplamur que. Modò ergo argumentor ſic: Si Chriſtus abſtulit ſuam corporalem præſentiam, quia Divinitatis contemplationem impediebat, ut dicis: ergo cùm imaginariam præſentiam non abſtuliſſet, planè infertur, quod iſta quieti perfectæ contemplationis non obſit. Et hæc eſt noſtra ſecunda aſſertio.

120. Aliundè etiam claudicat argumentum: quia nos loquimur de contemplatione Perfectorum, quales tunc temporis Apoſtoli non erant. Vndè ex quo Apoſtolis, nondùm Perfectis, impedimento eſſet, malè infertur, etiam obeſſe Perfectis. Quem huius argumenti defectum eleganti magiſterio detexit Seraph. Mat. noſt. verbis exhibitis num. 43. quorum hæc repetam: *Alegan lo que el Señor dixo à ſus Diſcipulos, que convenia, que èl ſe fueſſe. Yo no puedo ſufrir eſto. Aoſadas que no lo dixo à ſu Madre bendita, porque eſtaba firme en la fè, que ſabìa que era Dios, y hombre: y aunque le amaba mas que ellos, era con tanta perfeccion, que antes le ayudaba. No debian de eſtàr entonces los Apoſtoles tan firmes en la fè, como deſpues eſtuvieron, y tenemos razon de eſtàr noſotros aora.*

Non eſt in hac ſententia verbum, quod miram ſapientiam non exhalet. In illa proponitur argumentum, & ſolvitur modo, quo à nobis ſolutum eſt. Et bonitatem ſolutionis oſtendens ait: *Herclè ſuæ Sanctiſſimæ Matri hoc non dixit.* Et ſanè dixiſſet, ſi opinatio contraria vera foret. Et quare hoc Matri ſuæ non dixit? *Quia erat firma in fide ſciebat que, ipſum eſſe Deum, & hominem.* Etiam hoc ſciebant Apoſtoli, quia in aliorum conſpectu eorum unus clamavit: *Dominus meus, & Deus meus.* Et illorum Princeps dixit: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Hoc utiquè ſciebant, ſed *firmam fidem non habebant, ſicùt poſtmodùm habuere, & rationi conſentaneum eſt, quòd nos modò habeamus.* Quocircà Apoſtolorum contemplationem retardabat illa Chriſti præſentia, quæ Virginis contemplationem perficiebat: quia licèt Virginis amor in filium amorem Apoſtolorum erga Magiſtrum longiſsimè ſuperaret: ipſe perfecti amoris exceſſus illius præiacti diſcriminis cauſa fuit. ¶ Per quæ patet ad authoritates in oppoſitum inductas; ipſæ enim loquuntur de Apoſtolis pro tempore, quo Perfecti non erant: nos autem loquimur de Perfectis.

121. Dices: ergo humanitas Chriſti obeſt contemplationi eorum, qui Perfecti non ſunt. Ergo & meditationi Chriſti. Ergo Chriſtus ut homo non eſt *via*, & *oſtium* incipientibus, proficientibus, & Perfectis contra ea, quæ hactenùs dicta ſunt.

Reſpondetur. Diſtinguendo primum conſequens: *humanitas* inordinatè attacta, concedo; ordinatè, nego conſequentiam. Per quod patet ad alias. Apoſtoli erga Sanctiſsimam Chriſti humanitatem quodam inordinato affectu proſequebantur, ut iam ex Div. Thoma audiemus, ſupponunt que authoritates inductæ D. Auguſtini, Div. Bernardi, & Seraph. Doctricis. Vndè neceſſum fuit, ut corporali ſacræ humanitatis

manitatis præsentiâ orbarentur, ut sic fide firmissima erga Divinitatem fulgerent. Destinaverat Deus Apostolos ad apicem perfectionis, à qua retrahebat eos, non admodùm ordinata erga humanitatem propensio, quam ut deponerent, disposuit indulgentissimus Dominus humanitatem ipsam Apostolis obvelare,

122. Prorsùs tamen directè solvit argumentum D. Thomas super textum allegatum D. Ioan. Vbi movet hanc quæstionem: *Nunquid non potuisset Christus dare Spiritum Vivens in carne?* Respondet affirmativè, & addit: *Sed noluit eum dare Discipulis existens cum eis quadruplici ratione. Primò propter eorum indispositionem. Nam Spiritui Sancto cùm sit amor spiritualis, contrariatur amor carnalis. Discipuli autem quodam carnali amore afficiebantur ad Christi humanitatem, necdum elevati erant spirituali amore ad eius divinitatem.* Et hoc est, quod diximus numero præcedenti. *Secundò propter divini auxilij conditionem, quod maximè adest in necessitatibus.* Necessarium erat, quòd Spiritus Sanctus veniret, & quòd Christus in astra conscenderet. Præsente Christo, *sufficiens adiutoriũ habebant Apostoli: sed eo recedente multis tribulationibus exponebantur; & ideò datus est eis statim alius consolator, & adiutor.* ¶ *Tertiò ex dignitatis Christi consideratione.* Spiritus Sanctus mittendus erat à Christo, non ut homine, sed ut Deo. Nec ergo aliqui videntes, & conversantes cum Christo homine putarent, ipsum ut hominem mittere Spiritum Sanctum idcircò congruè Christus recessit ante adventum spiritùs. ¶ *Quartò, propter unitatem Ecclesiæ conservandam.* Apostoli replendi erant Spiritu Sancto ita, ut opera, quæ Christus fecit, facerent, & maiora, iuxta ipsius oraculum apud Ioan. cap. 14. *Et maiora horum faciet.* Si quandò hæc acciderent, Christus in mundo esset, Schisma rudis populus pateretur, quia *potuisset verti in dubium apud populum, quis esset Christus.*

123. Arguitur 2. ex D. Paulo 2. ad Corinth. cap. 5. vers. 16. ubi ait: *Si cognovimus secundùm carnem Christum, sed nunc iam non novimus.* Vbi interprete D. Thoma ibidem, loquitur Apostolus de se, & alijs Coapostolis secundùm duplicem statum, in quo fuerunt: scilicèt secundùm statum imperfectum, & perfectum. Et ait, quòd cùm Apostoli non erant perfecti, cognoscebant Christi humanitatem; illis tamen iam Perfectis, ipsorum contemplatio non iam ad humanitatem, sed ad Divinitatem ipsius terminabatur: ergo humanitas Christi non est obiectum contemplationis Perfectorum.

Brevis hic textus multiplitèr, & solidissimè exponitur ab Ang. Præcept. & omnia, quæ in eius explanatione inculcat, maiori ex parte ad materiam, quam versamus, spectant. Ideircò ad illum remittimus Lectorem, ut veritatem, quam propugnamus, comprehendat, Sanctissima fidei dogmata propugnet, & Sanctum Apostolum vindicet à Manichæi impostura. Et factum argumentum enodamus dicentes, quòd Sancti Apostoli ante Spiritus Sancti adventum, & Ascensionem Christi ipsum *secundùm carnem* cognoverunt, hoc est, secundùm præsentiam corporalem. Post Christi verò Ascensionem non cognoverunt illum corporalitèr præsentem. Vndè exponit D. Thomas: *Si cognovimus, ideſt, si adhæsimus Christo aliquandò, scilicèt, quandò nobiscum erat, præsentia corporali secundùm carnem, ideſt, secundùm carnalem affectum. Sed iam non novimus, ideſt, iam iste affectus cessavit à nobis per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Vndè solutio huius argumenti, quoad ultimam eius partem, eadem est cum prima solutione præcedentis, quam ex eodem Ang. Magist. dedimus num. 122.

124. Arguitur 3. Humanitas Christi, prout hypostaticè unita Deo, nil speciale habet, per quod sit specialitèr obiectum contemplationis perfectæ supra

alia entia totius universi : ergo illa humanitas non fovet, sed impedit contemplationem perfectam. Illatio est evidentèr bona, & antecedens probatur. Si illa humanitas, eo modo sumpta, aliquid speciale haberet, esset, quia hoc modo cognita, eoipso cognoscitur Divinitas, cui hypostaticè copulata est: sed ipsa humanitas, prout est singulare quoddam sub humanitate ut sic, & omnia entia creata totius universi hoc ipsum habent: ergo. Probatur minor. Omnia illa sunt entia extra Deum, & à Deo, ac subindè dicunt intrinsecum ordinem dependentiæ à prima sui causa: sed nequeunt ista prout sic cognosci, quin eoipso cognoscatur eorum prima causa; & ideò, ut alibi diximus ex D. Thoma, ac D. Dyonisio, Deus cognoscitur à nobis per *causalitatem*, quatenùs ex hoc, quòd Dei effectum cognoscamus, in ipsius Dei cognitionem manuducimur. Et hic est motus ille rectus, seu per affirmationem, quo ex his, quæ animus novit, surgit ad incognita, quæ non novit: ergo.

Confirmatur 1. Seu potiùs expenditur ratio facta determinatè circa ordinem gratiæ. Etenim cognitâ animâ Sanctissimâ, quæ transformata in Deum est, mediâ intensissimâ gratiâ, virtutibus, & donis cognoscitur eoipso Deus, ut eorum specialis Author, & finis: ergo nihil speciale habet humanitas Christi præiacto modo considerata, ut sit obiectum perfectæ contemplationis.

Confirmatur 2. & urgetur. Sicùt humanitas Christi elevata fuit in Incarnatione, sic etiam elevata fuerunt omnia alia entia totius universi: sed ista nil speciale habent, ut sint obiectum contemplationis perfectæ: ergo nec illa. Cætera liquent, & maior probatur eleganti testimonio Mystici nostri Doctoris, qui in sua Egloga Cant. 5. perspicuè docet, quòd in Incarnatione sui Filij, non solùm illum, ut hominem, elevavit Deus; sed etiam omnes creaturas, illis conferens *esse* supernaturale: ergo tenet maior.

Respondetur argumento negando antecedens. Ad primam probationem distinguo maiorem *cognoscitur* sub modo speciali, concedo. Sine illo, nego maiorem. Itaquè verum est, quod omne ens creatum dicit intrinsecum ordinem ad Deum, qui est prima causa sui. Vndè ex cognitione effectus assurgit mens in Dei cognitionem, secundùm illud Sapient. cap. 13. vers. 5. *A magnitudine enim speciei, & creaturæ cognoscibilitèr poterit Creator horum videri.* Ast quia Deus sic cognitus non est aliquid intrinsecum enti ab ipso causati; idcircò hæc cognitio diversa longè est à cognitione terminata ad humanitatem, quam intrinsecè terminat, & cõplet divina personalitas, estque divinæ naturæ hypostaticè unita. Qui inter has cognitiones discrimen non viderit, cæcus est. Et sanè cognito effectu creato, quem mens novit, surgit motu recto, & per affirmationem, ad cognoscendum Deum, quem non novit auxilio discursus sufulta. Cæterùm, cognito Christo homine, sine aliquo motu mentis cognoscitur personalitas divina intrinsecè per modum puri termini constituens sanctissimum, ac divinum illum hominem.

Per quod patet ad primam confirmationem. Quantuncumquè enim perfecta consideretur creatura intra ordinẽ gratiæ, & gloriæ, omnis illa perfectio est ei accidentaria, Deus que est illi extrinsecus: humanitati verò Christi non est Divinitas extrinseca, aut accidentaria; sed intrinsecè, & substantialitèr unita in unitate personæ. Et ab hac mirabili unione provenit, quòd hæc Sanctissima humanitas foveat contemplationem perfectam specialissimo modo, quo aliæ sanctitates carent. ¶ Exemplo idoneo rem illustro. Calor est, qui membra calore nativo destituta fovet. Iste calor potest reperiri in re, cui intrinsecus est: & etiam in re, cui extrinsecus est, & accidentarius. Primo modo est in igne. Secundo modo est in re, quæ igni applicata fuit, ut in la-

latere &c. Modò ergo agentia membra fomentum à calore habent; ſed ſi hunc calorem ipſis immediatè communicet ignis, cuius calor proprius, & intrinſecus eſt, citiùs, & perfectiùs caleſiunt, quàm ſi ab illa re ipſis conferatur, cui calor adventitius eſt. A divinitate perfectè cõtemplata habet anima contemplantis ignem, quo feliciſſimè amburitur: quia verò divina natura poteſt eſſe, vel participata in gratia, ut eſt in Sanctis, vel ſubſtantialitèr in ſe ipſa, ut eſt in Chriſto: fit conſequens, quò licèt Sancti, qui participatum habent calorem Divinitatis, poſsint modò ſupradicto perfectæ contemplationis prodeſſe; vividiùs, & ſpecialiùs prodeſt Chriſti humanitas, quæ ſubſtantialitèr unita eſt perſonalitati divinæ.

Dices: Sanctis iam regnantibus cum Chriſto unita eſt divina natura perfectiùs, quàm Chriſti humanitati: ergo hæc nihil ſpeciale habet reſpectu illorum, quo profit contemplationi perfectæ. Probatur antecedens. Divina natura unitur menti Beatorum intrinſecè, & per identitatem: ſed unio per identitatem præſtat unioni, quæ eſt inter humanitatem, & naturam divinam; quippè hic extrema manent diſtincta: ergo.

Reſpondetur negando antecedens. Ad probationem diſtinguo maiorem, *unitur* in eſſe intelligibili, concedo; entitativo, & reali, nego antecedens. Sicùt ordo intelligibilis eſt talis ſecundumquid; ſic etiam unio in illo eſt ſecũdumquid talis, quamvis identitas ſit. Vndè nec ſuperare, nec æquare poteſt unionem hypoſtaticam. In hac enim natura humana ita unitur naturæ divinæ, ut utraque eadem ſubſiſtentiâ perſonetur: quod non invenitur in unione intelligibili: quandoquidèm ibi extrema identificata conſervant diſtinctionem entitativam, & perſonalem.

Ad 2. confirmationem diſtinguatur maior, *elevata fuerunt in Chriſto*, concedo; in ſe ipſis, nego maiorem. Cuius probatio non urget; ipſe enim Sanctus Doctor affatim ſe explicat dicens: Deum in Incarnatione exaltaſſe quidem omnes creaturas, & eas ſibi copulaſſe, non in ſe ipſis, ſed in homine; quia revera *iuxta aliquid omnis creatura eſt homo*, ait D. Gregor. homil. 29. in Evangelia. *Si omni ergo creaturæ*, ut inibi dicitur, *prædicatur Evangelium, cum ſoli homini prædicatur*: etiam omnis creatura exaltatur, & aſſumitur; cum ſola humanitas aſſumitur, & exaltatur, in hoc que ſenſu loquitur Myſticus noſter Parens, ut liquet ex ipſius verbis.

QVÆSTIO SEXTA.

VTRVM PERFECTVS CERTO COGNOSCAT SE eſſe in gratia?

PRoſequimur Perfectorum illuſtres prerogativas, & exploramus modò, an inter illas accenſenda ſit notitia certa illius feliciſsimi ſtatus, ad quem benignitas divina illos evexit, dùm ad unionem fruitivam ſublimavit, eorumque animam, innumeris Chariſmatibus ſpecioſam, ſibi in Sponſam aſſumpſitè

§. I.

Poſt aliquorum præmiſsionem Duplex Concluſio ſtatuitur.

125. COncors eſt Theologorum ſententia, hominem poſſe certitudinalitèr ſcire ſe eſſe in gratia; quia poteſt Deus hoc illi re-

velare: Tunc que ipſe fide divina particulari certior fit de ſui ſtatus felicitate. Quod quia certiſsimum eſt, ſufficiat ſic propoſuiſſe. Maximè ſi audiamus Div. Thomam hanc veritatem edocentem, pulchro que fundamento comprobantem. Sic enim ait 1. 2. quæſtione 112. art. 5. *Reſpondeo dicendum, quod tripliciter aliquid cognoſci poteſt. Vno modo per revelationem. Et hoc modo poteſt aliquis ſcire, ſe habere gratiam; revelat enim Deus hoc aliquando aliquibus ex ſpeciali privilegio: ut ſecuritatis gaudium etiam in hac vita in eis incipiat, & confidentiùs, & fortiùs magnifica opera proſequantur, & mala præſentis vitæ ſuſtineant: ſicut Paulo dictum eſt 2. ad Corinth. 12. Sufficit tibi gratia mea* egregius planè diſcurſus. Sinamque gloriæ ſpes vires ſperanti confert, ut ſummè ardua pro gloriæ conſecutione aggrediatur: potiori iure ipſa gloriæ infallibilis certitudo animum, quantum eſt ex hoc capite, elevabit ad opera nobiliſsima. Diximus, *quantum eſt ex hoc capite*: quia aliundè ob noſtrum figmentum proviſum eſt, ut regularitèr cum formidine humilitèr ſperemus cum timore, & tremore noſtram ſalutem operantes.

126. Secluſa revelatione, non poſſe hominem ſcire certitudinalitèr, ſe eſſe amicum Dei, certum etiam eſt, maximè poſt Concil. Trident. in quo hæc veritas clariſsimè definitur. Illam que docuerat D. Thomas loco allegato, in quo poſt data verba ait: *Alio modo homo cognoſcit aliquid per ſe ipſum, & hoc certitudinaliter. Et ſic nullus poteſt ſcire, ſe habere gratiam.* Vndè ſupponimus tanquàm omninò certum, talem aſſenſum certitudinalem, cui falſum ſubeſſe nequeat, non dari, niſi adſit divina revelatio, uti vidimus à D. Thoma edoctum, diffinitum que à ſupradicto Concilio ſeſſ. 6. capit. 9. his verbis: *Nullus ſcire valet certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſecutum.* Et eadem ſeſſ. capit. 12. & Can. 16. addit: *Niſi ſpeciali revelatione.* Quæ tanquàm indubitata præmittimus relinquentes relationem hæreſum, & opinionum, quæ circa hoc circunferuntur, de quibus agunt Theologi, tum Dogmatici. Tum Scholaſtici, quos inter adire debes noſtros Salmant. tract. 14. diſput. 9. dub. unico, qui plena manu hæc verſant, quod & fecit Exim. Suarez lib. 9. capit. 11. & alij.

127. Vltrà præfatam certitudinem datur alia, quæ moralis eſt, & bipartitor: nam alia non ſolùm excludit ſempèr formidinem actualem, verumetiàm poteſtatem ad prudentèr dubitandum excludit. Sic que ſcimus, Romam eſſe, etiàm illi, qui Romam nunquam vidimus; & ita firmitèr hoc ſcimus, ut ſub iuramento id affirmare, valeamus: nulla quippè, vel leviſsima, ſuſpicio adeſt, aut eſſe poteſt, quia motus poſsit aliquis huic veritati plenum aſſenſum non præſtare. Alia certitudo moralis datur, præcedenti planè inferior, quia licèt ſempèr, aut quandoquè actualem formidinem eliminet; capacitatem tamen ad oppoſitum aſſenſum non expellit. Certitudo hæc ſuos gradus habet ſecundùm maiorem, aut minorem copiam, aut urgentiam ſignorum talem certitudinem inducentium. Et ut aliquod exemplum huius certitudinis offeramus, quo ipſa cuique innoteſcat: Dicimus: huiuſmodi certitudine certum eſſe, Petrum eſſe Antonij filium: utrumque eſſe baptizatum: Paulum eſſe Sacerdotem; & ſic de alijs. Exactam horum notitiam, & explicationem à laudatis Theologis petere debes. Nos autem extremis hæc (quod aiunt) digitis attingimus, ut paritèr prælibemus: hominem non poſſe ſcire, ſe eſſe in gratia certitudine illa morali, quæ excludit formidinem actualem, & prudentem ad formidandum poteſtatem: poſſe tamè ſcire, ſe habere gratiam ſecunda illa morali certitudine, quæ ſempèr, vel interdùm excludit formidinem actualem; ſempèr tamen relinquit prudens fun-

fundamentum ad formidandum.

Vtramque huius prælibati partem habemus ut certam, licèt non certitudine fidei. Illam docet allegatus Div. Thomas, qui postquàm præiactos duos certitudinis modos scripsit, ad ultimum explanandum accedens inquit: *Tertio modo cognoscitur aliquid coniecturaliter per aliqua signa, & hoc modo aliquis cognoscere potest, se habere gratiam, in quantum scilicèt, percipit se delectari in Deo, & contemnere res mundanas, & in quantùm homo non est conscius sibi alicuius peccati mortalis &c. Ista tamen cognitio imperfecta est. Vndè Apostol. dicit* 1. *ad Corinth.* 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum: quia, ut dicitur in Psalm.* 18. *Delicta quis intelliget? Ab occultis meis* &c. Quibus perspicuè Sanctus Doctor secundum certitudinem moralem adstruit circa gratiæ notitiam: primam autem excludit ex hoc, quòd notitiam, quam concedit, compatitur cum prudenti fundamento ad formidandum, prout exprimunt ea verba: *Non in hoc iustificatus sum.* Et illa: *Ab occultis meis* &c.

128. His, quæ ad Theologos directè spectant, sic statutis. In præsenti controversia de certitudine non illa morali aut coniecturali solùm, sed etiam de certitudine infallibili disputamus, non relatè ad iustum; hic quippè non est huius quæsiti, disputationis vè, argumentum, sed loquimur de Perfecto illo, qui ad matrimonium spirituale felicitèr assumptus est. Et exploramus, an iste sciat infallibilitèr, se gratiam sanctificantem habere; an verò tantùm coniecturalitèr? Sed antè resolutionem præ oculis habendum est, huiuscemodi Perfectum duplicitèr considerari posse. Primò: dùm est in actuali fruitiva unione innixus super Dilectum suum, Cælestibus que delicijs affluens. Secundò: dum, transacta actuali unione, manet in habituali. Et sub utraque consideratione acturi de ipso sumus. Vndè.

129. Sit nostra prima Conclusio. *Perfectus, dùm unione actuali fruitur, certitudinalitèr scit, se habere gratiam.* Hanc Conclusionem de mente D. Thomæ firmissimè iudicamus. Illam planè docet Seraph. Mat. nostra Theresia. Sic sentiunt nostrates, & alij plures, quorum aliquos in discursu referemus. Probatur ergo primo a sertio aliquibus authoritatibus. Prima sit Doctricis almæ, quæ Mans. 6. cap. 6. §. *Entre estas cosas.* Docet, Deum animam quandoquè elevare ad magnam unionem, qua ad adeò felicem statum evehitur anima, *que no puede dudar està en seguridad, al menos por entonces. Y tengo para mi, que es con razon, porque tanto gozo interior de lo muy intimo del alma y con tanta paz, que todo su contento provoca à alabanzas de Dios, no es posible darle el Demonio.* Ac si diceret. Pacificum gaudium, & alia, quæ tunc anima experitur, solummodò Deum Authorem recognoscunt: nam si de alio aliqualis suspicio haberi posset, foret de diabolo, qui illa simularet in animæ perditionem: quandoquidèm à proprio amore, seu imaginatione certo certius est, non posse provenire: sed à dæmone provenire, impossibile est: (*no es posible darle el demonio*) ergo sunt à Deo. Consequenterque tunc anima secura est de sua gratia. Et ea securitate secura est, quæ dubitandi adimat potestatem. *No puede dudar està en seguridad.* Hæc dixerim propter notam, quam Sapientissimus Annotator ibi facit. Qui si illa sua animadversione aliquid diversum ab eo, quod diximus intendat, clarissimam ipsius mentem non percipio. Nec alma Doctrix ansam sua doctrinà ad illud præstat: quia licèt dæmonem solùm excludat, non est, quia a principio aliquo naturali posse ortum habere, arbitretur: sed quia si manus superioris dexteritatis (qualis est dæmon) illa confingere, aut dare nequit; eoipso ostenditur, non posse esse figmentum sollicitudinis inferioris, qualis est imaginatio, aut alia huiusmodi. Et mihi mirissimum sem-

pèr

pèr foret, quòd prudentiſsima, & expertiſsima Virgo tot encomijs celebraret illa, quibus tunc anima fruitur, ſi ab aliquo principio mentiente (quamquam dæmon non eſſet) poſſe oriri, arbitraretur. Præterquam quòd propoſita authoritas modo, quo à nobis explicata eſt, cohæret cum alijs eiuſdem Sanctæ Matris doctrinis, quarum unam, vel alteram iam ſubijcio.

Eodem lib. Manſ. 5. cap. 1. §. *Pues tornando* introducit Sancta Mat. animam Extaticam, & adeò abſorptam, ut neque videat, neque audiat, neque intelligat. Poſtmodùm autem in ſe aliquatenùs reverſa *minimè dubitare poteſt, illam tunc temporis fuiſſe in Deo, & Deum in ipſa. Sic firma manet in anima hæc veritas, ut licèt anni fluant, quin in ipſis iterùm favorem illum ſuſcipiat, nec obliteratur, nec toto illo ſpatio dubium circa illius receptionem occurrit. Et hoc non ſolùm propter effectus, quos in anima derelinquit.* Et his poſtea ſubiungit: *Scio, me vera dicere. Et qui cùm hac certitudine non manſerit, nunquàm aſſeram, ipſum elevatum fuiſſe ad unionem totalem animæ cum Deo ſed ad partialem aliquam alicuius potentiæ, aut recepiſſe aliquam aliam gratiam ex multis, quas Deus animæ confert.* Primis verbis oſtendit Sancta illam veluti indelebilem certitudinem, qua anima gaudet circa mercedē receptam. In ſecundis verò adſtruit, quòd iuxta ſuum dictamen, ſi hæc certitudo non remanet, non præceſſit unio totalis animæ, ſed partialis unio voluntatis, aut aliqua gratia ex illis, quas Deus interdùm vel peccatoribus impertitur, ut illos ad ſemitam virtutis alliciat.

130. Sapientiſsimo Annotatori hæc non arridēt. Quocircà iterùm ſuo ſcrupulo actus inquit: *Hoc ſignum à Sancta Mat. hic traditum eſt verum & certiſsimum; ſi referatur ad hoc, quòd Deus ſe univit animæ: non autem ſi referatur ad hoc, quòd anima ſit in gratia. Vndè ſignum illud infallibiliter ſignat Deum unitum; non tamen ſignat infallibiliter animæ gratiam; eò quòd Deus poteſt ſic ſe peccatoribus unire, ut eos à vitijs retrahat, ut Sancta Mat. alibi dicit.* Idem repetit cap. ſequenti dictans: *Cognitio, de qua Sancta Mat. hic loquitur, non eſt penitùs infallibilis; eſt tamen moraliter certiſsima, & probabiliſsima.*

Contendere renuo cum hoc doctiſsimo Theologo. Aſt ſine dircurſuum diſpendio, dicam primò. Nihil ſanæ doctrinæ contrarium reperiri in doctrina Seraph. Mat. ſi intelligatur de cognitione infallibili gratiæ; quia diffinitio Concilij Tridentini non ſolùm non obeſt huic dictamini, quin potiùs prodeſt, ut mòx videbimus. ¶ Sunt aliqui Scripturæ textus, qui videntur reprobare infallibilitatem huius cognitionis; fateor. Sed etiam alij ſunt, quos dabimus, in quibus aſſeritur. Et ipſe Deus revelavit Sanct. Mat. noſt. quod ipſa ſcribit in addition. ad libr. viræ §. *Pareciòme.* Diſplicebat nonnullis quòd Seraph Thereſia ſuam clauſuram deſereret, ut monaſteria conſtrueret, quam diſplicentiam ex D. Pauli doctrina colligebant. Hinc humillima Virgo trepidavit, & ad Deum confugiens audire ab ipſo meruit: *Diles, que no ſe ſigan por una parte ſola de la Eſcritura, que miren otras; y que ſi podràn por ventura atarme las manos?*

Dico 2. quòd noſtri Myſtici Theologi Philip. à SS. Trinit. Antonius ab Annunt. Director. Myſtic. & Medul. myſtica, qui doctrinà Cæleſtis Magiſtræ inſtructi ſcripſere, noſtram aſſertionem tuentur. Signum ergo eſt Sanctam Doctricem in eadem ſententia fuiſſe. Et urgeo. Nam Ven. iſque omnigena ſapientia locuples, N. Thomas à Ieſu illam ſententiam defendit, & allegans ea Doctricis almæ teſtimonia, eo modo dicto intelligit. Vndè Sapientiſsimum oppono Sapientiſsimo, qui cum illo certamen inire, haùd contemnet.

Tertiò. Arduum mihi ſempèr erit, quòd Deus uniatur animæ peccatrici

unione

unione totali omnium potentiarum: nec partiali, si hæc ad totalem subsequatur, proùt diximus disp. 23. §. 3. Partialis hæc unio evenit post totalem. Totalis est unio intima Dei cum anima, in cuius potentias illapsus est: in intellectum scilicèt in ratione summæ lucis, & in voluntatem in ratione amoris summi. Hæc omnia gratiam perfectissimam prærequirunt. In his stat huius vitæ beatitudo, quæ omnia suis locis tradita sunt, & quòd Deus sic uniatur animæ criminibus catenatæ, nunquàm credam. Data tamen, & nunquàm concessa huiuscemodi unionis possibilitate; eveniret attenta potestate absoluta Dei: per ordinem ad quam exponenda non est doctrina Virginis prudentissimæ filias suas instruentis, & quid supremus gradus unionis fruitivæ actualis frequentèr secum afferat, ductrice propria experientia, dictantis.

131. Sed ait gravissimus Magister: Hoc *Sancta Mater alibi dicit.* Hunc textum, quo *Sancta Mater dicit*, hoc, nunquàm vidi, nec reperire potui. Suspicor gravi fundamento ductus, Sapientissimum Magistrum allegare capit. 16. libr. Itiner. ubi §. *Quiero aora* inquit Sancta: *Quiero, pues, decir, que algunas veces querrà Dios à personas que estàn en mal estado, hacerles tan gran favor, que las suba à la contemplacion, para sacarlas por este medio de las manos del demonio.* Et infra. §. *Tornando* eandem doctrinam repetens inquit: *Ay almas, que entiende Dios, que por este medio las puede grangear para sì, yà que las vè del todo perdidas, quiere su Magestad, que no quede por èl, y aunque estèn en mal estado, y faltas de virtudes, dales gustos, y regalos. y ternura, que las comienza à mover los deseos, y aun ponelas en contemplacion algunas veces, pocas, y dura poco: y esto, como digo, hace, porque las prueba, si con aquel sabor se querràn disponer à gozarle muchas veces. Mas si no se disponen, perdonen (ò perdonadnos vos. Señor, por mejor decir) que harto mal es &c.*

Hanc authoritatem sine capitis, aut operis citatione allegat N. Ioan. à Iesu Maria in sua Mystica Theologia, ibi illam vidit Cardinalis de Laurea, qui in gentem difficultatem in illa doctrina recognoscit. Cum certè non multùm arcana, & absdubio sana sit. Omnia enim, quorum inibi Sancta Mat. nost. meminit, sumuntur ab ipsa tanquàm dispositiones ad obtinendam gratiam, ad recedendum à malo, ad faciendum bonum, ad pacem inquirendam, & persequendam, prout verba ipsa testantur. Gustus ille, illæ deliciæ, ac teneritudo, seu sensibilis devotio, quibus Deus benignissimus perfundere solet animas peccatrices, media sunt, quibus illas inescare intendit, ad ostium illarum pulsans, ut sic allectæ, & inescatæ disponantur ad gratiam. Hæc doctrina sana, & Catholica est. Inter hæc mediæ, quæ Deus assumere solet, has animas ut alliciat, computat Seraphica Doctrix contemplationem, non quæ ex amore supernaturali procedat, & ad ipsum terminetur: coniunctionem quippè supernaturalis amoris, seu gratiæ cum gravi culpa impossibilem iudicavit ipsa libr. vitæ cap. 40. Sed quæ sit illustratio quædam subtilis, & simplex, media qua elevetur anima peccatrix ad contuendam simplici intuitu veritatem aliquam, sicut ab omnibus admittitur de lumine prophetico, quod quidèm non expostulat sanctitatem in subiecto. De hac contemplatione loquitur Sancta Mat. nost. quòd indè perspicuum nobis est, quòd, ut diximus, loquitur de complatione, quæ assumitur ut medium, quo anima revocetur ad gratiam: sicut etiam meditatio sumi solet, & alia, quæ nullatenùs salutaria sunt, cum sine charitate fiant; diriguntur tamen ad emolliendum cor suscipientium, ut à malo resipiscant, & animæ salutem consequantur. Hæc est doctrina Theresiana, quæ nihil retrudit, quòd debeat constantissimum inquietare.

His pro Eminentiss. de Laurea dictis. Si datæ authoritates ex lib. Itiner.

Con-

Considerentur, quatenùs urgeri possunt contra præsentem nostram assertionem, nullius momenti esse, deprehendet, qui animadvertat, Sanctam Doctricem asseruisse, Deum quandoquè peccatori conferre contemplationem. Qualitèrcumquè sumas contemplationem, hoc est, sive prout disponit ad gratiam, ut dictum est; sive prout est à gratia, & est meritoria, non eoipso dicit unionem intimam fruitivam, de qua modò loquimur. Vndè quamquàm elevatus ad contemplationem non sit de sua gratia certus: non licèt inferre, quòd assumptus ad actualem unionem fruitivam eadem incertitudine laboret, Sicùt non valet: contemplatur: ergo est in actuali fruitiva unione; prout iam insinuavimus, expressèque docet Seraphica Mat. nost. quæ ante obiecta verba dixerat: *Digo, que no vernà el Rey de la Gloria à nuestra alma (digo à estàr unido con ella) si no nos esforzamos à ganar las virtudes grandes.* Ac si diceret: Quamvis Rex gloriæ veniat ad animam, vel illam ad gratiam vocans, vel iam habentem gratiam ad salutarem contemplationem elevans: neutiquàm tamen ipse Rex gloriæ veniet ad animam, illam secum unione fruitiva uniens, nisi anima virtutibus heroicis insudet. Vide quantum distet unio superna fruitiva à labe culpæ: quandoquidèm non solùm peccata horret, verùm etiam non qualescumquè supernaturales virtutes, sed eas heroicas requirit. De hac felicissima unione loquutus Ricard. de Gradib. Charitat. capit. 4. ait: *Purgatissimam animam faciens divino dignam coniugio, non habentem maculam, neque rugam.* Hanc animam, non utcumquè gratiosam, sed *purgatissimam, et adeò purgatissimam*, ut non habeat *maculam culpæ, neque rugam* habitualis imperfectionis, invenit Cælestis Sponsus *divino dignam coniugio.* Hanc que felicissimam animam dicimus cum Seraph. Mat. nostr. esse certam de sua gratia, dum est in actuali unione fruitiva.

132. Beata Angela de Fulgin. ita clarè docet nostram assertionem, ut de eius mente dubitari nequeat. Et prætermissis pluribus clarissimis testimonijs huius expertissimæ animæ, nonnulla colligam ex cap. 52. ubi ait: *Sciendum est igitur, quòd venit Deus in animam quandoquè* &c. Describit divitias, quas ex hoc Dei adventu in ipsam lucratur anima, & addit: *Multum* (anima) *delectatur, & gaudet, & credit, quòd sit à Deo ibi præsentialitèr operante; tamen hoc non est certum. Item cognoscit anima, Deum esse in ea: quia quamvis non videat, ipsum esse in anima; videt tamen gratiam suam esse in anima, in qua multùm delectatur. Sed adhùc remanet aliquod dubium, quamvis sit parvum: adhùc enim anima perfectè, nec ex toto est certa, si Deus est in anima: quia tales locutiones, etiam cum sentimentis possunt fieri ab alio spiritu. Remanet enim dubium sibi* &c. Vide animam divinis Charismatibus abundantem, & Deo dilectam; quæ tamen certa omninò de sua gratia non est: quandoquidèm *adhùc remanet aliquod dubium, quamvis sit parvum*: eò quòd illa, quibus tunc fruitur, *possunt fieri ab alio spiritu* præter Deum. Non potuit clariùs exprimi notitia illa coniecturalis, seu moralis, quam, iustum de sua gratia habere, supra diximus. Videndum supereſt, quid dictis addat anima hæc illuminata.

133. *Certificatur autem anima* (inquit) *quòd Deus est intus in ea, quandò sentit eum alitèr, quàm consuevit, & sentit eum notabili, & duplicato sentimento.* Et post pauca: *Item in isto sentimento, quo anima certificatur, quòd Deus Omnipotens est in ea, datur animæ ita perfectè velle, quòd concordat in hoc tota anima veracitèr* &c. Verbis datis numero præcedenti sciebat anima, Deum esse in ea; sub dubio tamen. Modò autem introducitur omninò certa de assistentia Dei in ipsa: *Certificatur autem.* Quod clariùs adhùc prosequitur subiungens: *Adhùc cognoscit ani-*

ma

anima, quòd Deus est in ea sine dubio multis modis, de quibus dicamus duos. Vnus est una unctio, quæ ita renovat animam &c. Et in ista tanta, & omninò ineffabili unctione intelligit anima certissimè, & sine dubio quòd Deus Omnipotens est in ea. Illud enim non potest facere aliquis Sanctus de paradiso; nec aliquis Angelus de paradiso. Et ad secundum modum explicandum accedens ait: *Alius modus, quo anima rationalis cognoscit Deum Omnipotentem esse intus in se, est una amplexatio quam facit Deus animæ rationali:: & tunc assecuratur, & certificatur, quòd Iesus Christus est in ea.* Hæc nos docet huius Sanctæ animæ experientia de se ipsa, dum erat in actuali frutiva unione. Quid autem ipsi contigerit extra actualem illam unionem edisserit cap. 27. sic: *Quandò verò remaneo, & sum extra illum maximum statum, video me totam peccatum, & obedientem peccato, obliquam, & immundam, totam falsam, & erroneam: sed remaneo quieta, & remanet in me una unctio divina, & continua, quæ est summa omnium unctionum, quas unquàm habuerim omnibus diebus.* Verum hoc ad secundam assertionem spectat.

134. Dictis addiderim: D. Laurentium Iustinian. tract. de casto connubio Verbi, & animæ capit. 14. Vbi agens de illo, qui felicitèr ad fruitivam unionem sublimatur, inquit: *Propriæ efficitur certus salutis, lumine gaudet veritatis, præsentia exultat Sponsi, gustu pinguescit charitatis, experientiâ nutritur amoris.* Paucis Sanctus Doctor rem totam confecit. Sinamquè *propriæ efficitur certus salutis*, qui est in actuali unione fruitiva, habemus intentum; quia hoc est planè affirmare, ipsum certum esse de sua gratia. Immò verbum illud *salutis*, quo Sanctus Doctor se explicat, aliquid maius ab ipso intentum nobis repræsentat. Salus enim, de qua loquitur, non solum gratiam viæ, verùm & consummatam, seu gloriam, significare videtur. Quod si ita esset, in eluctabile hinc argumentum in comprobationem nostræ assertionis consurgeret: quia si Perfectus certus est de sua gloria, seu de perseverantia in gratia: eoipso de sua gratia certus foret.

Audiendus igitur est Sanctus Parens, qui inibi cap. 25. sine ambiguitate affirmat dicens: *Thalamus quidèm* nuptialis est, in quo casta Verbi, & animæ connubia consummantur, & tanquàm in sede propria suavitèr residet sapientia. In eum non audent irrumpere adversarij propter Angelorum custodiam vigilem, à Sponsi inhabitantis, velut à facie gladij fugiunt aspectu. Ibi iuge celebratur convivium, & vitulus comeditur sæpissimè saginatus. Pax in illo gustatur interna, secura tranquillitas, tranquilla felicitas, iucunditas magna, fides serena, amabilis societas, oscula unitatis, contemplationis delectatio, suavitas in Spiritu Sancto. Ibi Cæli ianua est & paradisi porta. Sponsa frequentèr de thalamo ascendit in Cælum, & de Cælo iugitèr Sponsus descendit in thalamum. Non pavida, non de salute incerta ingreditur Sponsa in supernorum mansione, sed tanquàm in Dilecti domum, & in propriam possessionem:: Nam & si aliàs advena fuerit Sanctæ illius Civitatis; nunc verò civis facta est Sanctorum, & Sponsa Verbi, cui ex amoris privilegio omnia, quæ sunt Sponsi, debentur. Amor quippè verus nihil privatum habet, nihil proprium, sua, seque gratantèr impertitur: ea quoque lege, ea charitate, qua largitur propria, utitur alienis. Ex amoris igitur mutui exuberantia tanta est inter Verbum, & animam familiaritas, locutionis fiducia, gloriæ certitudo, & conditionis inconsideratio::: Postquàm fidelis anima connubij vinculo verbo sociata est, innovata sunt signa, prodigia immutata, & antiqua restaurata miracula. Dùm Sapiëtia ex Altissimi ore prodiens, in montibus saliens, colles que transiliens humanæ illabitur menti non recessura, sed ibidèm perpetuò moratura. Meritò igi-

tur pro tanti laude connubij obſervanda eſt dies, & hora, quandò Verbum ingreditur in mētis thalamum, & unà cum Sponſa grata *captat ſecreta ſilentij*.

135. Hactenùs egregius iſte Doctor, ex cuius doctrina liquet, animam Deo unitam in matrimonio ſpirituali certam eſſe de ſua gloria. Hanc que ſententiam, ut probabiliorem, & magis divinæ dignationi conformem, libentèr amplectitur N. Thomas à Ieſu de Orat. Div. lib. 4. cap. 18. ad 9. Alienum enim à ratione iudicat, quòd anima Deo tam intimè in matrimonio copulata ab ipſo ita deſeratur, ut adulterij ſcelere iterùm inquinetur. Illud inſupèr probabiliſsimum reputat, quòd hæc felix anima, quæ Vxor Agni effecta eſt, eoipſo honoratur ab ipſo dono perſeverantiæ finalis, ac ſubindè acceptatione ad gloriam: tametſi forsàn ipſa anima de hoc dono, & acceptatione certa, & ſecura non ſit, ut cum timore, & tremore ſalutem ſuam operetur. Sic diſcurrit celleberrimus hic Myſta. Nobis autem, propter indubitatam ſententiam Sanctæ Mat. noſt. Thereſiæ, dicendum eſt, quòd ſi loquamur de anima, prout eſt in actuali unione, certiſsima eſt, propter dicta, dicenda que, aſſertio noſtra quoad certitudinem gratiæ. Aſt quoad certitudinem gloriæ ipſam probabilem iudicamus propter authoritatem inductam D. Laurent. & laudati N. Thomæ. Si verò loquamur de anima extra unionem actualem, nec gloriæ, nec gratiæ certitudinem habet, ut videbimus aſſertione ſecunda. Hinc que deſumi poterat probatio prima à ratione Concluſionis noſtræ. Si namquè in actuali unione anima certa eſt de ſua gloria: ergo potiori iure certa eſt de ſua gratia. Patet: quia magis eſt, eſſe certam de gloria, quam de gratia. Hanc tamen rationem non probamus ob dicta diſp. 25. à num. 10.

136. Probatur unicè concluſio diſcurſu non contemnendo. Etenim habens divinam revelationem de eo, quòd gratiam habeat, certus omninò eſt de ſua gratia: ſed aſſumptus ad actualem unionem fruitivam habet iſtam revelationem: ergo certus omninò eſt de ſua gratia. Illatio ſine calumnia eſt. Et maior ab omnibus admittitur, iam que ab omnibus poſt Sacram Synodum Tridentinam exigitur ad prædictam notitiam gratiæ. Minor verò, in qua diſsidium eſſe poterat, communiſsimè conceditur à Myſticis, nullum que vidi, qui eam neget. Philippus N. diſp. procem. artic. 8. docere videtur, animam in actuali unione fruitiva duplicem certitudinem habere, utramque infallibilem, primam de eo, quòd ſit Deo copulata in matrimonio ſpirituali: ſecundam de ſua gratia. Primam habet ab ipſa experientia, qua à Deo actu oſculatur, & amplexatur, quem ipſa paritèr amplexatur, & oſculat. Secundam habet à revelatione, qua certior à Deo fit de ſua gratia. Medulla myſtica tract. 5. capit. 4. numer. 35. admittit utranque certitudinē, ſed illam revelationem de ſtatu gratiæ non admittit. Movetur que: quia ex quo anima cognoſcat per myſticam experientiam ſe eſſe Deo in matrimonio unitam, ſine aliqua alia revelatione cognoſcit ſe eſſe in gratia: quia ipſa ſine revelatione certò cognoſcit, talem unionem cum Deo repugnare ſine intenſiſsima gratia, & fervidiſsima charitate. Vndè habetur ſecunda certitudo in virtute primæ, quæ propterea poteſt dici revelatio æquivalentèr.

Noſter Thomas à Ieſu ſupra laudatus utramque illam certitudinem fatetur; ſed an ſecunda per novam revelationem habeatur? præſcindit. Eius verba hæc ſunt: *Non video*, qua ratione poſsibile ſit animam altiſsimo amoris vinculo Deo coniungi, & ipſam præterea certam eſſe de hac unione, ſive mutuo amore, & complexu cum ipſo Deo, & ex alio capite dubiam eſſe de ſua gratia, & acceptatione: nam Sponſus Cæleſtis, qui eam reddit certam de ſua præſentia, & unione illa altiſsima, & feliciſsima, reddit etiam ſecuram de ſua gratia; ſive hoc fiat per ſpecialem revela-

lationem; sive hoc contingat ex vi illius divini contactus, in quo Deus animam tanquàm dilectissimam Sponsam deosculatur. Quæ quidèm deosculatio tantæ virtutis, & efficaciæ existit, ut nulla ratione possit anima dubitare, videns se ad tantam gloriam sublimatam, ac spirituali connubio ipsi Deo coniunctam, esse suo dilectissimo Sponso acceptam, ac omninò gratam: turpe enim esset cogitare, Deum aliqua peccati labe maculatam *animam in Sponsam sibi eligere.* Hactenùs gravissimus hic Theologus, cum quo nos quoque præscindimus, quamquàm Medullæ Mysticæ dictamen rationi conformiùs iudicemus. Quodcumque autem eligas, semper datur revelatio, vel formalis, vel æquivalens. Vndè salvatur Tridentini definitio, ac D. Thomæ sententia circa revelationem necessariò exactam, ut quis sciat, se gratiam habere. Ac per consequens hac sola ratione certissima nobis est assertio nostra.

137. Dices. Quod certitudinem de sua gratia habeat ille, cui hoc à Deo revelatum est, a limine quæstionis, ut apud omnes inconcussum, supposuimus. Malè ergo probamus assertum per id ipsum, quod prælibavimus.

Hebes es, qui sic procedis. Supposuimus num. 125. habentem revelationem à Deo de suo statu in gratia, scire certitudinaliter, se gratiam habere. Hoc præsuppositum pro maiori assumimus, & subsumimus: sed omnis, qui ad Sacrum connubium cum Deo elevatur, dum est in actuali unione, habet illam revelationem: ergo &c. Maiorem supponimus: minorem probavimus numer. præcedenti. Vndè rectus est processus noster, cuius bonitas ampliùs manifestatur. Quia illud, quod prælibavimus, ponit revelationem ita, ut ex parte eius, cui fit, nihil detur, quod talem revelationem exposcat: ac subindè intra eandem lineam, seu statum conceditur illa revelatio huic, & non alij. Consequenrèrque iustus, quia iustus, non habet istam certitudinem; quia in eo, prout iusto, nihil adest, quod Deum ex suppositione, sibi gratiosa, obliget, ut iusto conferat talem revelationem. Ast in eo, qui ad connubium sacrum assumptus actualitèr est, datur aliquid exigens illam revelationem, quæ licèt absolutè sit Deo libera; ex suppositione tamen initi connubij, tenetur, illam revelationem conferre, & Sponsam certiorem facere de sua felicitate, revelatione aut formalitèr, aut æquivalentèr tali. Vndè non est, qui unione fruitiva Deo unitus sit, qui non sciat, se habere gratiam; quia non est, qui ea unione gaudeat, & non habeat revelationem, ipsum de sua gratia certificantem. Quod non verificatur de alijs, ut dictum est.

138. Si benè perpendatur status præsentis controversiæ, ad factam rationem reducuntur omnes aliæ, quæ plurimæ sunt, quibus suaderi potest hæc prima conclusio. Omnes enim in præfata revelatione radicantur, aut illam connotant. Quocircà si anima in actuali fruitiva unione iam terminum adepta est, in quo delectatur, tranquillèque quiescit, prout vidimus disput. 23. numer. 72. ex D. Thoma, D. Bonaventura, Mystico N. Doctore, & alijs, totum hoc provenit à Dei revelatione; vel quia ipsa intima unio Dei ad animam est intransitivè revelatio; vel quia formalis revelatio subsequitur ad illam iuxta ea, quæ supra dicebamus. Si anima in illa actuali unione occupat nonum gradum scalæ amoris, qui est *ardere suavitèr*, hoc est, depositis querelis, anxietatibus, & sollicitudinibus vitæ anteactæ: hoc provenit ab ipsa revelatione: sine illa quippè non haberet, ut dictum est, certitudinem; nec sine certitudine *arderet suavitèr*, aut placidè super brachia Dilecti requiesceret, ut inquit Seraph. nost. P. Cant. 22. Vndè omnia in illam revelationem refundi debent, ut intentum suadeant; atque ideò nolumus tempus terere in alijs discursibus fabricandis.

139. Secunda assertio. *Transacta unione actuali anima non cognoscit certi-*

titudine infallibili, ſed ſolùm coniecturali ſe habere gratiâ. Aſſertio hæc eſt proculdubiò ſupra laudati D. Thomæ, eſt etiam definita à Concilio Trident. Illam nervosè propugnant PP Salmant. tract. 14. diſp. 9. Et licèt apud noſtros Myſticos non inveniatur ſub hac expreſsione; illam tamen de illorum mente arbitramur; cum expreſsè illam doceat Seraph. Mat. noſt. pluribus locis, quorum aliqua referemus. Iam vidimus num. 133. in fine, quid doceat Beata Angela de Fulgin. quæ loquitur in terminis proprijs huius controverſiæ. Et hæc eſt urgens aſſerti noſtri probatio. Loquitur enim hic experientia illuminatiſsimæ mentis: &, teſte Philoſopho, argumentum ab experientia maximum eſt. Vndè ſicùt primam concluſionem; ſic & ſecundam probamus dictis huius expertiſsimæ Myſticæ.

140. Probatur 2. aſſertio diſcurſu eruto ex diverſis teſtimonijs Sanct. M. noſt. Thereſiæ, & ad hanc formam redacto. Etenim quandiù homo peccare poteſt, nequit certò ſcire ſe habere gratiam, ſine revelatione: ſed etiam ſi elevatus ſit ad ſpirituale matrimonium, ſeu unionem fruitivam, poteſt peccare: ergo nequit certò ſcire ſine revelatione, ſe gratiam habere. Ergo ſolummodò coniecturalitèr poterit hoc cognoſcere. Secunda conſequentia eſt innegabilis. Prima formalis eſt. Vndè tota difficultas reducitur ad præmiſſas. Quarum maior probatur primò expreſſo teſtimonio Seraph. Mat. noſt. Manſ. 7. cap. 4. in princip. dicentis: *Tampoco penſeis, que por tener* eſtas almas tan grandes deſeos, y determinacion de nunca hacer una imperfeccion por coſa de la tierra, dexan de hacer muchas, y aun pecados. De advertencia no, que las debe el Señor dar à eſtas tales muy particular ayuda para eſto: digo pecados veniales, que de los mortales, que ellas entiendan, eſtàn libres, aunque no ſeguras, que ternàn algunos, que no entienden, *que no les ſerà pequeño tormento.* Egregiè ſanè. Iſtæ animæ perfectiſsimæ labuntur in imperfectiones, & peccata venialia, non quæ ſint ex plena deliberatione, aut advertentia. De quo egimus quæſt. prima huius diſput. Apeccatis mortalibus, quæ ipſæ animæ cognoſcant, liberæ ſunt. Quocircà coniecturalitèr cognoſcunt, ſe habere gratiam; eò quòd inter habere gratiam, aut eſſe in peccato mortali non datur medium in elevatis ad finem ſupernaturalem. Vndè qui ex aliquibus ſignis conijcit, ſe culpam gravem non habere; eoipſo coniecturalitèr ſcit, ſe habere gratiam. Aſt licèt iſtæ animæ nullum peccatum grave in ſe cognoſcant, non ideò *ſecuræ ſunt, quia forte aliqua habent ab illis non cognita: quæ ſuſpicio eas haud leviter torquet.* Nec huius ſuſpicionis, aut formidinis ratio alia quærenda eſt, niſi quòd tales animæ peccare poſſunt. Sunt enim ab intrinſeco defectibiles: exulant in valle lachrimarum ſpinas, & tribulos germinante: urgent infeſtiſsimi hoſtes, qui in ipſas inſatiabilitèr debacchantur. Occaſiones plurimæ ſunt, quibus alliciuntur ad malum, &, ut paucis innumera comprehendam, etiam illarum animarum, adeò eminentium, vita eſt militia ſuper terram. Quæ apprimè deſcripſit eadem Seraph. Doctrix verbis immediatè præcedentibus, quibus caput illud 4. incipit, cuius pro re præſenti affatim idonea verba hæc ſunt:

No aveis de entender, hermanas, que ſiempre en un sèr eſtàn eſtos efectos, que he dicho en eſtas almas, que por eſſo donde ſe me acuerda, digo lo ordinario, que algunas veces las dexa nueſtro Señor en ſu natural: y no parece ſino que entonces ſe juntan todas las coſas ponzoñoſas del arrabal, y moradas del Caſtillo, para vengarſe de ellas, por el tiempo que no las pueden aver à las manos. Verdad es, que dura poco, un dia, ò poco mas, y en eſte grã alboroto (que procede lo ordinario de alguna ocaſion) veſe lo que gana el alma en la buena compañia que eſtà; porque la dà el Señor una grã entereza para

ra no torcer en nada de ſu ſervicio, y buenas determinaciones ; ſino que parece le crecen : ni por un primero movimiento muy pequeño no tuercen de eſta determinacion. Como digo, es pocas veces, ſino que quiere nueſtro Señor, que no pierda la memoria de ſu sèr , para que ſiempre eſtè humilde, lo uno ; lo otro, porque entienda mas lo que debe à ſu Mageſtad, y la grandeza de la merced que recibe , y le alabe.

His Cæleſtis Magiſtra & primam noſtram aſſertionem firmat , & ſecundam ſtabilit, & maiorem illam propoſitionem ſuam doctrinam continere, adſtruit. Eſt quippè hæc doctrina Thereſiana prorsùs eadem cum illa , quam tradidit D. Thomas 1. 2. quæſt. 112. art. 5. & uterque illam deſumpſit à Sacro Scripturæ fonte. Dicitur enim 1. ad Corinth. cap. 4. *Nihil enim mihi conſcius ſum , ſed non in hoc iuſtificatus ſum.* Et Pſalm. 18. *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me, Domine.* Eſt ergo vera maior illa facti ſyllogiſmi propoſitio.

141. Deindè probatur minor primò authoritatibus modò inductis , in quarum prima Seraph. Mat. loquuta planè de animabus perfectis aſſerit, ipſas nullam ſecuritatem habere propriæ immunitatis à culpis gravibus, quia fortè aliquas habent ipſis ignotas , qua formidine cruciantur. In ſecunda autem radicem huius formidinis detegens diverſos ſtatus eiuſdem perfectæ animæ indigitat. ¶ Secundò probatur eadem minor authoritate eiuſdem Sanct. Mat. noſt. quam dedimus diſp. 24. num. 10. Vbi ſupponit, animam perfectam poſſe à Deo per culpam ſeparari. Clariùs autem , & elegantiſsimè ſe explicat eodem cap. §. *Parece.* Vbi ait.

Parece , que quiero decir , que en llegando el alma à hacerla Dios eſta merced , eſtà ſegura de ſu ſalvacion , y de no tornar à caer. No digo tal , y en quantas partes tratare de eſta materia , que parece eſtà el alma en ſeguridad , ſe entienda , mientras la Divina Mageſtad la tuviere aſsi de ſu mano , *y ella no le ofendiere.* Propter hanc adeò expreſſam authoritatem non approbavimus num. 135. diſcurſum ibi inſinuatum , quamquàm doctrinam illam veneremur ob reverentiam dicentis. His ergo verbis clariſsimè probatur noſtra minor , in cuius maiorem comprobationẽ alia eiuſdem almæ Doctricis teſtimonia adduci poterant ; ſed præfata adduxiſſe , ſat fuerit.

Probatur rursùs ipſa minor ijs omnibus , quæ ex Seraph. Pat. N. ex noſtris Salmant. tract. 9. diſp. 2. num. 5. & alijs pluribus Authoribus , authoritatibus , & diſcurſibus tradidimus diſp. 25. quæſt. 1. toto §. 3. Omnia enim illa in id collineant , ut oſtendant , ſpirituale viæ matrimonium non eſſe propriè tale , aut ratum ; eò quòd ſeparabile eſt propter arbitrij humani vertibilitatem, quæ abſdubiò etiam in viris perfectiſſimis datur , niſi ex gratia ſpeciali in bono confirmentur. Quibus & minor illa propoſitio manet affatim comprobata , & noſtra ſecunda concluſio ſufficientiſsimè ſtabilita.

§. II.

Argumenta contra ſecundam Concluſionem.

PLura ſunt motiva , ob quæ argumenta contra primum aſſertum non conficimus: ipſorum caput eſt, quòd ratio , qua illud communivimus , eius virtutis eſt, ut in conſpectu illius quævis oppoſitio evaneſcat. Nullus quip, è impulſus , quantumvis impetuoſus, arietare poteſt hanc firmiſsimam , & ex terminis notam veritatem: *Infallibili certitudine gaudet , quod à Deo revelatur.* Vndè vel hanc inconcuſſam veritatem impugnare debet, qui contra illam noſtram concluſionem procedat ; vel negare debet , quòd Deus revelet animæ ad actualem unionem elevatæ gratiæ aſsiſtentiam. Primum eſt prorsùs ridi-

cu-

culum, & quod ſupponi in præſentiarum debeat. Secundum autem eſt difficillimæ probationis. Quocircà argumenta illam aſſertionem impugnantia prætermittimus. Accedit. Quòd enodatio eorum, quæ ſecundum aſſertum impugnant, magna ex parte ad primum quoque ſpectabit. Igitur contra ſecundam concluſionem.

142. Arguitur 1. aliquibus Scripturis. Prima eſt ex ad Roman. cap. 8. ubi dicitur: *Ipſe ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei.* Sciunt ergo Perfecti ex teſtimonio Spiritus Sancti ipſos eſſe Dei filios: cum que hæc fi iatio nequeat ſine gratia conſi tere, fit conſequens, quòd ſciant certò ſe eſſe in gratia. ¶ Secunda Scriptura rem conficere videtur. Extat apud Ioan. cap. 14. v. 16. Vbi Chriſtus Dominus ſuis Apoſtolis dicit: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum, nec ſcit eum. Vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos::: In illo die vos cognoſcetis, quia ego ſum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifeſtabo ei me ipſum.* ¶ Diximus, quòd hæc Scriptura *rem conficere videtur*, quia reverà plura continet, quibus aſſertum noſtrum infirmari videatur. Primò enim pollicetur Chriſtus, Spiritus Sancti adventum in Apoſtolos in die Pentecoſtes. Et tunc Spiritus Sanctus non venit, ut denuò infundens gratiam, ſed ut perficiens gratiam, quam in Apoſtolis reperiebat, illos elevans ad Perfectorum ſtatum, uti obſervant Divus Auguſtinus, ac Divus Thomas, cuius hæc ſunt verba: *Si diligitis me per Spiritum Sanctum quem habetis, & obeditis mandatis meis, recipietis Spiritum Sanctum quem habebitis, in ampliori plenitudine.* Et hic divinus Spiritus animas veſtras perficiens dabitur vobis, *ut maneat vobiſcum in æternum.* Quibus ipſis promittitur certitudo ſuæ gratiæ, & acceptationis ad gloriam. Hunc ſpiritum veritatis *mundus nõ poteſt accipere. Mundus* in præſenti deſignat peccatores, & etiam iuſtos imperfectos, qui adhùc perfectè mundo non renuntiavere, ut colligitur ex D. Thomæ expoſitione. Peccator Spiritum Sanctum *non poteſt* ſimplicitèr *accipere*, quia inter lucem, & tenebras impoſsibilis conventio eſt. Iuſtus non perfectus *non poteſt accipere* Spiritum Sanctum *in ampliori plenitudine* propter defectum diſpoſitionis. *Vos autem*, qui, eo adveniente, ad ſtatum Perfectorũ evehemini, *cognoſcetis eum.* Vndè notitia, quæ alijs iuſtis, & vobis nunc eſt tantùm coniecturalis, tunc vobis, iam Perfectis, certiſsima erit. Et hoc vobis continget, *quia*, cum iam, tunc Perfecti eritis, *apud vos manebit & in vobis erit.* In omnibus iuſtis eſt Spiritus Sanctus. Verùm in iuſtis perfectis eſt *in ampliori plenitudine*, apud quos *manet, & eſt.* Nihil redundat: nam *manet* ſignificat habitualem aſsiſtentiam, & *eſt* dicit *quandam eius intimam inhabitationem*, interprete D. Thoma. Idem confirmat Sacrum Chriſti Domini oraculum verbis alijs ſubſequentibus, quod ex dictis facile tibi erit obſervare.

Reſpondetur. Senſum primi teſtimonij eſſe clarum. Nam Spiritus Sanctus per ſuas illuſtrationes, & miros effectus, quos in anima cauſat, faciens illam mundialia contemnere, ad Cæleſtia aſpirare, & huiuſmodi; fundamentum ipſi animæ præſtat, ut moraliter cognoſcat, ſe eſſe in gratia. Hoc que, & non aliud ſuperius, eſt teſtimonium, quod medijs ipſis effectibus, ſpiritui noſtro reddit Spiritus Sanctus, circumſcripta revelatione.

143. Secundus textus, ſi, ut par eſt, conſideretur, fulcit apertè quicquid in præſenti quæſtione dictum à nobis eſt. Quod ut rectè aſſequare, ſcias pri-

primò: data verba posse duplicitèr intelligi. Vno modo, quatenùs specialitèr ad Apostolos dirigunturs. Secundò, quatenùs in personis Apostolorum diriguntur ad omnes Perfectos. Inter quos modos hoc interest: quod proùt respiciunt omnes Perfectos, exprimunt id, quod est proprium eorum, qui ad matrimonium spirituale assumpti sunt. Vndè omnibus illis convenit, quod illa verba, modo dicto accepta, exprimunt. Et ratio à priori est: quòd illud convenit per se, per se que exigitur à natura unionis fruitivæ, seu spiritualis connubij: quocirca in omnibus ad illud elevatis reperiri debet. Proùt verò verba illa specialitèr ad Apostolos diriguntur, exprimunt ea, quæ modo dicebamus, & addunt aliquid peculiare, quod non invenitur in omnibus Perfectis, sed in solis Apostolis, & in ijs, quibus eadem gratia conferatur. Et ratio est, quia, adhùc supposita unione fruitiva, est omnimodè libera Deo collatio illius gratiæ specialis. Vndè potest illam conferre huic, & non alij, salvà natura ipsius fruitivæ unionis. Sicùt etiam omnis iustus habet suæ gratiæ moralem notitiam; non tamen certam; quia hæc solummodò habetur ab aliquibus privilegiatis.

144. Secundò scias. Quòd in datis verbis fit mentio expressa utriusque unionis frutivæ, de qua agit duplex assertum nostrum. Diximus enim dari unionem fruitivam actualem, & habitualem. Et utraque hæc unio offertur ijs verbis: *Apud vos manebit, & in vobis erit*: quemadmodùm ex D. Thoma recognoscit arguens, & clarissimè docet nost. laudatus Thomas capit. 8. dicens: *Apud vos manebit habituali, & permanenti unione, quemadmodùm apud cæteros iustos sed & in vobis erit, ita, ut per actualem cum eo unionem, eius deificam deguſtaturi sitis præsentiam.* Et quia de conceptu unionis fruitivæ est, quod illà gaudens cognoscat, se habere gratiam: indè est, quòd hæc notitia supponi debet in omnibus, qui sacra illa unione decorantur. Ast quia diversa est unio habitualis ab actuali; idcircò diversimodè debet illis correspondere. Vndè non est concedendus idem notitiæ modus pro utraque unione.

145. His prælibatis pervia iam est Sacri textus expositio. Sinamquè ipsius verba intelligantur directa ad Apostolos, & in personis eorum omnibus Perfectis: seu, & est idèm, si consideretur unio fruitiva secundùm ea, quæ ex se, & necessariò dicit: tunc, si habitualis sit, petit in habente cognitionem moralem suæ gratiæ, *quemadmodùm apud cæteros iustos* habet. Et hoc est, quod diximus in secunda conclusione. Si verò actualis sit, quæ exprimitur ibi: *Et in vobis erit.* Tunc secum affert certitudinem infallibilem, de qua in prima conclusione actum est. Vndè duplex certitudo promittitur hic Perfectis, sicùt & duplex unio. Prima notitia est Perfecta, sed non nova: secunda est perfectissima, & nova. Prima correspondet unioni fruitivæ habituali promissæ illis verbis: *Apud vos manebit.* Secunda correspondet unioni actuali contentæ in subsequentibus: *Et in vobis erit.* Prima est simplicitèr perfecta intra lineam notitiæ moralis; sed non est simplicitèr nova, sed est in viris Perfectis: *Quemadmodum apud cæteros iustos.* Vndè apud ipsos, qui modò sunt Perfecti, priusquam ad perfectionem inscenderent, reperiebatur. Secunda est perfectissima, sicut & unio, ad quam consequitur. Est & nova, quia non provenit, sicùt præcedens, à coniecturis, & signis, plus, aut minus notitiam solummodò moralem, generantibus: sed à divina revelatione, vel æquivalenti, vel formali, quali Perfectos gaudere, diximus, ex suppositione elevationis ad sacrum connubium.

Iuxta quæ facilis est intelligentia textus oppositi, qui iam non oppositus censendus est, sed nostrarum assertionum fulcimentum. Nec nos applicationem specialem facimus: quia ex dictis

tibi

tibi facillimum erit, verba Sacri textus aplicare. Vide Seraph. Mat. noſt. Manſ. 7. cap. 1. ubi hæc profundiſsimè explanat. Ibi enim §. *Podemos conſiderar* agit de unione fruitiva actuali, ac de ſublimi cognitione, qua uniti gaudent de Sacroſancto Myſterio Sanctiſmæ Trinitatatis, de qua loquitur textus obiectus; imò illud ipſum Evangelij caput allegat, & quidèm eloquentiſsimè.

146. Egimus de unione fruitiva iuxta ea, quæ ex ſe dicit, ac proindè ſine quibus conſiſtere nequit unio illa fruitiva in ſui ſupremo, ac eminentiori gradu, in quo matrimonium celebratur, prout ſuo loco diximus, & prout ad nos in præſenti ſpectat, convenit que omnibus Perfectis, de quibus noſtra diſputatio procedit. Reſtat, ut de illa agamus, proùt dicit ea, quæ abeſſe, & adeſſe queunt, abſque ipſius unionis corruptione. De illa, prout ſic, agit datus textus, quatenùs dirigitur ſpecialitèr ad Apoſtolos, & ad alios privilegiatos. Sic que dicit unio hæc omnia, quæ diximus, & addit notitiam privilegiatam de exiſtentia in gratia, quam per divinam revelationem habent uniti, ne dùm in actuali unione; verumetiàm in habituali. Vndè iuxta hæc gloſſandus eſt totus textus de notitia certa, & infallibili, qua gaudent iſti privilegiati. Et hæc eſt quidèm nova, & perfectiſsima cognitio; ſed quæ exacta non ſit ab unione fruitiva. Vndè poteſt hæc dari ſine illa, & etiam ſine fruitiva unione poteſt dari illa infallibilis certitudo in iuſto, qui Perfectus non ſit. Quibus addendum eſt, pro completa textùs explicatione, quòd Apoſtoli habuerunt, alij que privilegiati habere poſſunt, donum confirmationis in gratia, & notitiam infallibilem de conceſsione ſibi facta huius doni: qualem Apoſtolos habuiſſe, liquet ex jis verbis: *Vt maneat vobiſcum in æternum.*

147. Arguitur 2. & poteſt eſſe replica, Perfectus perfectiùs cognoſcit, ſe habere gratiam, quàm iuſtus non perfectus: ſed hic ſcit moralitèr, ſe habere gratiam: ergo ille hoc perfectiùs cognoſcit. Ergo infallibilitèr. Cætera nota ſunt, & ſecunda conſequentia probatur. Inter cognitiones, de quibus modò diſputamus, alia eſt infallibilis, & ex fide; alia eſt certitudinalis, & ex ſcientia; alia, & omnium infima, eſt moralis, ut ex D. Thoma vidimus à num. 125. ergo ſi Perfectus habitualitèr unitus perfectiùs cognoſcit, ſe habere gratiam, quam iuſtus non perfectus; cum hic moralitèr hoc cognoſcat, ille cognoſcet pluſquam moralitèr; atque ideò vel infallibilitèr, vel certitudinalitèr.

Reſpondetur diſtiguendo maiorem *perfectiùs* graduali perfectione, concedo. Specifica, nego maiorem. Et ſic reſolvatur argumentum uſque ad ſecundam conſequentiam, quæ abſolutè neganda eſt. Ad eius probationem conceſſo antecedenti, negetur conſequentia, quæ legitima non eſt. Antecedens quippè loquitur de certitudinibus ſpecificè talibus, quales ſunt, quas illa diviſio comprehendit, ex illis que fit tranſitus ad gradùales intra eandem ſpeciem certitudinis moralis: quæ plures, ac diverſos gradus habet, ut præmiſimus num. 127. Vndè poteſt Perfectus habitualitèr unitus cognoſcere perfectiùs ſe habere gratiam: quin perfectio illius cognitionis ipſam extrahat à linea notitiæ moralis, ſeu coniecturalis. Ac ſubindè nunquàm poteſt fieri infallibilis, aut certitudinalis, imò nec moralis perfecta, quæ excludat prudentem facultatem dubitandi, ut eodem numer. dicebamus.

148. Dices: Res habens gradus ita poteſt perfici, ut omnes ſuos gradus tranſcurrat: ergo notitia moralis poteſt perfici tranſcurrendo gradus omnes, qui ſunt intra ſpeciem talis notitiæ. Ergo poteſt pervenire ad gradum ſupremum, qui excludat prudentem facultatem dubitandi. ¶ Adde: quòd ſi hoc ita non eſt: nunquàm cognitio, qua Perfectus ſcit, ſe habere gratiam, erit perfec-

fecta, adhùc intra lineam notitiæ moralis, cuius contrarium diximus in ſolutione ad primum.

Reſpondetur diſtinguendo antecedens: *res habens gradus* eiuſdem lineæ, concedo. Diverſæ lineæ intra eandem ſpeciem, ſubdiſtinguo, *omnes gradus* propriæ lineæ, concedo. Propriæ ſpeciei, nego antecedens. Itaque è rebus habentibus gradus, aliæ ſunt, quarum gradus ſunt eiuſdem lineæ. Et in his res, quæ ſuſcipit primum gradum, poteſt ita creſcere in perfectione, ut omnes illos gradus ſuſcipiat, omnibus que illis decora, perfectiſsima ſit. Quod patet in igne, cuius gradus caloris, etiam ſi mille forent, poſſet idem percurrere, & omnium perfectiſsimum recipere. Aliæ ſunt, quarum omnes gradus non ſunt eiuſdem lineæ, ſed intra eandem ſpeciem ſpectant ad lineas differentes. In his licèt perfectibile, quod unum gradum ſuſcipit, percurrere, & ſuſcipere queat omnes gradus ſpectantes ad eandem lineam; non tamen poteſt tranſire de una in aliam lineam, omnes que utriuſque gradus ſuſcipere. Ratio diſcriminis eſt, quòd notitia moralis illa dicitur, quæ nec infallibilis, nec certitudinalis eſt. Intra hanc ſpeciem notitiæ moralis plures notitiæ ſunt plures lineas conſtituentes: nam alia eſt linea notitiæ moralis excludentis prudentem facultatem dubitandi, & alia eſt, quæ talem facultatem non excludit. Notitia moralis prudentem poteſtatem formidandi non excludens cauſatur à ſignis, & coniecturis. Vndè quantumcunquè perficiatur intra propriam lineam, ſemper tamen eſt abſolutè imperfecta, adhùc intra ſpeciem notitiæ moralis; quia nunquàm poteſt ad eum perfectionis gradum pervenire, qui dictam formidandi poteſtatem non dicat. Notitia, quam habens gratiam de hoc habet, eſt moralis, quam ſigna, & coniecturæ cauſant. Hæc notitia poteſt in infinitum perfici, propter diſtantiam infinitam, quæ adeſt inter iuſtum, & Deum, verùm quantumvis perfecta conſideretur, nunquàm eò perveniet, ut ſit abſolutè perfecta: quia ſemper manet intra lineam notitiæ moralis ex coniecturis habitæ. Quocircà licèt notitia, quam de ſua gratia habet habitualitèr unitus, perfectiſsima ſit, quod libentèr fatemur: nunquàm tamen pertingere poteſt propter dicta ad ſphæram notitiæ perfectæ abſolutè, adhùc intra ſpeciem notitiæ moralis. Per quod ad additamentum patet ſolutio.

Alia argumenta in eandem concluſionem militantia omittimus, quia illa non tam Perfectorum cognitionem moralem impugnant, quàm iuſtorum intendentia, quòd iuſti omnes infallibilitèr ſciunt, ſe habere gratiam, ita ut hoc iureiurando affirmare, queant. Quæ videri poterunt apud Div. Thomam, & PP. Salmantic. locis prælegatis. Nos autem ſolummodò ponimus ea, quæ ad Perfectos ſpectant: ac de his non pauca prætermittimus.

***

QVÆSTIO SEPTIMA.

VTRVM PERFECTVS DEVM AMET AMORE concupiſcentiæ?

QVæſitum præſens à diſput. 16. inſinuatum eſt. Et quia eius reſolutio propriè attinet ad comparandam notitiam Perfectorum: idcircò illud in præſentiarum diſcutere, rationi conſentaneum arbitramur.

§. I.

Titulum explico, aliqua prælibo, ſententias refero, & dirimo controverſiam.

149. IMpoſsibilis eſt tituli intelligentia ſine notitia amoris concupiſcentiæ: nec hæc notitia poſsibilis eſt, illius amoris multiplicitate ignorata. Vt autem hæc multiplicitas dignoſcatur, proceſſum debemus incipere ab origine. Sciendum eſt ergo primò ex D. Thoma 1.2. quæſt. 26. art. 4. quòd amor terminatur ad duo, quorum primum eſt bonum illud, quod, dùm abſens eſt, deſiderat, & quo, ſi præſens eſt, fruitur. Secundum eſt perſona illa, cui illud bonum concupiſcitur. V.C. amat quis beatitudinem. Amor iſte terminatur ad ipſam beatitudinem, & ad perſonam ipſam, cui beatitudo diligitur. Primus reſpectus eſt concupiſcentiæ; eò quòd beatitudo non amatur propter ſe, ſed propter illum, cui deſideratur. Secundus reſpectus eſt amicitiæ; quia ut ait Philoſopus 2. Rhetor. cap. 4. *Amare eſt velle alicui bonum.* Vndè cum beatitudo interdùm ametur Deo, interdùm ipſi amanti, interdùm que proximo: elùcet ſempèr uterque ille reſpectus; concupiſcentiæ, erga beatitudinem concupitam; & amicitiæ, erga Deum, erga amantem, & erga proximum, cui concupiſcitur illa beatitudo. Ex quibus reſpectibus primarius eſt ille, qui ad perſonam, cui bonum concupiſcimus, terminatur. Ac proindè licèt idem entitativè actus ſupponatur habere utrumque reſpectum, ille, qui eſt ad perſonam, tribuit actui ſpeciem, ac denominationem amicitiæ: quamquàm à ſecundo habeat, quòd ſit amor concupiſcentiæ. Aſt quia hic reſpectus ad bonum concupitum ſecundarius, ac ſubindè minus principalis eſt, non habet ab illo amore denominationem, ſicùt nec ſpeciem.

Hæc omnia angelicè complexus eſt D. Thomas loco citato in corpore ubi ait: *Motus amoris in duo tendit, ſcilicèt in bonum, quod quis vult alicui, vel ſibi, vel alij, & in illud, cui vult bonum. Ad illud ergo bonum, quod quis vult alteri, habetur amor concupiſcentiæ: ad illud autem, cui aliquis vult bonum, habetur amor amicitiæ: hæc autem diviſio eſt ſecundùm prius, & poſterius: nam id, quod amatur amore amicitiæ, ſimplicitèr, & per ſe amatur: quod autem amatur amore concupiſcentiæ, non ſimplicitèr, & ſecundùm ſe amatur ſed amatur alteri. Sicut enim ens per ſe ſimplicitèr eſt, quod habet eſſe: ens autem ſecundumquid, quod eſt in alio: ita & bonum quod convertitur cum ente ſimplicitèr quidem eſt, quod ipſam habet bonitatem: quod autem eſt bonum alterius, eſt bonum ſecundumquid; & per conſequens amor, quo amatur aliquid, ut ei ſit bonum, eſt amor ſimplicitèr: amor autem, quo amatur aliquid, ut ſit bonum alterius, eſt amor ſecundumquid.*

150. Obſervandum eſt 2. Charitatem ſupernaturalem, ut potè perfectiſsimum amorem, utrumque illud munus, ſeu reſpectum dicere. Eſt enim

amor

amor amicitiæ, ut liquet ex eius diffinitione, quam ex Magistro admittunt communitèr Theologi, dedimus que tomo 1. lib.1. num.156. Vbi diximus, quòd charitas est virtus, *qua diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum, & in Deo.* Vbi ly *propter* signat motum illum principalem amoris, de quo num. præcedenti loquebamur; atque adeò denotat amorem amicitiæ. Est insupèr charitas amor concupiscentiæ iuxta D. Augustin. in soliloq. definientem charitatem per hoc, quòd sit virtus, *qua Deum videre, eo que perfrui desideramus.* Habet ergo charitas utrunque illum motum, quem eadem eiusdem actus entitas comprehendit. Dicitur autem ille actus absolutè amor amicitiæ, & non concupiscentiæ, quia speciem, & denominationem habet à principali respectu, ut dictum est. Quibus iam sufficientèr incipit apparere, in quo consistat amor concupiscentiæ, de quo quæsitum procedit. Vt autem eius genium amplius innotescat.

151. Observandum est 3. Amorem concupiscentiæ esse in multiplici differentia. Primus enim est amor ille, qui habetur à creatura rationali, quæ eoipso quod se amet, amat omne id, quod sibi bonum est. Quiaque Deus est præcipuum bonum ipsius, & magis inter omnia bona illi creaturæ conveniens, illum amat, ne dùm ut finem naturalem, verumetiàm ut finem supernaturalem: quod affatim manifestat, amorem illum non esse determinatè naturalem. Hic autem amor non dicit arduitatem, quæ obiectum spei necessariò comitatur. Vndè illum spes supponit, super ipsum que fundatur, addens in obiecto arduitatem, prout docet Sanctus Thomas quæstione unica de spe art. 1. ubi ait, quòd in obiecto spei concurrit, *quòd sit boni ardui, per quod differt à desiderio*, seu amore communitèr dicto.

Secundus concupiscentiæ amor, qui communitèr circumferri solet, est ille, cuius obiectum est arduum; illud tamen concupiscit, & consequi sperat auxilio superioris virtutis. ¶ Tertius concupiscentiæ amor est ille secundarius actus charitatis, de quo num. antecedenti loquuti fuimus.

Ex actibus ad principia transeuntes (ad plenam actuum notitiam capessendam) dicimus: quòd tertius concupiscentiæ amor elicitur à virtute charitatis, ut dictum est. Primus elicitur ab auxilio aliquo, vel ab aliquo habitu, qui sit quædam spei inchoatio; non tamen habeat rationem virtutis. De quo videre poteris N. Salmantic. tract. 18. disp. 1. dub.2. num. 39. & 40. Principium autem secundi amoris plures Theologi dicunt, seu dicere videntur, fore virtutem spei, cuius actus primarius est *sperare*: Secundarius verò est *amare*, seu *concupiscere* illud ipsum bonum, quod consequi sperat. ¶ Diximus: *seu dicere videntur.* Quia tametsi eorum aliqui sic loquantur: re tamen vera ex alijs locis liquet, aliam esse illorum mentem, à qua quandoquè præscindunt; quia ad dubia, quæ tunc præmanibus habent, nihil confert, quòd spes Theologica sit habitus eliciens illum amorem; vel quòd iste ab alio diverso habitu eliciatur. Testor PP. Salmantic. qui tract. 19. disp. 1. num. 27. in fine, & alibi illud affirmant ea claritate, ut interdùm posset quis suspicari, illam esse illorum PP. sententiam; cum tamen propriam mentem in sede propria revelatam habeant, videlicèt tract. præcedenti disp. 1. toto §. 3. ubi statuunt: actum adæquatum spei Theologicæ esse *sperare.* Amorem verò, ac desiderium boni absentis, sicùt & gaudium de præsenti bono, non esse actus ab spe elicitos, sed ab alio principio. Cum hoc tamen stat, quòd laudati Patres, & quotquot asserunt, amorem concupiscentiæ esse actum spei Theologicæ, habent maximum fundamentum in D. Thoma. Fundamentum, inquam, non quo illum actum, elici à virtute spei, convincant: sed quo illud posse asseri, & D. Thomæ testimonijs

fulciri, utcumquè oſtendant. Illa verò teſtimonia ſempèr intelligenda ſunt, modo, quo à prædictis Patribus exponuntur loco citato ex tract. 18. num. 87. Quorum morem, & intelligentiam retinentes nos quoque in poſterum, cùm occaſio id expoſtulet permittemus, ſpem Theologicam elicere amorem concupiſcentiæ. Vndè relicto illo primo concupiſcentiæ amore, quem elicit, vel auxilium tranſiens, vel habitus piæ affectionis, vel quicumque alius; ad rationem tamen virtutis haud pertingens: ſolummodò loquemur de amore concupiſcentiæ ſupernaturali, & gratiam ſanctificantem in anima ſupponente: agimus quippè de amore Perfectorum, quà talium; in quibus proculdubiò ſupponitur gratia ſanctificans, & quidèm perfectiſsima.

152. Hic autem concupiſcentiæ amor (obſerva 4.) poteſt dupliciter ſumi. Primò: prout eſt amor concupiſcentiæ puræ. Secundò: prout eſt amor cõcupiſcẽtiæ non puræ. Amor cõcupiſcẽtiæ puræ is eſt, qui nec munericè, nec entitativè habet rationem amicitiæ. Amor concupiſcentiæ non puræ ille eſt, qui, licèt ſub expreſsione concupiſcentiæ non dicat conceptum amicitiæ; illum tamen conceptum implicat, & quia elicitur in virtute actus primarij, qui verè amicitia eſt; & quia elicitur ab habitu eſſentialitèr habente conceptum amicitiæ. Quæ omnia ex Theologia Scholaſtica ſupponi debent. Amor concupiſcentiæ puræ tendit in Deum ut ultimum concupitum, nec poteſt, quantum exſe eſt, terminari ad Deum ut ultimum finem, aut dilectum, in quem prout ſic ordinatur amor concupiſcentiæ non puræ: quia licèt expreſsio concupiſcentiæ non alitèr tendat in Deum, niſi ut concupitum, in virtute autem actus primarij, & habitùs utrumque eliciẽtis, aſſurgit, & ad Deum ut ultimò dilectum terminatur. Ad eum modum, quo amor proximi eſt etiam Dei amor, quia ab actu primario, & habitu eliciente habet, quòd ſibi neceſſarium eſt, ut uſquè ad Deum perveniat.

Ex quibus rectè perpenſis, planus iam eſt ſenſus, in quo noſtrum hoc luctamen procedit. Vndè quæſtionis titulus ſic paraphraſandus eſt. *Vtrum Perfectus*, quatenùs talis, *Deum amet amore* ſupernaturali, & formato *concupiſcentiæ*, ſive nec experimentis nec includentis conceptum amicitiæ; ſive illum includentis, quamquàm ſub illa expreſsione non dicentis?

153. Qua in re triplex verſatur opinio. Prima tenet, fore illicitum & peccatum operari ſpe mercedis æternæ, & propter illam; quòd idem eſt, ac damnare, tanquàm peccaminoſum, amorem concupiſcentiæ. Hanc opinionem, ſeu potiùs errorem, ortum, & altum apud hæreticos novimus, quibus familiariſsimum eſt, amorem amicitiæ erga Deum vocibus extollere; illum vero operibus interimere. Hunc errorem propſcripſit Tridentina Synodus ſeſſ. 6. cap. 11. ubi definit: *Orthodoxæ Religionis doctrinæ adverſari eos qui ſtatuunt in omnibus operibus iuſtos peccare, ſi in illis ſuam ipſorum ſocordiam excitando, & ſe ſe ad currendum in ſtadio cohortando, cum hoc, ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam. Cum ſcriptum ſit: Inclinavi cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum propter retributionem. Et de Moyſe dicat Apoſtolus, quòd reſpiciebat in remunerationem.* Et Can. 31. inquit: *Si quis dixerit, iuſtificatum peccare, dùm intuitu mercedis æternæ operatur, Anathema ſit.* Hæc, & alia, quæ mihi videri poſſunt, fulminantur contra deliria Calvini, & Lutheri, quos in Magiſtros aſſumpſit Michael de Molinos, ut videre eſt in propoſitione 7. & alijs ab Innocent. XI. damnatis. Contra hos tamen nil nobis dicendum eſt modò. Tum: quia, ut dictum eſt, loquimur de Perfectis, quà talibus. Tum etiam: quia in ſequenti prædicabili hæc ipſa hæreticorum amentia nobis occurret.

Secunda ſententia tenet, quòd licèt hæ-

hæreticum sit affirmare, iustos operantes intuitu mercedis delinquere: rationi tamen consentaneum est, asserere, Perfectos ad illum statum pervenire, in quo opus ipsis non sit, moveri spe præmij, aut æternæ retributionis. Immò tenet, quòd sic procedere foret Perfectis incongruum, aut etiam impossibile, quia procedunt prorsùs alieni à motivo proprij interesse. Hanc opinionem tribuit Illust. Palanco tract. de Spe Theologica quæst. 10. aliquibus Magistris spiritualibus & animarum Directoribus, qui manibus propriæ insciciæ, & præsumptionis eò devenire solent, ut solummodò amorem Dei propter se ipsum exercendum autument. Vel ipsum intellectus actum è medio tollere satagunt; quia dilectionis fervorem impedire, stolidè arbitrantur. Hæc opinio falsissima est, & vulvà summè rudi concepta, &, quod peius est, in praxi est valdè periculosa: quod debuissent animadvertere ipsius Patroni, ne eorum industria plus in animarum ruinam, quàm in earundem instructionem introducta videatur. Hos perculit Innocent. XII. proscribens librum Archiepiscopi, Ducis Cameracensis, de cuius viginti tribus propositionibus expressè damnatis forsàm aliquid dicendũ occurret.

154. Tertia sententia ita amorem amicitiæ erga Deum extollit, ut alienum a Perfectis non iudicet amorem concupiscentiæ. Hæc sententia est nostra conclusio, quæ est apprimè conformis Sacræ Scripturæ, Sancto Augustino, D. Thomæ, Sanctæ Mat. nost. Theresiæ, Mystico N. Doctori, Magistro sentent. & alijs. Illam in proprijs terminis propugnat præallegatus D. Palanco: nosque illam probamus primò ex Sacra Script. ijs textibus, quos Concil. Trident. supra insinuavit. Etenim David, qui planè erat vir perfectissimus, fatetur planè se operari *propter retributionem*. Moyses etiam vir Sanctiss. & Perfectissimus heroica virtutum opera fecit propter eandem retributionem: *Aspiciebat enim in remunerationem*, ut dicitur ad Hebræos cap. 11. *Aspiciebat oculis fidei* (exponit D. Thomas) *in remunerationem, quam scilicèt ex hoc sperabat. Undè fides est substantia sperandarum rerum.* Non est ergo oppositus statui eminentissimo Perfectorum amor concupiscentiæ: quandoquidèm Perfectissimus David, & Moyses paritèr perfectissimus ex amore concupiscẽtiæ operabantur; quin indè eximiæ eorum virtuti, aut generoso amori, quo Deum propter seipsum amabant, nocumentum aliquod resultaret. ¶ Clarissimè loquutus est D. Paulus tum 2. ad Corinth. capit. 5. dicens: *Audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum.* Tum etiam ad Philipens. cap. 1. ubi ait: *Coarctor autem è duobus, desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo.* Ex quibus textibus, & plurimis alijs, quos prætermitto.

Probatur sic primò à ratione conclusio. Amor videndi Deum est amor concupiscentiæ: Perfecti amant videre Deum: ergo ipsum amant amore concupiscentiæ. Illatio formalis est. Minor liquet 1. ex adductis testimonijs, in quibus D. Paulus ostendit, se ardentissimè concupiscere visionem claram, seu præsentiam Dei. Liquet 2. ex D. Thoma loco citato ex Epist. ad Hebr. dicente: *Sancti propter spem finis ultimi æternæ felicitatis præeligunt afflictiones & paupertatem divitijs, & voluptatibus quia per ista impediuntur à consecutione finis sperati.* ¶ Maior probatur primò. Amor videndi Deum exigit positivè Dei præsentiam: ergo est amor concupiscentiæ. Antecedens certum est, & consequentia probatur. Amor ille non est amor amicitiæ, aut amor communitèr dictus: ergo est amor concupiscentiæ. Patet ista à sufficienti enumeratione. Et antecedens probatur. Amor amicitiæ abstrahit à præsentia, & absentia dilecti; non enim amat dilectum, quia præsens sit, nec ab amore cessat propter absentiam ipsius. Amor verò communitèr dictus, seu simplex desiderium non com-

pa-

patitur cum obiecti præsentia ; quòd enim desideratur, præsens non est : ergo ille amor nec est communitèr dictus, nec amicitiæ : ac subindè est amor concupiscentiæ. ¶ Probatur 2. maior ex D. Thoma 2. 2. quæst. 26. art. 3. ubi ait : *Ad 3. dicendum, quòd hoc, quòd aliquis velit frui Deo, pertinet ad amorem, quo Deus amatur amore concupiscentiæ.* Est ergo vera maior illa propositio.

Confirmatur hæc ratio, & simùl elevatur discursus ad probandum, quòd Perfectus non solùm amat Deum amore concupiscentiæ ; verumetiàm, quòd non potest illum sic non amare. Etenim Perfectus Deum amat amore amicitiæ ; nec potest perfectus esse, & Deum sic non amare : ergo & amat Deum amore concupiscentiæ ; nec queit illum sic non diligere. Antecedens certum est, & consequentia probatur. Amor amicitiæ, quo Perfectus Deum amat, necessariò includit amorem concupiscentiæ : ergo Perfectus amicabilitèr Deum amans nequit non illum amare amore concupiscentiæ. Consequentia bona est. Et antecedens probatur ex D. Thoma in 3. dist. 27. quæst. 2. art. 1. dicente : *Ad 1. ergo dicendum, quòd quælibet amicitia concupiscentiam, seu desiderium includit, & aliquid super eam addit, ut dictum est.* Videlicèt in corpore articuli. Vbi de amore agens ait : *Ad se ipsum autem, & ad ea, quæ sui sunt, hoc modo se habet, ut primò velit sibi præsens esse quicquid de perfectione sua est : & ideò amor includit concupiscentiam amati, qua desideratur eius præsentia.* Quæ verba, quamvis ex se clarissima, sic exponunt nost. Salmantic. loco citato ex tract. 19. num. 27. dicentes : *Omnis honesta, perfecta que amicitia includit concupiscentiam amati quatenùs illius præsentiam desiderat. Si enim illius conspectum non appeteret, eoipso non esset amicitia.*

156. Hæc gravissimi illi Theologi testimonium Aug. Magistri edisserentes. Et ex dictis sic brevitèr procedo. Implicat, quòd charitas, qua Perfectus Deum amat, non sit amor amicitiæ : ergo implicat etiam, quòd non sit amor concupiscentiæ. Antecedens comunissimum est inter Theologos, præsertim Thomistas 2. 2. quæst. 23. art. 1. Vbi D. Thomas satis clarè docet, charitatem esse essentialitèr, seu inseparabilitèr amicitiam. De quo consulendi sunt PP. Salmant. ibi dub. 3. & consequentiam suadet paritas. Propter inseparabilitatem conceptus amicitiæ à charitate implicat hæc sine illo conceptu : sed ab amicitia est paritèr inseparabilis conceptus concupiscentiæ ; si namque hic conceptus ab amicitia tolleretur, *eoipso non esset amicitia* : ergo implicat quod amor amicitiæ non sit etiam concupiscentiæ. Idem discursus fieri potest à paritate plurium aliorum conceptuum, quos amor perfectus includit, quosque assignat D. Thomas art. illo 1. ex 3. sentent. Vndè sicùt charitas includit indispensabilitèr conceptum benevolentiæ, concordiæ, & alios : eodem modo includit conceptum concupiscentiæ. Ac subindè sicùt repugnat charitas, quæ non sit benevolentia erga Deum ; sic etiam repugnat charitas, quæ non includat conceptum concupiscentiæ.

157. Quod feci, debitum superavit. Animus, & munus erat, ostendere, amorem concupiscentiæ, non solùm non esse incongruum, & impossibilem Perfectis, verùm & ipsis esse possibilem, ac decentem. Hoc nostrum munus erat : & vi factæ confirmationis ostenditur, talem concupiscentiæ amorem ita esse proprium Perfectorum, ut Perfectus non esset, qui illo careret. Hinc que planè dignoscitur, quantùm à veritate distet sententiæ oppositæ imaginatio. Ab ipsius Patronis scire cuperem, quem conceptum efformarent, si hominem in via spiritus incipientem, tepidum, imperfectum, dicentem audirent : *Cupio dissolvi, & esse cum Christo. Sicùt desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea* videre Deum, & huiusce modi alia ? Procul-

culdubiò reor, ipsos huiusce modi aspirationes, et suspiria Cachinno meritò susceptu ros. Sin minùs irridendi forent dicti Magistri. A quibus adhùc inquiro: si illa suspiria audirent, & personam suspirantem ignorarent: iudicarent esse perfectam, aut imperfectam? Illi actus sunt concupiscentiæ. Si ergo in eorum opinione amor concupiscentiæ Perfectis incongruus est, & impossibilis: non erit Perfectus, qui in illos actus erumpat. Erit igitur imperfectus. Quòd est absurdum ingens, & delirium, quo totus gratiæ invertitur ordinatissimus ordo. Isti Magistri cæci sunt, & duces cæcorum. Sunt cæcorum duces, quia, quos dirigunt, ducunt ad baratrum perditionis, manibus turpis otij, & conformitatis difformis periri cogentes. Cæci sunt: quia non vident, aliud esse, quòd amor amicitiæ sit perfectior; ac quòd solus ille exercendus sit. Hinc enim apertè constat, quòd Perfectis incongruum, & impossibile sit exercitium virtutum moralium. Plùs distat à charitate virtus moralis, quam amor concupiscentiæ, eiusdem charitatis legitima, quamquàm secunda proles. Si ergo hæc secunda proles charitatis impossibilis facta est Perfectis, magis impossibile erit virtutum moralium studium. Eodem discursu convincitur studium spei, & fidei ijsdem Perfectis esse impossibile. Spei quidèm: quia spes, si formata sit non sperat amare Deum; sed pro ipsius possessione suspirat, quod concupiscentiæ est. Vndè si incongruus, & impossibilis est actus concupiscentiæ, erit eòipso spei actus paritèr impossibilis. Rursùs idem dicendum erit de actu fidei: quia hic repugnat sine actu intellectus; & iuxta horum opinationem ad illum statum sublimantur Perfecti, in quo intellectus non operatur, sed sola voluntas, intensissimè dedita divino amicitiæ amori.

Cæci sunt isti Magistri: quandoquidèm non considerant, quòd omnium ascetarum solicitudo est virtutum omnium exercitium. Quæ virtutes in omnibus reperiuntur: alitèr tamen & alitèr; nam in incipientibus sunt incipientes: in proficientibus sunt provectæ & in Perfectis perfectæ. Hoc de omnibus virtutibus verum est, etiam de ipsa charitate, quæ iuxta D. Thomam alibi datum dividitur in incipientem, & proficientem, & perfectam. In incipientibus est incipiens, in proficientibus proficiens, & perfecta in Perfectis: & admodum, quo charitas ipsa has tres mutationes subijt, easdem & aliæ virtutes subeunt, quas charitas ipsa valorat. Vndè à charitate incipiente incipiens est humilitas: à proficiente proficiens, & à perfecta charitate humilitas quoque perfecta est. Hoc, quod cum alijs virtutibus facit tota (ut sic dicamus) charitas, facit ipsius charitatis respectus primarius amicitiæ cum ipsius secundario respectu concupiscentiæ. Quocirca si amicitia est incipiens, incipiens quoque est concupiscentia: cum proficiente proficit, & cum perfecta perficitur.

158. Hæc est secura, & sana doctrina, quam à Sacra Scriptura, prout dictum est, accepimus. Hanc etiam docuere nos Sancti PP. veræ doctrinæ Magistri, quos inter audiendus modò est Sanctus Augustinus tract. 5. super Epistol. qui loquutus de charitate inquirit: *Sed numquid mòx ut nascitur, etiam prorsùs perfecta est?* Et respondet: *Immò, ut perficiatur, nascitur: cum fuerit nata, nutritur: cum fuerit nutrita, roboratur: cum fuerit roborata, perficitur: cum ad perfectionem venerit, dicit: Cupio dissolvi, & esse cum Christo* ecce quicquid à nobis dictum est hoc D. August. testimonio comprehensum. In eo siquidèm, ut iam alibi exposuimus, proponitur nobis charitas nutrita in incipientibus, in proficientibus roborata, & in Perfectis perfecta: tunc que clamat: *Cupio dissolvi* &c. Hoc solo Augustiniano telo proscinditur tota imaginatio Magistrorum ex adverso dimicantium. Actus ille, in quem charitas perfecta erumpit, est amor concupiscen-

centiæ, ut probavimus num. 155. docent que noſt. Salmantic. 2. 2. quæſt. 2. in annotation. ad artic. 7. ubi dicunt: *In ſolutione ad 2. obſerva, quòd amor beatitudinis, atque adeò & amor ipſius Dei, ut eſt formaliſsimè obiectum beatificans, non eſt amicitiæ, ſed concupiſcentiæ.* Quam doctrinam repetunt, & nervosè urgent contra Scotum tract. 9. diſput. 1. num. 61. Illum actum elicit charitas poſtquàm perfecta eſt. Ex quo clariſsimè infertur, non ſolùm quòd charitas perfecta elicit actum concupiſcentiæ erga Deum, ut tenet aſſertum noſtrum: verumetiàm, quòd non eſſet perfecta illa charitas, ſi illum actum non eliceret.

Conſonat pulcherrimè Auguſtino Myſticus noſt. Doctor plurimis in locis. Flumen doctrinæ ipſius profundiſsimè, paritèr que clariſsimè fluit in Flam. præſertim Cant. prima. In ſua Egloga fermè Cantio non eſt, in qua hanc veritatem non edoceat. Exhibeo 36. in qua anima perfecta ſic dulciſsimè modulatur.

Gozemonos, Amado,
Y vamonos à ver en tu hermoſura,
Al monte y al collado
Do mana el agua pura,
Entremos mas adentro en la eſpeſura.

His verbis, adiuncta ipſius Sancti Doctoris expoſitione, perſpicuè traditur, quicquid hactenùs à nobis dictum eſt. Idem paſsim in alijs docet. Sed ubi non ſolùm doctrinam noſtram approbat; ſed etiam contrariorum poſitionem reprobat, diruens ſingulare illorum ſuffugium, eſt in Cant. 9. Recurrunt ſæpè adverſarij ad principium, quod colere quisque debet, tanquàm Sanctum. Hoc principium eſt conformitas cum divina voluntate, quæ tanta eſt in anima perfecta, ut penitùs Deo ſubdita nihil aliud cogitet, aut deſideret, niſi amare Deum propter Deum, ſui ipſius prorsùs oblita; ne ſui ipſius memoriâ conformitas maculetur. Hoc eſt principium, ſub quod confugiunt tanquàm Sanctum. Et utinàm ſancto illo principio ſanctè uterentur. Hoc ergo principium deſtruit Expertiſsimus Doctor ſic pangens.

Por què, pues has llagado
Aqueſte corazon no le ſanaſte?
Y pues me le has robado;
Por què aſsi le dexaſte,
Y no tomas el robo que robaſte.

Idem eſt, ait Sanctus Doctor, quòd in primò, & ſecundo verſu dicit anima: *Como ſi dixera: por què ſi le has herido haſta llagarle, no le ſanas, acabandole de matar de amor? Pues eres tu la cauſa de la llaga en dolencia de amor, sè tambien la cauſa de la ſalud en muerte de amor: porque de eſta manera el corazon, que eſtà llagado con el dolor de tu auſencia, ſanarà con el deleyte, y gloria de tu dulce preſencia. Y por eſſo añade.* Proponit, exponit que tres verſus ſequentes, & in ultimi explanatione inquit: *No puede dexar de deſear el alma enamorada (por mas conformidad que tenga con el Amado) la paga, y ſalario de ſu amor, por el qual ſalario ſirve al Amado: y de otra manera no ſeria verdadero amor.* Superfluum valdè eſſet immorari in horum declaratione; ipſa enim adeò perſpicua ſunt, ut nulla expenſione indigeant. Amor, quo Perfectus Deum diligit, non eſſet verus amor, ſi mercedem non expoſceret. Scito tamen, hanc mercedem, ut docet idem Sanctus, non eſſe aliam, niſi perfectionem ipſius amoris: quæ perfectio habetur gaudio, & gloriâ provenientibus ex clara præſentia Dilecti, ut dicitur in prima authoritate.

160. Dictis affatim innoteſcit veritas noſtræ reſolutionis, quam idcircò nolumus fulcire pluribus alijs, deſumptis, tum ab authoritatibus Sanct. M. N. & aliorum. Tum etiam, à maiori expenſione prædictorum. Tum deindè, à confutatione pravæ intelligentiæ reſignationis, ad quam ſententia oppoſita animas Perfectorum aſſumi, comminiſ-

ci-

citur. Tum deniquè, omissis pluribus, à natura, & genio ipsius amicitiæ, quæ falsa censeri debet, si desiderium se videndi inter amicos non causat, crescente desiderio ad amicitiæ intensionem. Novũ amicitiæ genus introducitur, dum amicis se videndi sedula solicitudo negatur. Hos potiùs inimicos dicerem, quàm amicos nominarem. Et sanè tepidè amat, qui amore impellente, non surgit, & quærens, quem diligit, circuit Civitatem. Hæc tamen omnia omittimus, & quia dicta sufficiunt, & quia ex ijs, quæ diximus, facilè queunt ista in favorem nostræ assertionis adduci; ac tandem, quia in ipsis argumentorum solutionibus plurima, quæ modò prætermittimus, memorabimus.

§. II.

Argumenta.

PLurima argumenta sunt, quæ nostram assertionem labefactare videntur, quibus proindè ocurrsum ire debemus. Et incipientes ab illa conformitate, qua causantur adversarij ad negandum concupiscentiæ amorem in viris Perfectis, in eorundem adversariorum gratiam hoc primum argumentum construimus. Etenim Perfectus ad illum gradum conscendit, in quo nec mortis, nec vitæ solicitus est: ergo non appetit mortem, ut ea præcedente, Deum videat: ergo nec Deum amat amore concupiscentiæ. Hæc secunda consequentia patet: quia si aliquem actum concupiscentiæ haberet Perfectus erga Deum, maximè esset desiderium videndi illum, iuxta dicta. Prima consequentia indè liquet: quia non stat appetitus mortis cum indifferentia, & resignatione erga vitam, & mortem. Antecedens autem probatur ex dicto illo D. Martini, qui animam iam agens dixit: *Domine, si adhùc populo tuo* &c. *fiat voluntas tua.* Quem actum Ecclesia celebrat ineffabilem appellans proferentem, eò quòd *nec mori timuit, nec vivere recusavit*: ergo Perfectus nec mortem, nec vitam desiderat, sed solùm appetit, quòd fiat voluntas Dei.

Confirmatur 1. Nequit Perfectus Dei visionem concupiscere, quin mortem desideret: cum mortis desiderio non stat amor, etiam concupiscentiæ: ergo hoc amore Deum Perfectus non amat. Probatur minor. Mortis desiderium imperfectio est, iuxta Mysticum nost. Doctorem Cant. 11. vers. 2. sed cum imperfectione habituali, qualis illa foret, non stat perfectio, ut multotiès diximus in hoc cursu: ergo cum mortis desiderio non stat Perfecti amor concupiscentiæ.

Confirmatur 2. Tota solicitudo Perfecti est amare Deum propter ipsum, absque respectu ad proprium interesse: ergo Perfecti Deum non amant amore concupiscentiæ. Nota est consequentia quia amor concupiscentiæ est amor interessatus. Probatur antecedens ex nost. Mystic. Doct. qui Cant. 28. sic in persona Perfecti canit.

Mi alma se ha empleado,
Y todo mi caudal en su servicio:
Ya no guardo ganado,
Ni ya tengo otro oficio,
Que ya solo en amar es mi exercicio.

Vbi clarissimè dicitur, quòd Perfecti anima nihil aliud intendit, nisi amare Deum; & ne intelligas, hunc amorem esse concupiscentiæ, audi quid Sanctus Doctor dicat in declaratione generali illius Cantic. *Está su alma, y cuerpo* (inquit) *y potencias, y toda su habilidad empleada, ya no en todas las cosas, sino en las que son del servicio de su Esposo: y que por esso ya no anda buscando su propria ganancia* &c. ergo tota propensio illius animæ dirigitur ad amãdum Deum amore benevolentiæ; non autem amore, ex quo lucrum aliquod sibi comparare, queat.

Respondetur argumento distinguendo antecedens, *nec mortis, nec* &c. ductus amore amicitiæ, concedo. Concupis-

piſcentiæ, nego antecedens. Ad cuius probationem dicas: quòd B. Martinus amore benevolentiæ ductus *vivere non recuſavit.* Si autem loqueretur ex amore concupiſcentiæ, cuperet diſſolvi, ut Deum facilitèr videret. Solutio eſt D. Thomæ in 3. diſt. 29. in expoſitione textus, ubi ait: *Ad 2. dicendum, quòd perfecta charitas, in quantum habet aliquid de amore concupiſcentiæ, ſic vult potiſsimè frui Deo: ſed ſecundùm quòd conſiſtit principaliùs in benevolentia, ſic facit appetere id, quod eſt Deo placitum, & ſecundùm hoc loquebatur Beat. Martinus.* Eſt dicere. Perfecti charitas & dicit conceptum amicitiæ, & rationem concupiſcentiæ. Secundùm utrumque conceptum poteſt perfectus uti charitate, qua fulget: ſicùt etiam poteſt uti eadem charitate, proùt eſt amor Dei, & proùt eſt amor proximi. Poteſt quoque uti charitate, & alijs virtutibus, V.g. fide, ſpe, Religione, humilitate, & alijs, quarum exercitio pro libito, aut deuotione, aut ſpeciali occurrentia incumbit. Si utitur charitate, proùt eſt amicitia; tunc nec mori, nec vivere vult, Divinæ voluntati prorsùs conformis. Si autem utitur charitate, proùt dicit concupiſcentiam; tunc illum vitæ tædet, & mori anhelat, ut morte præeunte, Deum facie ad faciem intueatur. Si operatur primo modo, verificatur quicquid de ſancta conformitate docent Magiſtri illi ſpirituales, nobis oppoſiti, qui videntur reſignationis conſervatores. Si ſecundo modo operatur, quòd huic actui primò reſpondet, non eſt conformitas, ſed poſitiva ſolicitudo Deum videndi: quamquàm hic ipſe actus, & deſiderium Divinæ voluntati tandèm ſubordinetur, dicens: *Verumtamèm non mea, ſed tua voluntas fiat.*

162. Dices: Si hæc vera ſunt, licèt Perfectus queat amare Deum amore concupiſcentiæ, ut tenet aſſertio noſtra; non tamen tenetur ad ſic Deum diligendum, ut teneri diximus à num. 156. ergo omne, quod ibi diximus, ruit. Probatur antecedens. Perfectus iuxta dicta non tenetur ad uſum charitatis, proùt hæc eſt amor concupiſcentiæ: ergo.

Reſpondetur. Omnem noſtram doctrinam ad duo reduci. Primum eſt, quòd Perfectus poteſt amare, & interdùm amat Deum amore concupiſcentiæ. Secundum eſt, quòd ſi charitas perfecta non haberet admixtum conceptum concupiſcentiæ, nec eſſet perfecta, nec vera charitas. Et utrumque ſtabilitum à nobis eſt. Modò autem dicimus, Perfectum, attenta lege veræ amicitiæ, teneri ad concupiſcendum Deum: ſed non ſemper quòd Deum amat: nam ſicùt tenetur ad aliarum virtutum exercitium; non autem ad omnes ſimùl, & ſemper exercendas, aut ad exercitium alicuius determinatæ (circumſcripta quacumque occurrente circunſtantia.) Ita etiam tenetur ad amorem concupiſcentiæ quandoquè eliciendum, & ad eliciendum quandoquè amorem amicitiæ. Primum elicuit Div. Paulus, dum deſideravit *diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Secundum habuit B. Martinus, dum *vivere non recuſavit.*

Ad 1. Confirmationem diſtinguo maiorem, *deſideret* ex ſuppoſitione, concedo. Abſolutè, nego maiorem. Ad probationem minoris dic, quòd mortis abſolutum deſiderium eſt imperfectio moralis cùm perfectione pugnans. Aſt mortis deſiderium conditionatum, ſeu ex ſuppoſitione, non eſt imperfectio. Et hæc eſt doctrina Myſtici noſt. Doctoris ibi ad illum verſ. *Y mateme tu viſta, y hermoſura.* Deſumpſit Sanctus Doctor hanc ſuam doctrinam ex Apoſtolo 2. ad Corinth. cap. 5. verſ. 4. dicente: *Qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus gravati, eò quòd nolumus ſpoliari, ſed ſuperveſtiri.* Vbi pulcherrimè deſcribitur duplex inclinatio animæ. Prima, ſecundùm quam renuit à materia, quam actuat, abiungi. Secunda, per quam ex impreſsione gratiæ Cæleſtem patriam anhelat. Anima, ſi *eſt*, non poteſt non habere primam; nec, *ſi perfecta*

fecta est, potest carere secunda. Hæc impleri nequit, quin amicabile fœdus, quo anima materiæ adiungitur, disrumpatur: quocircà *ingemiscimus* &c. Verumenimverò efficacior impulsus gratiæ superat impulsum naturæ. Et sic illa ipsa Perfecti anima, quæ naturali propensione appetit unionem ad corpus, impulsu supernaturali acta ipsius dissolutionem cupit, quam minimè cuperet, si consecutionem suæ felicitatis non impediret. Sic Mystic. nost. Doctor explicat D. Paulum & ipsum sic quoque exponit Angelic. Doctor inibi dicens: *Conditio autem desiderij est naturalis, retardans desiderium gratiæ, quia vellemus inveniri vestiti, & non nudi, id est, ita vellemus, quòd anima perveniret ad gloriam, quòd corpus non corrumperetur per mortem. Cuius ratio est, quia naturale desiderium inest animæ esse unitam corpori, aliàs mors non esset pœnalis.* Et infra: *Non possumus pervenire ad gloriam, nisi deponamus corpus, quòd est ita contra naturale desiderium ut dicat Augustinus quòd nec ipsa senectus à Petro timorem mortis auferre potuit.*

164. Ex hoc tamen, quod modò ex Div. Augustino dixit Div. Thomas obiectio consurgit, qua data à nobis doctrina pessum ire videtur. Etenim Div. Petro (& eius in persona omnibus Perfectis) prædixit Christus, quòd ipse Apostolus subiturus esset mortem nolens: ergo tam longè est Perfectus à mortis appetitu, quòd illam positivè non vult. Probatur antecedens relatione eorum, quæ Petro Christus prænuntiavit, illa que refert D. Ioan. cap. 21. vers. 18. in hunc modum: *Cum esses iunior, cingebas te, & ambulabas, ubi volebas. Cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet. quò tu non vis. Hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus esset Deum.*

Hæc obiectio destruit illam indifferentiam, quam sententia opposita introducere satagit in viris Perfectis. Si namquè D. Petrus, iam perfectus non vult mortem: fit consequens, quòd Perfectus indifferens non sit ad mortem, & ad vitam. Ad rem ergo textum explicat D. Thomas loco citato ex 3. sentent. *in expositione textus* consonè ad ea, quæ hactenùs dicta sunt; ait enim: *Ad primum igitur dicendum, quòd illud intelligitur de voluntate naturali hoc autem de voluntate rationis.* Est dicere: D. Petrus secundùm voluntatem naturalem mortem horrebat, illam verò secundùm voluntatem rationis, perfectæ gratia pulchram, desiderabat. Audiendus est D. Augustin. qui ansam obiectioni præbuit. Sic enim loquitur tract. 123. in Ioan. *Solotus quippè à corpore* (Petrus) *esse volebat cum Christo sed sifieri posset præter mortis molestiam, vitam concupiscebat æternam, ad quam molestiam nolens venit, sed volens eam vicit, & reliquit hunc infirmitatis deò fectum, quo nemo vult mori, usquè adenaturalem, ut eum B. Petro nec senectus auferre potuerit; sed molestia quantacumque sit mortis, debet eam vincere vis amoris quo amatur ille, qui, cum sit vita nostra, etiam mortem voluit ferre pro nobis.* Videatur Div. Thomas super allegatum D. Ioannem, ubi hæc omnia mirè elucidat.

165. Confirmatio secunda est tota adversariorum æquivocatio: autumant enim, quòd exercitium amoris, in nullo alio consistit nisi in actibus elicitis à charitate: & hi; qui sint actus amicitiæ. Igitur exercitium amoris, cui Perfecti insudant, consistit in actibus fervidissimis charitatis, tam ut est benevolentia, quàm ut est concupiscentia: tam ut est amor in Deum, quàm ut amor proximi est. Consistit etiam in omnium virtutum actibus heroicis, qui à charitate habent valorem, & à charitatis perfectione heroicitatem. Hoc est amoris exercitium: hoc animæ perfectæ studium: & hoc, & nihil aliud, est, quod Mysticus nost. Doctor tradit in ea Cant. Nec obest, quòd Sanctus Doctor dicat, animam, ex quo ad perfectionem inscendit, iam non quærere

lucrum illud, seu mercedem, qua priùs mercenaria inescabatur. Illa quippè merces non est merces vitæ æternæ, cuius desiderium augetur in anima ad augmentum charitatis, ut dictum est: sed est merces imperfecta, quæ in anteriori statu animam catenabat: qualis erat velle impertinentèr audiri, & audire: videre, & videri, & huiusce modi alia. Huius lucri desiderium, quo priùs tenebatur, evacuavit anima ad perfectionem evecta, ut inibi docet Sanctus ipse.

166. Arguitur 2. Amor concupiscentiæ est imperfectus: ergo non datur in viris perfectis. Probatur antecedens ex D. Thoma 2. 2. quæst. 18. art. 8. ubi ait: *Amor autem quidam est perfectus, quidam imperfectus*, & prosequitur docens amorem perfectum esse amorem amicitiæ, & imperfectum esse amorem concupiscentiæ.

Confirmatur. Charitas mediat inter timorem pœnæ, & præmij expectationem: *Sed perfecta charitas foras mittit timorem*: ergo ipsa charitas perfecta foras mittit præmij amorem. Ergo hic non datur in animabus perfectis.

Respondetur argumento. Sanctum Doctorem loqui, ut ipse explicat, de amore concupiscentiæ puræ, qui attribuitur spei, aut alij principio, adhùc minus perfecto, ut liquet ex ijs, quæ prælibavimus. Hinc autem non infertur, nisi quòd iste amor concupiscentiæ puræ sit imperfectus, relatè ad charitatis amorem. Quod nec nobis obest, nec arguit, illum amorem esse absolutè imperfectum. Et si D. Thomas de amore concupiscentiæ à charitate elicito loqueretur: eodem modo interpretandus foret: quia reverà ille amor, licet in se perfectissimus, minus perfectus est, quàm actus primarius charitatis, qui est amor amicitiæ. Vndè ex hac parte, & relatè ad istum, potest dici imperfectus amor concupiscentiæ. ¶ Ad confirmationem respondet D. Thomas loco citato ex sentent. sic. *Ad 5. dicendum, quòd bonum, de quo est spes, magis est consonum amori, quàm malum, de quo est timor: & ideò quamvis perfecta charitas foras mittat timorem pœnæ: non tamen oportet, quòd foras mittat intuitum mercedis.* His addere possumus, quòd charitas, non mediat inter timorem pœnæ, & amorem concupiscentiæ, qui est actus secundarius charitatis. Vndè licèt charitas perfecta foras mitteret (quod negamus) amorem concupiscentiæ, qui est à virtute spei: non mitteret foras amorem concupiscentiæ, qui ipsius charitatis actus secundarius est.

167. Arguitur 3. Amor, quo Perfectus Deum diligit, est actus charitatis perfectæ: sed amor concupiscentiæ non est actus perfectæ charitatis: ergo illo Deum perfectus non amat. Cætera liquent, & minor probatur. Amor concupiscentiæ quærit, quæ sunt amantis, ut de se patet: sed charitas perfecta *non quærit, quæ sua sunt*, iuxta Apostol. 1. ad Corinth. 13. ergo amor concupiscentiæ non est ipsius charitatis actus.

Confirmatur. Amor sui ipsius non est opus perfectæ charitatis: Amor concupiscentiæ est amor sui ipsius: ergo non est opus charitatis perfectæ. Probatur minor ex eodem Apostolo 2. ad Thimot. cap. 3. Vbi futuros esse homines abominabiles vaticinatur: horum que abominabilitatis motivum detegit hisce verbis: *Erunt homines seipsos amantes*, ideſt valdè iniqui, quorum iniquitatis origo designatur ijs verbis: *Seipsos amantes*, ut exponit D. Thomas dicens: *Primò ponit* (Apostolus) *iniquitatis radicem. Secundò diversas eius species. Radix autem totius iniquitatis est amor sui ipsius.*

Hoc argumentum, & confirmatio non tam Perfectis denegant amorem concupiscentiæ, quàm ipsum amorem absolutè damnant: quod esse hæreticorum errorem, diximus num. 153. Vberioris tamen doctrinæ gratiâ illis admissis, respondemus argumento negando

do minorem. Ad eius probationem possumus dupliciter respondere. Primò, iuxta id, quod inibi D. Paulus intendit. Secundò proùt eius verba contra nostram resolutionem obijciuntur. Ab hoc secundo incipientes distinguatur illius probationis maior *amantis* ut finis *cui*, concedo. Vt finis *cuius gratia*, nego maiorem, & eadem distinctione explicata authoritate Apostoli in minori adducta, negetur absolutè consequentia. Non est contra charitatem perfectam, quòd ego mihi Deum diligam, si ita diligo, quòd ego sim finis *cui* illius actus Deum diligentis, & ipse Deus sit finis ultimus ipsius. Iuxta quæ ad confirmationem dicimus, quòd amor sui ipsius ut finis *cui*, si aliundè non claudicat, potest esse à perfecta charitate: amor verò sui ipsius, ut ultimò dilecti, est pravus, & *radix totius iniquitatis*. D.Paulus loquitur de hoc secundo amore sui: quocircà eius dictum non est contra nos.

Si verò iuxta mentem, & intentum Apostoli loquamur, dicimus: quòd charitas *non quærit, quæ sua sunt*, hoc est, explicat Sanctus Thomas: *Neglectis bonis aliorum; nam qui diligit alios sicùt seipsum, bona aliorum quærit, sicut & sui ipsius.* Sunt qui toti sint in quærendo sua bona, neglectis proximorum bonis: & horum studium damnat Apostolus, opus charitatis non esse decernens. *Potest & alitèr intelligi* (prosequitur D. Thomas) *non quærit, quæ sua sunt, idest, non repetit ea, quæ sunt sibi ablata, scilicèt in iudicio cum scandalo, quia magis amat salutem proximi, quàm pecuniam.* Sic D.Paulum explicat Ang.Doctor. Vndè dicimus: quòd *quærere, quæ sua sunt*. Cum scandalo, aut contemptu aliorum, est ab Apostolo damnatum. *Quærere verò, quæ sua sunt* absolutè non est malum, & potest esse opus perfectæ charitatis. Quæ omnia ex iam subijciendis ampliùs elucidabuntur.

Ad confirmationem iam respondimus: sed pro uberiori solutione placet addere, quæ docet D. Thomas in 3. dist. 28. quæst. 1. artic. 6. ubi ait: *Ad 5. dicendum, quòd amare seipsum, quantum ad hominem exteriorem, nimis est vituperabile. Sed amare seipsum, quantum ad hominem interiorem est valdè laudabile & hoc est charitatis.* Et idem Ang. Doctor in eo articulo probat, quòd homo debet seipsum ex charitate diligere: non est ergo perversus amor sui ipsius, eò præcisè quòd sui ipsius amor sit: Secùs enim non esset actus charitatis. Aliundè autem amor sui ipsius pravus est: & huius pravitatis fundamentum iam vidimus argumentum enodantes. Sed meliùs D.Thomas mentem Apostoli exponit inibi dicens: In homine duo sunt, scilicèt natura rationalis, & corporalis. Quantum ad intellectualem, seu rationalem, quæ interior homo appellatur, ut dicitur 2. ad Corinth 4. homo debet plus se diligere, quàm omnes alios, quia stultus esset, qui vellet peccare, ut alios à peccatis retrahat; sed quantum ad exteriorem hominem, laudabile est, ut alios plus diligat, quàm se. Vndè illi, qui se sic tantùm amant, sunt vituperabiles. Hosque damnat Apostolus datis verbis.

168. Arguitur 4. Qui mercedem quærit, perfectus non est: qui amat Deum amore concupiscentiæ, mercedem quærit: ergo perfectus non est. Consequentia bona est, & minor per se nota. Maior autem probatur 1. Mercenarius perfectus non est; immò est damnabilis, ut patet apud D. Ioan. capit. 10. Qui mercedem quærit, mercenarius est; oculum enim habet ad mercedem, à cuius intuitu dicitur mercenarius: ergo perfectus non est Probatur *secundò* illa maior. Cuius finis est merces, perfectus haùd est: Quærentis mercedem merces finis est: ergo idem quòd priùs. Probatur *tertiò*. Amor non fundans amicitiam cum Deo non est perfectus: sed amor quærentis mercedem non fundat amicitiam cum Deo: ergo. Probo minorem. Amor respiciens utilitates, ac de-

delectationes, quæ ſunt in amicitia, non fundat amicitiam: ſed amor quærentis mercedem à Deo reſpicit utilitates, & delectationes, quæ ſunt in Dei amicitia: ergo illam non fundat. Diſcurſus tenet, & minor eſt certa. Maior verò liquet in amicitia civili, qua caret, qui oculum habet ad utilitates, & delectationes, quæ in ea ſunt: ergo pariformiter in amicitia ſupernaturali, cuius doctrinæ ratio eſt. Quòd amicitia ex conceptu amicitiæ fundatur ſupra honeſtum, & non ſupra utile, & delectabile: ac ſubindè caret amicitia civili, qui amicitiæ civilis delectationes, & utilitates quærit: & potiori iure caret amicitia ſupernaturali, quæ magis honeſta eſt, qui quærit utilitates, ac delectationes ipſius.

169. Ex recta ſolutione huius argumenti dependet intelligentia ferè omnium, quæ hucuſquè diximus. Vndè præ oculis habenda ſunt ea, quæ initio quæſtionis prælibavimus. Vltra quæ ſcire debes ex D. Thoma opuſcul. 61. cap. 3. & allegata diſtinct. 29. art. 4. quòd beatitudo poteſt duplicitèr diligi. Primò, ut id, in quo diligens quieſcit. Secundò, ut id, quo quieſcit. Primo modo reſpicitur beatitudo, ut finis ultimus diligentis; immò & ut finis Dei amati: quandoquidèm Deus aſſumitur ut medium, quo ad ipſius fruitionem pervenitur. Hic amor concupiſcentiæ eſt, ſed extemplo conſtat, ipſum eſſe perverſiſsimum, ac deordinatiſsimum. Secundo modo reſpicitur beatitudo non ut finis amati, ſed amoris ex parte amantis, qui reverà beatitudinem inſpicit; non tamen illam reſpicit ut finem ultimum abſolutè; ſed ut finem inter creatos ultimum, & fini abſolutè ultimo, ſeu increato, proximiorem. Qui amor non adeſt motivum, ut non habeatur tanquàm rectus, & virtuoſus. Vndè dicit D. Thomas illo cap. 3. in fine, quòd hæc propoſitio: *Iſte diligit Deum propter Deum* multiplicitèr poteſt intelligi. Primò ut diligat Deum propter Deum habendum, talitèr quòd habere Deum, vel Deo frui, eſt finis, in quo diligens ille quieſcit. Et hic amor non eſt Perfectorum, ſed peccatorum: cum per illum referatur Creator ad creaturam. Secundò poteſt intelligi dicta propoſitio, ait D. Thomas, ita ut diligatur Deus propter Deum habendum, ſed talitèr quod fruitio Dei non ſit finis *in quo* diligens ille quieſcit, ſed finis *quo* quieſcit in Deo. Et talis amor bonus eſt, eſt que amor concupiſcentiæ; ſi quidèm Deum propter Deum amat, ut ab amante tamen poſsidendum. Vlterius poteſt ſumi dicta propoſitio, ita ut *propter* denotet cauſam efficientem, ſive motivam, *& ut ſit ſenſus, Deus, ſive dulcedo Dei eſt cauſa movens iſtum ad diligendum Deum, ſic ille diligit illum propter beneficia ſua, quæ confert ei. Iſte motus eſt magis amicitiæ, quam concupiſcentiæ*, ait Ang. Doctor. Inſupèr ly *propter* poteſt ſumi, ita ut denotet cauſam finalem, & eſt ſenſus: *Diligo Deum propter Deum, illud eſt, propter præceptum Dei, & honorem ipſius.* Et hæc dilectio etiam eſt bona. Immò & præſtat antecedenti. Vltimò poteſt accipi ly *propter* prout eſt idem, ac non propter aliud: *Vt notetur excluſio finis ulterioris, & omnis commodi mei.* Et *hoc eſt gratiſsimè amare*, ex his omnibus actibus primus, ut diximus, eſt peccaminoſus. Ex alijs alij ſunt boni, alij meliores, & ultimus eſt omnium optimus: quandoquidèm eſt dilectio puriſsimæ amicitiæ, à propria diligentis utilitate remotiſsimæ.

Ex his ergo reſpondemus argumento quòd reverà non eſt Perfectus, ſed perverſus, qui quærit mercedem tanquàm finem abſolutè vltimum, in quo quieſcat: compatitur tamen cum maxima perfectione amor, qui quærit mercedem, tanquàm finem inter creatos ultimum, medio quo coniungitur, & quieſcit in ſuo increato fine. Vndè amor, qui ſic procedit, bonus eſt, & à perfecta charitate elicibilis. Per quæ patet ad ſubiunctas maioris probationes. Ad primam quidèm: quia ille propriè dicitur mercenarius, qui quærit mercedem, tanquàm finem, in quo quieſcat, quòd non facit iuſtus, maximè Perfectus: hic enim

quæ-

quærit beatitudinem, tanquàm finem, quo Deo coniungitur, & in eo quiescit, ut dictum est. Quòd si aliqui è SS.PP. interdùm amorem hunc beatitudinis mercenarium dicant: intelligendi sunt non de illa propria acceptione mercenarij; sed de alia, iuxta quam dicitur mercenarius, quia mercedem quærit; non tamen propter modum quærendi illam. Aut fortasse loquuntur de iustis imperfectis, & in amore Dei adeò tepidis, ut quamquàm Deum propter se ipsum diligant; alioqui iusti non essent: ipsorum tamen amor potiùs videntur mercedem dandam quærere, quàm Datorem. Et ab hoc respectu, qui reipsa non adest, licèt adesse videatur, possunt tepidi isti dici mercenarij. Nos verò loquimur de amore concupiscentiæ perfecto, qui ex cognitione, & amore increati finis appetit sibi illud ineffabile bonum, quod propter seipsum ardentissimè amat, & eminentissimè cognoscit. Hic amor, si à charitate eliciatur, ex proprijs assurgit usque ad Deum ultimò dilectum; si verò est amor concupiscentiæ puræ, & considereretur secundùm ea, quæ habet intra propriam lineam, sistit in Deo ultimo concupito; aut etiam ad Deum ultimo dilectum terminatur ex charitatis imperio.

Ad 2. probationem maioris diximus iam, amorem concupiscentiæ, quem Perfectis concedimus, habere mercedem pro fine ultimo inter creatos; non autem absolutè: seu, & idem est, habere mercedem pro fine, quo medio quiescit in fine absolutè ultimo; non verò pro fine in quo ultimatè quiescat. ¶ Ad ultimam probationem liquet etiam, non esse contra immunitatem honestatis amicitiæ, quòd amicus quærat delectationes, & utilitates tanquàm finem non ultimum. Vndè amicitia supernaturalis, qua Perfectus Deo unitur, præter respectum quem habet ad Deum dilectum, dicit etiam motum in Deum, ut ab ipsum amante concupitum. Iuxta dicta num. 148. Nec esset verus primus ille respectus, si hunc secundum non includeret. Vide, quæ diximus numer. 155 & 159.

170. Dices (& sit quintum argumentum) datur amor concupiscentiæ, qui nullatenùs est, aut esse potest amor amicitiæ: ergo dabilis est amor amicitiæ qui non sit amor concupiscentiæ. Ergo nec amor dicit duos illos motus, seu respectus; nec amor amicitiæ includit amorem concupiscentiæ, nec rectè probavimus, Perfectum amare Deum amore concupiscentiæ, ex quo amore amicitiæ ipsum amet. Secunda consequentia quoad omnia, quæ continet, liquet ex prima, quam paritas suadere videtur. Non enim est tanta connexio inter illos amores si unus ab alio separabilis asseratur. Antecedens autem probatur multiplicitèr. Primò in amore, qui virtutis spei est actus; hic enim nequit esse amicitia, sicùt neque spes charitas esse potest. ¶ Secundò in amore, quo ex charitate diligimus irrationalia, cum quibus ridiculum est, quòd amicitiam habere possimus. ¶ Tertiò in amore, quo quis amat delectationes, & utilitates, erga quas, ut patet ex dictis, non datur amor amicitiæ: ergo verum est illud antecedens.

Respondetur distinguendo antecedens, *datur amor*, sumpto amore pro aliqua sui expressione, seu respectu, concedo, pro omni, quod dicit, sub distinguo, nullatenùs est, elicitivè, concedo. Imperativè, nego antecedens. Cuius prima probatio dissolvatur secunda distinctione, & primà dissolvantur secunda, & tertia probatio. Ita que amor concupiscentiæ vel signat præcisè illam expressionem, secundùm quam concupiscentiæ est, vel signat id, quod concurrit in tali amore. Primo modo amor concupiscentiæ non est amor amicitiæ, nec è contra. Quod nihil aliud est, nisi quòd ex duobus respectibus amoris unus non sit alius, quod verissimum, & clarissimum est. Secundo modo dicit & respectum concupiscentis, & id, à quo provenit talis respectus, quod nihil aliud est, nisi amor amicitiæ: quippè ex amicitia, quam habeo erga amicum, provenit, quod bonum

num ipſi concupiſcam. Huius doctrinæ exemplum eſt ſecunda, & tertia probatio antecedentis. Etenim quia ex charitate diligimus proximos, extenditur iſte amor ad irrationalia, quæ proximorum, quos amamus, bona ſunt. Et quia bonum honeſtum diligo propter ſe: indè eſt, quòd illud ipſum bonum appetam mihi, vel alijs, quos amo, ad percipiendas utilitates, ac delectationes, quæ ex fruitione illius boni honeſti lucrantur. Et hæc pro explicatione primæ diſtinctionis.

Rursùs amor concupiſcentiæ, ſeu concupiſcentia amoris, vel eſt pura, vel non, ut diximus num. 151. ſi non: eſt actus ſecundarius charitatis: & cum actus ſecundarius non eliciatur, niſi in virtute primarij, & ab eodem habitu, à quo primarius elicitur, fit conſequens, quòd non datur huiuſcemodi concupiſcentia ſine amicitia, à qua oritur: nec datur amicitia, à qua non oriatur huiuſcemodi concupiſcentia. Si hæc eſt pura, procedit, modo ſupra explicato, à virtute ſpei, cuius ex proprijs non eſt habere rationem amicitiæ. Cæterùm quia ſpes illa præcisè viva, & formata eſt per charitatem perfectiſsimam in viris perfectis, de quorum concupiſcentia noſter ſermo procedit: idcircò ex acceptis ab hac perfectiſsima charitate ad Deum ſummè dilectum terminatur. Et hic eſt ſecundæ diſtinctionis ſenſus.

171. Obijcies tamen. Modò loquimur de concupiſcentia pura omninò præciſivè, hoc eſt, ſecundùm ea, quæ ex ſe habet, & non ſecundùm ea, quæ à charitate, aut aliundè participat: ſed concupiſcentia, prout ſic, nihil habet, per quod in Deum ut dilectum tendat: ergo ruit doctrina data. Minor certa eſt, & maior eſt expreſſa D. Thomæ, illam que ratio ſuadet, vel ſolo nomine illius actus inſpecto: dicitur enim concupiſcentia pura, ut detur intelligi, nihil aliud in eo actu reperiri, præter tendentiam in Deum, ut purè concupitum.

Reſpondetur. Præſentem controverſiam non eſſe de concupiſcentia pura ut cumquè, ſed de illa, qua Perfecti Dei præſentiam concupiſcunt. Hæc abſdubio eſt formalièr viva: ſecùs enim non erit ſermo de ſpe Perfecti, qua talis. Hæc ſpes ratione ſui nec exprimit, nec includit conceptum amicitiæ ut diximus num. 151. & 152. ex conceptu tamen vivæ, qualitèr in iuſtis reperitur, exprimit charitatis influxum. Sed quia hunc influxum non dicit per aliquid ſibi privativè proprium: idcircò ex ſibi proprijs eſt, & dicitur concupiſcentia pura, & ex adiuncto conceptu vivæ ad amicitiam accedit. Et hoc ſufficit, ut non detur concupiſcentia, de qua loquimur, ſine amicitia. Præterquamquòd noſtrum illud dictum non eſt de concupiſcentia pura, ſed de concupiſcentia, quæ elicitur à charitate: de hac que aſſerimus, non dari ſine amicitia.

172. Contra quod tamen dices: Amor, quo mihi beatitudinem ex charitate cõcupiſco, eſt concupiſcentia à charitate elicita, quæ nequit eſſe amicitia: ergo datur cõcupiſcentia elicita ab amore ſupernaturali, quæ nullatenùs amicitia ſit. Probatur antecedens. Actus, quo mihi beatitudinem concupiſco, oritur ab amore, quo me diligo: Hic amor non eſt amicitiæ, & quia amicitia *minus quàm inter duos haberi non poteſt*, ut docet D. Gregor. & quia petit redamationem, quæ eiuſdem ad ſe ipſum eſt impoſsibilis, & propter alia plura, quæ cuique manifeſta ſunt: ergo.

Reſpondetur negando antecedens. Ad probationem negetur minor; quia *amor, quem quis habet ad ſe ipſum, amicitia, & charitas poteſt dici, in quantum amor, quem quis habet ad alterum, procedit à ſimilitudine amoris, quem quis habet ad ſe ipſum*, ait D. Thomas in 3. diſt. 28. art. 6. qui ibidèm videri debet, & 2. 2. quæſt. 25. art. 4. Probationes minori inſertas ſolvit Sanctus Thomas dicens ad primam, *quòd Gregorius loquitur quantum ad primam impoſitionem nominis charitatis*. Quæ prima impoſitio pluralitatem dicit, quam ſecũ non affert nomen *charitas*, & *amicitia* iuxta

ſe-

ſecundam impoſitionem. Et ſanè Div. Gregorius non dixit: *Amicitia non minùs, quàm inter duos* &c. ſed *charitas*. Et nulli dubium eſſe poteſt, quòd quis debet ſe ex charitate diligere; cum proximum, quem debet diligere ex charitate, diligere debeat ſicut ſeipſum. Vndè intelligendus eſt D. Gregorius modo, quo illum explicat Sanctus Thomas. Qui ad 2. inſertam probationem ſimilitèr reſpondet: Quòd ratio illa procedit de amicitia, ſecundùm quod importat amorem diffuſum ad alios.

Placet fulcire fermè omnia, quæ hactenùs dicta ſunt, egregio teſtimonio deſumpto ex N. Salmantic. tract. 19. diſput. 1. n. 27. ubi inquiunt. *Ad confirmationem dicendum*, convinci ex illa, quòd charitas poteſt Deum per amorem concupiſcentiæ diligere: non tamen hoc eſſe adæquatum, & principale munus illius, ex quo proindè eius eſſentia venari debeat. Sed neque concludi, prædictum amorem concupiſcentiæ, qui eſt actus ſecundarius charitatis, excludere omnem rationem amicitiæ erga Deum: nam actus concupiſcentiæ puræ erga Deum, quem elicit ex ſe virtus ſpei, habet pro fine ultimo formali viſionem beatificam, qua Deus à nobis poſſidetur; & in hac poſſeſsione quantum eſt ex ſuis meritis, ultimò quieſcit. Amor autem concupiſcentiæ, quo charitas Deum attingit, non ſiſtit ultimo in prædicta viſi ne ſicùt in fine formali, ſed in beatitudine increata ipſius Dei, qua à ſe ipſo poſſidetur. Producitur quippè prædictus actus concupiſcentiæ in virtute actus primarij charitatis, qui eſt formalis amicitia erga Deum; ob id que non poteſt non attingere illum formalitèr, vel virtualitèr aliquo amicitiæ reſpectu. Nam quia electio verſatur circa media in virtute finis, *illum virtualitèr & mediatè ſaltèm attingit.* Hæc graviſsimi illi Theologi, quibus præfata omnia lucem, ac robur habent.

***

§. III.

Conſectaria colliguntur ex dictis.

173. EX his, quæ in præcedenti quæſtione dicta ſunt, colliges primò: Reſolutionem noſtram de amore concupiſcentiæ Perfectorum erga Deum neutiquàm reſtringendam eſſe ad Perfectos corporis gravedine preſſos, aut exilij inquietudinibus conquaſatos, qui ut ſocordiam, tunc cruciantem, excitent, aut contractam tepiditatem eliminent, ad amorem concupiſcentiæ recurrunt, ut ſpe præmij ſarcinam ſocordiæ, & tepiditatis deponant. Deum que amore amicitiæ diligant. Non eſt, inquam, ad hoc reſtringenda reſolutio noſtra. Sed etiam ad tempus (& tunc maximè) in quo Perfectus pennis ardentiſsimè charitatis elevatus Deum ſuum propter ipſum Deum intenſiſsimè amat. Neſcimus, an hoc noſtrum Corollarium ſit de mente Illuſt. Palanco, cuius omnes probationes eò tendere videmus, ut ſolummodò pro ſocordia vitanda amorem concupiſcentiæ Perfectis concedere, videatur. Quicquid autem ſit demente huius præclari Theologi, nobis certiſsimum eſt, quòd non ſolùm ijs adverſitatis temporibus, verùm etiam cum auræ Cæleſtis auſpicio Perfectus ad rogum Divinitatis evectus in eo papillio ſpiritualis amburitur, ex ipſius Divinitatis amore, quo flagrat, illà perfui ardentiſsimè concupiſcit.

174. Nec deſunt non contemnenda motiva ad huiuſcemodi exiſtimationem. Eorum primum eſt, quòd, ut ſuo loco diximus, in charitate, ut dicit amorem concupiſcentiæ, ſtat perfectio ſubſtantialis, ſicùt & in amore proximi, quī etiam eſt actus ſecundarius charitatis. Charitas non eſt perfectio ſubſtantialis per id, quod in remedium, ut ſic dicamus, aſſumit, quo cruciantem tepiditatem deponat, & erga Deum inardeſcat: ſed per id, quod ipſam perfectiſsimam, & vividiſsimas flammas emittentem ſupponit, aut facit. Quod ex ip-

ſa paritate amoris proximi planum eſſe, convincitur. Quandoquidèm, ut eo loci dicebamus, amor proximi tunc eſt perfectio ſubſtantialis, quandò de ipſo verum eſt dicere: *Maiorem charitatem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Hic amor proximi, de quo iſta verificantur, eſt ardentiſsimus, ſupponit que amorem Dei flammas ardentiſsimas evomentem. Sic ergo concupiſcentiæ amor, in quo animæ perfectio ſita eſt, debet eſſe concupiſcentia, ſeu deſiderium, non quo tepidus amicitiæ amor incendatur, ſed quod à fervido benevolentiæ amore generetur.

175. Hinc que ſecundum motivum noſtri conſectarij reſultat. Quoniam ex amore perfectiſsimo erga Deum concipit amans fervidiſsimum deſideriũ fruendi ipſo, & videndi facialitèr illum, quem ferè intuitivè interdùm videre ſolet. Hoc ipſe rerum ordo expoſtulat, amantium Perfectorum experientia docet, ipſa que Sacra Scriptura teſtatur, cuius plures textus adduci poſſent: Verumtamèn ſolius Moyſis mentionem faciam, qui Deum ardentiſsimè amans, & ab ipſo miris favoribus decoratus: cum à Deo audivit: *Novi te ex nomine* &c. *inveniſti gratiam coram me.* Exod. capit. 33. verſ 13. dixit: *Si ergo inveni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi faciem tuam, ut ſciam te.* Et infrà: *Oſtende mihi gloriam tuam.* Solus hic textus, & ille, quem numer. 154. ex Div. Paulo dedimus, manifeſtè noſtri conſectarij veritatem demonſtrant. Nec Moyſes, nec D. Paulus erant tunc aliqua adverſitate gravati, quin potiùs Domini benignitatem, & amabilitatem, affluentiſsimam conſpicientes ipſum videre anhelabant: quod deſiderium iam diximus, eſſe amorem concupiſcentiæ. Ex quo irrefragabilitèr liquet, Perfectum amare Deum amore concupiſcentiæ, non ſolùm tempore deſolationis, & adverſitatis; ſed etiam tempore proſperitatis, & conſolationis. ¶ Quod, ut diximus, *ipſe rerum ordo expoſtulabat*: quia nimirùm, qui amicum abſentem habet, etiam ſi pluries illum viderit, ipſũ videre deſiderat. Et ad menſuram amicitiæ eſt & magnitudo deſiderij. Si ergo hoc evenit inter amicos creatos, qui mutuò ſe viderunt & adinvicem converſati ſunt: potiori iure id ipſum longè maiori ſolicitudine eveniet cum Deo iuſti benigniſsimo, & amabiliſsimo amico.

Diximus etiam, quòd hanc ipſam veritatem *amantium Perfectorum experientia docet*, quod dicta, & facta Sanctorum affatim manifeſtant. Vnus noſt. Myſtic. Doctor in ſuis Canticis hoc demonſtrat. Videantur quæ ex ipſo dedimus num. 159. in quibus anima perfecto amore percita introducitur gemens, quia incolatus eius prolongatus eſt. In Flam. Cant. 1. ipſam flammam ignientem illam alloquitur, & ait: *Quæ iam mihi lenis, ac ſuavis es, & dulci teneritudine me ſaucias in intimiori centro, age iam, ſi tibi placet, & velo mortalitatis exuto, videam Dominum meum cuius præſentiam deſidero.* Hunc actum eſſe amoris concupiſcentiæ, nemo negare audebit, quod ita certum eſt, ac quòd anima, cum illum actum elicuit, erat in amœniſsimo Sponſi viridario, ſuper brachia Dilecti ſuaviſsimè conquieſcens. Conſtat ergo ex hoc diſcurſu, quòd Perfectus etiam tempore, quo amore amicitiæ Deum amat, amat ipſum amore concupiſcentiæ. Et quòd amor iſte concupiſcentiæ non præcedit, ſed ſubſequitur ad amorem amicitiæ. Ad illum ipſum modum, quo ſupra dicebamus, quòd ad amorem perfectiſsimum Dei ſubſequitur amor proximi paritèr perfectiſsimus.

176. Motivis, quæ obtulimus, alia duo addemus, illa brevitèr perſtringentes. Primum deſumitur ex diffinitione charitatis, quæ ut ex Div. Auguſtin. vidimus num. 149. eſt virtus, *qua Deum videre, eoque perfrui deſideramus.* Hic deſcribitur charitas viatorum non pro his, aut illis occaſionibus, aut ſtatibus,

ſed

sed secundùm ea, quæ conveniunt quidditati, aut naturæ Charitatis, prout in via. Vndè ex hac definitione patet veritas nostri corollarij. ¶ Hinque deducitur aliud motivum, quod etiam nobis offert Div. Augustin. verbis relatis num. 158. ex quibus sequentia reproducimus: *Cum ad perfectionem venerit* (charitas) *dicit, cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Ab igne perfectæ charitatis, quo anima Perfecti saucia est, provenit, quòd in illum concupiscentiæ actum erumpat: *Cupio dissolvi* &c. Non est igitur alienum; immò maximè consentaneum est animæ perfectæ, quòd dùm cælestibus voluptatibus perfunditur, Deum, quem tunc temporis propter seipsum ardentissimè amat, amet etiam, & eoipso amet, amore concupiscentiæ.

177. Secundò colliges ex dictis tam in hoc §. quàm in tota hac quæstione, amorem concupiscentiæ non eò, quòd concupiscentiæ sit, esse malum. Ratio est, quia licèt in Sacra Scriptura multotiès concupiscentia in malam partem sumatur, frequentèr quoque in bonum sensum accipitur. Vndè ex his textibus tantummodò colligere licèt, dari concupiscentiam bonam, & malam concupiscentiam. Quod perspicuè traditum videtur à D. Paulo in ad Colossenses cap. 3. Vbi ipsos ad frugem sanæ doctrinæ hortatur dicens: *Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & avaritiam.* Vbi seria observatione dignum est, quòd damnans Apostolus absolutè avaritiam, fornicationem, immunditiam, ac libidinem: concupiscentiam non absolutè damnavit, sed *concupiscentiam malam.* Quòd aliundè non potuisse provenire videtur; nisi quia omnis avaritia, omnis fornicatio, omnis immunditia, ac libido omnis, malæ sunt, & damnabiles; concupiscentia verò non eoipso, quod concupiscentia sit, mala est: datur quippè concupiscentia bona: quocircà non omnis concupiscentia damnatur, sed illa, quæ mala est: *Concupiscentiam malam.*

178. In quibus, quia admodùm pervia, immorandum non est. Expedit tamen scire nostrum, consectarium intelligendum esse, nedùm de amore concupiscentiæ, qui est actus secundarius charitatis, verumetiàm de illo, quem à virtute spei procedere, dictum est. Vterque enim est actus honestus, & Sanctus, ac per consequens laudabilis. Vterque reperitur in anima iusti, & ad perfectionem charitatis perficitur. Quæ omnia ex dictis sunt affatim manifesta.

QVÆSTIO OCTAVA.

VTRVM PERFECTVS HOMO VIATOR QVEAT supremos Angelos superare in amoris intensione?

EGimus quæstionibus præcedentibus de ijs, quæ ex vi sui felicissimi status conveniunt, vel non conveniunt Perfectis. Vndè omnia, quæ assertis antecedentibus statuta sunt, semper de omnibus, & solis Perfectis verificantur. Modò autem non vestigamus aliquid, quod omnibus perfectis sit commune, aut quod semper, & omnibus illis conveniat, seu quod brevius, & formalius est, non exploramus aliquid, quod ex vi status perfectionis in homine perfecto reperiatur; sed aliquid, quod, salva natura illius eminentissimi status, possit de illo negari. Cum quo tamen stat, quòd, si dabile est id, quod disquirimus, solis Perfectis conveniat. De ijs autem, qui

perfecti non ſunt abſurdum foret diſcutere, an ſupremis ſpiritibus queant vel excedere, vel æquare in amoris intenſione? atque ex hac parte ad hanc diſputationem ſpectat quæſitum præſens. Cuius maiorem explanationem tibi offero dicens, noſtrum ſtudium dirigi ad explorandum an *homo viator*, qui ad culmen *perfectionis* elevatus eſt, *queat ſuperare* non quoſcumque Cæleſtis Curiæ Cives, ſed *Angelos*, & non infimos, aut medios, ſed *ſupremos in amoris intenſione*, non ſumpti quoad ſpeciem; quippè eadem prorsùs eſt charitatis ſpecies, ſive in Cælo, ſive in ſolo, ſive in Angelo, ſive in homine. Nec ſumpti quoad continuationem, quoad connaturalitatem, quoad inamiſsibilitatem, & quoad ſtatum; ſic enim certiſsimum eſt, amorem beati infimi amorem cuiuſcumque perfectiſsimi ſuperſtitis ſuperare. Quandoquidem quocumque perfectiſsimo viatore deſignato, *qui minor eſt in Regno Cælorum, maior eſt illo.* Vndè ſi mihi proponas beatum hominem infimum inter omnes, qui poſt iudicium univerſale cum Chriſto regnaturi ſunt, & ipſius amorem compares quoad hæc cum amore ſupremi Angeli pro tempore, quo viator fuit; invenies, quòd hominis aſsignati amor præſtat Angeli huius amori. Sumitur amor hominis Perfecti viatoris quoad intenſionem, ſic que inquirimus, an queat eſſe intenſior, quam Angeli ſupremi amor?

§. I.

Statuitur Concluſio noſtra.

179. QVæſtionis titulum explicatum habes. Quare ad reſolutionem propoſitæ difficultatis accedentes, ſit noſtra aſſertio affirmativa, quam propugno propter communem Theologorum ſententiam, quam deffendunt Noſt. Salmant. tract. 19. diſp. 7. dub. 4. Eſt etiam reſolutio noſtra de mente D. Thomæ in 2. diſt. 9. quæſt. 1. art. 8. & 1. part. quæſt. 108. art. 8. Eſt etiam de mente noſt. Myſtici Doct. lib. 2. Noctis cap. 12. Illam expreſsè tuetur Mag. Ferre tract. 16. quæſt. 23. num. 1290. & Noſt. Anton. ab Annunt. Quolibeto 13. art. 1. Probatur aſſertio ratione fundata in Sacra Scriptura, cruta que ex D. Thomæ doctrina locis prælegatis. Etenim quotquot ſalvantur ex hominibus aſſumuntur ad ordines Angelorum, ita ut alij ſpectent ad primam Hierarchiam, & inter tres illius choros pro ipſorum meritis diſtribuantur; alij ad ſecundam, & alij ad tertiam, quæ omnium ſuprema eſt: ergo illi felices, qui iam aſſumpti ſunt ad ſupremam Hierarchiam, & in ſupremo eius choro collocantur, poſſunt ornari maiori gloria, quam ſuprema ipſius Chori Intelligentia. Ergo in via poterat illam in gratia ſuperare. Secunda conſequentia ex prima nota eſt: quandoquidèm gratiæ, charitati, & amori habitis in via correſpondet gradus ſublimitatis obtenti in gloria. Prima verò conſequentia videtur legitima. Si namquè poteſt Perfectus elevari ad primum chorum ſupremæ Hierarchiæ eo-ipſo eius gloria ſuperat gloriam aliorum ſpirituum ad alios Choros, & Hierarchias ſpectantium; ac ſubindè non repugnat, quòd excedat gloriam illorum ſpirituum ſecum in ordine convenientium. Quòd amplius ex dicendis innoteſcet.

Antecedens probatur. Verbis Chriſti Domini apud Luc. cap. 20. verſ. 36. ubi agens de hominibus beatis inquit: *Æquales enim ſunt Angelis.* Quæ verba ſic elucidat D. Thomas loco citato ex 1. part. *Per donum gratiæ homines mereri poſſunt tantam gloriam, ut Angelis æquentur ſecundùm ſingulos Angelorum gradus. Quod eſt, homines ad ordines Angelorum aſſumi.* Et loco adducto ex ſentent. ait: *Tertia propoſitio plus mihi placet quæ etiam dictis Sanctorum magis conſonat, ſcilicèt, quòd omnes electi aſſumantur ad ordines Angelorum: quidam ad ſuperiores, quidam ad inferiores, quidam ad medios pro diverſi-*

versitate suorum meritorum: sed Beat. Virgo MARIA super omnes. Continet ergo expressam doctrinam Sancti Thomæ nostrum illud antecedens.

180. Dices 1. D. Thomas utrobiquè improbat opinionem eorum, qui dixerunt, soliùs Perfecti prærogativam esse id, quod intendimus: ergo nostra conclusio opponitur D. Thomæ. ¶ Secundò dices: Datæ authoritates solummodò probant æqualitatem inter homines beatos, & Angelos: ergo insulsè illas adducimus ad convincendum excessum.

Respondetur ad primum negando antecedens. Fuit quidèm opinio asserentium solos Perfectos ad ordines Angelorum assumi. Hanc positionem minus sibi placere docet Angelic. Doctor in sentent. & esse contra D. Augustin. ostendit 1. part. Nos autem non illud intendimus, cum potius dicamus cum eodem: omnes electos, sive perfectos, sive non perfectos ad ordines Angelorum assumendos esse. De Perfectis verò dicimus, quòd licèt non omnes, aliqui tamen possunt in intensione amoris digniores Angelorũ superare. Et hoc probamus inductis authoritatibus, procedẽtes sic: Iuxta illas Perfecti vel omnes, vel aliqui (à quo nunc præscindo) spectant ad supremam hierarchiam Angelorum, quibus in gloria æquales sunt: ergo dum superstites erant, fuere æquales in amore, quo æqualem illam gloriam meruerunt. Ergo etiam potuerunt habere amorem, qui Angelorum superiorum amorem superaret. Hæc ultima consequentia in qua tota difficultas consistit, non indigeret probatione, si textus D. Thomæ ex 1. part. ab ipso Sancto Doctore dictatus fuisset, sicut illum refert Mag. Ferre numer. 1288. Veruntamèn quia D. Thomas non aliud dicit, nisi quod à nobis transcriptum est: Idcircò probatur sic. Non adest motivum impugnans excessum amoris hominis Perfecti viatoris supra amorem supremi Angeli comprehensoris, quod paritèr non impugnet æqualitatem: sed hanc concedunt de facto allata testimonia: ergo etiam convincunt excessum de possibili. Quòd, & non aliud, intendimus. Quamquàm non nihil de facto quoque dicemus. Omnia clara sunt, præter maiorem, de qua in secunda ratione probativa sermo redibit. ¶ Accedit quòd, ut iam insinuatum est, ex dictis authoritatibus planè liquet, nonnullos homines perfectos tanto erga Deum amore flagrasse, quòd in sui amoris præmium assumerentur ad supremum ordinem Angelorum: *Quidam ad superiores*, scilicèt ordines: quidam &c. *pro diversitate suorum meritorum*: ergo illi, qui merentur assumi ad ordinem supremum Angelorum superant de facto in amore Angelos spectantes ad ordines inferiores. Tunc sic: sed non adest ratio impugnans possibiltatem excessus relatè ad supremos Angelos, quæ, ut minus, æqualitèr non procedat contra excessum actualem respectu inferiorum: ergo.

181. Replicabis. Si hoc ita esset, illud utiquè D. Thomas expressisset: sed solam æqualitatem docuit, nihil loquutus de excessu: ergo non datur excessus, quamvis æqualitas concedatur: alioqui Doctor Sanctus diminutè processisset. ¶ Respondetur. Intentum D. Thomæ esse probare quòd homines assumuntur ad ordines Angelorum, ut sic ostenderet, quòd ex hominibus electis non est in gloria *unus ordo decimus inferior novem ordinibus Angelorum*: atque ideò ut declararet, quòd ex Angelis, & hominibus beatis constituitur una Respublica, Civitas una, una Ecclesia triumphans. Ad quod requiritur æqualitas inter homines, & Angelos ad eundem ordinem attinentes. Excessus autem non exigitur: quocircà diminutè non processit. Præterquam quòd de excessu loquutus est ijs verbis: *Sed B. Virg. Maria super omnes.* De quo infrà.

182. Probatur 2. Conclusio, & dicta hactenùs roborantur, expenduntur que: Etenim quòd homo perfectus queat in intensione amoris supremos Angelos superare, non repugnat ex parte Dei charitatem ad amorem conceden-

dentis, neque exparte hominis charitatem ſuſcipientis, neque, ex parte Angelorum: ergo ex nullo capite repugnat ille exceſſus: ergo dabilis eſt: ac proindè poterit homo perfectus Angelos ſupremos in amoris intenſione ſuperare. Secunda Conſequentia nota eſt ex prima, cuius bonitas apparet per hoc, quòd in antecedenti recenſentur omnia capita, à quibus poſſet repugnantia illa provenire. Antecedens autem pro prima parte probatur. Quia Deus gratiæ, & charitatis Dator nulla lege tenetur ad conferendam maiorem charitatem Angelis, quàm hominibus: ergo quantum eſt ex parte Dei, poteſt charitas collata hominibus excedere charitatem datam Angelis. Conſequentia eſt bona, & antecedens per ſe notum: nec aliquis aſſignare poterit motivum, quo Deus, ex ſuppoſitione quòd gratiam conferre velit, ſuperiorem debeat Angelis impertire. Quod demonſtrabitur infra ex iſs, quæ quandoquè viſa ſunt.

Secunda pars antecedentis probatur, & etiam prima. Collatio charitatis non dependet in hominibus ex natura ſuſcipientis, ſed ex mera liberalitate donantis: ergo poteſt homo ſuſcipere charitatem ſuperiorem charitate, qua Angeli decorantur. Patet iſta: Quia licèt natura hominis minor ſit naturà Angeli; cum ex una parte charitas non conferatur hominibus, attenta perfectione naturæ, & aliundè Dateris liberalitas, ex qua collatio charitatis pendet, non debeat eſſe maior cum Angelis: ſit conſequens, quòd homo, cuius natura eſt inferior, poſsit ſuſcipere ſublimiorem charitatem. Antecedens autem probatur primò ex communi conſenſu omnium Theologorum. Secundò probatur ex D. Thoma loco citato ex 1. part. ubi ait: *Illud enim, quod eſt ex parte naturæ, ſe habet ut materiale in ratione ordinis. Completivum verò eſt quod eſt ex dono gratiæ quæ dependet ex libertate Dei, non ex ordine naturæ: & ideò per donum gratiæ &c.* ſicut numer. 179. ¶ Ex his quæ probata manet tertia pars illius antecedentis. Quoniam ſi propter aliquam rationem repugnaret ex parte Angeli, quòd eius amor excederetur ab amore hominis viatoris, maximè propter exceſſum naturæ Angelicæ. Hoc autem nullius momenti eſſe, liquet ex inducto D. Thomæ teſtimonio, in quo aſſeritur, dona gratiæ non conferri hominibus intuitu naturæ, ſed *ex libertate Dei*, ipſius que abſoluta liberalitate. Vndè exceſſus ille naturæ Angelicæ ſupra humanam eſt quid *materiale*.

Accedit. Quòd homo non ſuſcipit à Deo charitatem ſecundùm potentiam naturalem, ſed ſecundùm capacitatem obedientialem; quæ capacitas id omne poteſt à Deo ſuſcipere, cuius infuſio non repugnat ex parte Dei infundentis. Dictum eſt autem, quòd ex parte Dei, homini infundentis charitatem, non repugnat, quòd homini infundat amorem ſuperantem amorem ſupremi Angeli: ergo nec ex parte naturæ humanæ, nec Angelicæ hoc repugnat. Secùs enim infundere homini dona gratiæ non dependeret ex libertate, ac liberalitate Dei; ſed dependeret à natura, ſicùt evenit in Angelis, quibus infunduntur ea dona cum reſpectu ad naturam, propter legem, cui liberè Deus voluit ſe obligare. Quam legem relatè ad homines nullus hactenùs recognovit. Nec, ſi daretur, iam tunc natura humana eſſet quid *materiale* ad charitatis infuſionem; ſicùt ad charitatis Angelicæ infuſionem non eſt *materiale* quid natura Angelica.

183. Confirmatur, & ſimùl omnia prædicta roborantur. Amor quorundam hominum viatorum defacto ſuperavit in via amorem ſupremi Angeli comprehenſoris, & modò gloria illorum huius gloriam excedit: ergo hoc poteſt fieri. Patet iſta: quia proceditur de actu ad potentiam. Et antecedens probatur 1. In Chriſto Domino, cuius gratia, amor & gloria omnem omnium Angelorum gloriam, amorem, & gratiam ſuperavit. ¶ Probatur 2. in Beatiſsima Virgine, quæ Angelorum Regina non foret, ſi om-

omnes illos, etiam collectivè sumptos, in gratia, gloria, & amore non excederet. De hac glorioſiſsima Domina, inquit Ven. ac Eximius Suarez de Angelis lib. 6. cap. 4. num. 16. *Eſt certum, inter puras creaturas Beat. Virginem eſſe beatiorem omnibus Angelis.* Et N. Salmant. tract. 7. quæſt. 62. in animadverſ. ad art. 6. num. 4. dicunt: *Certum eſt, homines non eſſe aſſumptos ad reparandas ruinas Angelorum in eodem gradu: ſiquidèm manifeſtum eſt, quòd aliqui homines, ut Chriſtus Dominus, & Beat. Virgo habent perfectiorem gratiam, & gloriam, quàm quivis Angelus.* Videantur ijdem PP. tract. 16. diſp. 1. à num. 43.

Probatur 3. antecedens. Nam inſignem meum Patriarcham Div. Ioſeph ſuperaſſe, & ſuperare in amore Angelos ſupremos, immune à temeritate iudicat ſapientiſsimus Magiſter Ferre, mihi vel ob hoc ſolum, quamvis alia motiva non ſuppeterent, colendiſsimus. Verbis ipſius utar allegato num. 1290. ait enim: *Nec iudicaverim temerarium aſſerere, D. Ioſephum ſuper omnes Angelos habuiſſe gratiam, & gloriam. Cui enim Angelorum aliquando Chriſtus dixit: Pater meus eſt tu? Et tamen piè creditur, Chriſtum multotiès Ioſephum ſuum appellaſſe Patrem: Sic, ut poſſimus introducere Ioſephum dicentem: Ipſe invocavit me, Pater meus es tu. Certè crediderim, quòd poſt veram Maternitatem Chriſti ordine dignitatis ſequatur Paternitas Ioſeph: Spectabat enim ad ordinem hypoſtaticum ſecundùm dici, quamvis non ſecundùm eſſe. Vndè poſt M. ARIAM Virginem crediderim in gratia, & gloria coordinari. Vt ſic ſupra omnes Angelos detur, quaſi quædam hypoſtatica hierarchia conſtans ex ſupremo, Chriſto medio, Maria, & infimo, Ioſeph.* Hæc ſubtiliſsimus hic Theologus, cui libentiſsimè ſubſcribo. Hisque ſufficientiſsimè probatum manet noſtrum illud antecedens, quod noſtri aſſerti veritatem demonſtrat, ut conſiderans deprehendit.

184. Probatur tandèm aſſertio ratione innixa authoritati noſtri Myſtici Doctoris ad formam ſubſequentem redacta. Illuminatio, quam à Deo habet vir perfectus, ſolet interdùm præſtare illuminationi Angelorum: ergo & amor hominis perfecti poteſt ſupremorum Angelorum amorem ſuperare. Patet conſequentia. Tum: quia iuxta noſtrum Seraph. Parentem lib. 2. Noct. capit. 12. *Nunca dà Dios ſabiduria myſtica ſin amor, pues el miſmo amor la infunde.* Ex quo infertur, quòd maiorem ſapientiam myſticam, ſeu illuminationem maior amor infundit. Tum etiam: quia ſicùt amor, ſeu charitas eſt ab infundente Deo; ſic ſapientia, ſeu illuminatio myſtica. Vndè, ſi verum eſt, quòd homo poteſt ſuſcipere ſapientiam myſticam ſuperantem Angelorum illuminationem, nullum fundamentum reſtat; ut hoc ipſum non affirmemus de amore. Antecedens, in quo difficultas conſiſtit, continet expreſſam doctrinam laudati N. Myſtici Doct. qui inibi ediſſerens diſcrimen maximum, quod datur inter aſcetam perfectum, & non perfectum, inquit, quòd non perfectus recipit divinam influētiam, habetque contemplationem obſcuram, triſtem, afflictivam, ſic que manere ait: *Haſta que eſte miſmo fuego de amor le eſpiritualize, y ſutilize purificandole, para que con ſuavidad pueda recibir la union de eſta amoroſa influencia à modo de los Angeles, yà purgado; como deſpues dirèmos, mediante el Señor: porque almas ay, que en eſta vida recibieron mas perfecta iluminacion, que los Angeles.* Conſtat ergo, verum eſſe noſtrum illud antecedens ex hac authoritate: in qua eoipſo quòd nullus Angelus excludatur, omnes comprehenduntur.

***

§. II.

§. II.

Argumenta.

185. CONtra noſtram concluſionē opinatus eſt quidam Coment. Græcus, cuius meminit D. Thomas citato loco ex ſentent. hic enim ſuper 6. Ethic. Ariſt. dicit: *Nullus tantum animæ ſuæ profectum ſperare poteſt, ut ad operationem intellectuum ſeparatorum pertingat.* Iuxta quã exiſtimationem ex omnibus hominibus electis conſtituitur ordo decimus inferior novem ordinibus Angelorum. Ex quo deducuntur duo. Primum eſt, quòd homines electi non aſſumuntur ad ordines Angelorum. Secundum eſt, quòd horum gratiam, & gloriam æquare homines ne queunt. Hunc dicendi modum, tanquàm ſapientem hæreſim reijcit Sanctus Thomas, quia, ut minus Sacratiſsima Virgo *exaltata eſt ſuper choros Angelorum ad Cæleſtia regna.* Quapropter alij concedunt quidèm decimum illum chorum inferiorem; ſed negant, omnes homines electos in eo collocari. Eò quòd Virgines non ad aliorum hominum chorum, ſed ad choros Angelorum exaltandos autument. Sic que verificatur, quòd Glorioſiſsima Virgo ſuper choros Angelorum exaltata ſit. Hoc etiam improbat Ang. Doctor. quia plures, qui Virgines non fuere, ut D. Petrus, Magdalena, & alij, Virginum plurium merita ſuperarunt, & modò gloriam excedunt. Et abſonum prorsùs foret, quòd maius meritum ad chorum inferiorem ſpectaret.

Propterea alij, minus exorbitantes à vero, dixere, quòd ex hominibus electis duæ claſſes ſunt: alia Perfectorum, & non perfectorum alia. Secunda chorum decimum conſtituit choris alijs inferiorem. Prima verò, quæ Perfectorum eſt, quorum prærogativis indagandis in hac diſputatione inſudamus, nullum chorum ſpecialem facit, ſed per omnes Angelorum ordines divagatur. Ac proindè de his Perfectis verum eſt, quòd alij gratiam, & gloriam Angelorum æquent, & quòd alij ſuperent, ut de Beatiſsima Virgine dictum eſt. Hæc opinio, ut diximus, minus deviat, & nobis minimè opponitur. Ex eo enim, quòd de Perfectis hoc aſſerat, aſſertio noſtra ſalvatur. Aliundè autem placere non poteſt. Tum: quia diſplicet D. Thomæ. Tum etiam: quia *cum ex hominibus, & Angelis* (ait Ang. Magiſter) *futura ſit una Eccleſia, & una hierarchia, non eſt probabile, quòd numerus ordinum, qui Cæleſti hierarchiæ competit per tria terna diſtinctus, ut ipſe numerus ordinum exprimat Trinitatis increatæ veſtigium, per homines augeatur.* Hæc Div. Thomas. Hæc quoque Magiſter in illa diſtinctione 9. & uterque ſuam doctrinam deſumit ex Div. Gregorio, D. Auguſtino, & alijs ex SS. PP. Vndè hanc opinionem nos quoque reijcimus, qua parte decimum illum ordinem introducit; illam verò approbamus, quatenùs Perfectos ad ordines Angelorum aſſumi ſtatuit, & eorum gratiæ, & amori æquat, aut ſuperare poſſe, ſupponit, quod eſt idem, ac id, quod in noſtra aſſertione propugnamus, contra quam.

186. Arguitur primò. In Scriptura Sacra mētio fit decimi ordinis complendi per homines electos: ergo talis ordo datur. Ergo homines ad illum pertinentes nequeunt eſſe in amore, & gloria Angelis ſuperiores. Antecedens liquet in parabola de ove perdita, quam Paſtor bonus quæſivit, in qua genus humanum adumbrari, concors eſt SS. PP. ſententia, ſicùt & quòd in nonaginta novem tria terna Angelorum ſignificantur. Quocirca ait laudatus Magiſter in illa diſt. 9. *Moventur Lectores, quomodò Scriptura dicat, decimum ordinem compleri ex hominibus.* Prima conſequentia legitima eſt, & ſecunda probatur. Homines, vel Angeli pertinentes ad unum ordinem nullatenùs poſſunt excedere, aut æquare perfectionem aliorum ſpectantium ad alium ordinem ſuperiorem, ut videre eſt in Thronis, qui

qui nunquàm pervenire queunt ad perfectionem Cherubin, & in Cherubin, quæ minus ſemper perfecta ſunt, quàm Seraphin, quæ omnibus ſpiritibus elevatiora ſunt: ſed omnes homines ſupponimus pertinere ad eundem decimum ordinem, qui omnibus novem ordinibus inferior eſt: ergo nullus homo poteſt ſuperare, nec æquare Angeli perfectionem.

Reſpondetur negando antecedens. Cuius probatio non urget: quia ovis illa perdita, dum perdita erat, ad alium utiquè ordinem pertinebat, ſed qui ad Cæleſtem Hieruſalem non pertinebat, ſed ad inferos ſpectabat. Illam Paſtor bonus quæſivit, & ad ſuam gratiam proprij cruoris ſoluto pretio reſtituit, ut ſic poſſet ad ordines Angelorum aſſumi. Et hoc non infringit, quin potiùs firmat noſtram reſolutionem; quia, ut ex D. Gregor. ait inibi Magiſter, in ordine Angelorum aſſumendi ſunt homines, *quorum alij aſſumuntur in ordine ſuperiorum, qui ſcilicèt magis ardent in charitate; alij in ordine inferiorum, qui ſcilicèt minus perfecti ſunt.* Et infert: *Ex quo apparet non eſſe de hominibus formandum decimum ordinem, tanquàm novem ſint Angelorum & decimus hominum: ſed homines pro qualitate meritorum ſtatuendos in ordinibus Angelorum.* Et hoc eſt id ipſum, quòd num. 179. à D. Thoma audivimus. Quòd verò in ſacro eloquio aliquandò decimi ordinis, complendi ab electis hominibus, mentio fiat; non eſt, quia talis decimus ordo detur, aut futurus ſit; ſed quia ex electis hominibus reparātur ruinæ Angelorū, qui corruerunt: qui tot fuere, ut ipſorum diffuſo numero attento, poſſet ex ipſis ordo decimus effformari. Sic præallegatus Magiſter per hæc verba: *Quod ergo legitur decimus ordo complendus de hominibus, ex tali ſenſu dictum fore accipi poteſt, quia de hominibus reſtaurabitur, quòd in Angelis lapſum eſt, de quibus tot corruerunt, ut poſſet fieri decimus ordo.* Vndè antecedenti illo negato, corruunt indè illatæ conſequentiæ.

187. Arguitur 2. Hominis natura inferior eſt natura cuiuſcumque Angeli: ergo amor hominis inferior eſt cuiuſvis Angeli amore. Ergo nequit illum ſuperare. Patet iſta: quia de illa inferioritate loquimur, ſine qua homo dari nequit. Antecedens eſt prorsùs certum, & prima conſequentia probatur. Amor Angeli, & omnia dona gratiæ conferuntur Angelo iuxta perfectionem naturæ ipſius: ergo omne, quòd ſuperat natura Angeli, ſuperat & Angeli amor. Ac ſubindè amorem hominis excedit.

Confirmatur hæc ratio, & ſimùl declaratur. Implicat, quòd Angelus queat amare Deum amore ſuperante amorem Angeli ſibi in natura ſuperioris; ergo potiori titulo hoc verùm erit de homine. Antecedens certum eſt. Et conſequentia liquet à paritate, quia magis excedit natura cuiuſvis Angeli, etiam infimi, hominem, quàm ipſe Angelus excedatur ab alio, etiam ſupremo.

Reſpondetur argumento concedendo antecedens, & negando utramque conſequentiam. Ad probationem primæ negetur ſimilitèr conſequentia, quæ formalis non eſt. Quæ magis liquebunt ex dicendis ad confirmationem, ad quam conceſſo antecedenti, negetur conſequentia, & paritas. Diſcrimen eſt, quòd Angelo conferuntur dona gratiæ, & gloriæ iuxta perfectionem ſuæ naturæ, ut docet D. Thomas 1. part. quæſt. 62. art. 6. Homini verò non conferuntur hæc dona ſecundùm perfectionem naturæ ipſius. Vndè collatio gratiæ in homine *pendet ex libertate Dei*, ut n. 182. dicebat D. Thomas: in Angelo autem, ex ſuppoſitione Deo libera, non fit collatio gratiæ, niſi iuxta naturalium perfectionem. Vndè ſtat benè, quòd Angelus inferior nequeat æquare amorem Angeli ſuperioris: & quòd amor hominis æquet, & etiam ſuperet amorem Angeli ſupremi. Quæ omnia ex ijs, quæ diximus eodem num. 182. & ſequentī nota ſunt.

188. Si autem ſcire deſideras: cur Angelis data ſint gratiæ dona iuxta gradum naturalium, & non homini? dicam, quòd hæc ſupponi in præſenti debent, ſicùt & alia plurima ex tract. de Angelis. Verumtamèn tuo deſiderio occurro referens verba D. Thomæ art. 6. modò allegato ubi ait: *Ad 3. dicendum, quòd diverſitas naturalium aliter eſt in Angelis, qui differunt ſpecie, & aliter in hominibus, qui differunt ſolo numero. Differentia enim ſecundùm ſpeciem eſt propter finem: ſed differentia ſecundùm numerum eſt propter materiam.* Eſt dicere, docent N. Salmantic. in annotat. ad illum art *Quòd in Angelis diſtinctio, & exceſſus ſpecificus in naturalibus ſunt quid ſpecificum, & formale, ac proindè per ſe intentum: è contra verò in hominibus ſunt iſta quid numericum, & materiale, & per conſequens non per ſe intenta. Et ideò non oportuit, ut iuxta quantitatem eorum gratia, & gloria conferretur.*

189. Dices. Si ſtatus iuſtitiæ originæ perſeveraſſet, hominibus illius ſtatus communicaretur gratia iuxta quãtitatem ſuorum naturalium: ſed illi homines ſolùm numericè differrent: ergo aſſignatum diſcrimen nullum eſt. Conſequentia bona eſt. Minor eſt per ſe nota, & maior probatur: quia in illo ſtatu nihil eſſet, quod impediret, aut retardaret motum naturæ in Deum: ergo iuxta quantitatem naturæ conferretur illis hominibus gratia. Patet iſta: quia ob hanc rationem docet D. Thomas illo art. 6. ad 3. collatam eſſe Angelis, & non hominibus gratiam iuxta ſuorum naturalium quantitatem.

Reſpondetur primò negando maiorem. Ad probationem, prætermiſſo antecedenti, negetur conſequentia, cuius probatio nulla eſt: quia D. Thomas enodat illud tertium argumentum duplici ſolutione, ſeu diſcrimine duplici. Primum eſt indiſtinctio ſpecifica, quæ eſt inter individua naturæ humanæ ſecundùm ſe conſideratæ, hoc eſt præſcindendo à ſtatibus naturæ ſanæ, & ſanatæ. Et hoc diſcrimen verificatur de omnibus individuis naturæ humanæ ſubquocumque ſtatu concipiatur. Et ſecundùm hoc diſcrimen proceſſit noſtra doctrina. Diſcrimen ſecundum eſt, quòd in Angelis nihil eſt impediens, aut retardans intenſionẽ converſionis in Deũ; quod impediens, aut retardans habent individua humanæ naturæ, non abſolute, ſed poſt lapſum. Vndè poſt amiſionem originalis iuſtitiæ non habet homo dona gratiæ iuxta quantitatem ſuorum naturalium ex duplici capite aſſignato. Si verò illam gratiam non amiſiſſet, ex uno ſolo capite illa dona iuxta ſua naturalia non haberet. Semper tamen diſcrimen adeſt inter hominem & Angelum, quoad materiam ſubiectam.

Ex quibus reſpondetur ſecundò diſtinguendo maiorem. *Communicaretur gratia*, quantum eſt ex parte ſecundi diſcriminis, concedo. Ex parte primi, nego maiorem. Cum illi homines non haberent impediens, retardans ve: indè eſt, quòd ex parte huius inconvenientis poſſent Angelis aſſimilari in receptione donorum gratiæ. Aſt quia primum diſcrimen perſiſteret; idcircò non haberent gratiæ dona iuxta ſuorum naturalium quantitatem, ſicùt illa habent Angeli & propter carentiam retardantis & propter diverſitatem ſpecificam.

190. Replicabis ex dictis numer. præcedenti contra argumenti ſolutionem. Exceſſus Angeli ſupra hominem eſt ſpecificus: ergo formalis. Ergo propter finem. Ergo per ſe intentus. Ergo homo nequit plus amare Deum, quàm Angelus. Omnia indubitata ex ſe, & ex dictis ſunt, præter ultimam conſequentiam, quæ probatur. Quia exceſſus Angeli ad Angelum eſt ſpecificus, formalis, propter finem, & per ſe intentus. diximus, Angelum inferiorem non poſſe excedere, quin nec æquare, amorem Angeli ſuperioris: ſed exceſſus cuiuſcumque Angeli ad hominem hæc omnia habet: ergo.

Reſpondetur negando ultimam conſequentiam. Ad probationem dicas ma-

io-

iorem esse falsam, si ly *quia* reddat rationem adæquatam; si autem reddat rationem inadæquatam, esse veram. Itaquè ex quo excessus inter Angelos sit specificus &c. habetur, quòd Angelus inferior æquare nequeat amorem superioris. Hæc tamen impotentia, seu repugnentia non provenit ab illo excessu absolutè sumpto, sed ab excessu proùt connotat Dei voluntatem decernentem non conferre Angelis dona gratiæ, nisi iuxta quantitatem suorum naturalium: Quòd elegantèr expresit gravissimus Capponi ad citatum art.6.dicens: *Conferuntur enim in Angelo hæc duo: gratia ex mera voluntate Dei datur: & secundùm quantitatem naturalium datur quia quantitatem naturalium sic Deus Angelo dedit, ut secundùm ea daretur & gratia.* In homine hoc non reperitur, sed gratiæ collatio illi facta nulli suppositioni subest: quare dependet à libertate, & liberalitate Dei: qui si voluisset, posset etiam, sic homini naturalia conferre, ut secundùm ea & gratiam illi impertiret. Noluit tamen hoc facere cum homine, sicùt cum Angelo fecerat. Et huius diversitatis rationem explicuit D. Thomas assignata disparitate, quæ (& hoc benè observa) non demonstrationem offert, seu congruentiam.

191. Arguitur 3. Si homo posset plus Deum amare, quàm omnes Angeli, ex hominibus sic Deum amantibus constitueretur ordo decimus supra novem Angelorum choros: Hoc implicat: ergo & illud. Bona est consequentia, & minor liquet ex dictis num.186.de choro decimo infra Angelicos, quæ magna ex parte probant repugnantiam decimi ordinis superioris ad novem. Maior autem probatur. Ex eo quòd Beatissima Virgo plus amaverit, ut diximus, *exaltata est*, non ad choros, *sed super choros Angelorum*, uti de ipsa canit Ecclesia: ergo pariformitèr omnes plus Angelis amantes Deum super choros Angelorum exaltantur: ac subindè ex illis omnibus ordo decimus complebitur.

Confirmatur. Maius quid est hierarchia quàm ordo; cum quælibet hierarchia tres ordines comprehendat: atquī num.183.cōcessimus hierarchiam hypostaticam, quam complet Trinitas Sacratissima IESVS, MARIA, & IOSEPH: ergo quamquàm non sit dabilis ordo decimus infra novem, quòd supra diximus, dari debet decimus ordo supra illos, si concedatur excessus ille amoris in homine.

Respondetur argumento negando maiorem. Ad probationem dicendum est, quòd exaltari super choros Angelorum, non est alium à novem complere, sed elevari ad supremum, & in illo omnes spiritus, ipsum complentes superare. Vndè sicùt in quolibet ordine angelico ex Angelis illum constituentibus unus alium superat, usquè ad primum, qui reliquos omnes antecellit: quin istum diversum ordinem faciat, sed ad eundem spectet, ut supremus tamen intra talem ordinem, & supra reliquos in dignitate: sic & Perfecti, quī plus Angelis Deum amarent, diversum ordinem non complerent; sed intra illum ordinem, ad quem assumuntur, omnibus ad eum attinentibus præstant. Si verò supremum Angelum supponantur excedere; tunc super omnes Angelorum choros exaltantur: qualitèr exaltatam fuisse Angelorum Reginam, certum est: sed ad eundem, ad quem assumpta est, spectat ut Domina, ac Regina primas ferens. Sicut Rex in regno, Rector in Collegio, & Prætor in Civitate. Probè Magist. sentent. hoc expresit data distinct. 9. dicens: *Sicùt enim unus est ordo Apostolorum, & alter Martyrum; & tamen in Apostolis alij alijs digniores* (& unus, addimus, est aliorum Princeps, & Caput) *similitèr in Martyribus alij alijs Superiores; ita & in ordinibus Angelorum rectè creditur esse.*

Vt autem hæc, & omnia, quæ in hac quæstione diximus, penitùs calleas, audire debes Eminentiss. Cayetan. quī 1. part. quæst. 108. art.8. radicitus edisserens quid sit, homines assumi ad or-

dines Angelorum ait : *Nota hic, quòd homines assumi ad ordines Angelorum, duo includit : Vnum est, quòd constituant cum Angelis unam societatem. Et hoc modo omnes homines Sancti assumuntur ad ordines Angelorum, sive sint maioris gloriæ, quàm aliquis Angelus, sive æqualis, sive minoris, quàm omnes Angeli : ita quòd ex Angelis, & hominibus, etiam inferioribus omnibus Angelis (quorum magnam rationabile est fore multitudinem) una integrabitur societas. Et in hoc erravit secunda opinio, quæ solos perfectos, quasi mixtos inter Angelos posuit ; minùs verò perfectos, quàm Angelos, quasi separatos segregavit in aliam societatem. Nec advertit, quòd latitudo ordinis gratiæ maior est latitudine ordinis naturæ, & quòd non idem ponitur limes utrobiquè. Alterum est, quòd perveniant ad gradus gloriæ, quibus potiuntur Angeli: & hoc modo non omnes homines assumuntur ad ipsos Angelorum ordines: sed quidam supra ipsos, ut beata Virgo: quidam ad ipsos, ut Apostoli, & Perfecti &c. & quidam infra ipsos, ut rationabiliter sunt omnes pueri post baptisma statim evolantes, & alij multi.*

192. Ex quibus rectè perpensis, & hucusquè dicta firmantur, & dignoscitur, quàm humilitèr sentiat de Proceribus sanctitatis Author quidam ; qui memoratis Sancto Petro de Alcantara, Seraph. Mat. nost. Sancto Francisco, Sancta Chatarina Senensi, & Sancto Philippo Nerio, subiungit : *Numquid istos plus Deum dilexisse, & diligere asserere impium erit, quàm aliquem ex inferioribus Angelis? nequaquàm credam.* Pauciſsimis contentus es, charisime. Memoras sanctitatis culmina, & non positivè propugnas, sed non credis, non dilexisse plus Deum, *quàm aliquem ex inferioribus Angelis.* Ego autem cum Cayetano sentio, quòd licèt omnes electi assumantur ad ordines Angelorum: Perfecti ultra hoc assumuntur ad gradus gloriæ Cælestium spirituum illius ordinis, ad quem assumuntur. Vndè qui assumuntur ad primum hierarchiæ supremæ ordinem, ad grades gloriæ Seraphinorum assumuntur, seu perveniunt : ac subindè superant myriades spirituum qui supremo illi ordini subsunt. Vide ergo, si ex perfectionis Principibus, quos commemoras, aliquis Perfectus est, & illum, non solùm assumi ad ordines Angelorum, sed etiam pervenire ad ipsorum gradus gloriæ, fatere. Sic que illum reperies quam pluribus Angelis superiorem.

Nec Caietani dictum sola ipsius authoritate fulcitur. Consonat quippè doctrinæ D. Thomæ exhibitæ num. 179. & genuinè quadrat D. Bernardo de verbis Isaiæ serm. 3. ubi declarans illa verba : *Duo Seraphim stabant* inquit : *Seraphim nomen est supernorum spirituum ordinis unius de novem summi, atque supremi. Verùm hoc loco, ut arbitror, non in ea ponitur significatione præsertim cum innumera illa sint agmina hic duo tantùm Seraphim describantur. Et ego quidèm, fratres, si licèt in hac parte unicuique abundare in suo sensu, in duobus Seraphim duplicem arbitror intelligi creaturam rationalem, Angelicam scilicèt, & humanam. Nec mireris hominem Seraphim factum, sed memento quia Creator, & Dominus Seraphim factus est homo. Ad contumeliam tuam, ò Superbe, qui creatus inter Angelos stare non meruisti, eccè Rex noster novos in terra Angelos fabricaturus advenit : atque, ut tabescas amplius, & livore proprio torquearis, non qualescumque, nec inferioris ordinis, Angelos sed Seraphim. Audi enim, quid ipse loquatur : Ignem inquit, veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur? Vult ergo Seraphim fabricari ut isti stent, undè tu corruisti.* Egregie quidèm. Constat ergo ex hoc celebri testimonio, hominem quandoquè assumi ad Seraphim sublimissimum ordinem, in quo non solùm *aliquem ex inferioribus Angelis* antecellit. Vndè verissimum est Cayetani dictum, videlicèt, quòd Perfecti assumuntur ad gradus

dus gloriæ Angelorum: & etiam, quòd ex hominibus assumuntur *quidam supra ipsos, ut Beata Virgo.*

Ad confirmationem negetur minor; non enim inibi concessa à nobis est hypostatica hierarchia, sed *quasi quædam*, quæ verba diminuunt rationem hierarchiæ, quæ sub ijs limitationibus solummodò deservit ad significandum celsitudinem sublimium illarum personarum ad illam, modo ibi tradito, pertinentium.

193. Arguitur 4. Quilibet homo Perfectus habet, dum est in via, Angelum Custodem: ergo nullus homo perfectus in via superare potest omnium Angelorum amorem. Antecedens est certum, & consequentia probatur. Angelus Custos dicit indispensabilitèr superioritatem, & magisterium erga suum clientem: sed cum superioritate, & magisterio Angeli ad hominem non stat, quòd homo Angelum superet in amore: ergo. Probatur minor. Si namquè homo perfectus suum Custodem in amore excederet, iam idem respectu eiusdem esset simùl superior, & inferior: esset Angelus superior, quia Magister, & quia Custos, de cuius ratione est dicere superioritatem: quocircà Christus Dominus Angelum Custodem non habuit, quia omnibus Angelis superior erat; esset ipse Angelus inferior, quia suus discipulus ipsum in gratia, & charitate superaret: sed hæc implicatoria sunt: ergo.

Confirmatur. Nullus homo perfectus maior fuit Ioanne Baptista: sed Ioanne Baptista maior fuit minimus Angelus: ergo nullus homo perfectus potest superare Angelum etiam minorem, nec ipsum æquare: quanto minus poterit superare supremum? Consequentia bona est, & præmissæ patent ex Matth. capit. 11. vers. 11.

Respondetur argumento, quòd multum probat, & ideò nihil probat. Ex eo namque deducitur, Virginem Gloriosissimam Custodem Angelum non habuisse, quod est contra commune PP. & Theologorum dictamen. Respondemus ergo negando consequentiam. Ad probationem dicendum est ex ijs, quæ num. 178. præmisimus, quòd Angelus potest sumi quatenùs comprehensor, seu quoad statum: sicque tam ipse, quam eius amor superiores sunt ad quoscumque purè superstites & ad ipsorum amorem, etiamsi Virginem Sanctissimam designes. Hoc que modo sumptus etiam minor Angelus superior est quocumque viatore perfectissimo. Vndè illum prout sic dirigit, docet, & custodit, quemadmodum & Beatissimam Angelorum Reginam suus Angelus custodivit. Cum hoc tamen stat, quod in amoris intensione ipsum suum Magistrum, & Custodem queat perfectus viator superare, in quo nulla datur repugnantia, aut contraditio.

Per quod patet ad confirmationem: quia D. Ioannes Baptista viator fuit utiquè minor quocumque Angelo comprehensore. Et hic est sensus illius comparationis à Christo Domino factæ. Abundat & alijs pluribus sensibus, quos à SS. & Sacris Interpretibus petere debes. Nobis autem sufficiat, quem expressimus. Et addimus, quòd comparatio illa introducit Ioannem cum charitate, quam habebat, non autem cum ea, quam habere non repugnabat. Vndè licèt probaret superioritatem sub prima consideratione, non illam convinceret sub secunda: quia ille ipse, qui minus amare supponabatur, poterat plus amare. Et hoc est quòd in præsenti propugnamus. Non enim dicimus: Perfectum hominem plus Deum amare, quàm Angelus ipsum amet: sed dicimus, quòd nulla adest repugnantia in eo, quòd homo ad illud culmen perfectionis deveniat, ut eius erga Deum amor supremi Angeli amorem excedat. Hoc est assertum nostrum, quod probavimus assignantes homines, quorum amor prædicto supra omnes Angelos excessu gavisus est: quod demonstrativè intentum suadet. Addidimus insuper alia, quæ nec præsenti nec præcedentibus argumentis labefactantur. Quin po-

potiùs omnia illa claudicare conſpiciuntur. Primò : quia neutiquàm negare queunt exceſſum Beatiſsimæ Virginis in via degentis. Quo admiſo, noſtra reſolutio inconcuſa perſeverat. Dicere verò cum graviſsimo Lorca 2. 2. diſp. 18. numer. 10. illud contigiſſe ex privilegio ſpeciali, non eſt admodùm ſerium. Tum: quia illud privilegium collatum fuit ſubiecto, cui illo gaudere non repugnabat. Et hoc eſt, quòd aſſerimus. Tum etiam: quia ad hoc privilegium conferendum ſat ſunt ex parte Datoris liberalitas, & poteſtas, & ex parte recipientis non repugnantia, ut ſupra probatum eſt.

Secundò claudicant: quia reverà dum Angeli ſuperioritatem probare nituntur, æqualitatem plurium hominum cum Angelo negare nequeunt. Et ſanè ſicùt repugnat, quòd idem ſit ſecundùm idem ſuperior, & inferior; ſic etiam repugnat, quòd ſit æqualis. Nos autem recognoſcimus Angelos ſuperiores in natura: ſuperiores in gratuitis quoad ſtatum, quoad immobilitatem, & quoad alia, quæ à quæſtionis initio declaravimus. Supponimus etiam quoad amoris intenſionem ſuperiores omnibus fermè hominibus viatoribus : aliquos tamen, nempè Perfectos, quoad huiuſcemodi amoris intenſionem, Angelis æquales fatemur: hos que poſſe ipſos Angelos, quoad dictam intenſionem amoris excedere, propugnavimus: Non obſtante Angelorum ſuperioritate quoad naturam, & etiam quoad ſtatum, & ſcientiam beatam, à quibus provenit ipſorum magiſterium, & tutela in homines, etiam ſibi aliis æquales, aut ſuperiores, ut dictum eſt de Beatiſsima Virgine. Placet iſta breviſsimè roborare ex D. Paulo 1. ad Corinth. cap. 6. dicente: *Neſcitis, quoniam Angelos iudicabimus?* Hæc Scriptura communiſsimè intelligitur de malis Angelis : nec hoc reijcit Div. Thomas, qui inibi addit : *Poteſt etiam hoc intelligi de bonis Angelis, quorum plurimi in comparatione quadam invenientur Paulo, & ſimilibus ſibi, inferiores.*

In calce huius diſputationis admonere placuit : plurima alia poſſe circà Perfectos controverti: V.g. an legibus, & præceptis teneantur? an opprimantur tentationibus? an illis reſiſtere debeant? & alia huiuſmodi. Quæ omnia in ſe ipſis conſiderata nullam, aut exiguam difficultatem continent. Sed cogimur de illis agere propter diabolicos homines, qui zizania ſuper triticum Domini ſeminantes movent nos ad horum diſceptationem, ut ſic eorum infernales tricas funditùs extricemus. Vndè certamen iſtud minimè recuſamus; illud tamen ad ſequens prædicabile remittimus, in quo nobis adverſus hos miſeros, & præſertim adverſus Michaelem de Molinos decertandum eſt: Quocircà inibi iterùm de Perfectis acturi ſumus.

DIS-

DISPVTATIO XXVII.

DE PROPOSITO SERAPHICO.

DE voto seraphico tractaturus debeo disputationem de proposito seraphico præmittere. Hic etiam verum habet commune illud effatũ à *communioribus est incipiendum.* Votum includit propositum, sed non è contra. Est igitur prius, quòd res aliqua sit propositum, quàm quòd votum sit. Vndè prius de proposito seraphico, quàm de voto agere ipsa rerum agendarum natura exposcit. Hanc que methodum insectandam docuit nos Seraphica M. N. Sancta Theresia, quæ cum ingenti omnium stupore Votum Seraphicum nuncupavit, *Theresianum* ob ipsam nuncupatum. Verumtamen priusquàm maximè arduum illud votum emisisset, in proposito seraphico diù, & attentè se exercuit, invigilans summo studio ne Deum, quem cordicitùs diligebat, & benignissimum experiebatur, offenderet, nedum levi culpa, verumetiam nec minima imperfectione ab ipsa cognita. Et hoc tam Angelico exercitio idonea illud admirandum votum emisit: non alitèr prudentèr emissura, nisi illud propositi studium anteiret. Sic apud Sacram Rotam invenio in relationibus ad Seraphicæ Virginis Canonizationem Paulo V. factis Relat. 2. art. 5. *Accedunt,* inquit, *prædictis efficax propositum, curaque continua sui ipsius, suarum que actionum, & cogitationum, qua ambulabat de non offendendo Deum sibi adeò dilectum, nedùm culpa veniali & levi: verùm nec actu aliquo minoris perfectionis.* Vidisti *propositi* studium. Vide in ijs, quæ Sacra ipsa Rota subiungit, voti nuncupationem. Ait enim: *Ex quo* (scilicet proposito) *processit illud votum rarum, ac notatu dignum, quòd emisit. Nempè semper agendi quod inter multa, quæ illi occurrerent, gratius, & acceptius Deo sibi videretur. Ita ut per talem voti emissionem non solum voluit, quod placitum esset Deo adimplere quod amoris istius magnum signum fuisset, iuxta illud Ioan. cap. 14 Si quis diligit me, sermonem meum servabit: sed etiam tanquàm illa, quæ inter istas amoris flammas ardebat, voluit & quod perfectius, & quod Deo acceptius indicaret, illud exequi, & ad id voto se adstringi.* Priùs ergo Seraphica Virgo propositum seraphicum exercuit, quàm votum emitteret, nos suo hoc facto instruens, ut eius prudentissimis vestigijs insistentes, priùs de Seraphico Proposito agamus, quàm de voto disputemus In ipsius igitur Virginis admirandæ obsequium opus hoc magnum aggredimur. A cuius materno, & efficaci patrocinio exposcimus, ut aliquid ad fidelium institutionem, & animarum utilitatem dicere valeamus. Illa nobis occasionem præstitit, suo illo mirabili voto, ut de ipso disputaremus: ipsa nobis conferat, ut rectè in hisce disputationibus procedamus. In subsequentibus stylus non prorsùs similis erit illi, quem in præcedentibus observavimus, quia absdubio materia præsens aliquam in eo novitatem expostulare videtur. Vndè methodo scholastica conservata, nonnullam quandoquè novitatem non recusavimus.

QVÆS.

QVÆSTIO PRIMA.

VNDE DICATVR, AN, ET QVID SIT PROPOSITVM Seraphicum?

1. RLura ſub unico titulo comprehendimus; quia profectò quæſtio unica illa omnia ſine faſtidio comprehendit. Primò ergo indagandum occurit quid *nominis*, ſeu undè dicatur *Seraphicum* hoc propoſitum, de quo agimus? Qua in re illud omnibus certum eſſe debet, quòd propoſitum dicitur *Seraphicum* à voto ſeraphico illud propoſitum includente, ut dictum eſt in diſputationis, proœmio. Et hæc eſt ratio adæquata illius denominationis. Illius autem radix erit motivum, ob quod votum tale propoſitum includens *Seraphicum* nominatur. Motivi huius inquiſitio, & expenſio ad ſubſequentem diſputationẽ ſpectat. Verumtamèn quia ad propoſiti, de quo agimus, notionem conducit; idcircò modò explorabimus, expẽdemus que motiva, ob quæ votum illud *Seraphicum* appellatur. A quibus in præſenti perpenſis diſputatione ſequenti erimus expediti. Sic que ſimùl, & ſemel declarabimus, cur propoſitum, & votum nomen *Seraphicum* ſibi vendicent.

§. I.

Reſolutio eorum, quæ in titulo poſita ſunt.

2. Illud mihi circa præſentem difficultatem rationi conſentaneum videtur, quòd votum hoc dicatur *Seraphicum* à Seraphica Virgine Thereſia, illud, ſtupentibus omnibus, nuncupante. Si namquè hoc votum res eſt, in qua Virgo Seraphica inter tot myriades Perfectorum eminuit, nil mirum ſi ab ipſa Seraphica Virgine *Seraphici* nomenclaturà inſigniatur. Seraphicum dicimus omnes, & veneramur ordinem à Seraphico Patriarcha Div. Franciſco inſtitutum. Sic etiam Seraphicum dici aſſerimus votum à Virgine Sephica emiſſum. Vndè (ut in adducto exemplari perſiſtamus) ſicut audito hoc complexo *Ordo Seraphicus* nullus alius ex Sacris Ordinibus eſt in mente pronuntiantis, nec venit in mentem audientis, niſi ordo, quod in præclarum ſubſidium Militantis Eccleſiæ Seraphicus Frãciſcus fundavit; ita cum audimus *Votum Seraphicum*, nullum aliud votum occurit nobis, præter votum, quod Seraphicha Matriarcha in ædificationem Eccleſiæ Militantis emiſit. Quocircà utrumque hoc mirandum, & ineffabile opus à ſui principio ſeraphico ſeraphici nomen ſibi proprijſsimè arrogat. ¶ Dictis addiderim. Quòd votum hoc indifferentèr dicitur *Seraphicum*, & *Thereſianum*. Vndè cum Thereſianum dicatur, quia à Thereſia Seraphica emiſſum; ſic quoque Seraphicũ nominatur, quia à Seraphica Thereſia nuncupatum. Quocircà in ſubſequẽtibus tam votum, quàm propoſitum indifferentèr *Thereſianum* & *Seraphicum* dicemus.

3. Adeſt inſuper motivum aliud ob quod ſeraphici nomen voti, de quo agimus, notio ſit. Inter omnes cæleſtium agminum choros ille Seraphicus dicitur, qui omnium ſupremus eſt. Illum complentes Seraphim nominantur à charitatis, qua flagrant, ardore. Ardent amore Dei omnes Cæleſtes Spiritus; nullus tamen dicitur Seraph nec alterius ordo Seraphicus nominatur, præter ſupremum ordinem Angelorum, & ſpiritus ad ipſum pertinentes. Cuius diſcriminis ratio non eſt alia, niſi quòd in illo ſublimi ordine amor Dei vividiùs flagrat, quàm in alijs ordinibus inferioribus. Et ab hoc amoris exceſſu dicitur ſupremus

ille

ille ordo Seraphicus, & Seraphim complentes illum. Hæc doctrina, quæ receptissima est inter Theologos, considerata viam nobis sternit ad assignandum motivum convenientissimum prædictæ nomenclaturæ. Etenim inter omnia vota, quæ ob Dei amorem emittuntur, nullibi magis divinus hic amor viget, quàm in voto, de quo loquimur, quod quia de se clarum est, & ampliùs ex dicendis liquebit; idcircò sic tantùm attigisse sufficiat. Deservit tamen hæc insinuatio, ut dicamus: Inter omnia vota hoc solùm Seraphicum dici, quia in illo Dei amor specialissimè fulget. ¶ Insuper inter omnes cælestes contemplationes, quarum principium, & terminus est charitas, ut alibi ex D. Thoma vidimus, sola contemplatio supereminens dicitur Seraphica; quia in ea amor Dei flammis ardentissimis explicatur. Ex quo principio apud Mysticos certissimo idem argumentum desumitur ad probandum motivum, ob quòd dicatur Seraphicum Votum, de quo sermo noster procedit.

4. Hæc sunt motiva, quorum intuitu Votum Theresianum Seraphici nomine ad omnibus intelligitur. Hincque habetur id, quod præsentis loci proprium est. Videlicèt motivum, ob quòd ipsum Theresianum propositum Seraphici nomine dignoscatur. Hoc motivum duplex est, unum radicale, seu remotum: & aliud proximum, seu immediatum. Primum consistit in ijs causis, quas dedimus, ut votum appelletur Seraphicum. Secundùm est, quòd votum sic appelletur. Ex eo enim quòd votum includat necessariò propositum, & utrũque reciprocè se respiciat: propositum ut elevabile à voto, & hoc ut illud elevans ad materiam religionis: fit consequens quòd ratio immediata, ob quam propositum dicatur Seraphicum, est quia votum includens illud, elevans que, illam ipsam denominationẽ sortitur. Quin opus sit, aliud motivum inquirere. Et hæc de prima difficultate.

5. Secunda verò quæ explorat: an detur propositum Theresianum? res facilior est, quàm ut seriò disputari queat. Et quia res ista nullas adversum se instantias habet, quibus obscurari valeat; idcircò nihil aliud circa huiusmodi difficultatem dicimus, nisi quòd verè datur Seraphicum propositum. Et quòd conceptui formali huius complexi correspondet obiectivus rei, quæ non est ens rationis, sed verè, ac realitèr existibilis. Quæ omnia ex dicendis sine tergiversatione liquebunt.

6. Præcipua huius controversiæ difficultas sita est in decernendo quid sit propositum Seraphicum. Quod autem sciri non potest, quin de huius propositi definitione constet. Notificatur quippè quidditas definiti per suam diffinitionem. Et hoc est, quod in præsenti continet præcipuam difficultatem. Quia cum de hoc proposito pauciſsimi, & parciſsimè loquantur, nil firmum, aut definitum habemus. Vnus N. Hermannus à Sancto Norberto hanc provintiam serio lustrandam, & absdubio illustrandam assumpsit. Et sanè consecutus est rem istam integro libro 24. capita comprehendente, fusiſsimè, nervosiſsimè, & eloquentiſsimè enucleare. Viam nobis, quam sectaremur, aperuit. Qui forsan sine tali duce opus hoc non aggrederemur. In eius obsequium, & in gratiarum actionem hæc pauca ob acceptum magisterium rependimus. Scio, etiam N. Catenam Mysticam de proposito Seraphico egisse. Ast cum scopus illius utiliſsimi studij is esset, quem nomen *Catena* præsefert, & in hac parte nullum alium Authorem, quem allegaret, habuisset, præter laudatum Hermannum; indè est, quòd Author Cathenæ Mysticæ non sit alius in hac parte ab Hermanno. Et etiam colligitur indè, quòd inter nostrates unus Hermannus difficultatem præsentem seriò enucleandam assumpserit. Quandoquidèm si alius foret, Authorem illius Catenæ non lateret.

Laudatus ergo Hermannus lib. 1. capit. 1. sic definit propositum Seraphi-

cum: *Propoſitum Seraphicum faciendi ſemper quicquid intelligitur eſſe perfectius eſt propoſitum ardens, & efficax infundo cordis appretiativè diligendi ſuper omnia divinæ voluntatis executionem univerſalitèr in omnibus, etiam non præceptis.* In his verbis continetur integra propoſitio, cuius ſubiectum, licèt non ſub ratione ſubiecti, eſt definitum; prædicatum verò, licèt non ſub ratione prædicati, eſt definitio. Vtrumque magnam mihi ingerit difficultatem, & definitio, & definitum. Definitum eſt hoc: *Propoſitum Seraphicum faciendi ſemper quicquid intelligitur eſſe perfectius.* Hoc non poſſum percipere: quia *propoſitum Seraphicum* nihil aliud eſt, niſi propoſitum *faciendi ſemper* &c. & pariformitèr propoſitum *faciendi ſemper* &c. nihil aliud eſt, niſi *propoſitum Seraphicum.* Habent ergo illa verba ultra multitudinē improprietatem. Perſpicua hæc ſunt. Tranſeo ad definitionem, cuius primum verbum eſt *propoſitum* & non admodùm congruè diffinitur *propoſitum* per *propoſitum.* Additur: *Ardens, & efficax.* Propoſitum *ardens* nequit non eſſe *efficax*: nec *efficax* poteſt non eſſe *ardens.* Rursùs additur *infundo cordis*: quæ verba non illam claritatem præſeferunt, qualis convenit definitionibus. Nec illa clara reddit Authoris explicatio, ſi rectè conſideretur. Verùm ab his, & alijs, quæ in verbis ſubſequentibus poſſem adnotare, ſupersedeo: quia reverà Author ille animarum inſtructioni incumbens rigidis hiſce præceptis intentus, forsàn meditatò, non erat.

7. Nos autem in definito, quod verbis allegatis nobis ille Author proponit, definitum, ac definitionem reperientes dicimus, quòd propoſitum Seraphicum eſt *animus conſtans faciendi ſemper quicquid perfectius eſſe intelligatur.* Hæc definitio rectè introſpecta ſumma eſt totius doctrinæ, quæ in præſenti controvertitur, viamque ſternit ad percipiendam voti Seraphici quidditatem. Dicitur in primis propoſitum Thereſianum *animus*, ſeu, & eſt idem, voluntas: quia profectò propoſitum actus voluntatis eſt, ſicùt voti promiſsio eſt actus rationis. Obſerva tamen, quòd *propoſitum* non dicit animum, ſeu voluntatem nudè, ſeu abſolutè ſumptam; ſed dicit illam, ut præſupponit cognitionem finis, in quem voluntas fertur. Quæ eſt doctrina D. Thomæ in 1. diſt. 40. quæſt. 1. art. 2. dicentis: *Ad 2. dicendum, quòd propoſitum non ſimpliciter nominat actum voluntatis, ſed præſupponit actum cognitionis, oſtendentis finem, in quem voluntas tendit.* Vndè ly *animus* poſitus in data diffinitione deſignat voluntatem tendentem in finem ſub ratione talis; atque ideò ut cognitum. Eadem certitudine tenendum eſt, *propoſitum* involvere deliberationem. Eſt quippè *propoſitum* actus voluntatis, non qualitercumquè ſumptæ, ſed *deliberatæ*, prout docet idem Ang. Doct. 2. 2. quæſt. 88. art. 1. Quapropter ly *animus* non ſolùm ſupponit finem per actum rationis apprehenſum, ſed etiam dicit rationis diſcurſum appendentem motiva hinc indè occurrentia, ac tandem ipſam rationem imperantem quid hic, & tunc appetendum ò voluntate ſit. Hinc que iam incipit apparere, quòd quidditas propoſiti, & voti Thereſiani non eſt impoſsibilis explicatu, & quòd ad eius explicationem neceſſariæ non ſunt; immò obſunt definitiones, quæ nullum commercium habeant cum quocumque voto, ac propoſito. Propoſitum Seraphicum eſt propoſitum. Quocircà quod convenit naturæ propoſiti, invenitur in propoſito Thereſiano, ablatis imperfectionibus, quæ ex peculiaribus aliorum rationibus reperiuntur in ipſis, & in earundem locum ſubrogatis nobiliſsimis differentijs illud promeritis efferentibus. Hoc ex ijs, quæ diximus, notum eſt: nam quod propoſitum ſit actus voluntatis ſupponentis cognitionem finis ac deliberatæ cuiuſcumque propoſiti, etiam minus perfecti inter omnia proprium eſt.

Pariformiter certum eſt, quòd omne

ne propoſitum, maximè erga Deum, de quo nobis ſermo eſt, debet eſſe *conſtans*. Stultus quippè foret, qui ſine conſtantia proponeret. Quapropter ponitur in diffinitione propoſiti Thereſiani, quòd ſit *conſtans*. Et quòd cuiuſcumque propoſiti proprium eſſe, diximus, ſpecialiſsimo motivo verum eſt de propoſito Thereſiano. Eſt quippè hoc propoſitum ſummè arduum, & fermè vires excedens. Vndè neceſſaria prorsùs eſt ad ipſius obſervationem conſtantia maxima in proponente.

Sequitur *faciendi ſemper*. Per ly *faciendi* denotatur, quòd *propoſitum* reſpicit actum, cuius executio proponitur. Quare diſcriminatur à deſiderio, cui non correſpondet executio alicuius operis; *propoſito* autem correſpondet. Et huius operis executio eſt, quæ facienda proponitur. Ly *ſemper* deſignat tempus *propoſiti*, quòd non eſt hoc, aut illud tempus determinatum, ſed omne. In omni ergo tempore dicit propoſitum Seraphicum animum conſtantem *faciendi quicquid perfectius eſſe*.

Hæ duæ particulæ propoſiti Thereſiani materiam deſignant, & ipſius celſitudinem manifeſtant. Quandoquidèm omnium præceptorum, & conſiliorum materias, immò & alia omnia propoſita comprehendit. Qui enim propoſito Seraphico ſubeſt, non adimplet illud, ſed infringit, ſi ſolùm attentè, & devotè ſacrum audiat in die feſto. Nam licèt illud ſufficere ad præcepti obſervationem, fateamur. Ad obſervãdum votum, ſeu propoſitum Seraphicum neceſſaria eſt perfectior attentio, devotio que perfectior. Similitèr de conſilio, ut eſt ieiunare, aut dare eleemoſynam. Hoc idem cernere eſt in alijs votis. Nam qui caſtitatem vovet, votum implet, ſi illa faciat, quæ ad caſtitatem ſervandam neceſſaria ſunt. Nec votum caſtitatis ex parte operis aliquid addit ſupra caſtitatis præceptum: undè ijs ipſis, quibus obſervatur præceptum, adimpletur & votum. Quamquàm ex voto materia illa elevetur ad materiam Religionis. Sicque qui caſtitatem ſervat, meretur ut cõtinens, & etiam ut Religioſus: qui verò illam violat, ultra crimen incontinentiæ, ſacrilegus eſt. Cæterùm ad ſervandam caſtitatem ille, qui propoſito, ſeu voto Thereſiano aſtringitur, debet facere id, quod perfectius eſt inter ea, quæ ad eam ſervandam requiruntur. Hinc que liquet huius Sanctiſ. propoſiti ſublimitas, eminentia que, & quàm aptè *Seraphicum* appelletur.

Vltima datæ definitionis clauſula, quæ præcedentes limitans veluti formalizat, eſt *intelligatur*. Per quam datur intelligi, quod propoſitum Thereſianum faciens non proponit facere ea, quæ in abſtracto, aut ſecundùm ſe perfectiora ſunt. Sic enim eſſet tale propoſitum impoſsibile, & iniquum. Eſſet impoſsibile; quia impoſsibile nobis eſt cognoſcere ſemper, quid ſit ſecundùm ſe perfectius. Quocircà non tenemur, conformari cum Deo in re volita, ſed in ratione volendi. De quo vide Div. Thomam 1. 2. quæſt. 20. art. 10. & ibi N. Salmantic. Eſſet iniquum, quia interdùm eſt perfectius facere id, quod ſecundùm ſe eſt minus perfectum. Qua de cauſa dixit Seraph. Mat. N. lib. vitæ capit. 13. *In omnibus diſcretio adhibenda eſt*. Et ſanè non adeò neceſſaria diſcretio in omnibus foret, ſi ea, quæ in abſtracto perfectiora ſunt, facere deberemus. Tenetur ergo, qui propoſito Thereſiano aſtringitur, facere, quod perfectius eſt: non quod perfectius eſt ſecundùm ſe; ſed quod ipſe maturè, & prudentèr procedens iudicat eſſe perfectius.

8. Habet eadem particula *intelligatur* alium ſenſum pro vera horum notitia capeſſenda apprimè neceſſarium. Etenim non ſufficit quævis intelligentia, aut cognitio rei faciendæ, ut propoſitum Thereſianum validum ſit, & proponenti proficuum. Requiritur quippè cognitio, & advertentia plena, ac perfectè deliberata. Quæ ut intelligas, animadverte: quòd duplicitèr exigitur advertentia ad votum. Primò ad eius emiſsionem. Et de hac non loquimur modò: actum quippè de illa eſt in prima definitionis par-

ticula; ubi diximus: propositum esse actum voluntatis deliberatæ, supponere que cognitionem finis. Secundò exigitur ad *propositi* observationem. De hac loquimur modò, & dicimus, quòd emittens propositum, aut votum Seraphicum id præsens habere debet, quòd non manet obligatus, nisi cum operatur cum plena advertentia, & perfecta deliberatione. Vndè votum, aut propositum Seraphicum non infringitur, nisi per opera contraria, facta cum plena deliberatione, & advertentia. Et hoc includi dicimus in illa particula *intelligatur*. Videlicèt non quod *intelligatur* qualicumque cognitione *esse perfectius*; sed quod perfecta cognitione, & advertentia plena *perfectius esse intelligatur*. Sin minus nec votum Seraphicum, nec propositum valida sunt. Et hoc maximè notandum est in præsenti, ut perfectum dictamen de voto, ac proposito Theresiano effr metur. Et quia hoc in subsequentibus non semèl nobis occurret: idcircò à maiori ipsius expensione modò abstinemus.

Debemus tamen hinc non recedere, quin huius doctrinæ fundamentum offeramus. Illud, quod æquè subtile est, ac perspicuum, offerimus sub hac forma. Etenim, ut iam vidimus, materia propositi Seraphici latissima est, etiam ipsa peccata venialia, & imperfectiones quascumque voluntarias comprehendit. Qui enim proponit facere, quod perfectius est, is utiquè in vi huius propositi omnia peccata venialia, & quod magis est, collectionem omnium imperfectionum vitare proponit. Collectionem venialium (idem à fortiori de imperfectionibus intellige) qualitèrcumquè occurrentium, hoc est, sive ex subreptione, aut subitis motibus; sive cum plena, aut semiplena advertentia, vitari non posse, sine specialissimo gratiæ auxilio, quo nullus hactenùs præter Gloriosissimam Virginem claruit, vidimus, ac fusè stabilivimus disput. antecedent. quæst. 1. Vndè propositum de nunquàm peccando venialitèr modo dicto non esset Seraphicum, sed ridiculum; foret enim de re impossibili. Cæterùm cum ex una parte propositum de non peccando venialitèr, modo dicto sumptum, sit invalidum: & ex alia omnium venialium materias ambiat propositum Theresianum, debemus, ne veritas inconcussa primi solidæ secundi veritati reffragari videatur, peccata venialia omnia ita sumere, ut eorum vitatio proponi, ac etiam voveri queat. Proponi, ac voveri potest omnium venialium vitatio, si venialia sumantur, quatenùs occurrunt, non ex subreptione, aut subito motu, sed cum plena deliberatione, & advertentiâ perfecta. Sic materia voti est illa vitatio ut posteà videbimus, & hoc eodem modo est etiam materia propositi Seraphici. Vndè rectè omnia consonant & sensus illius particulæ *intelligatur* declaratus manet.

9. Hinc que iam tibi apertè constat: propositum Theresianum non esse adeò rigidum, & impracticabile, sicùt pluribus visum est. Non enim contra ipsum procedit, nisi qui ex plena advertentia cognoscens rem esse culpabilem, aut umbrà imperfectionis laborare, eius nihilominùs executionem aggreditur: veluti suo ipso facto dicens: Scio clarissimè, hoc esse aut culpabile, aut minus perfectum; & tamen illud magis perfecto ex industria præpono. Non alitèr propositum Seraphicum violatur. Et hoc non illud impracticabile repræsentat; sed potiùs suavissimum, & benignissimum esse ostendit ex se, & relatè ad animas, quæ divino amore saucia, totam suam activitatem collocant in conformando voluntatem suam cum divina voluntate. De his quippè animabus loquimur: quibus illud propositum nequit non esse iucundissimum. Quæ enim maior voluptas amantis, quàm amati facere voluntatem?

Enucleavimus propositi Theresiani definitionem, in cuius explicationis discursu indifferentèr loquuti fuimus de proposito Seraphico, ac de Seraphico

voto,

voto, quod inadvertentiæ non fuit, sed consilij. Quandoquidèm in ferè omnibus, quæ tradidimus, propositum cum voto convenit: quapropter simùl de utroque egimus, ut cum disput. sequenti de voto Seraphico sermo sit, non compellamur, ea ipsa, quæ modò diximus reproducere. Tunc Lectores ad modò tradita remittemus, & ab his expediti, quæ voti Theresiani privativè sunt propria, propinabimus.

Ex dictis ergo liquet bonitas præadductæ diffinitionis. Siquidèm in ea servatur quicquid pro rectis definitionibus statutum est. Nulla quippè assignari valet, bonæ definitionis regula, quam non servet: nullum vitium in definiendo præcavendum datur, quod non vitet. Vndè rectam esse, non est dubium. Quod autem in ipsa nobis magis placet, est id, quod iam insinuavimus: Videlicèt, quòd ita propositi Seraphici eminentiam notificat, ut etiam propositi *ut sic* quidditatem in ipso reperiri manifestet. Quo ducimur, ut, quæ dicenda sunt de proposito Seraphico, veluti Dædalifilo exploremus.

§. II.

Aliquibus obiectionibus respondetur.

10. SVnt contra nostram datam diffinitionem obiectiones nonnullæ, quibus ex diversis capitibus invaditur. Prima earum potest esse: quia illa definitio nullius Authoris est, qui facultatem definiendi habeat; atque hac ex parte explodenda est. ¶ Hanc tamen obiectionem nullius momenti esse, planè cognoscet, qui consideret, neminem de hac materia hactenùs disputasse, præter illum Authorem, quem supra dedimus. Si alij ad hæc littora appulissent, definijssent utiquè propositum Seraphicum: nos que ipsorum definitiones admitteremus, si placerent: nulla quippè obligatione tenemur ad subscribendum diffinitionibus non traditis à Magistris. Sicùt non admisimus illam, quam Nost. Herman. fabricavit. Et sicùt ille suam illam definitionem construxit; sic & ego ipso suo ductu ad cudendam datam definitionem invitatus fui. Nec nostræ definitioni deest Authoritas sufficiens: compacta enim partim ex doctrina Sancti Thomæ, & partim ex verbis, quibus Ecclesia utitur dicens de Seraphic. Mat. Nost. Votum *emisit efficiendi semper quicquid perfectius esse, intelligeret.* Vndè non debet illa definitio explodi, sed admitti.

11. Secunda obiectio in hunc modum procedit. Tota illa definitio est propria voti Seraphici; quia reverà votum Seraphicum est *animus constans* &c. Vndè cum votum diversum sit à proposito, planum est, non esse rectam illam definitionem, ut potè non soli definito convenientem. ¶ Solutio huius est, quòd votum dicit essentialitèr promissionem: est enim votum *promissio Deo facta.* Propositum verò non dicit intellectum elicientem promissionem, sed voluntatem proponentem. Vndè votum non est, prout docet D. Thomas in 4. dist. 38. quæst. 1. art. 1. his verbis: *Ad 1. ergo dicendum, quòd velle aliquid non est vovere; & ideò propositum non est votum, sed enuntiatio illius propositi per modum promissionis: & quia enuntiatio interior conceptio cordis dicitur; ideò in illa diffinitione ponitur votum esse propositi conceptio: si tamen simplicitèr votum diceretur esse propositum, esset prædicatio per causam, quia propositum est principium voti, sicut etiam quandoquè ipsum desiderium oratio dicitur.*

Sed obesse huic doctrinæ videtur quòd votum est actus voluntatis, quia est actus elicitus à Latria, seu Religione, quæ voluntatis est habitus. Promissio autem ad intellectum spectat, ut tenet ipse D. Thomas. Non est igitur necessaria ad votum promissio, sed in solo proposito, quod quidèm voluntatis est, stat quidditas voti. ¶ Ad quod dicitur, quòd sicut à Religione existente in voluntate elicitur oratio, quæ actus

tus intellectus est, ut suo loco fusè diximus : sic etiam ipsius Religionis actus est votum, quod essentialitèr ad intellectum pertinet. De quo vide Div. Thomam. 2. 2. quæst 88. art. 1. & inibi Cayetanum. Vide etiam N. Salmantic. tractat. 12. in Arbore prædicam. numer. 66.

12. Objicies 3. Propositum Theresianum stat non solùm in eligendo ex duobus bonis positivis id, quod perfectius est; sed etiam in eligendo privationem, cum præeminet positivo. V. g. nubere non est malum, verùm absolutè loquendo melius est non nubere, & sic de alijs. Hoc autem non explicatur in adducta definitione, quæ solùm exprimit influxum positivum operantis: ergo diminutè procedit talis definitio; eò quòd non omne definitum comprehendit.

Respondetur. Quòd quandò eligitur carentia alicuius positivi, non est, quia perfectior sit: implicat quippè maior perfectio in eo, cui perfectum esse repugnat. Patet in *non nubere*, quod secundùm se nullam bonitatem, aut perfectionem dicit. Quia verò deservit, ut mens liberiùs se Divinis tradat; idcircò est absolutè perfectius, quàm nubere. Tota tamen hæc maior perfectio provenit à positivo, ad quod animum magis idoneum reddit.

13. Objicies 4. Contra primam particulam definitionis, in qua diximus, quòd propositũ Seraphicum est *animus*; prout *animus* idem est ac *voluntas*. Quoniam iuxta D. Thomæ doctrinam ab omnibus admissam, licèt voluntas dicatur appetitus, hic autem non potest dici voluntas: sed *animus* est appetitus sensitivus: ergo malè *animus* pro voluntate sumitur. Probatur minor primò: ex Philosopho 3. de Anima text. 42. ubi ait, quod *in appetitu sensitivo est desiderium, & animus.* ¶ Probatur 2. Animus ad eandem lineam spectat, ac magnanimitas; quia, ut docet idem Ang. Præcept. 2. 2. quæst. 129. art. 1. *Magnanimitas dicitur quasi magnitudo animi*: sed magnanimitas est in irascibili ex 1. 2. quæst. 60. art. 5. ergo.

Respondetur. Magnanimitatem esse in duplici differentia; nam alia est acquisita, & alia infusa. Hæc bipartitur in sensitivam, & spiritualem. Et quia magnanimitas est, ut obiectio inquit, animi magnitudo: de animo magnitudinem dicente, dicendum est etiam, quòd alius est acquisitus & infusus alius; qui dividitur in sensitivum, & spiritualem. Philosophus, qui, fide orbus non cognovit infusa, loquitur de animo acquisito, quem fatemur esse proprium appetitus sensitivi: cuius etiam est animus sensitivus infusus, de quo, ac etiam de præcedenti loquitur Sanctus Thomas. Animus, aut magnanimitas spiritualis; cum solùm ab intellectu possit cognosci, sic & à sola voluntate amatur, in ipsa que voluntate subiectatur, prout est eminentèr irascibilis. Vide laudatos PP. Salmant. num. suo 100.

Per quæ soluta est tota obiectio. Quia reverà ly *animus* nostræ definitionis non est quicumque animus, sed qui exprimat magnitudinem, seu sit idem, ac magnanimitas, non qualiscumque sed infusa, & spiritualis, quali certissimè indiget, qui rem adeò arduam aggreditur, ut propositum Theresianum faciat. Hic enim magnum opus, & valdè spiritualem viam arripit; ac proindè necessaria indispensabilitèr illi est magnanimitas, seu animus exprimens magnitudinem, de quo animo loquitur definitio. ¶ Si roges. Vndè constat, quòd ly *animus* exprimat magnitudinem? In promptu responsio est. Dicimus enim, hoc declarari per subsequentem particulam *constans*.

Dices tamen. *Animus constans*, sive sumatur pro voluntate, sive pro magnanimitate infusa, & spirituali, non est actus: sed propositum est actus: ergo non est *animus constans*. ¶ Respondetur eas particulas non significare potentiam, aut habitus; sed actum habitùs voluntati inhærentis. In quo nullum inconveniens est, sicut nec adest in eo, quòd

quòd iustitia dicatur: *Constans, & perpetua voluntas.* Nec in eo, quòd D. Augustin. lib. de Duab. anim. diffiniat peccatum per hoc, quòd sit: *Voluntas retinendi, vel consequendi, quòd iustitia vetat.*

Obijcies 5. Contra ultimam particulam *intelligatur.* Etenim si materia propositi Theresiani non esset, quod secundùm se est perfectius; sed quod perfectius esse, *intelligitur*, aliqua inconvenientia darentur. Primum est. Quòd iam illud propositum non esset adeo arduum, ac per consequens nec Seraphicum. Nullam quippè arduitatem præ se ferre videtur, quòd solùm fiat, id, quod iudicatur esse perfectius: cum non difficile sit reperire hac via id, quod est magis perfectũ. ¶ Secundum est. Quòd interdùm opus imperfectum esset actus propositi Seraphici. Videlicèt cum res imperfecta perfectior esse, putatur. Ex quo sequitur tertium. Quoniam ex duobus, quorum unus habet propositum Seraphicum, & alius non: si faciat iste, quod secundùm se est perfectius, & ille faciat opus imperfectum, perfectius tamen existimatum: non erit facilè assignare, quis ex his actibus sit perfectior, seu magis meritorius. Nam actus habentis propositum Theresianum, & ex illo operantis, habet nobilius principium: actus verò alteriùs habet sublimius obiectum: quandoquidèm quòd secundùm se est perfectius, præstat ei, quòd solùm existimativè perfectius est. ¶ Quartum est. Quòd si dicta vera sunt, non erit propositum Theresianum inter omnia proposita perfectius: quia perfectius absdubio erit propositum faciendi semper, quod absolutè est perfectius. Quod autẽ hoc proprositum nõ sit impossibile, uti diximus num. 7. in fine, indè liquet: quia si propter aliquam rationem esset impossibile, maximè quia ignoramus, quid sit secundùm se perfectius: quæ ratio non tenet: quia etiam ignoramus, quid agere debeamus; & tamen ad opera salutaria tenemur. Et ratio est, quòd possumus, & debemus clamare ad Dominum lucem petentes, quà nostræ tenebræ dissipentur: hoc ipsum potest facere, qui illud propositum emittit; consequentèr que lucem à Deo impetrabit, ut suum propositum observet. Indè que patet, non fore iniquum tale propositum, sicùt mihi etiam dicebamus. Et sanè quòd sit opus discretionis præponere minus perfectum perfecto: res prorsùs dissona appàret.

Respondetur. Nullum ex ijs inconvenientibus verificari expositione nostræ doctrinæ. Non primum: quia non est ita facile, posse prudentèr iudicare, quid perfectius sit. Ad hoc enim requiritur iudicium prudentissimum, quod ex nullo capite queat infirmari, nec umbram defectus habeat ipsum efformanti imputabilem. Concedimus posse de facili cognosci, quid perfectius sit ab habente unam naturam, illam que summè perspicacem. Cæterùm homo, qui non summè perspicax est, & cõstat duabus naturis in oppositа inclinantibus, non potest non multum laborare in efformando iudicium prudens de maiori perfectione rei agẽdæ. Vndè sicùt corpus, quod corrumpitur aggravat animam ita ut illam impediat, aut retardet in suis operationibus, maximè in salutaribus, & adhùc maximè in ijs, quæ eminẽtiores, & sanctiores sunt: sic & corpus ipsum deprimit sensum, ne de facili qũeat, quidnam sit perfectius, iudicari. Datur ergo duplex difficultas ab eodem principio proveniens. Prima est efformario illius iudicij, penes quod regulanda est maior perfectio rei faciendæ. Secunda est executio ipsius rei, de cuius maiori perfectione iudicium iam efformatum est. Quocircà licèt non esset arduum efformare illud iudicium; summè tamen difficile est, semper secundùm tale iudicium operari.

Ad 2. dicimus, quòd res minus perfecta in esse entis, magis autem perfecta in existimatione operantis, potest esse. & interdùm est materia propositi Theresiani. Ex quo hoc propositum non tendat in id, quòd in abstracto, aut se-

ſecundùm ſe perfectius eſt. Nec hoc aliquam ſpecialem difficultatem habet: cum certum ſit, quòd ſi aliquis, poſt exactam diligentiam, malum pro bono habeat, illud faciens, operatur rectè, & ſi aliæ circunſtantiæ adſint, illo ſuo opere mereretur. Si ergo malum exiſtimatum, ſine culpa, bonum deſervire poteſt ad meritum; pariformitèr & minùs perfectum, prudentèr ut magis exiſtimatum, poterit eſſe materia propoſiti Seraphici.

Per quòd ad 3. reſpondetur. Quòd ex illis duobus operantibus operatio habentis propoſitum Seraphicum perfectior eſt. Tum: quia licèt uterque ex charitate operetur: in habente propoſitum ſupponitur charitas robuſtior; indèque actus eminentior procedit. Tum etiam: quia habens propoſitum habet voluntatem magis firmatam in bono: & voluntas, prout ſic, actus perfectiores progignit, uti de habente votum relatè ad votum non habentem docet D. Thomas 2. 2. quæſt. 88. art. 6. Aliundè autem etſi habentis propoſitum obiectum ſit ſecundùm ſe minus perfectum; exiſtimativè autem perfectius eſt. Et hoc ſufficit, ut etiam ex hoc capite, opus perfectius evadat.

Ad 4. dicendum. Illud propoſitum faciendi, quod eſt in abſtracto perfectius, eſſe impoſsibile ab motivum à nobis inculcatum illo num. 7. quòd non infringitur per illam paritatem operum ſalutarium. Diſcrimen eſt. Quòd ad opera ad ſalutem neceſſaria promiſſam habemus divinam aſsiſtentiam, & lucem, quam, ſi prout oportet, petimus, obtinebimus. Ad illa verò, quæ infuſa ſunt, nec ad ſalutem obtinendam neceſſaria, nihil nobis determinatè promiſſum eſt. Vndè non eſt ſimilis ratio. Præterquàm quòd etiam multotiès ignoramus, quid ſit determinatè bonum hic, & nunc, aut ſecundùm ſe in alijs rebus, præter illas, quæ materia ſunt propoſiti Seraphici. Quamobrèm dicebamus ſupra, quòd non tenemur conformari cum divina voluntate in volito materialitèr, ſed in ratione volendi, ſeu volito formalitèr. Vndè etiam propoſitum faciendi ſempèr quod ſecundùm ſe, & in abſtracto perfectius eſt, nullum fore propter ipſius impoſsibilitatem, dicimus.

15. Dicere verò, diſonum apparere; quòd diſcretioni adſcribatur, quòd aliquando minus perfectum debeat perfectiori præferri, eſt plus quàm diſonum; cum ſit contra Chriſti Domini documentum. Suis ſiquidèm operibus docuit nos Cæleſtis Magiſter, minus perfecta eſſe quandoquè anteponenda perfectioribus, ut ait D. Bonavent. in Apol. paup. reſp. 1. capit. 1. dicens: *Sicùt humanam aſſumendo naturam in noſtris factus eſt humilis, ſed in proprijs manſit excelſus ſic & ſummæ charitatis dignatione ad actus quoſdam noſtræ imbecillitati, & imperfectioni conformes deprimitur, & à ſummæ rectitudinis perfectione non curvatur.* Conſentit S. Chryſoſt. homil. 27. in Matth. *Vides*, inquit, *quanta eſt Chriſti in condeſcenſione diligentia; ſicùt cum manducat, & bibit, cum videtur ex adverſo Ioan. faciens, & hæc Iudæorum gratiâ ſalutis facit, magis autem terrarum orbis univerſi.* Perſpicuè, & elegantèr idem docet Hugo de Sancto Vict in Pſam. 91. cap. 64. his verbis: *Habebat IESVS loculos, & ea, quæ dabantur, ſuſcipiebat, conformans ſe imperfectis. Paulus autem nolebat ſumptus accipere de Evangelio, ſed gratis factus eſt Miniſter verbi: & invenitur Paulus aliquid maius feciſſe, quàm Chriſtus. Chriſtus autem in numero imperfectorum inveniri voluit, ne præſumerent non accipientes, & confunderentur accipientes, & æſtimaretur non eſſe Chriſtianus faciens, quod facere noluit Chriſtus.*

Hoc Chriſti Domini exemplar, D. Paulus fideliſsimè æmulatus fuit, ut pluribus in locis ipſe teſtatur, inter quæ 1. ad Corinth. cap. 9. ait: *Cum liber eſſem ex omnibus, omnium me ſervum feci, ut plures lucrifacerem.* Et infra: *Omnibus omnia factus ſum, ut omnes fa-*

ce-

cerem salvos. Videatur inibi D. Thomas data verba explanans. Hoc ipsum sectati sunt & alij sancti ut testatur Santus Sales. lib. 2. Epist. 1. & lib. 3. Epist. 6. ubi exemplum nobilissimum huius materiæ proponit fœminæ maritatæ, quæ ad magnum perfectionis verticem conscendit hac via: *Cognosco*, inquit, *quandam Dominam, cuius anima tam est excellens, ut melior hucusquè mihi non occurrerit, quæ cum tali subiectione sub humoribus sui mariti diù remansit, ut summo quoque suæ devotionis, & spiritualis fervoris æstu non obstante, nudato procedere collo cogebatur, & vanitatibus innumeris exterius oneraretur, nec unquàm Sacra Synaxi, nisi clanculò semotis arbitris, tempore Paschali reficeretur: millenis alioqui procellis turbata fuisset familia. Et per hanc viam ad apicem perfectionis ascendit.*

Plurimis alijs poterat id ipsum fulciri; prætermittimus tamen; quia dicta sat sunt ad illam veritatem stabiliendam, & suadendum, quòd etiam si possemus cognoscere sine hæsitatione quid inter omnia nobis occurrentia esset secundùm se perfectius; adhùc tamen non teneret propositum faciendi semper, quòd secundùm se perfectius est. Ratio huius, eaque clarissima est: quòd propositum contra Dei voluntatem foret vinculum iniquitatis, ac subindè non tenet. Hoc verificaretur de illo proposito: quando quidèm Deus interdùm vult, quòd opus secundùm se minus perfectum præferamus, ut liquet ex ijs, quæ Dominum nostrum fecisse, vidimus: quæ in Apostolo ipsius admirati sumus. docent que communissimè Sancti, & cum Theologis animarum directores, & ad hoc necessaria est discretio illa, de qua Seraphica Theresia loquitur.

***

QVÆSTIO SECVNDA.

VTRVM PROPOSITVM THERESIANVM NOBIS possibile sit?

SIgnificantèr non exploramus possibilitatem absolutam propositi Seraphici: possibile namquè absolutè esse, liquet ex dictis num. 5. Sed quia plura, quæ secundùm se sunt possibilia, nobis non sunt possibilia; idcircò hanc possibilitatem explorantes inquirimus: an *nobis* possibile sit propositum faciendi semper quicquid perfectius esse, iudicemus? Qua in re,

§. I.

Assertio nostra affirmat.

16. HAnc conclusionem, quam a nemine negandam esse, censemus a tribus, ijs que urgentissimis principijs reflectis pluribus alijs, probare volumus. Primum est illud probationis genus, quo nullum evidentius: illud videlicèt, quòd ab actu ad potentiam, seu possibilitatem procedit. Ab hoc ergo principio sic assertum statùtum probamus. Etenim ex Sacra Scriptura, & alijs fide dignis constat, plurimos habuisse propositum Seraphicum. Nam, ut interim alios omittam, de seipso ait David Psalm. 118. vers. 10. *In toto corde meo exquisivi te.* Insupèr de eodem dicitur 3. Reg. capit. 14. vers. 8. *Non fuisti sicùt servus meus David, qui custodivit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo.* Facere quod placitum est in conspectu Dei, & hoc *in toto corde*, nihil aliud est, nisi exequi in omnibus, quod perfectius esse

deprehenditur, Deum que amare ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus diligentis. Qualitèr processisse alium eiusdem populi Regem liquet ex 4. Reg. cap. 33. vers. 25. ubi de Iosia dicitur, quòd *reverteretur ad Dominum in omni corde suo, in tota anima sua, & in universa virtute sua.* Neutiquàm hæc Iosias faceret, quin animum paratum haberet ad semper faciendum, quod perfectius esse, putaret. De his autè videre poteris Bellarm. tom. 4. lib. 4. cap. 11. contra perfidos Novatores plenissimè disputantem.

17. Interim tamen præterire non placet verba animæ sanctæ dicentis Can. 6. vers. 2. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.* Quibus auditis D. Gregor. Nyssen. Homil. ult. inquit, Sponsam hisce verbis ostendere, Sponso suo ita se per omnia, & in omnibus conformare, ut, quantum fas est, eius similitudinem in se exprimat; sic, ut qui eam videat, Sponsum iudicet, se videre: non alitèr ac qui imaginem alicuius cernit ipsum se conspicere, censet. In cuius confirmationem affert, Sanct. P. illud (quod eandem veritatem comprobat) ex ad Galat. cap. 20. v. 20. ubi Apostolus ait: *Vivo autem iam non ego, vivit verò in me Christus. Id est* (exponit) *abrasis quasi poliendo universis, quæ in Christi naturam non cadunt, nihil in me habeo, quod non in ipso sit, & ea de causa mihi vita Christus est, qui est sanctificatio, & puritas, & immortalitas, & lumen, & veritas, & huiusmodi alia, quæcumque animam meam pascunt.* His Sanctus Doctor explicat ad nostrum intentum ea, quæ amore flagrans dicit Sponsa, quæ etiam cap. 2. vers. 16. dixerat: *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.* Hæc egregius Interpres Cornel. sic exponit: *Sponsa in sua persona loquens amorem amori rependit, se se que promptam, ut Sponso vocanti pareat, & in vineam ad labores exeat, ostendit, ait que: Dilectus meus mihi, & ego illi; quia sicùt ille pascitur inter lilia, sic & ego liliorum, id est, candoris, & puritatis sum studiosissima. Dilectus meus mihi, sub audi, totum se tradidit: Vnde, & ego illi avidè me totam tradam, imò reipsa trado. Illi uni vaco, servio, & placere satago. Quare, quod ipse vult hoc & ego volo; ipse vult, ut à lectulo ad agrum, ab otio ad negotium transeam, idipsum & ego volo ipsius enim velle, & nolle, meum velle & nolle est.* Sic gravissimus hic Interpres animæ sanctæ verba explanat. Quibus constare ex Sacra Scriptura dari animas, quarum studium sit procedere iuxta propositum Theresianum, certum est.

18. Verùm quia alias Scripturas humanas, fide tamen dignissimas, in eandem veritatem edocendam conspirare, diximus, operæpretium est nonnihil ex ipsis delibare. Gratissimum nobis est id, quod N. Philip. scribit lib. 3. Hist. Carmel. *Ordo noster*, ait, *usque ad Ioannē 44. per tredecim sæcula regebatur sola traditione: sic ut superior suos exhortans gesta Maiorum exponeret, Eliæ, Ioannis Baptistæ &c. Nosse tantùm volebant, quid maioris esset perfectionis in Maioribus æmulandum nec necessarium erat obligationis opera inculcare.* Vide, quòd per plurima sæcula plurimorum studium erat maiori perfectioni incumbere, iuxta ea, quæ à Maioribus æmulabantur. Vt noscas, illos, vel ex illis plures propositum habuisse faciendi semper, quod maioris perfectionis esse, existimarent. Et ab hoc actu rectè, & irrefragabilitèr inferas propositi Theresiani possibilitatem.

Quam paritèr convincit id, quòd serm. 1. de Sancto Andrea docet D. Bernardus in quo postquàm de perfecta charitate loquutus perfectissimè est, ad Sanctum Apostolum conversus exclamavit: *Felix anima, quæ ad hunc charitatis pervenit statum.* Et postmodùm suos ad huiusmodi charitatis perfectionem adhortans ait: *Ob hoc maximè memoria celebratur, ut ipsius & invocemus auxilium, & provocemur exemplo. Plus dico, & ex vobis non-nullos videre videor in hoc gradu.*

du. Si dicas Andream Apoſtolum eſſe; nec poſſe te, qui puſillus es, eius ſequi veſtigia: pudeat vel eos, qui tecum ſunt, non imitari. Quibus clariſsimè oſtenditur, Sanctum Andream ad illud perfectionis verticem in via conſcendiſſe, ut tota ſolicitudine intenderet in id, quòd perfectius erat. Quam ſolicitudinem habuiſſe non nullos ex ijs, qui tunc Div. Bernardum inaudiebant, ex verbis ipſius notum eſt. Ex quibus etiam liquet, eiuſmodi ſolicitudinem fore & alijs poſſibilem; ſinminus fruſtrà illos ad eam exhortaretur.

Et ſanè ſi non vis in luce clariſsima cæcutire, plures utriuſque ſexus degentes inter ſæculi procellas reperies, quorum iuge ſtudium eſt, nihil advertentèr facere, quod propoſito Seraphico contrarietur. Tu verò hoc advertentèr negare non audeas, ſed D. Auguſtinum lib. 7. Confeſ. capite 11. tecum loquentem auſculta: *Tu non poteris, quod iſti, & iſtæ? An verò iſti, & iſtæ in ſemetipſis poſſunt, & non in Domino Deo ſuo: Dominus Deus eorum dedit eis. Quid in te ſtas, & non ſtas? Proijce te in eum: noli metuere, non ſe ſubtrahet ut cadas: proijce te ſecurus; excipiet, & ſanabit te.*

19. Ad aliud iam probationis genus ex tribus, quæ ſupra promiſsimus, properantes, probatur 2. noſtra aſſertio ſic. Id eſt nobis poſsibile, quod Deus in nobis deſiderat, & ad quod nos frequentèr invitat. Ipſum autem benigniſsimè deſiderare, quòd eius voluntati conformemur ita, ut nihil faciamus, præter id, quod perfectius eſſe iudicaverimus, & ad hoc nos frequentèr invitare, res eſt pluribus Scripturis Sancta, ex quibus non-nullas adferemus. Prima ſit ex Cantic. cap. 5. verſ. 2. ubi dicitur: *Vos Dilecti mei pulſantis: Aperi mihi, ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* Verba ſunt Sponſæ referentis quid faciat, dicat que Sponſus. Hic loquitur animæ in gratia conſtitutæ; ſecùs enim non eſſet *ſoror, amica, & columba.* Imò animæ alloquitur; quæ iam ad perfectionem conſcendit, ut liquet ex illo *immaculata mea* quod iuxta ſeptuaginta idem eſt, ac *perfecta.* Atque ita tenent PP. & Interpretes Sacri. Si ergo anima illa nedùm *amica* Dei eſt, ſed etiam *immaculata, & perfecta*; fit conſequens, quòd Deus in illa ſit tanquàm in Templo, & Sacrario ſuo. Quomodò ergo dicit: *Aperi mihi?* Quia illam ipſam animam vult benigniſsimus Dominus, quòd ad maiorem perfectionem ſublimata nihil faciat, quod minus perfectum ſit: idcircò enim ianuas ipſius apertas ſibi deſiderat, ut ſublimiori gratia per illas intrante, ex eius adiutorio in id, quod perfectius eſt, oculos figat. Sic eruo ex D. Ambroſio libro de Iſaac, & Anim. cap. 6. ubi ait: *Et ſi dormias, ſi modò devotionem animæ tuæ noverit Chriſtus, venit, & pulſat eius ianuam, & dicit: Aperi mihi, ſoror mea, quia nuptiæ ſpirituales ſunt Verbi, atque animæ. Aperi mihi, ſed extraneis claude, ſæculo claude, neque ipſa foras ad illa materialia prodeas, neque tuum relinquens lumen, alienum requiras. Aperi ipſam te mihi, noli coarctari, ſed dilatare, & adimplebo te.* Alludit Sanctus Pater ad illud Pſalm. 80. *Dilata os tuum, & implebo illud.* Deſiderat namquè Deus, ut os animæ dilatetur, non iam ut, quæ ſolummodò bona ſunt, aut etiam perfecta, faciat: quandoquidèm hæc fieri ſupponuntur; ſed etiam ut gratiam exactam ad operandum perfectiora recipiat. Hæc eſt oris animæ dilatatio, & Domini animam ad ſummam perfectionem allicientis promiſsio.

Audiendus tamen eſt Philon Carpath. eundem textum ſic clariſsimè exponens, ait enim: *Quicumque Deo paret, & illius præcepta ſtudioſiſsimè conſervat, is ſe quotidiè ad ianuam cordis acciri, & admoneri ſentit, ad meliora ſemper, & ad altiora charitatis opera facienda. quod appellationes ipſæ ſignificant.* Nulli ergo dubium ſit, quòd piiſſimus noſter Dominus *quotidiè ad ianuam*

nuam cordis pulſat animam *ad meliora ſemper, & altiora charitatis opera facienda* invitans. Idcircò illam ſpecioſis ijs appellationibus nominat: *Soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* Vt quia *ſoror* ſui fratris auxilio confidat: quia *amica* nihil faciat, quod amici maieſtatem offendat: quia *columba* omni ſinceritate, fidelitate, ac celeritate in ſuum conſortem tendat. Ac deniquè quia *immaculata, & perfecta* ad maiorem perfectionem beneficio Dilecti pulſantis aſſurgat, & *ad meliora ſemper; & altiora charitatis opera facienda* contendat.

20. Vt autem amplius ex Sacra Scriptura comprobemus, Deum deſiderare, animam que invitare; ut non tantùm perfecta, ſed quæ perfectiora ſunt, exequatur, occurrit modò brevis ille, ſed emphaticus textus ex Prov. capit. 23. verſ. 26. ubi dicitur: *Præbe, fili mi cor tuum mihi.* Quem D. Bernardus epiſt. ad quend. poſtul. ſic exponit: *Hoc à nobis Dominus expetit dicens: Fili dà mihi cor tuum. Tunc ſiquidèm cor hominum Deo datur, quandò omnis cogitatio terminatur in eum gyrat, & circumflectitur ſuper eum, & nihil vult penitùs poſsidere præter eum: ſic que colligato ſibi animo eum diligit, ut ſine ipſo amatus ſit omnis amor. Nec aliud dixerim cor dono dare, quàm ipſum captivare in omne obſequium eius, & ita voluntati eius ex toto ſupponere, ut nihil aliud velit, quàm, quod noverit eum velle.* Mirè proſequitur Sanctus Pater hanc ipſam veritatem edocens. Nobis autem hæc exſcripſiſſe ſat fuerit. Quandoquidèm in ultimis verbis habetur, quicquid pro noſtro diſcurſu ſtabiliendo deſiderari poterat. Petit Deus, ut illi cor noſtrum præbeamus. Quod nihil aliud eſt iuxta datam expoſitionē quàm quòd cor noſtrum Dei voluntati *ex toto* ſupponamus, ita ut nihil aliud velimus, niſi illud, quod ipſum velle, noverimus. Hoc eſt propoſiti Thereſiani genium, & munus, videlicèt, velle, & facere id ſolum, quod Deo placere, cognoſcitur. Ac ſubindè velle, & facere, non ſolùm, quæ bona ſunt; ſed etiam illa, quæ ſunt maioris perfectionis. Quæ non ſunt ea, quæ ſunt in abſtracto perfectiora, ſed quæ perfectiora iudicantur. Et hoc oſtendit D. Bernardus ijs verbis: *Quod noverit, eum velle.*

21. Relictis autem quampluribus textibus, ex Evangelio, ex Epiſtolis D. Pauli, D. Petri, D. Iacobi, & ex alijs Sacræ Scripturæ libris, regredimur ad Cant. canticor. ubi cap. 8. verſ. 6. audio Sponſum loquentem cum ſua Sponſa, dicentem que: *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignacalum ſuper brachium tuum: quia fortis eſt ut mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio.* D. Anſelmus ita hunc textum explanat: *Pone me regentem cor tuum, & cogitationes tuas, ut pateat amicis, te continere mea ſecreta, & inimicis item pateat, ab eis ſecreta, quæ habes, eſſe clauſa, habeas que me ut Rectorem in omnibus operibus tuis*: abſque dubiò omnia animæ opera perfectiſsima erunt. Et quia hoc eſt, quod Deus deſiderat; idcirco, ut animam ad hanc maiorem perfectionem invitet, imperat, ut ipſum ſuper cor, & brachium impreſſum ſecum ferat; ſic que ſemper ab illo ſignaculo edocta, adiuta que, maiori perfectioni in ſuis operationibus inhiabit.

Data D. Anſelmi expoſitio ſupponit aliam inter Sanctos PP. & Sacros Interpretes frequentiſsimam. Videlicèt, quòd Sponſa afferens ſupra cor, & ſupra brachium imaginem ſui Sponſi ei, quantùm poſsibile ipſi ſit, aſsimiletur. Huius expoſitionis meminit ibi D. Thomas, illius etiam meminit, & congruè ad rem explanat, Myſtic. N. P. lib. 3. Aſcenſ. cap. 12. ubi ait: Sponſum eſſe ut ſignaculum ſuper cor Sponſæ, eò tendere, ut ſit ibi veluti ſignum, in quod ſagittæ amoris, quibus animam amburere ſatagit, dirigantur. Et eſſe ut ſignaculum ſuper brachium, per quod voluntatem intelligit nihil aliud eſſe, quàm ponere in ipſa voluntate ſignum, in quod amoris ſpicula tendant; ut ſic anima *actio-*

tionibus, motibus que amoris similis illi fiat, donec in ipsum transformetur:

Hoc est ergo motivum illius præcepti: *Pone me* &c. Videlicèt, quòd in anima perfecta similitudo Sponsi in operando imprimatur. Nec potest anima esse perfectè similis Sponso, quin, quod perfectius esse, intelligat, operetur. Eò quòd Dominus, ac Redempt. noster sic operatus est; cum in omnibus non suam voluntatem, sed voluntatem eius, qui illum miserat, sequeretur: ac de se ipso ait apud Ioan cap. 8. *Qui me misit mecum est, & non reliquit me solum quia ego quæ placita sunt ei, facio semper.* Ex his omnibus in unum collectis liquet, quòd si Christus Dominus, quæ placita Deo sunt, semper fecit: invitans animam ad similitudinem cum ipso, illam ad sempèr exequendum, quæ Deo sunt placita, invitat: ac subindè ad faciendum id, quod cognoscat, esse perfectius. Hunc enim operandi modum habuit Christus.

22. Vltimum probationis genus est huiusmodi. Etenim sine speciali privilegio gratiæ potest homo facere quicquid perfectius esse, cognoscat: ergo hoc est illi possibile. Ergo & propositum Theresianum. Patet ista, quia hoc propositum nihil aliud est, nisi id, quod in antecedenti refertur, ut vidimus quæst. præcedenti. Antecedens constat, quia nemo hactenùs tale speciale gratiæ privilegium ad propositum Seraphicum postulavit; nec requiri, ex subijciendis manifestum erit. Prima consequentia probatur primò. Homini possibile est omne id, ad quod non eget speciali gratiæ privilegio: ergo si hoc privilegio non indiget ad operandum perfectius, poterit utiquè hoc facere sine privilegio speciali gratiæ. Probatur antecedens. Tum: ex unanimi consensu Theologorum: tum etiam: quia non alia ratione est homini possibilis adeptio beatitudidis supernaturalis, amicitia paritèr supernaturalis cũ Deo, & alia huiusmodi, quæ intra gratiæ limites continentur, nisi quia, viribus communibus gratiæ ipsius, potest homo illa habere: ergo si homo potest habere propositum Seraphicum ex viribus communibus gratiæ, hoc est, sine speciali gratiæ privilegio, ipsi possibile est tale propositum.¶ Probatur 2. illa consequentia. Ideò nõ est possibile homini propositũ vitandi omnia peccata venialia collectivè sũpta quia ad hoc requiritur gratia specialis, qua hucusquè neminem, præter Gloriosissimam Virginem, scimus, gavisum fuisse, ut diximus disp. præcedenti quæst. 1. ergo à contrario propositum Seraphicum est homini possibile, quia eius observatio nullas alias vires requirit, præter gratiæ communes vires.

Confirmatur hæc ratio. Seraphica Mat. N. habuit propositum Seraphicum, ut omnibus notum est: ergo hoc ipsum propositum cuivis possibile est. Probatur consequentia. Quia possibilitas alicuius propositi rectè probatur ex eo, quòd aliquis illud de facto habeat sine recursu ad privilegium speciale gratiæ: ergo omnibus possibile est propositum Seraphicum, ex quo Seraph. Doctricem illud habuisse, constet. Patet ista; quia S.M.N. nullum speciale privilegium gratiæ habuit, ut illud propositum faceret: eò quòd licèt gratia, qua tunc temporis ornabatur, eminentissima foret; continebatur tamen infra terminos gratiæ communis.¶ Ratio facta cum sua confirmatione, adeò perspicuè convincit intentum, ut superfluum sit, illlud alijs suadere.

§. II.

Argumenta.

23. CONtra propositum assertum arguitur sic primò. Nullus homo potest elicere operationem, quæ imperfecta non sit: ergo nulli possibile est propositum Theresianum. Patet consequentia, quia hoc propositum non solùm respicit vitationem culparum, sed etiam imperfectionum, ut liquet ex ijs, quæ dicebamus quæst. præcedenti. Probatur antecedens. Actus dicens caren-

rentiam perfectionis eſt imperfectus. Nullum actum poteſt homo elicere, qui non dicat perfectionis carentiam: ergo. Probatur minor. Quicumque actus hominis, quantumvis perfectiſsimus, poteſt eſſe perfectior: ergo ex defectu huius maioris perfectionis dicit perfectionis carentiam.

Reſpõ detur diſtinguendo antecedens. *Imperfecta*, negativè, concedo, privativè, nego antecedens. Et hac diſtinctione reſolvatur totum argumentum. Nullus actus hominis, aut Angeli, etiam beati, datur, qui non dicat carentiam negativam perfectionis. Ex quo enim ille actus finitus, ac limitatus eſt, eſt etiam imperfectus. Hæc tamen imperfectio eſt carentia perfectionis indebitæ. Vndè actus evadit imperfectus negativè. A qua imperfectione negativa non poſſe denudari actum creatum, fatemur. Vltra hanc imperfectionem negativam concedunt Theologi aliam imperfectionem, quæ eſt carentia perfectionis debitæ. Et iſta non afficit omnem actum creatum, aut etiam humanum; cum plures adeò perfecti ſint, ut nullà imperfectionis umbrà maculentur. De hoc que imperfectionum genere loquimur, dum aſſerimus propoſitum Thereſianum tendere advitandas imperfectiones.

Sed Contra, & arguitur 2. Habens propoſitum Thereſianum debet excludere imperfectiones, quæ propriè imperfectiones ſunt: Sed carentia perfectionis debitæ non eſt propriè imperfectio: ergo non tantùm iſtam, ſed etiam imperfectionem negativam debet excludere. Quod cum, ut dictum eſt, ſit impoſsibile homini, fit conſequens, quòd ipſi impoſsibile ſit propoſitum Thereſianum. Maior liquet ex communi doctrina Theologorum, & maximè Myſticorum, cognoſcentium imperfectiones propriè tales, quæ reipsà illas committenti imputantur; quin ad lineam culpæ, etiam venialis, ſpectent. Minor verò, in qua difficultas conſiſtit, probatur. Peccatum veniale non eſt imperfectio, nec illud unquàm ab aliquo imperfectio dictum eſt: ſed actus carens perfectione debita eſt peccatum veniale: ergo non eſt imperfectio. ¶ Ad hæc. Theologi, & præſertim Myſtici dividunt defectum moralem, in gravem, & hic eſt peccatum mortale; & levem, & hic eſt culpa venialis; ac tandèm in imperfectionem & hæc nec eſt peccatum mortale, nec veniale; quia nullo modo eſt culpa: ſed hæc diviſio, & Theologia nõ ſubſiſteret, ſi carentia perfectionis debitæ foret imperfectio: ergo.

Reſpondetur argumento, concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem: *Carentia* ſimplicitèr talis, concedo, ſecundumquid, nego minorem. Itaquè carentia perfectionis eſt duplex. Alia negativa, & eſt carentia formæ indebitæ, de qua iam diximus, convenire omni actui creato, ex quo limitatus ſit. Alia eſt carentia privativa ſeu formæ debitæ. Et hæc etiam eſt duplex. Alia ſimplicitèr talis, & hæc eſt carentia perfectionis debitæ ex aliqua lege in Foro Cõſcientiæ obligante. Et hæc abſdubio eſt peccatum veniale. Alia eſt carentia ſecundumquid. Et hæc eſt maior carentià purè negativa; ſed minor carentià privativà ſimplicitèr tali: conſiſtit que in eo, quòd licèt actus elicitus ſit bonus, nec aliquam legem in conſcientia obligantem violet; attamèn non eſt bonus eo gradu bonitatis, qui exigitur, ut per illum actum eliciens queat perfectionem obtinere. Vel ſi illam adeptus eſt; caret illa bonitate, qua decẽs foret, quòd actus, à viro perfecto elicitus fulgeret. Vndè hic actus, quãvis moralitèr bonus, & meritorius vitæ æternæ, nulli que legi, aut præcepto contrarius, imperfectus eſt; quia caret ea perfectione, quæ debet reperiri in actu, vel perfectionem obtinente, vel perfectioni fervidè appropinquante, vel à Perfecto, qua tali, procedente. De hoc que actu dicente hac perfectionis carentiam privativam ſecundumquid loquimur, dum aſſerimus, propoſitum Thereſianum dirigi ad vitandas imperfectiones. Per quæ ad additamentum patet.

Di-

25. Dices. Implicat actus privativè imperfectus sine violatione alicuius legis: Dictus actus est per nos privativè imperfectus: ergo aliquam legem violat. Ergo dicit carentiam perfectionis simplicitèr talem: ac subindè est peccatum veniale. Cætera nota sunt, & maior probatur. Actus, qui non est dignus laude, nec potest consuli, aliquam legem violat: Actus privativè imperfectus non est dignus laude, nec consuli potest, ut pe se notum videtur: ergo illo actu aliqua lex violatur.

Respondetur distinguendo maiorem. *Alicuius legis*, sivè præcipientis, sivè consiliantis. concedo, præcisè præcipientis, si imperfectio privativa sit carentia secundumquid, nego maiorem. Maior que probationis eodem modo distinguatur. Itaque quoad præsens duplex genus legis distinguere possumus. Primum est legis præceptivæ; & hæc non violatur nisi per culpam; atque ideò sine privatione perfectionis simplicitèr tali. Per imperfectionem autem, quæ est carentia tantùm secundumquid, nulla lex præceptiva, seu in foro conscientiæ obligans, violatur. Secundum genus est legis consiliativæ, quæ idem est ac Consilium, quod utiquè violatur per imperfectionem, quæ est carentia secundumquid. Vndè nequit actus imperfectus, quamvis bonus moralitèr sit, consuli: quia consulere aliquid contra consilia peccatum est. Item ipse actus non est laude dignus: quia laus non est propria cuiuscumque actus, sed illius, qui perfectior est. Hincque provenit, quòd ille actus nec consuli, nec laudari communitèr queat. Et quamquàm talem actum eliciens soleat reprehendi, illa reprehensio non est propriè talis: hæc quippè non datur, nisi ad sit violatio alicuius legis præceptivæ, seu in foro conscientiæ obligantis. Est tamen reprehensio impropriè quæ est idem ac exhortatio ad maiorem perfectionem. Et hæc etiam exhortatio per modum reprehensionis impropriè talis procedens non datur sine violatione legis consiliativæ. Tota hæc doctrina desumpta est ex N. Salmantic. tract. 13. disp. 19. à num. 7.

26. Arguitur 3. Propositum vitandi omnia venialia collectivè est homini impossibile: ergo & propositum Theresianum. Antecedens certum est, & consequentia probatur. Propositũ Theresianum extenditur non solùm ad peccata venialia, verùm etiam ad imperfectiones, ut liquet ex dictis: ergo si propositum vitandi sola venialia est impossibile; potiori iure erit impossibile propositum comprehendens venialia, & imperfectiones.

Ad hoc argumentum patet ex dictis quæst. antecedenti. Illud tamen hic dissimulare nolui. Si fortè eius repetitio valeat eliminare ignorantiam, quæ apud nonnullos gravissimos, alias Theologos, reperiri solet de materia propositi & voti Seraphici. Aliquando vidi in publico theatro doctissimum quemdam propugnantem impossibilitatem vitandi venialium collectionem, ab hoc principio impugnatum, & non laudabilitèr præpeditum. Quod nequit aliundè provenire, nisi ex præiacta ignorantia, qua excluſa, argumentum nullius esse roboris, certum est. Respondemus ergo, concedendo antecedens, & negando consequentiam. Ratio est; quia propositum Theresianum non comprehendit collectionem venialium, & imperfectionum; sed solas imperfectiones, & venialia, quæ ex plena deliberatione fiunt. Et quòd propositum vitandi omnia venialia cum plena advertencia commissa, sit validum; atque adeò possibile sine privilegio speciali gratiæ, res est non penitùs inaudita. Eodem ergo modo propositum Theresianum ad animum vitandi omnia venialia cum plena deliberatione commissa addit & animum vitandi etiam omnes imperfectiones procedentes ex eadem plena deliberatione, & advertentia. Quod posse ab homine fieri, nõ negabit, qui consideret, quòd propositum Seraphicum emittens est anima Deum ardentissimè diligens, illique vehementissimè exoptans in omnibus complacere.

Huic

Huic amanti animæ occurrit culpa venialis, aut imperfectio quædam. Et ſine dubio, ſed plenà advertentià cognoſcit, culpam ſuum Dilectum offendere, & imperfectionem non illi placere. Erit ne huic animæ, hæc plenè cognoſcenti, impoſsibile, culpam, & imperfectionē vitare? minimè. Quin potius, amore, quo flagrat, conſiderato, naturaliſsimum eſt illi flammas evomenti amori, quòd culpam fugiens, & imperfectionem conterens ad id, quod perfectius eſſe cognoſcit, applicetur. Hoc eſt propoſiti Thereſiani genium. Hæc eius materia, circa quam verſatur. Quòd ſi alitèr concepiſti, erraſti. Corrige, & videbis, nullas hoc argumentum, & alia plura, quæ fieri poſſunt, vires adversùs illud habere.

27. Dices. Si res ita ſe habet, non arduum, ſed facillimum erit propoſitum Seraphicum, hinc que colligitur, non eſſe tot encomijs dignam Seraphicam Thereſiam ob huius propoſiti emiſsionem, quibus illam vel Summi Pontifices celebrant. Quæ cum falſa ſint, infertur planè, datam à nobis doctrinam non eſſe ſolidam.

Reſpondetur. Quòd Santa Mat. N. non ijs laudibus extollitur ob propoſitum Seraphicum, ſed ob votum, quo illud propoſitum elevavit, ſuam que voluntatem firmavit in bono. Hoc Sanctiſsimam illam Viginem celebrem fecit. Maximè ſi inſpiciantur circũſtantiæ, quibus ſuum illud votum nuncupavit. De quo agendum nobis eſt diſp. ſequenti. Propoſitum verò Seraphicum etiam poteſt fieri ſub circunſtantijs ipſum ſummè arduum reddentibus. De eo que, prout his circunſtantijs ſubeſſe poteſt, non loquimur; ſicut nec dicimus, quencumque hominem poſſe illum propoſitum habere. Vnde à voti circunſtantijs præſcindimus, & ſubiectum illus non determinamus: ſed aſſerimus, ipſum eſſe homini poſsibile, & modum ſub quo poſſibile eſt oſtendimus. Sufficeret que ad manifeſtam huius poſsibilitatis oſtenſionem, quod ſola Cæleſtis Mat. noſt. hoc propoſitum habuiſſet. Indè enim poſsibile eſſe homini, demonſtratur.

28. Replicabis. Qualitercumquè explicetur propoſitum faciendi, quod perfectius eſſe, intelligitur, ſuperat propoſitum vitandi peccata venialia diviſivè, & cum plena deliberatione; ſed hoc eſt homini impoſsibile: ergo & propoſitum faciendi, quod perfectius eſt. Maior liquet: quia primum propoſitum comprehendit imperfectiones. Et minor probatur. Votum de vitandis venialibus diviſivè, etiam ſi ſolummodò extendatur ad ea, quæ ex plena deliberatione committuntur, eſt homini impoſsibile: ergo & propoſitum. Patet iſta. Quia quod Deo proponimus, poſſumus & ipſi vovere: quippè materia propoſiti eſt quoque voti materia. Antecedens autem probatur multiplicitèr. Primò: quia ſic decernitur in Concilio Trident. ſeſſ. 6. Can. 23. ubi dicitur: *Si quis dixerit, hominem iuſtificatum poſſe in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio quemadmodùm de B. Virgine tenet Eccleſia anathema ſit.*

Secundò probatur antecedens. Quia ad materiam voti non ſufficit eſſe rem poſsibilem in communi, & in confuſo, ſed debet eſſe de rebus moralitèr poſsibilibus, & cognoſcibilibus, ne homo ſemper de tranſgreſione anxius remaneat: ſed omnia venialia diviſivè adhùc ſumpta, & etiam illa, quæ ex plena deliberatione committuntur, non ſunt materia moralitèr poſsibilis, & cognoſcibilis: ergo. ¶ Probatur 3. Si propter aliquàm rationem poſſet tale votum fieri, maximè quia homo tenetur ad vitanda ſingula venialia. Hæc ratio eſt nulla: ergo. Probatur minor: nam cum illa obligatione conſequuta ad naturam rationalem, ſtat appetitus rebellio, à qua oritur impoſsibilitas moralis, ut docet D. Thomas 2. 2. quæſt. 109. art. 8. ergo cum illa obligatione ad vitanda ſingula venialia, ſtat impoſsibilitas vovendi eorum vitationem. ¶ Probatur 4. obligatio vitandi ſingula venialia eſt ſumma: ergo ſolùm poteſt dimanare à ſumma poteſta-

tate.

tate Dei. Ergo homini est impossibilis. ¶ Probatur tandèm ex D. Thoma in 2. distinct. 28. quæst. 1. art. 2. ubi ait: *Quòd enim non possumus omnia peccata venialia vitare, sed singula, præcipuè propter primos motus dicitur, ad quos requiritur deliberatio consensus*: ergo si hoc dicitur *præcipuè* de primis motibus; idem etiam dicitur de motibus deliberatis, licèt non præcipuè. Secùs enim ly *præcipuè* superflueret.

29. Sic fermè procedit Magist. Torre 2. 2. quæst. 88. art. 2. disp. 6. num. 3. quem in negando possibilitatem illius voti plures Authores gravis notæ comitantur. Alij autem Theologi, quamquàm de voto non loquantur, eius tamen possibilitatem negare tenentur, ex quo affirment hominem cum solis auxilijs gratiæ communis non posse per longum tempus vitare omnia venialia, quæ ex perfecta deliberatione committuntur. Nos autem, qui contrarium firmitèr tenemus, quoad hoc secundum cum Durando, Conrad. Granad. Tapia, & cum N. Salmant. illos allegantibus tract. 14. disp. 2. à num. 236. etiam contrarium affirmamus quo ad primum cum Exim. Suarez lib. 2. tom. 2. de Relig. capit. 3. num. 4. Vndè dicimus cum laudatis Salmant. quòd homo auxilijs communibus divinæ gratiæ protectus potest *ita se habere, ut cum perfecta deliberatione, & ex proposito non peccet venialitèr*. Ac subindè firmitèr propugnamus: votum de non peccando venialitèr ex plena deliberatione, ex advertentia perfecta, ex proposito, aut industria, esse homini possibile, licitum, & validum.

30. Hanc veritatem affatim stabiliunt, solidissimèquè suadent ea, quibus dicti N. Salmantic. utuntur. Quorum primum est. Quòd ratio præcipuè convincens hominem non posse per longum tempus vitare collectionem omnium venialium, est mulitudo motuum vitiosorum insurgentium contra rationem, illamque obnubilantium, quæ eo ipso cum communibus gratiæ auxilijs nequit adeò continuè vigilare, ut omnes eos vitiosos motus prævenire queat, & compescere: atqui hæc ratio in casu nostro non militat: quandoquidèm est planè implicatorium, quòd deliberatio plena, & perfecta sit, & quòd ratio sit obnubilata, aut non sit vigilans: & similitèr est prorsùs dissonum, quòd peccatum fiat ex proposito, & plena advertentia, & quòd simùl motus in illud sit primò, aut secundò primus, aut ex passionis vehementia: ergo ex hoc capite nihil obest, quominùs homo queat, ita se habere ex communibus gratiæ auxilijs, *vt cum perfecta deliberatione, & ex proposito, non peccet venialitèr*.

Secundum fundamentum est. Quia ideò veritas à nobis statuta subsistere non posset, quia de fide est, hominem esse impotentem ad vitandum omnia venialia: & etiam, quia ad ordinariam Dei providentiam spectat, permittere aliquos defectus, quibus defectibilitas arbitrij ostendatur: sed hæc inconvenientia in casu nostro cessant: ergo. Probatur minor: quia fidei, & Dei providentiæ sufficientissimè occurritur, concedendo, sicùt de facto concedimus, hominem, quantumvis iustum, sine gratiæ specialissimo auxilio, non posse non ruere in plurima peccata venialia ex subreptione, & passionis vehementia: nec ad hæc sarta, tecta que tuenda necesse est, quòd etiam ad vitandum venialia ex proposito commissa habeat homo iustus moralem impotentiam. Sine impotentia quippè morali erga huiusmodi peccata eminet Beatissima Virgo suo illo privilegio decora: & verum etiam est, quòd si dixerimus quoniàm *peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*, ac rursùs verùm est, quòd *in multis offendimus omnes*, & quòd *septies cadit iustus*.

31. Nec sanè percipere possum, quem conceptum efformat sententia adversa, de peccatis venialibus, de anima fervidissimè Deum diligente, ac de arbitrij viribus ex gratiæ auxilio valdè su-

blimi operante. Talitèr quippè de arbitrio loquitur, ac ſi neceſsitatus ad delinquendum homo foret. Conceptus autem, quem nos de his omnibus habemus, idem prorsùs eſt cum illo, quem N. Salmantic. num. 238. exprimunt hiſce verbis: *Id autem* (dicunt) *quod Sotus addit*, ſuadet, profectò, non multos eſſe, qui omnia venialia, etiam deliberata, vitent, ſed multò plures incurrere illa. In ijs enim iuſtis, qui ad perfectionis apicem non aſpirant, quos fatemur plurimos eſſe, magna licentia regnat peccandi venialitèr, etiamſi adſit advertentia pleniſsima: ſatis quippè exiſtimant ſibi fore, ſi divinam amicitiam non violent, & hinc parvi faciunt in minimis delinquere. Cæterum quos perfectionis ardor ſtimulat, & flamma diviniſsimæ charitatis accendit, peccata venialia ſummoperè abhorrēt, nihilque magis timēt, quàm Deum vel in leviſsimis offendere. Vndè potiùs ſubire mallent mortem, & martyria, quàm vel unum peccatum veniale cū perfecta *deliberatione committere*. Hæc doctiſsimi iſti Patres prorsùs conſonè ad veritatem loquentes, & doctrinam ex Seraphica Thereſia libro Itiner. cap. 41. propinantes. Sanctæ M. N. authoritatem ſupra dedimus, quapropter ab eius exhibitione modò abſtinemus. Videri tamen ab omnibus debet, ut quantùm diſtet inter eius cæleſtem doctrinam, quam ſectamur, & contrariam opinionem, conſtet.

Et qui ingenuæ veritatis cultor ſit, in ipſo teſtimonio Seraphicæ Doctricis noſtram doctrinam expreſſe traditam intuebitur. Ait enim: *De los pecados veniales eſteis con mucho cuydado de no hacerlos de advertencia: que de otra ſuerte, quien eſtarà ſin hacer muchos?* Vide, quòd peccata venialia alia ſunt ex plena advertētia, & alia non. De his, quæ ex plena advertentia non ſunt, verùm eſt illud: *Nemo ſine crimine vivit*. Quandoquidèm *quien eſtarà ſin hacer muchos?* Ac ſi diceret: Viribus communibus gratiæ, ſeu abſque gratiæ ſpecialiſsimo privilegio, non datur, qui venialia omnia, quæ ex plena deliberatione non ſunt, vitare queat. Rogo nunc. Sentit idem alma Doctrix de ijs venialibus, quæ cum plena deliberatione, & ex propoſito committuntur? Conſidera, quid dicas: nam ſi affirmes; obſtat irrefragabilitèr contextus. Si negesite ipſum condemnas verum proferens. Eſt quippè prorsùs conſ num menti Seraphicæ Doctricis, quòd licèt collectio eorum venialium, quæ ex ſubreptione, aut paſsionis impetu, ſeu quæ non ex plena deliberatione fiunt, ſit inevitabilis ex communis gratiæ auxilio: ex illo tamen vitari poteſt collectio eorum venialiū, quæ ex deliberatione plena, & propoſito committuntur. Ac ſubindè talium venialium collectio poteſt proponi, & voveri.

32. Ad plenam horum intelligentiam duplex dubium hic expedire debemus. Primum eſt. An data doctrina intelligenda ſit de culpis venialibus ex genere, & ex parvitate materiæ? an vero ſolùm de primis? Ratio dubitandi eſt. Quòd allegati PP. Salmantic. ſolùm de peccatis venialibus, quæ ex genere talia ſunt loquuntur. ¶ Secundum dubium, illud que ſuperioris conſiderationis, eſt. An vitare venialia ex propoſito facta, ſit poſsibile homini per parvum, aut per longum tempus? Ratio dubitandi eſt, quia ſi eſt per parvum rempus: nihil conferet illa poſsibilitas ad propoſitum perpetuum. Quòd autem ſit per longum tempus, ſtare non poſſe videtur: quia apud Theologos, dùm hanc materiam verſant, idem ſolet eſſe longum tempus, ac totius vitæ ſpatium. Dicere verò quòd homo poteſt eſſe toto ſuæ vitæ tempore, quin aliquod veniale ex plena deliberatione committat, duriſsimum eſt.

Ad primum dubium reſpondetur: noſtram reſolutionem comprehendere omnia illa venialia, quæ ex propoſito fieri poſſunt. Vndè tam illa, quæ ex genere venialia ſunt, quàm ea, quæ ſunt venialia ex parvitate materiæ, comprehendit. Ratio à priori iam inſinuata eſt. Videlicèt, quòd committi ex propoſito, ex induſtria, aut plena deliberatione, com-

mu-

mune est venialibus ex genere, & ex materiæ parvitate: sed resolutio nostra comprehendit venialia ex genere, quia fiunt ex plena deliberatione: ergo etiam extenditur ad venialia ex parvitate materiæ, de quibus eadem ratio verificatur. ¶ Vel sic: Resolutio nostra excludit venialia ex imperfecta deliberatione, quia ex imperfecta deliberatione fiunt: ergo non excludit, quin potius extenditur ad omnia illa, quæ fiunt ex deliberatione perfecta.

Quod autem PP. Salmantic. solùm loquantur de venialibus ex genere. Nec est verum: nec adhuc si verum esset, aliquid convincere posset. Non est verum; quia reverà doctissimi illi PP. absolutè loquuntur verbis, quæ dedimus numero 29. simili generalitate processerant num. 234. ubi absolutè dixerant: *Potest iustus ex viribus gratiæ communis, ita se gerere, quòd nullum peccatum veniale cum perfecta deliberatione committat.* ¶ Accedit. Quod illi PP. de ijs venialibus loquuntur, de quibus agit testimonium Seraphicæ Doctricis, quod in comprobationem suæ doctrinæ adducunt. Certissimum autem est, quod illud testimonium comprehendit venialia omnia ex genere, & ex parvitate materiæ. De omnibus ergo illis loquuntur etiam PP. Salmanticenses.

Sed demus, ipsos loquutos fuisse de solis venialibus ex genere, quod interdum factum ab ipsis fatemur: nihil tamen ex hoc cõtra nos convincitur. Tum: quia suis, à nobis traditis, resolutionibus doctrinam suam extendunt ad venialia ex parvitate. Tum, & præcipuè: quia eoipso quòd illud adstruant circa venialia ex genere; id ipsum, & urgentiori motivo, docere censendi sunt circa venialia ex parvitate materiæ. Ratio est. Quia inter hoc duplex genus venialium: venialia ex parvitate materiæ graviora, seu minus levia sunt, quam venialia ex genere. Cum prima legi gravi opponantur, quam si gravitèr non violant, est ob materiæ parvitatem; atque ideo non defuere graves Theologi, adhuc ex nostris Thomistis, qui inter peccata venialia ex parvitate materiæ, & mortalia circa eandem materiam versantia nullam distinctionem essentialem agnoscerent, quantum ad malitiam moralem: quam distinctionem essentialem negare nequeunt inter lethalia peccata, & venialia ex genere. De quo videre poteris ipsos PP. tract. 13. disp. 19. dub. 2. Si ergo peccatum veniale ex genere tantum fugit, & refugit anima divino amore succensa, multo magis fugiet, horrebit que peccatum veniale, ex parvitate, quod gravius intra lineam venialis est. Vndè ipsa maior huius peccati gravitas, & affinitas ad mortale, facit, quòd anima ab illo potius se abstineat. Ac proindè de hoc peccato urgentiori motivo intelligenda est PP. Salmanticensium resolutio.

33. Ad secundum dubium respondemus cum ijsdem Theologis loco citato ex tract. 14. num. 239. non repugnare ex parte virium, quas gratia communis confert, quòd aliquis per totum spatium suæ vitæ peccatum nullum veniale ex plena deliberatione committat. Cæterùm credendum non est, aliquem totam suæ vitæ periodum immunem ab hisce culpis transegisse. Ratio primi est, quòd ad vitanda venialia ex plena advertentia non requiritur speciale gratiæ auxilium, ut dictum est; sed sufficit gratia communis, quæ cum semper possit reperiri in homine: indè est, quòd semper hic potest illa venialia vitare. Ratio secundi est, quòd ad vitanda venialia exigitur matura ponderatio gravitatis culpæ venialis, requiritur etiam animæ superioritas supra appetitum sensitivum, acquisitam ex duris certaminibus habitis in via spirituali, in qua contra proprias passiones dimicatur: requiritur etiã amor erga Deum, qui licèt non excedat vires communes gratiæ; sit tamen valdè fortis. Quocirca resolutio nostra intelligenda est de homine postquam pervenerit ad illum statum, in quo possit propositum Seraphicum facere. Ex quo enim in hoc

ſtatu ſit, poteſt deinceps per totum vitæ ſpatium quantumvis longum, omnia venialia ex plena deliberatione committenda vitare.

34. Ab incidentibus his dubijs expediti reſpondemus ad replicam ex numer. 28. negando minorem, & probationis antecedens, ad cuius primam probationem miramur, viros doctos ſuffugium in illo Tridentini Canone conquirere. Mens quippè Concilij clariſsimè procedit contra opinionem eorum, qui per totam vitam venialium collectionem vitari poſſe, dicebant. Vndè non ferit aſſerentes, venialia poſſe diviſivè vitari: & multò minus eſt contra nos, quia hoc dicimus de ſolis venialibus, quæ ex plena deliberatione fiunt. Dicere verò cum Magiſt. Torre, quòd Concilium non diſtinguit inter venialia ex plena deliberatione, ac ſubreptione: Vndè cum lex non diſtinguat, nec nos diſtinguere debemus. Nullius momenti eſt. Tum: quia ſicùt ab illa deciſione excipiuntur peccata lethalia ob ſpeciale motivum, quod in ipſis eſt: ſic etiam adeſt ſpecialis ratio, ut venialia ex plena deliberatione excipiantur. Tum etiam: quia Concilium non diſtinguit inter venialia collectivè, aut diviſivè ſumpta. Et tamen non audebit negare præfatus Magiſter, quòd Concilium non intelligitur de venialibus diviſivè acceptis. Ergo ſimilitèr. Tum deniquè: quia Concilium id prohibet, quod dari nequit ſine ſpeciali Dei privilegio, quali ſoli V. Beatiſsimæ conceſſum eſt: ſed hoc privilegium non fuit ſolùm ad vitanda venialia ex plena deliberatione, ſed ad omnia collectivè vitanda: ergo illud ſolùm prohibet Concilium ſine hoc privilegio, quod illo indiget. Et hoc eſt vitatio omnium venialium collectivè ſumptorum; non verò vitatio talium venialium.

Ad 2. probationem negetur minor, quam debuiſſent probare adverſarij. & non tanquàm fide ſanctam ſupponere. Sempèrque mihi probatu impoſsibile erit, quòd culpa ex propoſito, ac plena deliberatione committenda ſit materia moralitèr impoſsibilis, et in cognoſcibilis. Cum potiùs impoſsibile, & in intelligibile ſit, quòd huiuſmodi culpa ad eandem impoſsibilitatis, & incognoſcibilitatis lineam ſpectet, ac culpa venialis cum ſemiplena deliberatione, aut ſubreptione commiſſa. Id verò, quo hanc moralem impoſsibilitatem probare intendit Magiſt. Torre, omni fundamento deſtituitur. Quòd enim dicatur in Proverb. cap. 24. verſ. 26. *Septies enim cadet iuſtus, & reſurget*: oſtendit quidèm, neminem ſine crimine vivere. Ad quod, ut ſuprà dicebamus, ſufficit, quòd in plurima peccata ex ſubreptione ruat; non tamen, quòd illa perfectà deliberatione committat. Quòd ſi recurrat Torre ad illud ſuum principium de lege non diſtinguente; atque ideò, quòd debeat ſine diſtinctione intelligi. Reponimus: quòd textus adductus à Torre non diſtinguit inter peccata mortalia, & venialia; & tamen ipſe, & ſequaces illum de ſolis venialibus intelligunt, diſtinguentes inter venialia, & mortalia. Eadem ergo facultate nos eundem textum non intelligimus de omnibus venialibus, ſed de ijs, quæ plenam deliberationem non ſupponunt. Quam rem penitùs dirimere, ſi poſsibile ſit, volentes: Introſpiciamus quid in hac parte dicant adverſarij. Si fortè, inconvenientibus indè deductis conſideratis, velint, quòd ſapientium eſt, mutare Conſilium. Dicunt ergo, quòd eſt moralitèr impoſsibile, & ſuperat vires communes gratiæ, quòd homo quaet omnia venialia, quæ ex propoſito committuntur, vitare. Ad quod ſe muniunt textu illo ex proverbijs deſumpto, & non ut par eſt, relato: *Septies in die cadet iuſtus.* Sic enim legunt. Qua lectione admiſſa, inferam ſic: ergo multoties in die peccat iuſtus venialitèr. Ergo pluries in die ruit in imperfectiones. Ergo iſtæ culpæ, & imperfectiones aliquem habitum generant; vel determinatum, circa determinatam materiam deficiendi: vel indeterminatum,

hoc

hoc eſt, habitualem aliquam imperfectionem non recedendi ab imperfectionibus & culpis venialibus. Hæc omnia nobis certiſsima ſunt: ijs tamen ſuppoſitis, inferam, quod præcipuum eſt:

35. Ergo homini impoſsibilis eſt unio myſtica, & intima cum Deo. Probo conſequentiam. Cum habituali imperfectione, quantumvis minima, voluntariè impoſsibilis eſt unio myſtica, & intima cum Deo: Impoſsibile eſt per te, hominem non habere huiuſcemodi imperfectionem penitùs voluntariam: ergo. Maior, in qua eſt difficultas, probatur authoritate Myſtici N. Doctoris, qua hactenùs dicta fulciuntur. Illam per partes dabimus, & annotabimus ſimùl, & rogamus adverſæ opinionis ſapientes, ut illam meditari dignentur. Sic enim ait Sanctus Doctor lib. 1. Aſcenſ. capit. 11. *Claro eſtà, que para venir el alma à unirſe con Dios por amor y voluntad, ha de carecer primero de todo apetito de voluntades por minimo que ſea.* Hoc principium aſſumit Doctor Sanctus, & illud ediſſerens ſubiungit: *Eſto es, que advertida, y conocidamente no conſienta con la voluntad en imperfeccion.* Vide, quàm perſpicuè traditur, quòd vel minima imperfectio plenè advertentèr commiſſa unioni cum Deo obeſt. Sequitur: *Y venga* (el alma) *à tener poder, y libertad de poderlo hacer en advirtiendo.* Ergo poteſt anima ad illum ſtatum pervenire, in quo poteſtatem, & libertatem habeat ad non committendum peccatum veniale, aut imperfectionem ex advertentia. Sequitur: *Y digo conocidamente: porque ſin advertirlo, ò entenderlo, ò ſin ſer en ſu mano enteramente, bien caerà en imperfecciones, y pecados veniales, y en los apetitos naturales yà dichos.* Conſidera diſcrimen inter peccata venialia, & imperfectiones ex plena, aut ſemiplena deliberatione, à nobis in tota hac quæſtione propugnatum contra opinionem adverſam idem de illis omnibus affirmantem. Sequitur: *Que de eſtos tales peccados, no tan voluntarios, eſtà eſcrito, que el juſto caerà ſiete veces en el dia y ſe levantarà: Septies enim cadet iuſtus, & reſurget.* Non ergo de peccatis & imperfectionibus advertentèr factis intelligendus eſt textus, ut volunt ſententiæ adverſæ patroni. Sequitur: *Mas de los apetitos voluntarios, y enteramente advertidos, aunque ſean de coſas minimas, como ſe ha dicho qualquiera que no ſe venza, baſta para impedir.* Nil clarius pro noſtra doctrina ſtabilienda, aut pro contraria impugnanda dici, fingi ve potuit. Et ad hæc verba ampliùs explananda ſubiungit Sanctus: *Digo no mortificado el tal habito: porque algunos actos à vezes de diferentes coſas, aun no hacen tanto; por no ſer habito determinado.* Scilicèt, à quo cauſantur. Et iſti actus, qui ab habitu determinato non oriuntur, non tantum perfectioni, aut unioni obſunt, ſicut illi, qui ab habitu determinato proveniunt: Verùm ſi non tantum obſunt, aliqualitèr obeſſe, certum eſt. Quocirca hos etiam actus debet anima vitare, ſi ad unionem deſiderat pervenire. Audi tandèm: *Aunque tambien eſtos ha de venir à no los aver: porque tambien proceden de habitual imperfeccion.* Ergo actus cuiuſvis peccati venialis, aut imperfectionis, etiam minimæ, ex plena deliberatione, & advertentia factus obeſt unioni myſticæ: quapropter vitandus eſt. Ac proindè anima, quæ quidèm viribus communibus gratiæ poteſt ad intimam unionem pervenire, habet facultatem expeditam, ut queat ab his actibus abſtinere. Mira idem confirmantia proſequitur idem Sanctus Doctor in illo capite, quæ ab omnibus videri debent.

36. Ad 3. probationem illius antecedentis, conceſſa maiori de obligatione ſupponente facultatem expeditam, negetur minor, cuius probatio nulla eſt: quia appetitus rebellio nihil fermè conducit ad culpas, ſeu imperfectiones ex plena deliberatione commiſſas. Deſervit verò pro ijs, quæ ex ſemiplena advertentia, aut ſubreptio-

ne fiunt, de quibus loquitur D. Thomas n. n 2. 2. ſed 1. 2. adeò clarè, ut mirum ſit, quòd in noſtram ſententiam allegetur. ¶ Ad 4. probationem dicas: antecedens eſſe falſum: quia obligatio vitandi venialia, & imperfectiones præſtat obligationi vitandi venialia. Quicquid autem de hoc ſit, omiſſo antecedenti, concedimus primam cõſequentiam, quia cum illud propoſitum, ſeu votum ſit datum optimum, deſcendit utiquè a Patre luminum: ad illud namquè vires natura non habet. Aſt Deus donum illud conferens nihil confert, quod ſit ſuperius ad vires communes gratiæ. Vndè homo illud recipiens non recipit ſpeciale aliquod privilegium, quod vires communes gratiæ excedat. Ac proindè eſt ſimplicitèr poſsibile ipſi homini id, ad quod illud auxilium eſt neceſſarium. Vndè neganda eſt ultima conſequentia.

Ad ultimam probationem ex textu D. Thomæ depromptam, vel dic cum N. Salmantic. loco citato ex tract. 14. num. 237. D. Thomam ibi agere de homine ſine gratia, qui impotens eſt ad vitandam collectionem omnium venialium determinati generis, ut ſunt V.g. venialia ex parvitate materiæ cũ plena etiam deliberatione. Vtramque collectionem vitare nequit exiſtens in peccato, ſed *præcipuè* incapax eſt ad vitanda illa venialia, quæ ſunt ex ſemiplena deliberatione propter motus inſurgentes. ¶ Aut dic: quòd in D. Thomæ ſententia venialia ex ſubito motu procedentia, non uno modo committuntur. Sic ſumitur ex eodem Angel. Præcept. locis citatis ex ſententiarijs, ex 1. 2. & alijs. Vbi autem clariſsimè loquitur eſt, in quæſt. 24. de veritate art. 12. ubi in corp. ait: *Duplicitèr autem aliquid in nobis quaſi repentinè accidit. Vno modo ex impetu paſſionis. Motus enim iræ & concupiſcentiæ interdùm deliberationem rationis prævenit* &c. *Alio modo contingit aliquid in nobis, quaſi repentè ex inclinatione habitus.* Ex his ergo, & alijs modis, quibus peccatum veniale ex imperfecta deliberatione committitur, ſive ab homine peccatore, ſive à iuſto, ille *præcipuus eſt, qui propter primos motus dicitur.* Ratio eſt, quia provenit à principio magis intrinſeco & magis permanenti, quàm habitus, qui utiquè auferri poteſt. Pugna autem inter portionem inferiorem, & ſuperiorem ſedari nequit, non interveniente ſpecialiſsimo gratiæ auxilio fomitem extinguente, vel ligante. Terminus ergo, ad quem refertur ly *præcipuè*, eſt intra lineam peccatorum venialium ex ſemiplena deliberatione commiſſorum.

Vtroque modo poteſt explicari D. Thomas, dùm ea dicit in allegata diſtinctione, cuius textus doctrinam à nobis traditam fulcit. Vndè gratias rependimus adverſarijs, quòd illum in nos objcere voluiſſent. Conſtituit namquè D. Thomas diſcrimen inter peccata venialia & mortalia, cõſiſtit que in eo quòd licèt poſsimus vitare ſingula venialia; omnia tamen vitare haùd valemus, eò quòd ad illa committenda *non requiritur deliberatio conſenſùs.* Id eſt, non requiritur conſenſus plenè, ac perfectè deliberatus. Qui autem poteſt ſingula mortalia vitare, poteſt & omnia. Ratio eſt, quia *peccatum mortale requirit conſenſum determinatum*, id eſt, ex plena deliberatione procedentem: *Vndè ſi poteſt vitare hoc, & illud, poteſt eadem ratione vitare omnia.* Hac doctrina ſuppoſita, ſic diſputo. Ideò qui poteſt vitare ſingula mortalia, poteſt & omnia: quia peccatum mortale non fit ſine plena deliberatione: ſed venialia, de quibus loquimur, non fiunt abſque deliberatione plena, ut ex terminis ipſis liquet: ergo qui poteſt vitare ſingula, poteſt & omnia vitare. Sed quòd homo auxilio communis gratiæ protectus poſſit vitare ſingula, fatentur adverſarij: ergo tenentur concedere, quòd omnia venialia plenam deliberationem requirentia vitare queat. Vel exhibeant diſcriminis rationem.

QVÆS-

QVÆSTIO TERTIA.

VTRVM PROPOSITVM SERAPHICVM sit difficile?

TAlitèr propositum Seraphicum expoſuimus, ut cuique forsàn videatur, ipſum de facili fieri, & obſervari poſſe. Iam que numer. 27. hæc facilitas nobis obiecta eſt. Vt autem quæ ibi ſcripſimus, & quod abſolutè tenendum eſſe, cenſemus, innoteſcat, præſens quæſitum excitamus. In eo nullatenùs conſiderabimus circunſtantias, quibus ſubeſſe poteſt hoc propoſitum, ut videlicèt fiat promptè, hilaritèr, ac delectabilitèr: de his infrà ſermo erit, cum de voto Thereſiano ſermo ſit. Modò autem propoſitum Seraphicum abſolutè conſideramus, quatenùs eſt *animus conſtans faciendi ſemper, quod perfectius eſſe intelligitur*. ſive hoc, aut modo illo id fiat. Et ſic acceptum Seraphicum propoſitum inquirimus, an ſit difficile? & rectè hoc exploramus, poſtquam poſsibile eſſe ſtabilivimus.

§. I.

Iudicium noſtrum proponitur, & diverſimodè comprobatur.

HErmannus N. lib. 1. cap. 17. virilitèr decertat, ut propoſitum Thereſianum non eſſe difficile, perſuadeat. Plurima teſtimonia ex Sacra Scriptura, ex S. PP. graviſsimis que Authoribus offert, quibus oſtendere adnititur, totam difficultatem repertam in propoſito Seraphico ortum ducere à noſtra tepiditate, qua ſemota per charitatis ardorem, nulla remanet in eo difficultas; imò maxima adeſt ſuavitas. Studio ſolerti docti Patris gratulandum eſſe, reor; eius tamen dictamini non ſubſcribo: quia illa omnia, quæ inculcat, invitant quidèm ad propoſitum Seraphicum, ſeu ad perfectam conformitatem cum voluntate divina: neutiquàm autem huius arduitatem, & difficultatem auferunt. Vndè.

37. Sit noſtra concluſio. *Difficilis eſt obſervatio propoſiti Thereſiani.* Hanc concluſionem de mente D. Thomæ eſſe arbitror, ac etiam Myſtici N. Doctoris, & N. Salmanticenſium, ipſi que, ſi in ſano ſenſu accipiatur, nullum Theologum credimus refragari. Multiplicitèr ſuaderi poterat: brevitèr tamen aliquibus comprobabimus, quorum primum deſumitur ex Sacra Scriptura, & ſic procedit. Etenim propoſitum Seraphicum habens debet in omnibus conformari cum voluntate divina, non ſolùm faciendo bonum, verumetiam, quod exiſtimat eſſe perfectius: ſed ſemper ſic procedere eſt ſummè difficile homini: ergo illi difficilis eſt obſervatio propoſiti Thereſiani. Illatio tenet, & maior conformis eſt naturæ propoſiti Seraphici, quam ſupra definivimus. Probatur minor. Conſtans duabus naturis in oppoſita propenſis, valdè difficile eſt, quòd ſemper operetur iuxta inclinationem unius: ſed homo conſtat duabus naturis bellum horribile adversùm ſe gerentibus, & in oppoſita ipſum hominem inclinantibus; ex natura ſcilicèt ſenſitiva, quæ in bonum commutabile vergit, & natura ſpirituali, quæ mediâ gratiâ tendit in bonum incommutabile: ergo. Minor liquet ex Apoſtolo ad Galat. cap. 5. dicente: *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum* &c. Item ex eodem ad Roman. cap. 7. ubi ait: *Condelector autem legi Dei ſecundùm interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in mem*

membris meis. Constat ergo ex his veritas illius minoris. Quod desè clarum est, edocetur que à Sacra Scriptura capit. 9. Sapient. vers. 15. ubi dicitur. *Corpus, quod corrumpitur aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Quæ omnia de propensione in peccatum lethale absdubio intelligenda sunt; sed potiori titulo sunt ad peccata venialia, imperfectiones que applicanda. Tum: propter maiorem multitudinem. Tum: propter ipsam debilitatem. Ex quo enim amicitiam cum Deo non rescindant, minorem horrorem causant, ac proindè faciliùs admittuntur.

38. Contra hunc discursum, qui planè intentum convincit, non nulla possunt opponi. Primum que reipsa opponit laudatus Hermanu. contra illud, quod adduximus ex libr. Sapient. ille quippe textus, ait, intelligi debet, *si multa sensus cogitet, si ad multa se dispergat, & dividat. Si verò seipsum recolligat, & ad unum, unicum que Deum intendere studeat, assumet pennas, ut aquilæ, volabit, & non deficiet: volabit, & requiescet in Domino Deo suo.*

Secundò potest opponi contra id, quod ex ad Roman. attulimus. Quòd immediatè post verba à nobis relata inquirit Apostolus: Quis eum ab illa infelicitate liberabit? & respondet: *Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Ac si diceret: Quamquàm homo secundùm sua naturalia illa infirmitate laboret; ab illa tamen gratiæ beneficio sanatur. Vndè cum in præsenti loquamur de homine iusto, & ex auxilio gratiæ procedenti: fit consequens, quòd ab illa miseria liber sit: ac proindè quòd ex hac parte nihil ei obsit, quo minùs ipsi facile sit propositum Theresianum.

Tertiò potest opponi. Quòd quamvis dicta omnia vera sint de peccatis venialibus ex subreptione provenientibus; nullam tamen veritatem habere queunt, si applicentur ad illa peccata venialia, & etiam ad imperfectiones, quæ ex plena deliberatione committuntur. Quandoquidèm cum isti defectus proveniant ex advertentia plena, non adest fundamentum, ut homo in illos defectus ruens de propensione ad malum, quæ ex prima culpa in ipso relicta est, conqueratur. Sed sibi defectum imputet, quem sciens, & plena voluntate commisit.

His tamen non obstantibus, tenendum est, propositi Seraphici observationem esse admodùm difficilem homini propter motiva, quæ in nostro facto discursu inculcantur. Ad primum, quod opponitur, fatemur, quòd si non *multa sensus cogitet*, utiquè inconvenientia à nobis ponderata cessabunt. Verumtamèn hoc opus, hic labor est, quòd sensus ligari possit, & seipsum recolligere, ut multa non cogitet; & etiam si hoc fieri possit; non eoipso probatur, esse facile. Nos autem non solùm facilitatem negamus, quæ probari debuisset; sed etiam possibilitatem in homine viatore. Sentimus enim cum Div. Thoma disputata de charit. q. 1. art. 10. in corpor. dicente: *Impeditur autem homo in hac vita, ne totalitèr mens eius in Deum feratur ex tribus. Primò quidèm ex contraria inclinatione mentis* &c. *Secundò per occupationem sæcularium rerum* &c. *Tertiò verò ex infirmitate præsentis vitæ, cuius necessitatibus oportet aliquatenùs hominem occupari, & retrahi, ne actualitèr mens feratur in Deum.* Post quæ subiungit, quòd à duobus primis impedientibus queit homo in hac vita liberari (non tamen dicit, quòd de facili liberatur) *sed ab onere corruptibilis carnis in hac vita liber esse non potest.* Et in eodem art. ad 4. ait: quòd homo habet à charitate, quòd cuilibet tentationi resistere possit, *non autem, quòd nullo modo tentatione afficiatur. hoc enim pertinet ad perfectionem patriæ.* Ex quibus liquet, & quòd non est adeò facilis illa in unum unicumque Deum intentio, & quòd nunquàm in hac vita deficiunt tentationes illam in Deum propensionem retardantes, ac eius motum difficilem reddentes.

Ad

Ad secundam obiectionem dicimus, quòd idem Apostol. qui immediatè ad verba, quæ ex ipso retulimus, ea, quæ obcijciuntur addit, etiam immediatè post verba obiecta subiungit: *Igitur ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* Totum ergo textum luculentèr exponit inibi D. Thomas, cuius expositio reducitur ad hoc, quòd Paulus, & quilibet homo iustus potest gloriari in Domino, quia per ipsius gratiam liberatus est, & ideò dicere potest: *Mente servio legi Dei. Secundùm carnem autem legi peccati, quæ quidèm in carne remanet, quantum ad fomitem, per quem caro concupiscit adversus spiritum.* Vndè semper fomes remanet adversùs spiritum dimicans, observationem que propositi seraphici difficilem faciens.

39. Tertia obiectio, quæ apparentèr urgere videtur, nullius momenti est. Illamque conterimus, sic secundò probantes conclusionem. Etenim si propter aliquam rationem propositum Theresianum non esset difficile, maximè quia ei non opponuntur nisi culpæ veniales, & imperfectiones ex plena deliberatione commissæ: Hæc ratio est nulla: ergo falsum est, quòd illud propositum non sit difficile. Cætera liquent, & minor probatur. Peccatum mortale, quo solo destruitur gratia, non committitur, nisi ex plena deliberatione: sed arduum est homini viatori peccata mortalia præcavere, & gratiam conservare: ergo illa ratio nulla est. Illatio sine calumnia est. Maior est certissima apud Theologos, & minor poterat pluribus suaderi, probatur tamen brevitèr primò à causis inducentibus hominem, etiam sanctum, ad peccandum, de quibus 2. ad Timoth. cap. 3. dicitur: *Omnes, qui piè volunt vivere in Christo Iesu persecutionem patientur.* Vbi postquàm D. Thomas nonnulla persecutionum genera, quibus piè viventes exercentur, numeravit, inquit: *Item sunt aliæ persecutiones quæ Sanctis omnibus deesse, non possunt, scilicèt carnis mundi & dæmonis: quia ut habetur Gal. 5. Caro concupiscit adversus spiritum. Roman. 7. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Ps. 33. Multæ tribulationes iustorum.* Si ergo tot, tam que potentes causæ sunt, quæ hominem, etiam Sanctum, ad legem frangendam inducunt, absonum videtur dicere, homini non esse difficilem legis observationem.

Solus dæmon sufficeret, ut hæc difficultas, quæ est in observatione legis, nota foret. Proprijssimè illum describit S. Petrus in sua Epist. cap. 5. dicens: *Adversarius vester diabolus tanquàm leo rugiens circuit quærens, quem devoret.* Vbi & maxima solicitudo potentissimi huius inimici ad homines perdendos ostenditur, & alijs adiunctis verbis, quid ad gratiam conservandam, & culpam præcavendam teneantur ipsi homines facere, declaratur. Quæ omnia luculentissimè edisserit ibi D. Thom. dicens: *Notandum, quòd Petrus ponit ex parte nostra quatuor, quæ sunt contra quatuor ex parte diaboli. In hoc enim quòd dicitur leo, notatur eius fortitudo, ne quis ei resistat. Item in hoc, quod dicitur rugiens, notatur eius crudelitas, ne cui parcat. Item in hoc, quòd dicitur, circuit, notatur eius solicitudo, ne quis effugiat. E converso Petrus ponit contra adversarium resistentiam, cui, inquit, resistite. Item fortitudini diaboli opponit fortitudinem virtutem: Vndè dicit fortes. Contra crudelitatem opponit fidei mansuetudinem: Vndè dicit, in fide. Contra solicitudinem ponit vigilantiam; undè dicit, vigilate.* In his continetur, quod contra iustos facit unicus ex adversarijs eorum, qui aptè in hoc loco *diabolus* nominatur, ut eius insatiabilis sitis ad totum hominem strangulandum demonstretur. *Dicitur diabolus*, ait D. Thomas, *quasi duplicem bolum in nobis quærens, scilicèt corpus, & animam.* Continetur etiam, quod iusti facere debent, ne gratiam, peccatum admittentes, amittant. Et proculdubiò tam ea, quæ tenentur facere, quàm illa, quæ ipsos pati, necesse est, difficilem ipsis esse gratiæ conservationem, ostendunt.

40. Probatur 2. minor illa à pluribus, quæ hic perstringemus. Etenim si facile esset homini iusto peccatum mor-

tale non facere, & gratiam conſervare; etiam facile ipſi eſſet, quod implicare diximus diſp. præcedenti quæſt. 7. Videlicèt, cognoſcere, ſe eſſe in gratia cognitione certa, & infallibili: ex quo enim ipſi facile ſit gratiam conſervare, facile quoque erit cognocere an faciat, quod neceſſarium eſt ad gratiæ conſervationem. Vna quippè facilitas ad aliam infallibilitèr conſequitur. Rursùs. Si iuſto facile eſt, culpam fugere, & gratiam conſervare, ſuperfluere videtur divinum illud monitum Pſalm. 2. *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Et illud ad Philip. capit. 2. *Cum metu, & tremore, veſtram ſalutem operamini.* Et illud Proverb. capit. 28. verſ. 14. *Beatus homo, qui ſemper eſt pavidus.* Vt quid pavor, ut quid tremor, ut quid timor? Si mihi facile eſt, cauſam illorum, gratiam conſervando, diſpellere? Meliùs hæc intellexit D. Bernard. qui ſerm. 54. in Cant. textum ex Proverb. exhibitum de gratiæ conſervandæ timore accepit dicens: *In veritate didici nil æquè efficax eſſe ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quàm ſi omni tempore coram Deo inveniaris non altum ſapere, ſed timere. Beatus homo, qui ſemper eſt pavidus. Time ergo, cum arriſerit gratia; time, cum abierit; time, cum denuò revertetur. Et hoc eſt ſemper pavidum eſſe. Succedant viciſsim ſibi in animo tres iſti timores, ſecundùm quòd gratia vel adeſſe dignatur, vel offenſa recedere, ſeu iterùm placata redire ſentietur. Cum adeſt, time, ne non dignè opereris ex ea. Hæc monet Apoſtolus: Videte, inquiens, ne in vanum gratiam Dei recipiatis.* Egregiè Melleus Parens rem totam aperuit, & oppoſitam facilitatem pavore, quem admiſit, exploſit.

Relictis ergo ex Sacra Scriptura pluribus, quibus id ipſum poterat demonſtrari: ad alia authoritatum genera me converto. Et innnumeris prætermiſsis, Sacram Synodum Tridentinam dicentem ſeſſ. 6. capit. 9. exhibeo: *Quilibet dum ſeipſum, ſuamque propriam infirmitatem, & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare, & timere poteſt.* Pondera verba hæc Sacri Conſilij, & in illis datam doctrinam perſpicuè expreſſam videbis. Et inſuper miraberis ſolidiſsimum fundamentum, cui reſolutio noſtra innixa procedit. Verùm modò placet, quòd Seraphicam M. N. dicentem audiamus Manſ. 4. cap. 1. *Paſſan ſe terribles trabajos, porque no nos entendemos, y lo que no es malo, ſino bueno, penſamos que es mucha culpa.* Idem docet Expertiſsima Doctrix Manſ. 6. cap. 1. & pluribus alijs in locis: eſt que hæc doctrina communiſsima inter Myſticos, quã profundiſsimè docet Myſtic. N. Doct. lib. Noct. Audebis ne ulteriùs aſſerere, gratiam de facili conſervari, poſtquam Cæleſtem Doctricem illa dicentem vidiſti? Cæterùm ad præfata verba Concilij redeamus, omnia, quæ diximus, probaturi.

41. Probatur tandèm minor illa & ſimùl noſtra concluſio. Etenim habens indiſpoſitionem ad conſervandam gratiam, & ad propoſitum Seraphicum obſervandum, non facilè propoſitum implet, aut gratiam conſervat: Quilibet iuſtus habet illam indipoſitionem: ergo non facilè conſervat gratiam, aut propoſitum obſervat. Minor, in qua eſt difficultas, probatur: Quia Concilium de homine iuſto agens docet, quòd quilibet, dum ſuam *indiſpoſitionem reſpicit* &c. Datur ergo in quolibet iuſto indiſpoſitio, quam reſpiciens *de ſua gratia formidare & timere poteſt.*

Confirmatur, & expenditur ratio facta. Quoniàm licèt iuſtus, dùm Dei miſericordiam inſpicit, omnia poſsit in eo, qui ipſum confortat; dum tamen *ſeipſum*, & *ſuam* infirmitatem reſpicit, dejcitur, & nec animum habet levandi oculos ad Cælum: ſed homo, quò iuſtior eſt, eò magis *ſeipſum*, & ſuam infirmitatem reſpicit: ergo his conſideratis, eſt ei difficile gratiam conſervare, & obſervare propoſitum.

§. II.

§. II.

Argumenta.

42. OMnia, quæ in noſtram cõcluſionem affert laudatus Hermannus reducuntur ad plurimas authoritates, quibus ſuum intentum doctè ſuadere, conatur. Ex ijs omnibus unicum argumentum conficimus, nullam relinquentes, quæ ſpecialem difficultatem præſe ferat. Nam Pſalm. 30. verſ. 9. dicit David: *Statuiſti in loco ſpatioſo pedes meos.* Locus ſpatioſus eſt perfectionis via, & conformatio voluntatis noſtræ cũ divina voluntate, ut non faciamus, niſi ea, quæ Deo placita ſunt. Si ergo hoc facere eſt *ſpatioſum*, erit utiquè amœnum, facile, delicioſum. ¶ Similitèr Matth. 11. verſ. 28. inquit Chriſtus Dominus: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Et quomodo reficiet, oſtendit ſubiungens: *Tollite iugum meum ſuper vos.* Ac ſi iugum ipſum ſit refectio, & conſolatio ferentis illud. In iugo quippè Divinæ ſervitutis *conſolatio paritèr, & refectio non poteſt non eſſe recondita.* Vndè dixit Ambroſ. lib. de Elia & ieiun. cap. 22. *Suſcipite iugum Chriſti: nolite timere: quia iugum eſt: feſtinate, quia leve eſt. Non conterit colla ſed honeſtat. Quid dubitatis? Quid procraſtinatis? Non obligat cervicem vinculo, ſed mentem gratiâ copulat.*

Rursùs adducit D. Bernardum dicentem: *Carnalem animam non modo premi, ſed etiam opprimi pondere præſumptæ perfectionis neceſſe eſt: quia non poteſt portare caro infirma, quod ſolus ſpiritus experitur, iugum eſſe ſuave, & onus leve. Chriſti quippè iugum, & onus eſt, & omninò importabile, niſi Chriſti æquè ſpiritui.* Et idem Sanctus ſuper Cant. ſerm. 85. ait: *Vbi eſt amor, ibi non eſt labor, ſed ſapor.* ¶ Prætereà recitat D. Auguſtinum, qui lib. de Sanct. Vid. ait: *Nullo modo oneroſi ſunt labores amantium; ſed ipſi delectant, ſicùt venantium. In eo enim quod amatur, aut non laboratur, aut labor amatur.*

Denique, plurimis alijs omiſsis, allegat Seraph. M. N. clariùs omnibus loquentem. Sic enim ait lib. vitæ cap. 35. *Tu Domine Deus* (Hermanni traductione utor) *ſupra omnem rationem naturalem res quaslibet, ita poſsibiles, & factibiles reddis, ſatis ut oſtendas, nihil, quo omnia facilia reddas, ampliùs deſiderari, quàm ut te ſeriò, ſincerèque diligamus, & propter nomen tuum rectè omnia relinquamus. Vndè benè, aptèque dicere poſſumus, Domine, te laborem in lege tua fingere: nullum enim ipſa in ea video.*

Ad hæc omnia, & plurima alia, quæ omittimus, rectè intepretanda, & intelligenda lucem nobis conferunt verba Sacri Concilij Tridentini ſupra numer. 30. exhibita. Iuxta quæ dicendum eſt, in homine iuſto eſſe duos reſpectus. Vnum ad Dei gratiam: alium ad propriam miſeriam. Dum reſpicit Dei gratiam, omnia ſe poſſe cognoſci in eo, qui illum mediâ ſuâ gratiâ confortat. Dum autem *ſeipſum, ſuamque propriam infirmitatem, & indiſpoſitionem reſpicit*, deijcitur, & timet primò (etiam ſi ſciret, ſe gratiam habere) *ne indignè operetur*, ut eodem num. vidimus ex D. Bernardo, hoc eſt, ne imperfectiones, aut peccata venialia committat. Timet ſecundò, ne gratiam, qua decoratur, amittat. Timet tertiò, & maximè; quia certò ſcit, ſe habere infirmitatem illam, qua deijcitur; & ignorat, an gratiam habeat, qua erigitur. Ex quibus planè conſtat, quòd iuſtus dùm conſiderat gratiæ potentiſsimum adiutorium, nihil adeò difficile eſt, quòd ſuperari non poſſe cognoſcat. Dum autem propriam infirmitatem inſpicit, nihil eſt, quod ſibi inſuperabile non appareat. Vlteriùs conſiderandum eſt. Quòd inter illa, quæ iuſto occurrunt, in quorum executione Dei dilectionem exercet, alia ſunt, ſuppoſità gratia, facilia: alia verò non ſic; ſed valdè difficilia ſunt. Qui Deo placere ſtudet, in executione facilium non laborat: nec in difficilium executione; quia licèt iſta ſint reipſa difficilia: quia tamen iuſtus ipſam eorum difficultatem

amat, ut ſic Deo gratum offerat ſacrificium in ipſa difficultate rei, quam aggreditur; deliciatur. Quod eloquentiſſimè expreſsit D. Auguſtin. in obiecta ex ipſo authoritate. *In eo enim*, inquit, *quod amatur, aut non laboratur, aut labor amatur.* Eſt dicere: ex rebus, quæ verè amans aggreditur, aliæ ſunt faciles, difficiles aliæ. In facilium executione *non laboratur*; quia ipſa earum facilitas nullum laborem ſecum affert. In executione difficilium etiam *non laboratur*; quia licèt multum laborem ſecum afferant; tamen quia ipſa difficultas, & *labor amatur*; ideò in eis *non laboratur*. Exemplum venationis, quo utitur Sanctus Doctor hoc ipſum apprimè confirmat. Venatio alia eſt facilis, difficilis, aut etiam difficilima, alia. In nulla earum *laboratur*: in facili, propter eius facilitatem. In difficili, quia ipſa eius difficultas, & *labor amatur*.

Inter difficilia, quæ iuſto occurrere poſſunt, difficiliora ſunt opera perfectionis: & quæ ad propoſitum, & votum Seraphicum ſpectant, difficilima. Verùm in his à fervidè amante Deum *non laboratur*; quia ipſa eorum difficultas, *aut labor amatur*. Ipſam quippè difficultatem Deo offert in ſuaviſsimum holocauſtum: quocircà illam aggreditur, ac ſi ſuaviſsima foret, & in ipſius labore indiſpenſabili dulciſsimè iucundatur. Vndè ſi iuſtus propriam infirmitatem conſideret, deijcitur, & propoſitum Seraphicum, à ſe impracticabile reputat. Si verò gratiæ adiutorium inſpiciat; non eoipſo reputat facilè illud propoſitum; falleretur quippè, ſi facilè reputaret: aggreditur tamen illud tanquã facile; quia ipſius difficultatem amat, & illam Deo littat in ſacrificium gratiſsimum: quòd verè Deum amanti nequit non eſſe iucundum, & ſuave. Sic que intelligendæ ſunt obiectæ authoritates, & ex Concilio Tridentino, & Auguſtino gloſſandæ.

43. Quod clarius fiet, ſi datam doctrinam ad ſingulas applicuerimus. Prima illarum eſt Davidis dicentis: *Stateuiſti in loco ſpatioſo pedes meos.* Vbi dicere poſſumus iuxta datam doctrinam, quòd ipſe amor Dei amans arctitudinem vitæ non illam arctam reputat, ſed ſpatioſam. Verumenimverò difficilè ſuadebit Hermannus locum illum ſpatioſum, in quo Davidem Deus ſtatuit, fore propoſitum Seraphicum, de quo in præſenti loquimur. Primò: quia *locus ille ſpatioſus eſt vita æterna*, ait inibi Sanctus Thomas. Secundò: quia cum veritate illius dicti ſtare debet veritas alterius dicti Chriſti Domini apud Matth. cap. 7. verſ. 14. ubi dicitur: *Quam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam!* Vbi per portam anguſtam intelligit Myſtic. N. Doct. noctem ſenſûs, & per viam arctam intelligit viam perfectionis lib. 2. Aſcenſ. cap. 7. videatur idem Sanct. Doctor lib. 1. Noct. cap. 11. ibi enim hanc ipſam viam, quam Dominus arctam nominat, obſcuram & terribilem dicit. Viæ ergo arctæ, obſcuræ, & terribili quis difficultatem, & arduitatem negabit? Concordatur autem utrumque dictum modo à nobis explicato. Quod ſi facilitatem illam, quam Hermannus adnititur, comprehendere cupias, non aliò, aut longè tibi peregrinandum eſt, ſed quid in verſu immediatè ſequenti David *in loco ſpatioſo conſtitutus* proferat intuendum. Ait enim: *Miſerere mei Domine, quoniam tribulor: Conturbatus eſt in ira oculus meus, anima mea, & venter meus.* Et ſubiungit: *Quoniam defecit in dolore virtus mea, & anni mei in gemitibus. Infirmata eſt in paupertate virtus mea, & oſſa mea conturbata ſunt.* Conſiderentur hæc, & introſpiciantur ſequentia, quæ ipſis annectit, & facilitas præiactæ ſpatioſitatis dignoſcetur.

Secundus textus deſumptus ex Matth. 11. non rectè exponitur ab illo Authore. Quicquid autem de hoc ſit modo dicto explicari debet. Vndè Chriſtus invitat nos ad tollendum iugum, onuſque portandum: quod iugum nequit non eſſe ex ſe difficile, ſicùt & onus nequit ex ſe non eſſe grave. Amanti autem onus

eſt

est leve, & iugum suave; quia oneris gravitas, & iugi difficultas à Deum fervido dilectore amantur: quocircà in ipsis *non laboratur*. Nulla ex authoritatibus, quas larga manu coacervat Hermannus clariùs ad suum intentum loquitur, quàm D. Thomas super allegatum Matth. Agit Sanctus Doctor de lege nova, & ostendere volens, ipsam non esse onus, ait, quòd licèt D. Paulus doceat: *Qui piè in Christo Iesu volunt vivere, persecutionem patientur* &c. 2. *ad Tim.* 3. *Sed istæ non sunt graves, quia condiuntur condimento amoris, quia quandò aliquis amat aliquem, non gravat eum quicquid patitur pro illo: Vndè omnia gravia & impossibilia, levia facit amor: Vndè si quis benè amat Christum, nihil est ei grave; & ideò lex nova non onerat.*

Nil clarius pro Hermanni opinione afferri potest. Hinc tamen inferre non licet, quòd nihil est, quod amanti non sit ex se grave. Tum: quia amor rerum naturas non mutat. Vndè quod ex se grave est, semper, & à quocumque aggrediatur suam gravitatem conservat. Quamquàm vis amoris, qui laboriosis, & difficilibus pascitur, illud, ac si grave ex se non esset, hilaritèr aggrediatur. Tum etiam, quod indè oritur: quia si *omnia gravia, & impossibilia, levia facit amor*: ergo martyrium, quantumvis terribilissimum, non est ex se difficile, vitam dare pro Christo ardentèr desiderantibus, ex quibus unus Tyranno dixit: *Non timeo tormenta tua*, & alij ad ipsum martyrium, veluti ad sapidissimas epulas properabant, & se tormentis, & tortoribus offerebant. Et quod omnem ponderationem superat, Dominus, ac Redemptor N. qui ardentissimè cucurrit in siti ad acerbissimam passionem pro nobis subeundam, ex carnis infirmitate tristitiam passus est, & agoniam. Tum denique: quia ipse D. Thomas, qui illa dixit exponens Div. Matthæum etiam 1. 2. quæst. 107. art. 4. inquirit: *Vtrum lex nova sit gravior, quàm vetus?* Resolutio est, quòd secundùm unam cònsiderationem lex nova est gravior vetere, & secundùm aliam vetus est gravior novà. Hæc est D. Thomæ resolutio, quæ secundùm utramque partem pro nobis est: nam qua parte lex vetus est gravior, supponitur gravitas ex parte novæ; secùs enim vetus non esset gravior. Qua verò parte nova est gravior, asseritur plusquàm gravis. Nec per hoc D. Thomas sibi contrarius est. Quia 1. 2. loquitur de lege nova iuxta ea, quæ ei ex se competunt; & prout sic non solùm gravis est, sed sub aliqua consideratione superat gravitatem antiquæ. Super Matth. agit de lege nova non secundùm se, sed prout ab amante assumitur observanda. Sicque *lex nova non onerat*, quia ipsum eius onus amanti dulcissimum est. Sicùt Redemptoris nostri passio ipsi dulcis fuit: & D. Laurentio, & alijs divina febre paritèr æstuantibus, cruciatus truces, ipsa que mors dulces fuere.

Per quæ omnia patet ad inductum testimonium D. Ambrosij. Patet etiam ad utramque D. Bernardi authoritatem, & ad illam, quæ ex D. Augustino adducitur, qui non solùm nobis non est contrarius; quinpotius lucem contulit, ut omnia testimonia obiecta exponeremus. Sicùt etiam explicamus id, quod obijcitur ex Seraph. M. N. quæ absdubiò in sensu dicto loquitur, ut liquet ex se, & ex contextu.

44. Contra omnia tamen dicta obijcies, & sit secundum argumentum. Lex nova secundùm se non est difficilis: ergo nec propositum Seraphicum. Patet ista à paritate, quæ tam ex se, quàm ex à nobis concessis, datur, quoad hoc, inter utrumque. Et antecedens probatur ex D. Thoma citato art. 4. ubi docet: *Ad secundùm dicendum, quòd adversitates, quas patiuntur observatores legis, non sunt ab ipsa lege impositæ: sed tamen propter amorem, in quo ipsa lex consistit facilitèr tolerantur, quia sicut Augustinus dicit in libro de Verbis Domini: Omnia sæva; & immania, facilia, & propè nulla facit amor.* Vbi duo ponderanda veniunt. Primum est, quòd

quòd omnis labor legis novæ illam observanti est facilis. Secundum, & præcipuum est, quòd difficultates, seu *adversitates, quas patiuntur observatores legis, non sunt ab ipsa lege impositæ.* Ergo ipsa non est secundum se difficilis, sed tota difficultas, quæ in eius observatione reperitur aliundè provenit. Et hæc ipsa difficultas aliundè ortum trahens *facilitèr toleratur.*

In huius argumenti solutione consistit omnimoda declaratio omnium, quæ in hac quæst. tradidimus. Respondemus ergo, quòd aliud est lex charitatis, seu gratiæ, & aliud charitas, qua lex ipsa salutaritèr adimpletur. Lex ex se difficilis est, ut ex D. Thoma vidimus numer. præcedenti. Charitas autem aufert difficultatem, quam secum afferunt opera legis. Hæc autem difficultas (quod maximè observa) est duplex. Alia, quæ provenit ex magnitudine operis, & alia, quæ provenit ex defectu operantis. Primam difficultatem non tollit amor; immò appetit opera ardua, & difficilia, quæ in sui Dilecti obsequium aggrediatur. Secundam difficultatem tollit amor. Vbi enim amor est, adest impulsus auferens horrorem, & difficultatem, quam operans in aggrediendo opera virtutum experitur. Hæc solutio est D. Thomæ 1. 2. quæst. 114. art. 4. ubi ait: *Ad 2. dicendum, quòd opus aliquod potest esse laboriosum, & difficilè dupliciter. Vno modo ex magnitudine operis: & sic magnitudo laboris pertinet ad augmentum meriti; & sic charitas* (observa) *non diminuit laborem; imò facit aggredi opera maxima: magna enim operatur, si est, ut Gregor. dicit in quadam homilia. Alio modo ex defectu ipsius operantis: Vnicuique enim est laboriosum, & difficile, quod non prompta voluntate facit; & talis labor diminuit meritum, & charitate tollitur.*

Vide in hoc Div. Thomæ testimonio quicquid in tota quæst. diximus edoctum. Vide quicquid contraria sententia asserit impugnatum. Opus ex se difficile, etiam in conspectu eximij amoris, difficile est, & laboriosum: huiuscemodi enim laborem, & difficultatem amor non tollit, sed appetit. Tollit tamen difficultatem, & laborem, quo laborat operans in observatione legis. Et cum amor perfectissimus est, & virtutes Cardinales sunt virtutes *purgati animi*, adeò ille labor, se tenens ex parte operantis adimitur, ut vel passiones, quæ illum inferunt, ignorentur. Labor tamen se tenens ex parte operis semper manet; quia *charitas non diminuit laborem illum.* Nemo enim cordatè negare potest, fuisse Virgini Sacratissimæ, charitate perfectissima fulgidæ, amarissimum, laboriosissimum, ac difficilimum adstare coram Vnigenito suo, Domino nostro Crucifixo, quamquàm eximia charitas, qua fulgebat, ipsam impelleret, ut horribilium amaritudinum ingluviem libens aggrederetur. Sic ergo dicimus, quòd propositum Seraphicum, attenta materia ipsius, est valdè difficile. Vndè est absolutè, & secundùm se difficile. Considerata verò difficultate, quæ se tenet ex parte operantis, si amor, adest, non est difficile; quia hæc difficultas disparet in conspectu amoris. Nec hoc adhùc intelligendum est ea generalitate, quam velle videtur Author contrarius: quia virtutem habens non semper illam habet eadem intensione, aut prædominio: datur quippè charitas V.g. incipiens, proficiens, & perfecta, ut multoties à nobis dictum est. Et absurdum est cogitare, quòd charitas incipiens tantundèm difficultatis auferat ab operante, quantum aufert charitas perfecta. Quæ doctrina per se nota est, docetur que à D. Thoma quæst. de Virtutibus art. 10. ubi ait: *Ad 15. dicendum, quòd quia à principio virtus infusa non semper ita tollit sensum passionum sicùt virtus acquisita, propter hoc à principio non ita delectabiliter operatur. Non tamen hoc est contra rationem virtutis, quia quandoquè ad virtutem sufficit sine tristitia operari: nec requiritur, quòd delectabiliter operetur propter molestias, quas sentit, sicùt Philo-*

soph.

ſoph. dicit 3. *Ethic. quòd fortis ſufficit ſine triſtitia operari.* Videatur idem Ang. Doct. ad 14. ibidèm. Videatur etiam 2. 2. quæſt. 149. art. 1. & Bergomenſ. in tab. aurea dubio 5 10. Et noſtri Salmantic. tract. 12. diſp. 3. à num. 23. & tract. 13. diſp. 1. n. 17. & ſequentibus. Ex quibus locis plurima colligere poteſt ad noſtrum aſſertum ampliùs ſtabiliendum, & contrarium expugnandum.

Per quæ patet ad authoritatem Div. Thomæ, quæ nobis in argumento objicitur. Ibi enim Sanctus Doctor non agit de lege gratiæ abſolutè, aut ſecundùm ſe ſumpta, ſed de ipſa legi veteri comparata. Et utriuſque gravitatem, ac difficultatem ſupponens inquirit: Quæ illarum gravior ſit? Quod dubium ut determinet, dividit difficultatem, quam ex parte utriuſque legis ſupponit, in difficultatem ex parte interiorum actuum, & ex parte operum exteriorum. Sub prima conſideratione difficiliorem eſſe docet novam legem, minùs tamen difficilem ſub ſecunda. Quod autem egregium eſt pro illa difficultate enodanda; nobis verò minimè contradicit: quia non loquimur de lege gratiæ, de amore, ac propoſito Seraphico ſine comparatione ad aliud, ſed abſolutè, & ſecundum ſe conſideratis, de ijs que ſic ſumptis tenendum eſt, quod ipſe Div. Thomas nos docuit inducta authoritate ex quæſt. 114. eiuſdem 1. 2.

45. Nec hic recedere volumus quin in eodem art. 4. ex quæſt. 107. ipſum Divum Thomam dictantem audiamus, quòd lex nova *præter præcepta legis naturæ pauciſſima ſuperaddit in doctrina Chriſti, & Apoſtolorum: licèt aliqua ſint poſtmodùm ſuperaddita ex inſtitutione Sanctorum Patrum, in quibus etiam Auguſtinus dicit, eſſe ad moderationem attendendum, ne converſatio fidelium oneroſa reddatur. Dicit enim ad inquiſitiones Ianuarij de quibuſdam, quod ipſam Religionem noſtram, quam in manifeſtiſſimis, & pauciſſimis celebrationum Sacramentis Dei voluit miſericordia eſſe liberam, ſervilibus premunt oneribus, adeò ut tolerabilior ſit conditio Iudeorum, qui legalibus Sacramentis, non humanis præſumptionibus ſubijciuntur.* His auditis brevitèr conſidera, quòd ſi lex plurima præcipiens difficilis redderetur, & *converſatio fidelium oneroſa*: non poteſt propoſitum Seraphicum non eſſe difficile; cum eius materia tam ampla, & generalis ſit, ut ſuprà ponderatum eſt. Vndè aſſerens ipſum non eſſe difficile, planè errat id ſolummodò conſiderans, quòd voluntas habet ab amore perfectiſſimo, qui nec in omnibus reperitur, nec aufert difficultatem rerum, quæ illius propoſiti materia ſunt, proùt aſſatim probatum eſt.

(§ ✠ §)

QVÆSTIO QVARTA.

VTRVM OMNES AD FACIENDVM PROPOSITVM Seraphicum teneantur?

APtè in præſenti quæſitum hoc excitamus, ut pleniùs omnibus innoteſcat propoſiti Thereſiani quiddi-tas, & qualitèr ad illud nos habeamus.

§. I.

Vera ſententia eligitur, & ſuadetur.

46. IN partem affirmativam inclinatur laudatus N. Hermannus cap. 12. ubi ſuum dictamen ſuadere intendit ex D. Thoma 2. 2. q. 186. art. 2. ad 2. dicente: *Omnes tam Religioſi quàm Seculares tenentur aliqualitèr facere quicquid boni poſſunt: omnibus enim communitèr dicitur Eccleſ. 9. Quodcumque facere poteſt manus tua, inſtantèr operare.* Verùm his textibus nos contrarium probamus: Videlicèt, quòd *non omnes teneantur ad propoſitum Seraphicum*, & hoc eſt aſſertum noſtrum. Quod pluribus convinci poteſt; incipiamus tamen ab authoritatibus obiectis.

Integrum D. Thomæ textum dedimus diſp. 11. num. 161. In eo que Sanctus Doctor comparat præceptum contentum in datis Eccleſ. verbis præcepto de diligendo Deum: & ait, quòd ſicùt in præcepto dilectionis eſt aliqua totalitas, *quæ ſine peccato præteriri non poteſt, & alia, quæ ſine peccato prætermittitur.* Et ad primam tenentur omnes, & non ad ſecundam; eò quòd ſine ſecunda conſervatur charitas, quæ non conſervatur ſine prima. Sic etiam evenit in illo alio præcepto. Vndè ait idem Sanctus Thomas: *Eſt tamen aliquis modus hoc præceptum implendi, quo vitatur peccatum, ſcilicèt ſi homo faciat, quòd poteſt, ſecundùm quod requirit conditio ſui ſtatus: dummodò contemptus non adſit agendi meliora per quem animus firmatur contra ſpiritualem profectum.* Hæc Div. Thomas ibi, quæ ſanè illius Thologi reſolutionem conterunt. Ex illis tamen & oppoſitum aſſertum explodere, & noſtrum ſimùl ſtabilire, contendam.

Etenim nullus homo tenetur, niſi ad faciendum id, *quod poteſt, ſecundùm quòd requirit conditio ſui ſtatùs*: ſed nullius hominis ſtatus petit, quòd ipſe propoſitum Seraphicum emittat: ergo nullus tenetur illud propoſitum habere. Maior certa eſt, & minor probatur. Quoniam nullus ſtatus hominis aſsignabitur, cuius ſit proprium facere id, quod perfectius eſt: cum autem in hoc conſiſtat propoſitum Seraphicum, planum eſt, nullum ſtatum hominis dari, qui tale propoſitum ſibi vendicet. Vel ipſi Perfecti non aſtringuntur facere perfectiora. Præterquàm quòd opinatio contraria non ſolùm Perfectos huic obligationi ſubeſſe, autumat, ſed etiam omnes. Quod ſanè clariſsimum eſt. Nec diſtinguere videtur inter præcepta & conſilia. Hæc enim non obligant omnes; immò in vi conſiliorum nullum obligant; alioqui ſimùl eſſent conſilia, præcepta que: quocircà eos ſolummodò ligant, qui ſe illa obſervare promiſerunt: ſicque propoſitum, & votum Thereſianum etiam obligant eos, qui illa voluntariè emiſerunt: ex alijs autem nullum obligant. Et planè adverſæ opinionis patronus non dicet, omnes teneri ad votum Seraphicum. Ex quo in illum deducitur, non omnes teneri ad propoſitum Thereſianum. Quod indè nobis pluſquam certum eſt: quia omnia, quæ in eo capite uberi manu allegat, ſi quid probarent circa obligationem propoſiti; voti quoque obligationem ſuaderent. Mentiar, ſi conſiderantes inibi ſcripta, hæc, quæ ſcribimus, recuſaverint. Non poſſum totum illud caput tranſcribere; idcircò Lectores ad ipſum remittere, cogor. Preterquàm quòd plerimis, quibus ſuam piam exiſtimationem ſtabilire conatur, contrariam, quæ noſtra eſt, conabor ſtabilire.

47. Modò tamen ad ipſa Eccleſiaſt. verba redeuntes dicimus, quòd iſta propoſitio: *Quodcumque poteſt facere manus tua inſtantèr operare*, diverſiſsima eſt ab hac: *Quodcumque poteſt facere manus tua (ſecundùm quod requirit conditio tui ſtatus) inſtantèr operare.* Prima enim nec perſonas determinat, nec materiam determinare videtur. Secunda etiam non determinat perſonas. Vndè utraque ad omnes perſonas dirigitur: omnes quippè tenentur facere quantum poſſunt. Sed nunquid hoc intelligendum eſt abſolutè, & ſine aliqua limitatione

ex

ex parte rei efficiendæ? minimè. Secùs enim nulla distinctio adesset inter illas propositiones. Determinatur siquidèm materia, & præcipitur, quòd res efficienda reguletur per conditionem status operantis; talitèr, quòd nullus homo sit, ad quem non dirigatur præceptum illud, ab omnibus, *secundùm quod requirit conditio sui status* observandum. Cum autem certissimum sit, quòd consilia non omnes obligant, ut dictum est: fit consequens, quòd monitum illud Ecclesiastes non dirigitur ad consilia, sed ad præcepta, ad quorum lineam non spectare propositum Seraphicum, manifestum est. Quod si velis, prout aliquibus Interpretibus placet, dictam instructionem ad ea quoque, quæ non sunt præcepta, terminari, non inficiamur. Vndè dicemus, illam continere præceptum, & consilium. Præceptum respiciens ea, quæ sunt ad salutem necessaria, cui omnes parère tenemur. Consilium, quatenùs ad sectanda perfectiora exhortamur. Et ijs verbis ab Ecclesiaste monemur, ne bonorum nostrorum operum exercitium in crastinum relinquamus; cum vitæ nostræ spatium incognitum nobis sit. ¶ Diximus: illas propositiones esse duas; cum tamen sit unica propositio, quæ per illam clausulam *secundùm quod requirit* &c. à D. Thoma explicatur. Duas tamen esse diximus, ut clariùs procederemus.

48. Pergit D. Thomas, & addit. *Dummodo contemptus non adsit agendi meliora.* Quibus clarissimè ostendit, verba Ecclesiastes ad ea, quæ sunt præcepti terminari. Dantur res præcepti, & res consilij. Quæ præcepti sunt, debet homo facere in vi illius mandati. Sed quæ sunt consilij non tenetur facere; tenetur tamen illa non contemnere: alioqui Deum consiliorum Authorem gravissimè offendet. Ratio autem ob quam tenemur sub gravi obligatione ad non contemnenda consilia, est, quia per consiliorum contemptum *animus firmatur contra spiritualem profectum.* Et quamquàm non teneamur ad solicitandum profectum spiritualem observando illa, quæ merè consilij sunt; tenemur tamen ad sic procedendum, ut non firmetur noster animus *contra spiritualem profectum.*

49. Angelicam istam Div. Thomæ Theologiam mirissimè docet Sanctus Salesius de Am. Dei lib. 8. cap. 8. dicens: *Non dico, esse peccatum* non practicare consilia. Nequaquam Theotimè; præcepti siquidèm, & consilij hæc est differentia propria, quòd præceptum nos obliget sub reatu peccati, & consilium nos invitet absque reatu peccati. Dico nihilominùs grande peccatum esse contemnere prætensionem ad perfectionem Christianam, & magis adhùc invitationem contemnere, qua nos Deus ad illam vocat, quinimò non suportabilis impietas est consilia, & media, quibus ad perfectionem tendendum Dominus ostendit, vilipendere. Hæresis est affirmare, *non rectè Dominum consuluisse.* Post quæ prosequitur. *Horribilis est irreverentia aduersus eum, qui tanta cum charitate*, tanta que cum suavitate vocat, & invitat ad perfectionem asserere: Nolo Sanctus, nolo perfectus esse, nec tuæ benevolentiæ particeps adhùc effici, nec sequi consilia, quæ mihi præbes, ut progressum in ea faciam. Consiliorum praxim absque peccato quidèm possumus omittere propter affectum rebus alijs implicatum: sic V. g. licitum quidèm est, id, quod habemus, non vendere, nec pauperibus illud erogare, quia deest animus abnegationem adeò magnam exequendi: licitum est etiam inire matrimonium, quia mulierem amamus, vel quia deficiunt animæ vires prælium adversus carnem assumendi. Profiteri verò voluntatem non sequendi consilia, nec aliquod eorum: hoc absque contemptu illius, qui dedit illa, fieri non potest. Omittere consilium Virginitatis, ut matrimonium ineatur, malum non est: sed inire matrimonium eo fine, ut matrimonium castitati præferatur, sicùt hæretici faciunt, magnus est aut Consultoris, aut consilij

filij contemptus. Vinum bibere contra consilium medici, quando vel siti, vel phantasiâ bibendi quis vincitur, propè non est contemnere medicum, vel ipsius consilium. Dicere verò: nolo sequi consilium medici, certum est, ex opinione siniſtra, quam de illo formamus, hoc provenire. Etenim quoad homines, illorum sæpe contemni potest consilium, absque eo quòd contemnatur ille, qui consilium dedit: existimare siquidèm, quòd erraverit homo, hoc non est, eum contemnere. Quoad Deum verò, consilium eius abijcere, vel contemnere, hoc provenire non potest, nisi ex opinione, qua, non rectè consuluisse, creditur: quod absque spiritu blasphemiæ cogitari non potest; quasi Deus vel satis non esset sapiens ad sciendum; vel non satis bonus *ad volendum benè consulere.*

Hactenùs eloquentissimus hic Præsul, docens pluribus elegantissimis verbis, quæ D. Thomas pauciſsimis & profundisſimis edocuerat. Ex illis habemus, neminem teneri ad practicanda consilia. Teneri verò omnes ad ipsa consilia non contemnenda: Imò & ad illa diligenda teneri, uti docet facundisſimus idem Salesius inibi cap. 9. dicens: *Licèt omnia consilia nec valeant, nec debeant practicari ab uno quoque Christiano in particulari; unusquisque tamen illa tenetur omnia diligere, quoniam omnia sunt optima.* Quod idonea similitudine persuadet. *Si annullus, ait, tuo non quadret digito, an inlutum propterea proijcies illum?* Post quæ concludit: *Itaque lauda, Theotime, tenerrimo que cordis affectu dilige nulla-non consilia, quæ Deus dedit hominibus.*

50. Integer ille articulus secundus D. Thomæ in comprobationem huius doctrinæ allegari queit, & reipsà à nobis allegatur: ex eò enim liquet, quòd ad ea, quæ consilij sunt, quale est propositum Seraphicum, non obligamur, nisi ex speciali nutu quisque obligari velit. Audiendus tamen est Ang. ipse Doct. in arg. *Sed contrà*, ubi ait: *Ad ea, quæ sunt supererogationis, non tenetur aliquis, nisi ex propria obligatione; sed non quilibet Religiosus obligat se ad omnia sed ad aliqua determinata quidam ad hæc, quidam ad illa: non ergo omnes tenemur ad omnia.* Agit Sanctus Doctor determinatè in illo articulo de Religiosis, & inquit, non obligari ad omnia consilia, sed ad illa solummodò, sine quibus tota vita hominis implicatur negotijs sæcularibus, ut sunt proprium habere, & uti matrimonio. Ad alia verò, quæ totam vitam hominis negotijs sæcularibus non implicant, Religiosos, *nisi ex propria obligatione* uniuscuiusque, non teneri docet, & solutionem ad tertium concludit dicens: *Sunt autem quædam consilia de quibusdam melioribus particularibus actibus, quæ prætermitti possunt absque hoc, quòd vita hominis sæcularibus actibus implicetur: Vndè non oportet, quòd ad omnia talia Religiosi teneantur.*

Ex quibus in favorem asserti nostri hanc urgentem probationem conficio. Religiosi non tenentur ad faciendum ea, quæ perfectiora esse, intelligant: ergo nec sæculares. Ergo falsum est, quòd omnes ad illa faciendum obligentur. Secunda consequentia constat ex prima, quam suadet antecedens. Si namquè status Religiosus, qui est schola perfectionis, non petit in suis professoribus illum adeò perfectum modum operandi, multò minus ad illum obligati erunt sæculares. Antecedens probatur ex dictis brevitèr, & efficacitèr. Ad illa consilia, *quæ prætermitti possunt, absque hoc, quòd vita hominis sæcularibus actibus implicetur*, non tenentur Religiosi: sed etiam si Religiosi prætermittant propositum faciendi, quòd intelligant esse perfectius, non eoipso implicantur negotijs sæcularibus, ut est per se notum: ergo ad illud propositum non tenentur Religiosi. Consequentia formalis est, & maior, de qua dubium esse poterat, liquet ex inducto testimonio D. Thomæ.

51. Confirmatur ratio facta, & omnia, quæ diximus, roborantur ma-

ra-

rabili testimonio V. P. Alvarez de Paz, qui in præœnio sui plenissimi, & absolutissimi operis de vita spirituali sic loquitur. *In quolibet cœnobio unum*, aut alterum perfectum invenies: duos, vel tres, qui tranquilitati, & puritati cordis insistant: pauciſsimos, qui suis affectibus imperent, & humilitatem, ac sui despexionem concupiscant. Reliqui verò non iniqui sunt, & mali (absit, ut hoc de Religiosis existimem) sed in cultu Dei tepidi, in virtutum desiderio remissi, & in studio perfectionis incurioſi, videas eos immodestos, loquaces, inanis gloriæ cupidos, honoris avidos, studijs vanis, & negotijs sæcularibus distractos: cellæ quietem fugiunt, psalmodiam aversantur, lectionem parvipendunt, orationem fastidiunt: amant concursus populorum, & tanquàm monstra quædam sub externa Religionis imagine *vitam præferunt sæcularem.* Hoc est dictamen huius spiritualiſsimi Magistri. Illudque videtur deductum ex D. Bernardo ubi supra dicente: *Superbiendo, contendendo, dimicando, murmurando, detrahendo, susurrando, negligendo, contemnendo, & proprias voluntates faciendo, infinitas qui nunc sunt Monachi, culpas incurrunt. Hinc est quòd de horum magna multitudine, qui sæculum deserunt, rari valdè inveniuntur, qui mortificatis vitijs ascendere contendant ad perfectionem virtutum. Hæc autem significabant illa sexcenta millia armatorum, qui de terra Ægypti educti sunt: duo autem solummodò homines, ideſt, Iosue, & Caleb, ex illis omnibus terram promiſsionis ingressi sunt: regredi autem volentes in Ægyptum prostrati sùt in deserto diversis generibus mortium.* Plura subiungit idem D. Bernardus ad intentum. Ex quibus mediocri consideratione comperies, quòd si omnes ad propositum Seraphicũ tenerentur, plurima planctu maximo digniſsima forent, nedùm apud sæculares verùm etiam apud omnes Religiosos. Migremus tamen hinc, orantes toto cordis affectu Dominum Deum nostrum, ut ad illam Perfectorum classem manu potentiſsima suæ benigniſsimæ gratiæ assumi felicitèr mereamur.

§. II.

Argumenta.

52. LAudatus Noſt. Hermannus pluribus ostendere nititur, omnes teneri ad faciendum id, quod perfectius esse cognoscant. Et ut à principaliori incipiamus ea, quæ ex Sacra Scriptura allegat, ante alia proponamus. Vndè arguitur primò ex cap. 1. Proverb. 1 vers. 24. ubi Dominus Deus noster inquit: *Quia vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne consilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo:: Tunc invocabunt me & non exaudiam &c. eò quòd exosam habuerint diſciplinam, & timorem Domini non ſuſceperint; nec acquieverint consilio meo.* In quibus verbis id maximoperè observandum est, quòd Dominus æterna suppicia minatur ijs, qui non acquieverunt *consilio ipsius*, & *exosam habuerunt diſciplinam*, hoc est, glossat ille, *diſciplinam ſtatùs melioris*: sed æterna supplicia nemo incurrit, nisi qui gravitèr delinquit: ergo quilibet tenetur ad acquiescendum consilijs Dei vocantis ad *diſciplinam ſtatùs melioris.* Seu, & est idem, tenetur ad faciendum id, quod melius esse iudicaverit.

Insupèr adducit verba illa Christi Domini apud Ioan. cap. 10. vers. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt.* Christus quippè vocat omnes ad meliora facienda: & qui superni Pastoris sibilum exaudientes ad perfectiora contendunt, ipsius Divini Pastoris oves sunt ad dextrum eius latus collocandæ. Ex quo sine controversia deducitur, quòd qui hanc Christi vocem non audiunt, non oves sint, sed hœdi ad Domini sinistram constituendi. ¶ Deniquè allegat ipsum Dominum, ac nostrum Reparatorem dicentem Matth. 12. vers. 50. *Diligen-*

Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua. Quæ verba non consilij sunt, sed præcepti, & omnium præceptorum maximi. Nec potest quis tale præceptum implere, quin, quod perfectius est, facere curet; hoc est enim Deum *ex toto corde, & ex tota virtute diligere.*

Respondemus: nullà ex ijs Scripturis aliquid in nostrum assertum convinci. Non primà: quia ibi sermo est cum sceleratis, qui viam salutis spernentes sub Principe tenebrarum militant. Vndè Lucas Abbas Sancti Cornelij in Biblioth. V. PP. tom. 1. sic legit: *Clamabam, & non exaudiebatis: extendebam verba mea, & non intendebatis. Itaquè & ego vestram perditionem ridebo.* Et glossat idem: *Hæc terribilis locutio, quæ liquefaciet animam contemnentem Dei præcepta, lacrymabilitèr demonstrat, qualia perpessa sit, eò quòd pulsanti Christo aperire contempserit.* Vndè datam Scripturam de prima vocatione ad gratiam intelligunt Sancti PP. & Sacri Interpretes: ac proindè non est ad rem.

Sed demus, (quod reipsa concedimus) intelligi quoque posse de secunda vocatione, qua iustus vocatur ad altiorem statum perfectius que vitæ genus: adhùc tamen nil contra nos infertur; quia licèt illa vocatio consilij sit: vocati non illam, ut par erat, inaudierunt; quin potiùs vocationem, & vocantem, consilium, & consiliantem neglexerunt, & (quod deterius est) despexerunt; hoc clarissimum est in ipso textu; *Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis.* Quòd autem Dei consilia (quamquàm non quòd solùm prætermittantur) spernere gravissimum peccatum sit, liquet ex dictis numer. 38. & 39.

Secunda Scriptura minùs adhùc urget: in ea siquidèm loquitur Christus de suis ovibus, quæ suæ, & oves sunt; quia audiunt vocem eius ipsas vocantis ad gratiam, & ad dilectionem Dei super omnia. Quæ fieri absdubiò queunt sine proposito Theresiano. Vndè gratiam, & charitatem habentes, si usque in finem perseverent, oves Domini sunt ad arcem cælestem assumendæ. Gratià, & charitate carentes (sinon resipiscant hœdi sunt apud tartara Catenandi. ¶ Ad 3. dicimus, quòd non potest ignorare doctus arguens doctrinam Div. Thomæ dicentis in ijs verbis aliquid esse præcepti, & aliquid consilij. Præcepti est totalitas, sine qua charitas conservari nequit: consilij est totalitas, sine qua charitas conservatur. Et ad hanc totalitatem, seu sic Deum ex omni nostra virtute diligendum, non obligamur. Vndè in vanum hic textus nobis objicitur. Videatur D. Thomas loco initio quæstionis allegato ex disp. 11.

53. Secundò arguit authoritatibus D. Thomæ. Et primò affert ipsum Ang. Magistrum dicentem opusc. 62. *Diligentiam apponere debemus, ut singula opera nostra, quantum unquàm melius possumus, faciamus, ex virtute Dom. nost. Iesu-Christi cum omni desiderio triumphantis, & militantis Ecclesiæ, & sub nomine Creatoris: quasi tota salus nostra, & omnis laus Dei, & universitatis utilitas ex uno opere dependeat; quasi nunquàm ad id operis reversuri, neque opus aliud postmodùm incepturi.* Vbi notandum maximè est, Sanctum Doctorem non dixisse: *Diligentiam apponere possumus*, seu decens est, quòd apponamus; sed *apponere debemus.* Quo obligatos nos esse, docet ad exequendum, quod perfectius esse, cognoverimus. ¶ Secundò affert eundem Ang. Præcept. 3. p. q. 87. art. 1. ad 1. ubi docet: *Homo debet habere propositum se præparandi ad peccata venialia minuenda: alioquin esset ei periculum deficiendi; cum desereret appetitum proficiendi.* Quòd rotundè opponitur nostræ resolutioni.

Respondemus, primam authoritatem neutiquàm contrariari: maximè si attendantur, quæ obiectis verbis immediatè annectit Doctor Sanctus dicens: *Quoties enim aliquòd opus facimus ad*

aliud

aliud opus ferventèr properantes, ex solo desiderio alterius operis statim lacescit animus in opere, in quo sumus. V. g. cum sumus in oratione, vel in alio opere, & proponimus scribere, vel aliud opus facere, statim orationem minuit noster affectus, & citiùs absolvitur ab incepto. Quibus sanè monemur, ut id, quod agimus, attenta consideratione agamus, ne pluribus, etiam bonis, distracti, minùs attentè operemur. Monemur etiam ad alia summè utilia, ut perfectè in nostris operationibus procedamus. Quòd autem ad illa omnia obligemur, ægrè, convinci potest ex illo verbo *Debemus*, quo utitur D. Thomas, quia iuxta eundem Ang. Præcept in 4. d. 5. q. 2. art. 2. q. 1. ad 1. & 3. p. q. 64. art. 5. ad 3 & 1. 2. q. 99 art. 5. in corp. debitum est duplex: primùm simplicitèr tale: secundum ad melius esse. Verba D. Thomæ loco citato ex 1. 2. sunt: *Debitum autem morale est duplex dictat enim ratio aliquid faciendum, vel tanquàm necessarium sine quo non potest esse ordo virtutis; vel tanquàm utile ad hoc, quòd ordo virtutis melius conservetur.* Debuisset debito necessitatis arguens probare, quòd ly *debemus* significet *necessarium sine quo non*. Nos autem esse tantùm ad melius probamus omnibus dictis. Et etiam quia ly *debemus* non inducit debitum superius ad debitum inductum per verba, quibus iubemur diligere Deum, in quo, ut vidimus ex eodem Ang. Mag. datur debitum, seu totalitas necessitatis, & totalitas utilitatis: perfectè autem, & omnimodè observatur illud præceptum in gloria. Hoc idem dicimus de præsenti cum D. Thoma eodem opusc. sub titulo *de conformatione animæ ad Deum*, ubi ait: *Gaudendum est fideli animæ, quia prædictos mores Dei habebit in æterna vita. cum ei similes erimus, & videbimus eum sicuti est.*

Ad secundum textum liquebit plenè ex infra dicendis: modò tamen dicimus, non esse ad rem: quia propositum Seraphicum non solùm intendit vitationem venialium, sed etiam imperfectionum, de quibus nec verbum facit Sanctus Thomas. Vndè ex vi huius textus, quamquàm omnes tenerentur ad vitanda venialia modo, quo arguens intendit, non adhùc obligati essent ad faciendum quicquid perfectius esse, cognoscerent. Preterquamquod non erit supervacaneum, observare modum procedendi D. Thomæ. Non enim dicit, quòd homo debeat vitare, sed quòd *debet habere propositum*, non vitandi, sed se *præparandi*, non ad vitanda, sed *ad minuenda* peccata venialia. Quæ procedendi forma aliquid distinctum signat ab eo, quòd arguens imaginatur. Verumtamèn de hoc sequenti argumento sermo redibit.

54. Tertium argumentum sic procedit. Nemo sine culpa potest dicere, nolo hoc, aut illud, quod Deo placitum est, facere, quia nulla lege ad illud faciendum compellor: ergo omnes tenentur ad faciendum id, quod cognoscunt, esse perfectius. Patet ista ex antecedenti, quod probatur primò. Quia si quis amico petenti, aut suadenti opus minimè oneroſum, imò facienti utilissimum, & petenti iucundum, responderet, possum quidèm facere, quod dicis, sed non facio nec tuum placitum in hoc adimplere volo, eò quòd non sum ad id obligatus; is sanè amicum illud opus suadentem offenderet, & quidèm gravitèr: ergo si hoc eveniret in amicitia hominis ad hominem, multò magis eveniet in amicitia iusti ad Deum: ac proindè tenetur iustus ad non omittendum meliora, eo motivo ductus, quòd non sit ad illa exequenda obligatus. ¶ Probatur 2. antecedens. Qui bonum aliquod à Deo consiliatum iudicat irrationabile, aut nullius momenti, gravitèr Deum consiliantem offendit; undè tenentur omnes ad non iudicandum consilia Dei esse irrationabilia, & nullius momenti: sed qui opus perfectius omittit, quia non est obligatus, putat consilium Dei de illo perfectiori opere exequendo esse irrationabile, ac nullius momenti: ergo. ¶ Probatur 3. Licèt actus, quo lex purè pœna-

nalis violatur, sit ex se extra genus culpæ; ex parte tamen illum actum eliciens potest esse venialitèr, vel mortalitèr peccaminosus, si ex negligentia, vel libidine, vel contemptu procedat: ergo pariformitèr de consilio. Patet ista: quia sicut consilium, sic & lex purè pœnalis non obligat ex se ad culpam.

Hoc argumentum multotiès in illo libro repetit arguens, & sempèr sine fructu: sola enim Caietani doctrina quam allegat, & ad unguem exscribit, dispellit totam argumenti structuram; ut deprehendet, qui subijcienda consideret. Hic enim Eminent. Theologus in expositione textus D. Thomæ, quem dedimus numer. 36. excitat duplex dubium. *Primum. An omnes teneantur habere intentionem proficiendi in charitate usque ad perfectam charitatem, & simùl habere intentionem faciendi omne opus bonum sibi possibile? Secundum est. An contemnens huiusmodi intentiones, & executiones peccet mortaliter?* Vide eadem dubia, quibus nos invadit sententia opposita. Sed audi quid addat. *Est autem primi dubij ratio: quia pro parte affirmativa sonat littera præsens, dùm dicit: quòd omnes aliqualitèr ad hoc tenentur, & quòd sine peccato vitatur executio utriusque profectus, dummodò desit contemptus. Ex hoc enim quòd excipit contemptum, ponit requiri intentionem &c. Pro parte autem negativa est: quia ex hoc novus laqueus injicitur animabus. Multi enim sunt boni viri, qui non intendunt operam dare, ut perfectam habeant charitatem; sed sufficit eis si intendant, servare præcepta obligantia ad mortale, iuxta Verbum Domini: si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Et similitèr non intendunt omne, quod possunt, etiam iuxta sui conditionem status, bonum facere. Secundi autem dubij ratio est &c.*

55. Hæc Caietanus, in quibus eadem difficultas, quam præ manibus habemus, discutitur. Videamus quid profundissimus hic Theologus pro dubijs excitatis statuat. *Ad evidentiam horum*, inquit, *considerandà sunt hìc tria intervenientia. Primum est executio: Secundum intentio: Tertium contemptus.* Circa executionem tàm interioris, quàm exterioris profectus docet nullum incurri peccatum sive mortale, sive veniale, si omittatur talis executio in hoc, vel illo singulari actu, aut opere occurrente. V.g. potens dare eleemosinam illam hìc, & nunc non elargitur huic pauperi illam postulanti; iste ex eò præcisè quòd hanc eleemosinam non det, nullatenùs peccat, non alia ratione, nisi quia nulla gravi, aut levi obligatione tenetur ad conferendum hic, & huic hanc eleemosinam. Et sic de alijs. Sic Caietanus. Et hoc est, quod nostrum assertum tradit, & quod ex illa doctrina irrefragabilitèr stabilitur. Si nam què melius est hanc eleemosinam huic elargiri, quod negabit nemo; & tamen potens illam conferre, ne quidèm venialitèr peccat, si non conferat, & idem est de alijs actibus singularibus, aut operibus occurrentibus: & hoc non alia ratione, nisi quia nulla lege astringitur: ergo verum est nostrum assertum hoc ipsum affirmans. Ergo falsum est assertum contrarium, docens nos omnes teneri ad exequendum, quod perfectius esse, iudicemus: consequentèr que authoritas Caietani est contra producentem.

Pergit purpuratus Dominus, & loquutus de intentione, qua quis intendit non proficere in charitate, aut bonis operibus, sed solùm servare communi modo præcepta divina, inquit, quòd hæc intentio peccatum est; non mortale, quod nos asseruimus, sed veniale, quòd nunquã negavimus. Est peccatũ veniale; *quia firmando quis animum contra spiritualem profectum, ponit, in quantum in se est, obicem directè Spiritui Sancto.* Quod quidèm esse nequit ab omni culpa immune. Non est peccatum mortale; *quia infra limites præceptorum communi modo servandorum sistendo, salvatur dilectio Dei super omnia, & intentio progressus ad vitam æternam ac per hoc & perfectissimæ charitatis tanquàm finis.*

Cha-

Charitas enim viæ maximè perficitur in ingressu patriæ. Et etiam salvatur intentio multorum bonorum operum, tanquàm mediorum necessariorum ad conservandam charitatem, & eundum ad patriam. Impossibile prorsùs est, quòd cum seria intentione habendi perfectissimum charitatem, ut minùs in introitu ad gloriam, in quo perficitur charitas, & quam perfectam reipsa habere, nemo obligatus est ante illum introitum felicissimum: & similitèr cum seria intentione exequendi quicquid necessarium est ad conservandum charitatem, & eundum ad patriam: cum his, inquam, intentionibus incompatibile omninò est peccatum mortale, quamquàm plurima peccata venialia ex perfecta deliberatione facta compatiantur. Nos autem in tota hac quæstione peccata venialia non negavimus, sed mortalia excludere conati sumus, agentes contra opinionem mittentem sub tartara quotquot omne, quod perfectius esse, intelligunt, facere non proponunt. Si ergo Caietanus ea, quæ vidimus, docet: quo iure illa ipsa verba in nos afferuntur?

56. Tandèm loquitur Caietanus de contemptu, & ait, esse peccatum grave contemnere consilia. Hoc ipsum dicimus omnes: Vndè tibi videbitur rationi consonum, ut de his nihil aliud dicamus. Sed gradum siste, quia in ipsis verbis, quæ ex Caietano transcribis, habes plurima, quæ addiscas, & quæ te ipsum, illa allegantem, interimunt. Ait enim: *Non omnis contemptus facit peccatum mortale, sed solùm contemptus Dei.* Hæc propositio est D. Thomæ, ut iam videbis, illique innixus inquit Caietanus: *Et propterea si in proposito contemptus intervenit non præceptorum, sed consiliorum Dei, quoniam in ipsis contemnitur Deus consilians, sicùt contemnendo præcepta contemnitur Deus præcipiens: ideò peccatum mortale esset ex contemptu consiliorum, consilia, aut profectum charitatis omittere.* Ingreditur post hæc ad explanandum, in quo talis contemptus consistat, & ait: *Intervenit autem talis contemptus, quandò homo refugit subijci consilijs divinis, ut consilijs, & profectui charitatis, ut perfectiori viæ. Contemptus enim Dei est, nolle subijci divinæ regulæ: quòd hic manifestè accideret.* Si hæc solummodò ex Caietano proferres, haùd mirarer: quandoquidem in illis tibi favere videtur. Miror tamen, quòd sequentia, quæ tuam opinionem rotundè oppugnant, exscriberes. *Si quis autem spiritualem profectum, & divina consilia, utpotè à Deo ordinata, reveretur; sed quia non obligatur ad illa, & non sunt necessaria ad salutem, non vult illa amplecti, & nihil curat de illis pro se, talis non contemnit Deum sed potiùs operũ executionẽ: ac per hoc non peccat mortalitèr ex huiusmodi in curia deliberata, quæ non-nullus contemptus est, omittendo intentionem, & executionem profectùs spiritualis, & operum bonorum, quæ posset facere.* Hucusquè insignis hic Theologus nostram resolutionem propugnans.

57. Hanc suam doctrinam desumpsit Caietanus ex Ang. Præcept. idipsum brevissimè edocente quæst. 15. de verit. art. 5. ubi inquirit: *Vtrum in ratione superiori possit esse peccatum veniale?* Et contra suam affirmativam positionem sic arguit: *Secundò præterea. Peccatum veniale per contemptum fit mortale sed non videtur esse sine contemptu, quòd aliquis deliberet aliquid esse malum, & à Deo puniendum; & tamen illud committere consentiat: ergo videtur, quòd quandocunquè post deliberationem superioris rationis in actum etiam consentit, peccatum veniale fit mortale.* Vide argumentum, inquo, mihi crede, continetur omne, quod oppositus Author in favorem suæ opinionis adducit. Non est in toto illo suo capite verbum, quod in hoc argumento non exprimatur. Quicquid in illo capite habet, desumptum ab hoc argumento iudicari, posset: si Author ille fidelissimus D. Thomæ discipulus nõ esset. Præfatum argumentũ ita solvit S. Thomas: *Ad 2. dicendum, quòd non quilibet contemptus facit peccatum mor-*

mortale ſed contemptus Dei ſolùm. Et per hunc ſolum homo avertitur à Deo: poſt quantamcunque autem deliberationem in peccatum veniale conſentiat, non contemnit Deum, niſi fortè æſtimaret peccatum illud eſſe contrarium præcepto divino.

Liceat in his conſiderandis aliquantulum immorari. Non eoipſo quòd actus cum contemptu fiat, eſt peccatum mortale, quia *non quilibet contemptus facit peccatum mortale.* Vndè vanè recurritur ad contemptũ, ut actus dicatur lethalitèr peccaminoſus: quippè *cõtemptus Dei ſolùm facit peccatum mortale.* Ac proindè *per hunc ſolum* contemptum Dei *homo avertitur à Deo* gratiam ipſius amittens: per alium verò contemptum, quantumcunquè actibus hominis miſceatur, homo peccabit quidèm venialitèr; non tamen *avertitur* à Deo, ſed manet in eius amicitia, & habitu tendit ad patriam. Nec hoc intelligas de ſolo contemptu, aut peccatis venialibus ex ſemiplena advertentia, aut ſubreptione commiſis; quia etiam verum eſt de contemptu, ac Peccatis venialibus *poſt quantamcunquè deliberationem factis.* Per nullum enim horum peccans *contemnit Deum, niſi fortè æſtimaret* &c. Conſideret ſententia oppoſita hanc D. Thomæ doctrinam, & ſine dubio ipſam contrariari reperiet omnibus, quæ in illo ſuo capite, & in pluribus alijs illius ſui primi libri continentur.

57. Hac ergo D. Thomæ doctrina dirimit Caietanus dubia illa, quæ ex ipſo obtulimus num. 54. & ex utroque ad argumentum ibi factum reſpondemus, diſtinguendo antecedens, quod verum eſt, ſi qui illa dicit, *refugit ſubijci conſilijs divinis, ut conſilijs, & profectui charitatis, ut perfectiori viæ,* ut diximus num. 56. Adeſt quippè ibi contemptus Dei, quandoquidèm qui illa dicit, non vult *ſubijci divinæ regulæ*: Vndè Deum ipſum contemnit: ac ſubindè peccat mortalitèr: quia licèt *non quilibet contemptus faciat peccatum mortale, contemptus Dei* facit peccatum mortale, & *per hunc ſolum avertitur homo à Deo,* ut vidimus num. 57. eſt tamen falſum antecedens, ſi, qui illa dicit, conſilia Dei, & profectum ſpiritualem reveretur; quia verò *non obligatur ad illa, & non ſunt neceſſaria ad ſalutem, non vult illa amplecti: hic enim non contemnit Deum, ſed potius operis executionem; ac per hoc non peccat mortalitèr ex huiuſmodi incuria,* etiam ſi ſit pleniſsimè *deliberata.* Immò iſte, qui tantùm omittit operis executionẽ, nec venialitèr peccat *ex huiuſmodi incuria deliberata,* ut ſupra demonſtratum eſt exemplo illo eleemoſinæ hic, & nunc huic non conceſſæ. Si verò non ſolùm executionem, ſed etiam ex ipſa *incuria deliberata* omittat intentionem proficiendi non adhùc mortalitèr peccabit; niſi ſtatus in quo eſt, aliud expoſcat; cæterùm à culpa veniali non erit immunis propter obicem, quem manens in amicitia Spiritus Sancti ponit Spiritui Sancto volenti, illum ad ſuperiora inſcendere. Quæ omnia ex dictis notiſsima ſunt.

Ad primam probationem antecedentis reſpondetur 1. negando conſequentiam, & paritatem. Diſcrimen eſt, quòd homo iudicat ſecundùm ea, quæ apparent, Deus autem intuetur cor. Vndè homo videns ſuum amicum ipſi in levibus non cupientem placere, queit non ſine fundamento ſuſpicari, ipſi infenſum eſſe: hinc que amicitia reſcinditur. Deo autem hoc evenire nequit: undè ratio non ſequitur. ¶ Reſpondetur 2. quòd ſi homines ſtatuerent (à quo nunc præſcindimus) aliqua, quibus amicitia violaretur, & aliqua, quæ licèt amicum offenderent; amicitiam tamen haùd violarent. Tunc neutiquàm violaretur hominum amicitia per poſitionem eorum, quæ nata non ſunt ad illam violationem inferendam. Deus homini præcepta impoſuit, dedit ei conſilia. Præceptorum fractio Deum offendit gravitèr; illum verò vel nullo modo, vel levitèr, iuxta datam doctrinam, offendit conſiliorum omiſsio. Vndè nullum fundamentum adeſt,

est, ut per omissionem; etiam delibetam, consiliorum Deus gravitèr offensus asseratur. ¶ Respondetur 3. Quòd si homo in levibus offensus sciret, offensorem esse paratum ad totum suum sanguinem effandendum in ipsius defensionem, non iudicaret inimicum illum, qui illam levem displicẽtiam causaret. Quod si faceret, ipsius miserabili genio & non amico attribuendum foret. Deus, qui videt iustum consilia non exequentem, & ipsum levitèr offendentem, videt etiam ipsum paratum ad subeundum pro gloria ipsius martyrium: videt quoque ipsum priùs admissurum corporis mortem, quàm vulnus lethale animæ: videt iustum diligentem super omnia ipsum Deum, tendentem ad habendam perfectam charitatem, ut minùs in ingressu ad gloriam, ac deniquè exequentem plurima, quæ prorsùs necessaria sunt ad charitatem conservandam. Hæc omnia Deus videt, eòque suum amicum reputat illum, qui venialitèr delinquit, & consilia, sine consiliantis contemptù non observat.

Ad 2. probationem antecedentis, qua arguens utitur cap. 14. in corollario, miramur, illam minorem, quæ falsissima est, non probari: sed derelinqui tanquàm per se notam. Nec alia responsione opus est. ¶ Nec minus claudicat tertia antecedentis probatio ibi quoque inducta. Concedimus quippè omnes illius propositiones, quibus arguens seipsum deserens nostram sententiam amplectitur. Quandoquidèm nos nihil aliud intendimus, nisi quòd sicùt lex purè pœnalis est ex se extra genus culpæ, licèt ex intentione operantis interdùm non sine culpa levi, aut gravi violetur; sic quoque consiliorum omissionem dicimus esse, si de executione sermo sit, penitùs extra genus culpæ: si verò loquamur de intentione, dicimus esse extra genus culpæ gravis, quamquàm possit vitiari & gravificari aliundè, aut ex malitia operantis.

59. Contra datam doctrinam obijcies. Omissio spiritualis profectus, & observationis consiliorum solummodò excusatur à peccato, quandò deest contemptus: ergo ut non sit peccatum, requirit intentionem proficiendi. Antecedens est expressum D. Thomæ in illo art. 2. ad 2. & consequentia probatur. Sicut positio contemptus est intentionis absentia, sic intentionis absentia est positio contemptus: sed positio contemptus inducit peccatum, ut dictum est: ergo. Cætera nota sunt, & maior probatur primò. Quia illam docet Caietanus à nobis datus num. 56. in fine. ¶ Probatur 2. Qui non habet intentionem habendi charitatem perfectam, contemnit habere perfectam charitatem; si namquè illam non contemneret, utiquè habere curaret, vel, ut minus non careret intentione habendi illam: ergo. ¶ Probatur 3. Firmare animum contra spirituale profectum est effectus contemptus, ut docet imbi Ang. Doctor: sed absentia intentionis proficiendi firmat animum contra profectum spiritualem: ergo absentia intentionis dicit contemptum.

Respondetur concesso antecedenti, intellecto de culpa gravi, negando consequentiam. Ad cuius probationem distinguatur maior, *contemptus* secundumquid, concedo, simplicitèr, nego maiorem. Solutio est Caietani loco citato distinguentis duplex genus contẽptus. Primum est secundumquid, & istum contemptum affert secum intentionis absentia, qui idcirco non dicitur absolutè contemptus, sed *non-nullus*; sic que nominatur à Caietano. Secundum est simplicitèr, & absolutè tale. Et hic contemptus semper est peccatum grave: ac de hoc loquitur D. Thomas, dùm inquit, quòd *avertit hominem à Deo.* Istum contemptum non ponit absentia intentionis, sed illum primum: ac proindè non est peccatum grave.

Ad primam probationem maioris patet ex modò dictis. Ad secundam distinguatur maior, quæ vera est de non intendente habere charitatem perfectam, ut minùs in ingressu ad gloriam,

Si verò illam tunc perfectam habere intendat, & exequatur virtute illius intentionis media necessaria ad conservandam charitatem; iis sanè non contemnit habere charitatem perfectam contemptu simplicitèr tali: undè respectu huius falsa est maior. ¶ Ad 3. probationem dicas: quòd licèt Div. Thomas doceat, per contemptum, utiquè simplicitèr talem, firmari animum contra spiritualem profectum; non licet inferre, quòd semper quòd datur firmatio animi contra profectum spiritualem, adsit contemptus simplicitèr, sed ad summum secundumquid talis. Ratio est: quòd firmare animum contra spiritualem profectum non petit ut causam necessariam contemptum simplicitèr, ut liquet in eo, qui iurat, se non amplius mutuaturum: hic enim per iuramentum firmat animum contra profectum spiritualem, quin gravitèr peccet. Vndè licèt firmatio, quam contemptus simplicitèr causat, de quaquè loquitur D. Thomas, sit grave peccatum: ex se tamen peccatum grave non est. ¶ Quibus addere potes: quòd sicùt contemptus bipartitur in simplicitèr, & secundumquid: sic etiam firmare animum contra spiritualem profectum: quod si sit simplicitèr tale, est peccatum mortale. Si verò sit secundùmquid, erit veniale. Firmatio hæc animi, quæ provenit, vel comitatur intentionem non proficiendi, secluso contemptu simplicitèr, est firmatio secundumquid. Vndè licèt peccaminosa sit, non est lethalitèr peccaminosa. Quòd autem firmatio hæc sit tantùm secundumquid talis indè liquet, quòd hæc firmatio non excludit animum habendi charitatem perfectam in ingressu ad patriam, nec executionem mediorum necessariorum ad conservandam toto vitæ tempore charitatem, ut dictum est.

*** *** ***
*** ***
***

§. III.

Consectaria pro disputationis complemento.

60. ALia dubia, quæ in hac disputatione excitari queunt minoris momenti sunt: undè illa brevitèr exhibebimus. Dubitabis primò. An omnes possint facere propositum Seraphicum? seu, & est idem, proponere, se facturos quicquid perfectius esse, cognoscant? Dubium præsens non inquirit, quæ iam supponuntur in præcedentibus statuta; sed suppositi Theresiani possibilitate quoad se, & etiam quòd nobis viatoribus est possibile, procedit ulteriùs ad explorandum: An omnes viatores queant illud emittere? Nec procedit litigium de possibilitate remota, sed de possibilitate supponente idoneitatem in subiecto, ut queant propositum à se emissum observare. Qua in re, qui censeat, iustos teneri ad faciendum meliora, proximam in ipsis idoneitatem supponere debet: ac subindè affirmare debet, iustos omnes posse prudentèr emittere illud propositum. Nos autem, qui hanc obligationem denegavimus, nullam contraximus ad sustinendam partem affirmativam; quin potiùs negativam firmitèr sustinemus. Vndè dico: *quòd non omnes iusti sunt proximè idonei ad prudentèr emittendum propositum Theresianum.*

Moveor doctrina supra data N. Salmantic. tract. 14 disp. 2. num. 239. ubi disertissimè inquiunt: *Vix audemus* concedere alicui, quòd nullum unquàm peccatum (veniale) ex deliberatione commiserit; licèt enim in hoc non inveniamus repugnantiam ex parte virium quas confert gratia communis: tamen ad non peccandum venialitèr cum perfecta deliberatione est necessaria debita pōderatio & sedula consideratio gravitatis peccati venialis, insignis que amor in Deum, quæ non solent haberi statim post usum rationis, sed exposcunt aliquem temporis tractum, in quo plerumquè aliquod ve-

veniale cum plena advertentia committitur. *Et oppositum exposcit insigne privilegium.* Hæc gravissimi isti Theologi, ex quorum doctrina iam superiùs tradita colligere licèt in favorem nostræ resolutionis, quòd si exigitur *insigne privilegium* ad vitanda omnia venialia, etiam quæ ex plena deliberatione committuntur, per totum spatium vitæ: fit consequens, quòd quia hoc *insigne privilegium* non omnibus confertur, immò, si qui sunt, pauciſsimi sunt illi quibus collatum est, non omnes sunt proximè idonei ad propositum Seraphicum. Ratio est: quia ad hanc proximam idoneitatem desideratur illud privilegium, quod nulli ex ijs, qui ex subreptione delinquunt, vel pauciſsimis, concessum est. ¶ Præterea: ex parte proximæ idoneitatis debet se tenere iusta ponderatio & sedula consideratio gravitatis peccati venialis, sine his namquè non adest completa idoneitas proxima. Certum est autem, quòd non omnes iusti habent huiusmodi cõsiderationẽ & ponderationẽ. Quandoquidèm ad illas exigitur matura discretio, & experientiæ adiutorium; quæ profectò non nisi rarò concurrunt in paucis annis: ergo ut minus itti iusti non sunt proximè apti ad Theresianum propositum: consequenter que non omnes idonei sunt ad illius emissionem. Idem argumentum potest fieri de insigni amore in Deum, qui etiam requiritur ad complendam proximam illam aptitudinem, nec in omnibus iustis, maximè ætatis teneræ reperitur.

Quòd si hæc vera sunt de peccatis venialibus, potiori titulo vera erunt de imperfectionibus. Ad has quippè omnes vitandas exigitur non quicunque, sed valdè insignis amor in Deum, & valdè sedula ponderatio, ac consideratio perfectionis divinæ. Vndè sine fundamento quis assereret, hæc omnia in omnibus, & maximè in incipientibus vitam rationalem, aut etiam spiritualem, reperiri.

61. Nec intelligas, nostram resolutionem fundari in eo præcisè, quòd teneræ ætatis homines careant ijs, quæ necessaria esse diximus ad proximam idoneitatem complendam. Hoc quidèm sufficere certum est ad veritatem nostri consectarij: de his que loquuntur laudati Salmantic. quia ad suum intentum notissimum est, illud solùm desiderari. Nos autem nostri consectarij doctrinam extendimus ad omnes ætates, sexus, & status. Et utinam non tot fundamenta suppeterent, ut hoc assereremus. Audiendi omninò sunt ijdem allegati Patres num. 238. dicentes: *Id autem* quod Sotus addit, suadet profectò non multos esse, qui omnia venialia, etiam deliberata, vitent; sed multò plures incurrere illa. In ijs enim iustis, qui ad perfectionis apicem non aspirant, quos fatemur plurimos esse, magna licentia regnat peccandi venialitèr, etiamsi adsit advertentia plenissima: satis quippè existimant sibi fore, si divinam amicitiam non violent; *& hinc parvi faciunt, in minimis delinquere.* Repete, quæ numer. 51. diximus ex V. P. Alvarez de Paz, & videbis, paritèr que lugebis nostræ resolutionis clarissimum lamentabile fundamentum.

Eandem veritatem docet Ang. Doct. pluribus in locis. Referam, quæ tradit in 4. d. 18. q. 2. art. 4. q. 3. ad 1. ubi ait: *Similis ratio est de peccato mortali, & de veniali, quantum ad hoc, quia sicùt peccatum mortale non potest bene fieri, ita nec veniale, & sicùt homo debet priùs sustinere mortem, quàm peccet mortaliter; ita etiam, quàm quòd peccet venialitèr, illo modo debiti, quo debet venialia vitare.* Idem docuit Philosoph. in 3. Etich. cap. 1. Modò ergo lustra iustorum agmina lucidissima, & certissimè comperies, non omnes præeligere mortem, ne venialitèr delinquant. Et scito, quòd non est proximè aptus ad faciendum propositum Theresianum, qui non eligat priùs mori, quàm venialitèr peccare. Ex quo necessariò inferendum est, quòd non omnes iusti queant facere tale propositum.

Accedit, quòd, ut plenissimè pro-

bat N. Herman. cap. 3. & 4 datur triplex vinculòrum genus, quo anima, ne perfectiora eligat, impeditur. Primum eſt vinculum catenarum: ſecundum funium: tertium verò filorum. Tertium eſt leve: ſecundum grave: primum graviſsimum. Hæc catenarum vincula ſunt voluntariæ adhæſiones ad res illas, quæ charitati contrariantur; atque ideò nuſquàm ſine peccato mortali reperiuntur. De his vinculis catenarum loquebatur D. Auguſtin. lib. 8. confeſ. cap. 5. dicens: *Suſpirabam ligatus non ferro alieno, ſed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & indè mihi catenam fecerat, & conſtrixerat me. Quippè ex voluntate perverſa facta eſt conſuetudo. Et dùm conſuetudini non reſiſtitur facta eſt neceſsitas. Quibus quaſi anſulis quibuſdam ſibi innexis, indè catenam appellavi, tenebat me obſtrictū dura ſervitus.* De huiuſcemodi catenarum vinculis nec de ipſis catenatis, utpotè Dei inimicis, nobis ſermo non eſt: undè ad alia vincula tranſire oportet.

Vincula funium ſunt cupiditates ad res mundanas, quæ charitati contrariæ non ſunt; animam verò ita ligant, ut in via mandatorum Dei eam ambulare, vix patiantur. In perſona eorum, qui his funium vinculis irretiuntur, dicitur Pſalm. 118. *Funes peccatorum circumplexi ſunt me, & legem tuam non ſum oblitus.* ¶ Filorum vincula ſunt adhæſiones, & affectus inordinati circa res, quæ nec charitati contrariantur, nec animam ita premunt, ſicùt funium vincula. Hæc autem vincula filorum ſunt affectiones habituales ad aliquid venialitèr peccaminoſum, aut etiam imperfectum, cui anima plena deliberatione adhæret. Et hoc in viris Religioſis ſolet eſſe modica oris cuſtodia, frequens cum amicis, ac parentibus converſatio, affectus inordinatus ad hanc cellam, hos libros, ad cibum hoc, aut illo modo conditum, ac deniquè ad res ipſas ſpirituales. Qui his filorum vinculis ligantur, volare nequeunt, quod ipſis neceſſarium eſt, ut ad perfectionem conſcendant.

Horum autem, qui funium, aut filorum vinculis innodantur, nullus proximè idoneus eſt ad propoſitum Seraphicum. Cum autem innumeri ſint iuſti qui hiſce vinculis opprimuntur, ut ex dictis liquet; fit conſequens, quòd non omnes iuſti illud celebrare queant.

62. Dices. Iuſtus ex viribus gratiæ, qua decoratur, poteſt abrumpere illa vincula, quibus innodatur, iuxta illud Iſaiæ cap. 52. *Excutere de pulvere, conſurge, ſede Hieruſalem. Solve vincula colli tui, captiva filia Sion*: ergo poteſt emitere propoſitum Thereſianum. Patet iſta: quia potens tollere impedimenta, quæ obſunt emiſsioni propoſiti, poteſt propoſitum facere.

Reſpondetur. Noſtram reſolutionem procedere, proùt plerumquè diximus, de idoneitate proxima, & facultate completè expedita ad exequendum id, quod proponitur. Et hic eſt formalis, ac rigoroſus ſenſus noſtri corollarij. Qui actu illaqueatus eſt funium, aut filorum vinculis, quæ nihil aliud ſunt, iuxta dicta, niſi affectio deliberata ad venialia, & ad imperfectiones, non habet eam idoneitatem proximam ad obſervandum id, quod proponeret, caſu, quo propoſitum Seraphicum emitteret. Implicat quippè, quòd quis propoſitum de faciendo meliora obſervet, & quòd ſimùl venialibus, & imperfectionibus adhæreſcat. Non eſt ergo aptus proximè ad emittendum propoſitum Seraphicum, qui ex parte ſua habet aliquid oppoſitum illius propoſiti obſervationi. Cui obſervationi nihil clariùs, aut immediatiùs oppoſitum, quàm deliberata, & voluntaria adhæſio ad venialia, imperfectiones que. Abijciat ergo hanc deliberatam adhæſionem, & tunc proponat: quia tunc iam poteſt adimplere propoſitum. Inermis homo non eſt proximè habilis, ut cum inimico armato contendat. Arma quidèm poteſt aſſumere, fateor: ſed quoaduſquè illis accingatur, non eſt ad prælium idoneus. Sic ergo, qui non abijcit deliberatam propenſionem ad imperfectiones, idoneus non eſt ad propoſi-

tum

tum Thereſianum: ac proindè imprudentèr, in caſum que illud emitteret, ſi priùs vincula, quibus impeditur, non ſolveret.

63. Replicabis. Ipſa abiectio propenſionis deliberatæ ad imperfectiones, & complacentiæ habitualis, quam in ipſis habet iuſtus, eſt facere propoſitum Seraphicum: ſed dùm eſt cum illa propenſione, queit illam abijcere, & vincula ſolvere, iuxta allegatum Eſaiam: ergo dum eſt cum illa propenſione, eſt proximè aptus ad Seraphicum propoſitum.

Reſpondetur. Quòd licèt omnia, quæ continet replica concederemus, nihil indè deduci poſſet, quòd nobis obeſſet, qui dicimus: propoſitum faciendi perfectiora, & deliberatam complacentiam in venialibus committendis, quæ quoddam propoſitum eſt faciendi venialia, eſſe res incompoſsibiles, ſicùt eſſe ſolutum, & ſimùl vinculis irretitum. Si autem ipſa abiectio propenſionis ad imperfectiones eſt intranſitivè propoſitum Seraphicum, etiam ipſam extirpationem propenſionis nequit expeditè, & proximè ponere, qui habitu contrario, adeò dominante, impeditur. Quicquid autem de hoc ſit. In his maximè verum eſt, quòd aliud eſt recedere à malo, & aliud facere bonum. Bonum, & quidèm excelentiſsimum, eſt propoſitum faciendi meliora. Malum eſt, venialibus, & imperfectionibus adhærere. Deponat ergo Hagiophilus malum iſtud; illi propenſioni abrenuntiet, & tunc proximè, & expeditè habilis erit ad propoſitum Seraphicum emittendum. Cum autem adeò rari ſint, qui illam renuntiationem, ut par eſt, faciant; idcircò non omnes iuſtos proximè idoneos ad propoſitum Thereſianum recognoſcimus.

64. Si inquiras. Quandò iuſtus erit proximè habilis ad emiſsionem propoſiti Thereſiani? Reſpondet inſignis vitæ perfectæ Magiſt. 2. ad Tim. cap. 3. v. 16. *Perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus.* Vbi Div. Thomas eloquentiſsimè ait: *Non poteſt homo eſſe perfectus, niſi ſit homo Dei: perfectum enim eſt, cui nihil deeſt. Tunc ergo homo eſt perfectus, quandò eſt inſtructus, ideſt paratus ad omne opus bonum, non ſolùm ad ea, quæ ſunt de neceſsitate ſalutis, ſed etiam ad ea, quæ ſunt ſupererogationis.* Tunc igitur eſt homo habilis ad faciendum propoſitum Seraphicum, cum ad illum ſtatum pervenit, in quo *ſit homo Dei*, hoc eſt, cum nihil ei deeſt, ut ſit Dei, quia nec gravatur vinculis catenarum; quibus catenatus diaboli homo eſt, & non Dei: nec detinetur vinculis funium, ipſum maximoperè comprimentium, & oculos ad Cælum levare fermè impedientium: nec deniquè filorum vinculis, quibus ad arcem perfectionis volare, prohibeatur. Quæ omnia vnico verbo exprimuntur, ſi dicamus: tunc homini nihil deeſſe, ut *ſit homo Dei*, cum eſt poſitivè *paratus* non ad hoc, aut illud, ſed *ad omne opus bonum: non ſolùm ad ea quæ ſunt de neceſsitate ſalutis, ſed etiam ad ea, quæ ſunt ſupererogationis.* Nec poteſt dici *paratus ad omne opus bonum*, qui filo etiam ſubtiliſsimo præpeditur, ne avolet ad apicem perfectionis: deeſt quippè ipſi filum illud abrumpere, ut ſit *paratus omnia, quæ ſunt ſupererogationis.* Quam doctrinam miriſsimè ubiquè docet Myſticus N. Doctor; ipſum tamen lib. 1. Aſcenſ. cap. 11 loquentem audiamus.

Agit de minimis imperfectionibus, & ait: *Quandiù autem* aliquid huiuſmodi, etiam minimum, in anima locum habuerit, impoſsibile eſt, ipſam ad perfectionem pervenire. Quid enim refert, quod avis catenata ſit filo ſubtili, aut craſsiori? quamquàm enim illud renuiſſimum ſit, tamen à volatu detinebitur, uſquedùm illud diſrumpat. Verùm quidèm eſt, tenuè filum faciliùs rumpi; aſt licèt facillimè infringatur, niſi id fiat, volatum impedit. Pariformiterè etiam anima rei cuipiam alligata, quantumvis virtutibus abundet, nunquàm ad libertatem *divinæ unionis perveniet.* Repræſentat poſtmodùm Sanctus Pater harum

ani-

animarum ſtatum, & ait, lamẽtabile eſſe, *videre aliquas animas*, velut naves, divitijs bonorum operum, ſpiritualium exercitiorum, virtutum, & gratiarum plenas, quæ quia paratæ non ſunt, ut aliquam delectatiunculam amoris, affectus, ſeu adhæſionis (hæc enim omnia idem ſunt) abrumpant, nunquàm portum perfectæ unionis attingunt: ad quem conſequendum, nihil aliud requirebatur, quam unico animoſo volatu vires exercere, & illud adhæſionis filum diſpellere, aut certè appetitus remoram amovere. Res profectò eſt, ut dixi, ingenti dolore digna, quòd Deus fecerit huiuſmodi homines abrumpere funes craſsiores affectuum, quibus in peccata, & vanitates ferebantur: & quia à puerili aliqua ineptia ſe ſe abiungere renuunt (quæ nihil aliud eſt, quàm exiguum quoddam filum, à Deo relictum, ut ipſi ob eius amorem illud conterant) non progrediuntur, neque tantum bonum acquirunt. Et quod deterius eſt, ob illam adhæſionem tantum abeſt, ut proficiant, quòd etiam, quantum attinet ad perfectionis materiam, retrocedant, non nihil eorum amittentes, quæ tot laboribus comparaverant. Certum enim *illud eſt*: *In via Dei non progredi, regredi eſt.*

Hæc Myſtic. N. Parens, cui conſonat D. Bernard. ad Fratres de monte Dei, quibus, & in illis, nobis omnibus dicit: *Non eſt veſtrum circa communia præcepta languere: neque hoc ſolùm attendere, quid præcipiat Deus, ſed quid velit: probantes quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta. Aliorum eſt Deo ſervire, veſtrum adhærere.* Et quia *qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt*; idcircò ei, qui Deo non ſolùm ſervit, ſed adhæret, nihil deeſt, ut *ſit homo Dei*, & ut *paratus ſit ad omne opus bonum*, & hunc tãtummodò dicimus, eſſe proximè idoneum ad propoſitum Thereſianum.

65. Secundò inferes ex dictis in hac diſputatione, propoſitum Seraphicum eſſe iucundiſsimum. Hoc conſectarium præcipuè deducitur ex ijs, quæ diximus quæſt. 3. ubi oſtendimus, quòd licèt propoſiti Thereſiani materia ſit valdè ardua, ſummè que difficilis, ut etiam convincunt ea, quæ modò dicebamus: ipſe verò amor, quo Perfecti voluntas amburitur, aufert omnem difficultatem ex parte voluntatis ſe tenentem, ut opera obiectivè difficilima aggrediatur, ac ſi facillima forent; imò in ipſa illorum difficultate complacet, ut illam Dilecto ſuo offerat in odorem ſuavitatis.

Amoris genium eſt, ut illo, vel ipſa amara dulceſcant, uti oſtendit Iob capit. 30. dicens: *Qui inter huiuſcemodi lætabantur, & eſſe ſub ſentibus delicias computabant.* Vbi ſpinarum horror mutatus in delicias aſſeritur. Audiendus tamen eſt Divus Gregorius lib. 20. Moral. cap. 16. dicens: *Hæc profectò miſeros pungunt; & eaſdem punctiones, ipſo rerum temporalium victi amore, non ſentiunt:: Manent ſub ſentibus, & hoc ipſum delicias æſtimant, quia & dura quidèm ex præſentis vitæ amore tolerant, & tamen affectu nimiæ cupiditatis obligati laborem eiuſdem tolerantiæ voluptatem putant.* Hoc, quod in ſuis miſerabilibus ſectatoribus cauſat amor mundialis, vehementiori impulſu efficit in almæ Sionis æmulis amor divinus. Vndè D. Bern. de ord. vit. ita dulciſsimè ſcribit: *Fructibus immaturis ſaccharum confert dulcedinem, tollit cruditatem, & nocibilitatem illis, qui iam ſunt maturi. Spirituale quoddam ſaccharum eſt devotio. Aufert hæc amaritudinem mortificationibus, & vim nocendi conſolationibus: moroſitatem fugat à pauperibus; anxietatem à divitibus, deſolationem ab oppreſsis, inſolentiam à fortunatis, triſtitiam à ſolitarijs, diſſolutionem ab eo, qui vivit in ſocietatibus: Ignis beneficium confert hyeme, irrorationis æſtate; abundare ſcit, & penuriam patitam opprobria, quàm honores fructificare facit: voluptatem, & dolorem æquali ferè ſemper corde recipit, & admirabili nos replet ſuavitate.* Hæc D. Bernardus maximè ad intentum noſtrum con-

conducentia: quibus mirè consonant ea, quæ dicta quæst. 3. attulimus ex Seraphic. M. N. quorum ultima verba reproducimus: *Vndè*, ait, *benè, aptè que hic dicere possumus, Domine, te laborem, in lege tua fingere: nullum enim ipsa in ea video.* Quod non de labore, aut difficultate obiectiva, sed de labore ex parte voluntatis intelligendum est.

Alia plura ex dictis in anteactis quæstionibus deducuntur, à quibus abstinendum duximus. Tum: quia aliqua parvæ entitatis sunt, nec idcircò egent memoria speciali. Tum etiam: quia alia disputatione sequenti commodiùs attingenda sunt. Vndè nihilmodò de illis dicemus; sed quia verè tempus urget, ad aliam disputationem huius libri postremam, properamus.

* * * * * * *
* * * * *

DISPVTATIO XXVIII.

DE VOTO SERAPHICO.

EA, QVÆ DE proposito Theresianò dicta sunt, maximã lucem conferũt ad ea, quæ dicere paramus de Theresiano Voto, quocircà disputationem illam præmisimus. Modò verò gradum facimus ad disputandum de Voto Seraphico: ad quod sanè spiritu illo opus erat, qui omnium stupore votum illud, ardentissimæ charitatis indicium, nuncupavit. Summa rei arduitas toto Cælo distat à proprij ingenioli viribus exiguis: quapropter rationi consentaneum fore videtur, luctamen adeò difficile recusare, & sapientibus derelinquere. Verumenimverò, prout præmissa disp. dicebamus. Nemo hactenùs, quem sciamus, hoc prælium aggressus est præter unum inibi adductum Hermannum N. qui eruditissimè hoc opus declarandum assumpsit. Ast in illo Authore recognoscimus illud studium ad inescandas animas, ut meliora sectentur, quod illum quandoquè impellat ad temperandum metaphysicum rigorem, quo attendi debeat assertorum determinatio: ob quod plerumquè cogimur, ipsius opinionibus valedicere, ut liquet ex tota ferè disputatione præcedenti. Ex oppositio alij Authores tam exteri, quàm domestici, si illis incidentèr Votum Seraphicum ocurrat, ea dicunt, quibus ad eius emissionem animæ non invitentur, sed potius retrahantur. Sic que seipsos explicare solent, videlicèt, votum emissum à Seraph. M. N. nobis non ad imitationem sed in admirationem proponi. Et forsàn hoc motivo ductus, Hermannus ad extremum oppositum declinavit, ut hoc extremum contereret. Nos autem prudentissimi illius consilij, *medio tutissimus ibis*, utilitatem considerantes, sic voti Seraphici celsitudinem venerabimur, ut ad lineam rerum nobis prorsùs impossibilium spectare, neutiquàm censeamus. Sic enim & voti huius quidditatem metaphysicè exenteramus, & Matri Sanctissimæ nostræ honorem debitum exhibemus. Nunquàm enim percipere potui quid honoris detrahatur Seraphicæ Virgini, si illam tanquàm exemplar proponimus in re adeò mirabili, quam omnes emulemur ut qui ex gratiæ benignissimo adiutorio potuerit capere capiat. De quo infrà agendum est; eo què pro nunc ab

alijs

alijs abſtinemus. In hac ergo diſputatione non plurima dubia excitabimus, ſed ea ſolùm, quæ ita noſtro inſtitute deſervire, queant; ut illis natura voti Seraphici ex omni parte explicetur. Adſit Seraphica Doctrix, & de ſuo ineffabili incendio lucem conferat, qua, tenebris ignorantiæ depulſis, poſsim in communem utilitatem aliquid dicere de ſuo mirabili voto.

****

QVÆSTIO PRIMA.

QVID, ET QVOTVPLEX SIT VOTVM Seraphicum?

VOti Seraphici poſsibilitatem vanè diſquireremus; cùm certo certius ſit, tale votum poſsibile eſſe; imò & reipſa quandoquè datum. Et hoc convincit magna Theologorum caterva. Vtinàm eorum aliquos de ipſius quidditate diſputantes videremus; ſicut videmus plurimos eiuſdem poſsibilitatem affirmantes, & arduitatem extollentes. Nos autem ſupponimus huius voti poſsibilitatem, ſicùt & arduitatem, & ad explorandam illius quidditatem properamus, in ſimùlque nonnulla de eius multiplicitate dicemus.

§. I.

Duplex aſſertum pro dubij reſolutione.

1. SIt noſtra prima, & principalis concluſio: *Votum Seraphicum eſt promiſsio Deo facta de omni meliori bono.* Hæc eſt noſtra concluſio, & hæc voti Seraphici definitio. Cuius bonitatem ut percipias, ſcire debes. Votum Seraphicum & eſſe votum, & eſſe Seraphicum, ut ex ipſis terminis eſt per ſe notum. Vndè & voti naturam habet, & eſt peculiaris voti ſpecies conſtituta per differentiam voti conceptum contrahentem, illum que ad claſſem ſublimiorem elevantem. Qua ergo parte votum eſt, *eſt promiſsio Deo facta*: hæc quippè eſt voti diffinitio, ut ſcitè docent N. Salmantic. in Arbore virt. n. 66. Per illam particulam *promiſsio* convenit votum cum omnibus promiſsionibus, quæ voti rationem non habent; ab illis tamen differt per hoc, quòd ſit *Deo facta* illa *promiſsio*: quandoquidèm ſi *promiſsio* Deo non fiat, votum non eſt, nec, ſi *Deo facta* ſit, poteſt non eſſe votum; quin aliquid aliud addatur iuxta hunc fundatiſsimum dicendi modum. Ratio eſt, quia ſi aliquid addendum eſſet maximè, quòd illa promiſsio ſit *de meliori bono*, quæ particulæ, nulla lege conſtringimur (re ſecundùm ſe inſpecta) ut voti diffinitioni ſuper addantur. Ex quo enim promiſsio fiat Deo, debet eſſe de re Deo grata; ſinminus promiſsio illa non eſſet actus Religionis, ſed amentiæ. *Stultum enim eſſet*, dicunt laudati Salmant. *alicui promittere, quod illi non placet: unde votum non debet eſſe de actu malo, vel indifferente; ſed de bono, & meliori, quàm ſit oppoſitum, quod per talem actum hic, & nunc practicè impeditur.* Hæc perdocti PP. qui ſuam doctrinam deſumpſiſſe videntur ex Div. Thoma 2. 2. q. 88. art. 2. ubi ait: *Reſpondeo dicendum, quòd ſicùt dictum eſt, votum eſt promiſsio Deo facta.* Et huius rationem aſsignans ſubdit: *Similitèr vana eſſet promiſsio, ſi aliquis alicui promitteret id, quod ei non eſſet acceptum. Et ideò cum omne peccatum ſit contra Deum, nec aliquod opus ſit Deo acceptum niſi ſit virtuoſum: conſequens eſt, quòd de nullo illicito, nec aliquo indiffe-*

indifferenti debeat fieri votum; sed solùm de aliquo actu virtutis. Quocircà sicùt votum, ut verè tale sit, debet esse promissio emissa cum advertentia sufficienti ad plenam deliberationem: debet etiam esse spontanea, hoc est, non vi, aut metu gravi extorta: debet etiam fieri ab habente facultatem promittendi, & animo se obligandi: quæ omnia non exprimuntur in voti definitione; sic etiam debet intelligendi, quòd est de *re meliori*, quamquàm eæ particulæ neutiquàm exprimantur.

2. Hæc licèt ista sint, communis usus obtinuit, ut votum diffiniretur per hoc, quòd sit *promissio Deo facta de meliori bono.* Vndè votum Seraphicum in hoc convenire videtur cum alijs votis. Quem communem usum, & nos retinere volentes illam voti definitionem admittimus cum D. Thoma, qui corpus articuli allegati obsignat dicens: *Ideò propriè loquendo, votum dicitur esse de meliori bono.* Nec huic dictamini contrariantur PP. Salmant. qui verbis relatis addidere: *Ad quod denotandum solet addi in diffinitione, quòd est promissio Deo facta de meliori re.* Ex quibus constat, quòd totum discrimen voti Seraphici ab alijs votis reducitur ad illam particulam *omni*; illa siquidèm est voti Seraphici constitutiva, illud que secernit à votis alijs. Horum quippè materia determinata est, ut cernere est in voto castitatis, ieiunandi, non ludendi, psalterium recitandi, & alijs. Materia verò voti Seraphici illimitata est: ambit præcepta, comprehendit consilia, & quicquid hic, & nunc iudicatur esse perfectius, est materia huius voti. Omnia sive magna, sive parva, quæ perfectiora esse, existimentur, ad hoc votum attinent, & eorum executione, aut omissione, vel infringitur, vel observatur. Et, ut unico verbo rem absolvam, ad illa omnia se extendit votum Seraphicum, quæ Seraphici proposíti materia sunt, de quo disput. præcedenti egimus. Vide verid. N. Historiograph. tomo 1. lib. 1. cap. 30. num. 8. Rectè ergo votum Seraphicum diffinitur per hoc quòd sit *promissio Deo facta de omni meliori bono.* Nec dubius est huiuscemodi promissio, quin sit votum Seraphicum, nec assignabile est votum Seraphicum, quod in illa illimitata, & universali traditione non consistat. Et cũ aliundè nulla alia sit regula rectæ definitionis, quam tradita diffinitio non observet: nullum motivum adest, quod admitti non debeat.

3. Nobis autem, qui radicitùs quidditatem voti Seraphici exponere intendimus, hæc non sufficiunt; sed ulteriùs, & operosiùs exenterare debemus datæ definitionis arcana: quod fieri nequit, quin sensum reconditum illorum verborum *de meliori bono* referemus. Igitur circa intelligentiam illorum verborum non est idem omnium Theologorum dictamen: nobis verò certissimum esse debet (ne in relatione diversarum opinionem sine fructu implicemur) quòd materia propria voti, ut votum est, est res supererogationis, aut consilij; non verò necessitatis, aut præcepti: undè ly *de meliori bono* signat opus consultum, & excludit opus præceptum. Hanc expositionem appellat falsissimam Mag. Torre 2. 2. q. 88. art. 1. disp. 7. num. 9. Quantum autem in hoc excesserit gravissimus hic Theologus, alij viderint, dùm solicitudo nostra ad exhibendum fundamentum traditæ expositionis terminatur. Est igitur expositio illa expressissimè edocta à D. Thoma pluribus in locis, ex quibus unum, vel alterum subijciemus. In 4. d. 38. q. 1. art. 1. q. 2. inquit: *Si votum accipiatur secundùm propriam sui rationem, est propriè de bonis illis ad quæ non omnes tenentur, quæ supererogationis sunt; & ideò dicuntur meliora bona, quia superadduntur illis bonis, sine quibus non est salus: & ideò votum propriè acceptum dicitur esse de meliori bono.* Tota illa quæstiuncula maximè conducit ad intentum nostrum; illà tamen exornabimus subsequentia. Insuper in dicto artic. 2. ex quæst. 88. hæc habet. *Illud namque*

quod neque cadit ſub neceſsitate abſoluta, neque ſub neceſsitate finis, omninò eſt voluntarium; & ideò hoc proprijſſimè cadit ſub voto. Hoc autem dicitur maius bonum in comparatione ad bonum, quod communitèr eſt de neceſsitate ſalutis: ideò propriè loquendo, votum dicitur eſſe de meliori bono.

4. Plurimas alias authoritates eiuſdem Sanctiſ. Præcept. eandem veritatem comprobantes ſubticemus, quia allatæ affatim manifeſtant & exceſſum Mag. Torre, & noſtræ expoſitionis ſoliditatem. Forsàn Magiſter ille offendit in eo, quòd res aliàs præcepta voveri queit. Sed in hoc duplicèm inadvertentiam notæ haùd vulgaris incurrit. Prima eſt: quòd non diſtinguit inter votum propriè, & proprijſsimè dictum, & votum minus propriè tale: aut, & eſt idem, inter materiam, quæ proprijſsimè materia voti eſt, & illam, quæ minus propriè materia voti eſt: quam diſtinctionem clariſsimè tradit D. Thomas in teſtimonijs allegatis. Secunda inadvertentia eſt, quòd non diſtinguit inter opus præceptum, ut ſubeſt legi ab alio impoſitæ, & ipſum opus, prout ſubeſt legi, quam operans ſibi imponit. Opus præceptum primo modo ſumptum eſt de neceſsitate ſalutis, omnes obligat, nec, prout ſic, voti materia eſt. Ipſum opus ſecundo modo conſideratum non eſt de neceſsitate ſalutis, nec omnes obligat; ſed eſt opus conſultum, & ſupererogationis, & apta materia voti. Si autem ſcire velis, quid ſpeciale dicat opus præceptum, prout ſubeſt legi, quam operans ſibi prorsùs liberè imponit? in promptu reſponſio eſt: quòd votum elevat opus ad ſacram claſſem Religionis: quocircà opus, quod ex ſe ſpectat ad materiam continentiæ V.g. ex voto ad Religionem ſpectat. Sic que illud ſalutaritèr exequens ex duplici capite meretur; & illud omittens, aut opus contrarium apponens duplicem legem infringit. Hoc ergo opus, prout ſubſtat legi, ad quam quis ſe liberè obligari, ſtatuit, opus conſilij eſt, ac proindè voveri poteſt.

Habetur ex dictis veritas ſupradictæ doctrinæ, videlicèt, quòd materia voti eſt opus conſultum, ſeu ſupererogationis. Et quia duplicitèr poteſt res eſſe ſupererogationis, primò purè, & ſimplicitèr; ſecundò non ſimplicitèr, ſed ſub aliqua formalitate, & conceptu: idcircò licèt ſub utraque conſideratione ſit res ſupererogotionis congrua materia votis; alitèr tamen, & alitèr: Nam quod ſolùm ſub aliqua formalitate eſt ſupererogationis, non *proprijſſimè cadit ſuo voto*; illud verò, quod purè, & ſimplicitèr eſt opus ſupererogationis, *hoc proprijſſimè cadit ſub voto*, ut ſuprà à D. Thoma audivimus. Exemplo rem illuſtro. Si quis vovet caſtitatem, quatenùs retrahit ab illicitis, votum verè tale facit; non eſt tamen illud votum proprijſsimè tale; quia materia oblata cadit ſub præcepto: ac proindè non *proprijſſimè cadit ſub voto*: ſi verò caſtitatem voveat, prout ab illicitis, & paritèr à licitis retrahit; tunc votum emittit undequaquè proprium, quia ipſius materia eſt ſimplicitèr opus ſupererogationis, ac per conſequens *proprijſſimè cadit ſub voto*.

5. Si vera ſunt, quæ tradidimus, ut vera eſſe putamus, planiſsimus eſt ſenſus illius clauſulæ *de meliori bono*, proùt ponitur in definitione voti communitèr talis. Aſt ſupereſt explorare ſenſum ipſius, proùt affertur in diffinitione voti Seraphici. Prout ſic ergo duplicem ſenſum habet ea clauſula. Primum dedimus num. 2. ubi diximus, per illa verba convenire votum Seraphicum cum alijs votis, à quibus per verbum *omni* diſcriminatur. Vndè iuxta hanc viam eundem ſenſum habent utrobiquè. Vt autem ſecundùm ſenſum exploraremus, anſam nobis præbuit Caietanus, qui ad dictum art. 2. ex q. 88. quæſt. ultima in confirmatione, & ad illam, doctrinam offert, qua dividamus bonum melius in *melius* abſolutè, & in genere. *Melius* in genere illud eſt, quod ex ſe attinet ad genus melius. Vndè cum genus operum ſupererogationis, quatenùs ſuperadduntur ad

ope-

opera necessitatis, sit melius, ut ex D. Thoma vidimus; idcircò opera supererogationis sunt materia voti, ut dictum est, quia hæc opera sunt in genere meliora. *Melius* absolutè coincidit cum optimo, est que talis conditionis, ut non solùm attineat ad genus supererogationis, quod sufficeret, ut esset *melius* in genere: verumetiam superat omnia illa, quæ ad illud genus spectant; undè est absolutè *melius*. Et hoc *melius* est, quod ponitur in definitione voti Seraphici.

Explico magis hoc ipsum. Etenim ut detur votum propriè tale, requiritur, & sufficit, quòd sit de bono *meliori* in genere: hoc est, quòd sit bonum supererogationis: nec requiritur, quòd intra genus supererogationis sit optimum, seu *melius* relatè ad omnia alia, quæ ad tale genus supererogationis spectant. V.g. vovet quis hospitalibus inservire perpetuò. Hoc verè votum est; quia servire hospitalibus opus supererogationis est; undè est promissio de bono meliori in genere, non tamen est bonum *melius* absolutè; quia vacare contemplationi, quod etiam supererogationis est, est *melius*, quam hospitalibus inservire, iuxta illud: *Optimam partem elegit sibi Maria*. Lucæ cap. 10. vers. 42. quocircà qui servire hospitalibus Deo promisit, debet præponere illud servitium, quod vovit, contemplationi, quam non vovit. In voto autem Seraphico longè aliter res se habet: nam bonum *melius*, quod respicit, est absolutè *melius*: eò que si habenti hoc votum occurrant simùl in abscondito pacificè contemplari, & hospitalibus inservire, postponere tenetur, in vi voti à se emissi, negotium hospitalitatis quieti contemplationis. Quod si quandoquè eveniat (quod possibile esse fatemur) quòd debeat præponere hospitalitatis negotium otio contemplationis: hoc ideò erit, quia hic, & nunc iudicat, *melius* esse, quod secundùm se, & in abstracto non est *melius*. Vt enim diximus disp. præcedenti propositũ Seraphicum (idem intelligi debet de voto) non terminatur ad id, quod in abstracto *melius* est; sed ad id, quod existimatur *melius*. Hinc que magis elucet discrimen versans inter *melius* voti Seraphici, & *melius* aliorum votorum: quandoquidèm vovens V. gr. perpetuò hospitalibus inservire, probè cognoscit, aut cognoscere valet, quòd illud supererogationis opus quod vovet, non est *melius* omnibus alijs, quæ sibi tunc occurrunt: & nihilominùs illud opus Deo promittit verè, & perfectè vovens: quia ad votum verè, perfectè que tale sat est, ut iam diximus, quòd opus promissum sit in genere bonorum supererogationis. Qui verò votum Seraphicum nuncupat, illud bonum Deo promittit, quo nullum aliud *melius*, perfectius ve sibi occurrit: undè in vi Seraphici voti, quod nuncupavit, tenetur facere id, quod perfectius, aut *melius* esse, cognoscat. Clarissimè ex his liquet propositum discrimen.

6. Nec te tædeat, amabo te; si aliundè illud manifestare intendam. Etenim nuncupans votum serviendi hospitalibus, votum obedientiæ, castitatis, paupertatis, & alia, illa adimplet, etiamsi, quod perfectius est in uniuscuiusque observatione, non faciat. Quod perspicuè ostenditur in voto obedientiæ, per quod illud nuncupans non tenetur ad ea, quæ heroicæ obedientiæ propria sunt, ut alibi cum D. Thoma diximus, infra que fortè dicemus: undè ratione huius voti non tenetur ad faciendum, quod in linea obedientiæ perfectius est. Immò illam ipsam obedientiam, quam vovit, interdùm cum mixtura imperfectionum exequitur; nec per hoc votum, quod fecit, infringit. Votum Seraphicum est adeò purum, ut non solùm culpis violetur, sed etiam levissima imperfectione, dummodò ex plena deliberatione, & advertentia fiat. Ratio est: quia materia huius sacratissimi voti est illud, quod perfectius esse, existimatur: quod comprehendit & materiam observandam, & modum observandi illam: undè quavis imperfectione, sive ex parte materiæ, sive ex parte modi se tenente votum illud violatur; quia tunc verum est, quod

non fit, quod perfectius est: quandoquidèm vel res, vel modus faciendi illam non est perfectius. Hinc que deducitur, illa verba *de meliori bono*, prout sunt in definitione voti non Seraphici, longissimè distare à seipsis, prout in diffinitione voti Seraphici collocantur. In prima quippè ly *meliori* signat *melius* in genere, quod intra idem genus habet plurima, aut habere potest, quæ ipsum longè superent. In secundo significat *melius* absolutè, quod à nullo sui generis superatur. In prima signat *melius*, cum quo imperfectiones non pugnant. In secunda significat *melius*, quod nullam secum imperfectionem admittit.

Deducitur etiam ex dictis motivum, ob quod explicatione datæ definitionis posita numer. 2. non contenti secundum istum modum meditaremur. Per illum siquidèm magis quàm per primum natura, & genium voti Seraphici omnibus innotescit: quod in omni definitione reperiri debet: est quippè definitio, per quam definiti quidditas declaratur. Vndè illa definitio congruentior erit, quæ diffiniti naturã explicatiùs offerat. Quod in nostra hac definitione secundo modo explicatam reperiri, non est dubium. Tum: quia hoc ex ipsis terminis liquet. Tum etiam, & præcipuè: quia secundus hic modus primum non excludit, sed illum comprehendens addit ea, quæ voti Seraphici naturam vividissimè exprimunt, ut ex dictis liquet. ¶ Accedit: quòd votum Seraphicum Seraphico proposito correspondere debet, ut per se notum est. Propositum Seraphicum, ut vidimus disp. præterita quæst. 1. dirigitur ad faciendum *quicquid perfectius esse, cognoscatur*. Vndè, ut debita correspondentia servetur, hoc ipsum habere debet Seraphicum votum. Et hæc correspondentia non admodùm expressa est in primo modo explicandi datam diffinitionem, & in secundo clarissimè manifestatur, ut omnia, quæ diximus persuadent. Ex quo enim ly *meliori* significet *melius* non in genere, sed absolutè, clarissimè ostenditur, quòd tale votum emittens debet facere omne illud, quod cognoscat esse perfectius, sinminus voti sui transgressor erit.

7. Definivimus votum Seraphicum per hoc, quòd fit *promissio Deo facta de omni meliori bono*. Duplicem sensum illius diffinitionis dedimus. Iuxta primum diximus: votum Seraphicum convenire cum alijs votis per hoc, quòd fit *promissio Deo facta de meliori bono*, à quibus secernitur per ly *omni*; quia aliorum votorum materia determinata est, voti verò Seraphici materia est illimitata. Iuxta secundum diximus, quòd per illas particulas *de omni meliori bono* secernitur votum Seraphicum à votis alijs. Per particulam de *omni*, ut supponitur. Per subsequentes, quia ly *meliori* significat bonum, quod non in genere, sed absolutè melius est. Sicque iuxta utrunque sensum consurgit voti Seraphici diffinitio suo diffinito clarior, cum eo convertibilis, nihil superfluum, aut diminutum continens, genere, ac differentia constans, ac denique omnes rectæ diffinitionis regulas servans. Nec tibi inficias ibimus, si maioris claritatis gratiã dicas, quòd votum Seraphicum est *promissio Deo facta de omni bono absolutè meliori*. Cave tamen, si sic procedis, ne illud *absolutè meliori* intelligas de eo, quod in abstracto melius est: debet enim sumi de eo, quod hic, & nunc iudicatur absolutè melius à vovente, ut dictum est.

8. Post voti Seraphici definitionem, ad ipsius multiplicitatem, seu divisionem accedimus, dicimus que (& sit secunda conclusio) quòd votum Seraphicum dividitur pluribus, non tamen omnibus, ex ijs divisionibus, quibus alia vota dividuntur. Assertio hæc potiùs aperiri debet, quàm suaderi. Vndè divisiones voti percurrentes dicimus: quòd votum prima sui divisione dividitur in votum *commune*, seu necessarium, & in votum *particulare*, seu *liberum*. Horum, & subsequentium declarationem petere debes à Theologis, & Moralibus: nos autem hæc solummodò adducimus, ut,

quid

quid tenendum sit circa votum Seraphicum, aperiamus. Hoc votum nequit esse *commune*, aut *necessarium*; quia nullum aliud votum magis *particulare* est, nec maiorem, nec tantam deliberationem, ac libertatem requirit. Vndè *liberum* est, aut *particulare*. Rursùs: votum particulare dividitur in *solemne*, & *simplex*. Votum Seraphicum nequit esse *solemne*, quia nec ordini sacro annexum est, nec statum propriè talem constituit, sicùt constituunt vota Religiosa. Est ergo votum *simplex*. Prætereà dividitur votum in *affirmativum*, & *negativum*. Votum Seraphicum non est negativum, quia non est promissio de non faciendo; sed potius de faciendo, quod perfectius esse, dignoscitur: undè affirmativum est. Adhùc dividitur votum in *mentale* & *vocale*, & quia ad voti Seraphici emissionem vox necessaria non est, sed interior mentis actus; idcircò non est *vocale*, sed *mentale*, quamquàm, non repugnare, immò, ut infra videbimus, convenire, quòd vocalitèr exprimatur, fateamur. Insupèr dividitur votum in *absolutum*, & *conditionatum*. Votum Seraphicum *absolutum* est; quia seipso statim obligat: nunquàm tamen in id deveniam, quòd concedam, tale votum posse esse *conditionatum*. Ratio est: quia ad votum Seraphicum emittendum requiritur eximius amor erga Deum, in cuius honorem nuncupatur. Et amor eximius non detinetur conditionibus, nec ex affectu ad aliud, præter Deum, procedit: quarè nequit esse *conditionatum*. Et quia votum *pœnale* continetur sub *conditionato*, nequit etiam esse *pœnale*: à negatione enim superioris rectè ad inferioris negàtionem proceditur.

Itèm dividitur votum in *personale*, *reale*, & ex utroque *mixtum*. Et sanè votum Seraphicum *mixtum* esse dicimus: quia cum per illud vovēs obligetur ad faciendum, quod perfectius esse, iudicaverit, planum est, hanc promissionem comprehendere non solùm actionem propriam voventis, sed etiam aliquid ab actione diversum. Quocircà mixtum esse, asserimus. Dividitur etiā votum in *temporale*, & *perpetuum*. Votum Seraphicum esse *perpetuum* extra controversiam est. Quod autem queat esse *temporale*, indè liquet, quia nullum adest inconveniens in eo quòd quis divino amore flagrans votum emittat faciendi, quod perfectius esse, cognoscat per unum mensem, aut annum, ut spatio illius temporis experiatur, an possit sine scrupulis illam ipsam promissionem per maius spatium, aut etiam in perpetuum reproducere. ¶ Hæ sunt præcipuæ divisiones, sub quibus dubitari posset, an votum Seraphicum sit, nec ne? Aliæ autem, quæ ipsius voti Seraphici propriæ esse videntur, reverà non sunt propriæ divisiones illius voti; sed modi, ut illud votum magis, aut minus securè; minus, aut magis prudentèr emittatur, de quibus agendum in subsequentibus est. Vbi etiam plura ex modò dictis magis explicabuntur.

§. II.

Argumenta primam conclusionem impugnantia solvuntur.

9. ADversus secundam assertionem nullum argumentum est, cui satisfacere opus sit. Primam tamen aliqua impugnare videntur, quæ diluere oportet. Arguitur ergo 1. contra illam discursu innixo D. Thomæ authoritate. Etenim votum Theresianum non obligat ad infinita: ergo non est *promissio de omni meliori bono*. Patet ista: nam promissio de omni meliori bono ad infinita obligat: quandoquidèm omne bonum melius infinitum, hoc est, incertum, & indeterminatum est, nec certis limitibus comprehenditur. Antecedens autem probatur primò. Omnis lex certos terminos habet: sed votum Theresianum est lex specialis, quam illud emittens sibi voluntariè imponit: ergo certos terminos habet. Ergo non obligat ad infinita. Patet ultima consequentia: quia in præsenti idem est certis

tis limitibus carere, & ad infinita obligare. ¶ Probatur 2. antecedens. Perfecti non tenentur ad faciendum omne, quod melius est: ergo nec votum Theresianum talem obligationem inducit. Probatur consequentia. Si votum Theresianum illam obligationem induceret, maximè propter perfectionem emitentis illud: sed hæc ratio est nulla; quia alioqui omnes Perfecti tenerentur ad faciendum melius: ergo.

Huius argumenti fundamentum est expressa doctrina D. Thomæ Quodlib. 1. quæst. 7. art. 14. ad 2. ubi inter alia ait: *Non enim tenentur Episcopi nisi ad ea, ad quæ se extendit cura susceptæ regiminis: & Religiosi non tenentur nisi ad ea, ad quæ obligantur ex voto suæ professionis: alioquin esset obligatio ad infinitum; cum tamen natura, & ars, & omnis lex certos terminos habeant.* Hac clarissima authoritate probantur omnia, quæ in argumento facto continentur. Vndè ex illa habetur, quod definitio, qua voti Seraphici naturam declaravimus, sit contra Divum Thomam.

Respondemus tamen; quòd Ang. Doctor inibi duplicem classem perfectorum distinguit: nam alij sunt perfecti propter perfectam charitatem, qua insigniuntur, & alij dicuntur perfecti propter statum perfectionis, in quo sunt, vel propter studium, quod ex statu habere debent ad obtinendam perfectionem: & hi sunt D. D. Episcopi, & Religiosi. Similitèr ibi S. Doctor distinguit duplicem legem, aliam exteriorem, quam comparat naturæ, & arti, & de illa ait, quòd *omnis lex*, quæcunque illa sit, dummodò sit extrinseca, *certos terminos habet*, sicùt natura, & ars. Alia lex est interior, & hæc est lex charitatis, quæ certis limitibus non continetur, ut iam videbimus. His distinctionibus præmissis, inquit Ang. Magister, quòd perfecti, qui tales sunt ex statu, non tenentur ad faciendum omne, quod melius est. Cæterùm Perfecti, qui tales sunt à perfecta charitate, qua fulgent, impulsu ipsius charitatis obligãtur ad faciendum omne id, quod est melius. Verba Sãcti Doctoris hæc sunt: *Cum ergo dicitur, quòd Perfecti tenentur ad id, quod melius est, verũ est, si intelligatur de his, qui dicuntur Perfecti propter perfectionem charitatis huiusmodi enim obligantur ex lege interiori, quæ inclinando obligat. Vndè ad hoc obligantur secundùm mensuram suæ perfectionis quam implent. Si autem intelligatur de his, qui dicuntur Perfecti propter statum, sicut Episcopi, & Religiosi, non est verum. Non enim tenentur Episcopi* &c. sicut in argumento.

Ex quibus ad factum argumentum in forma respondetur negando antecedens, intellecto ly *ad infinita*, prout idem est, ac non habere suæ extensionis certum terminum, qualitèr intelligi à D. Thoma extra controversiam est. Ad primam probationem antecedentis dicas: maiorem esse veram de omni lege exteriori, non autem de lege interna charitatis, ad quam proculdubio spectat votum Theresianum. Et lex ista charitatis nullo limite arctatur, & illa gaudentes ad omne, quod melius est, inclinantur *secundùm mensuram suæ perfectionis quam implent*. Vndè quò perfectior est charitas, eò maiori amplitudine gaudet. ¶ Ad 2. probationem antecedentis respondetur: antecedens esse verum de Perfectis quoad statum, in quo sunt: falsum autem de Perfectis à perfecta charitate, qua decorantur, ut dictum est.

10. Dices: Si dicta vera sunt, independentèr à voto Seraphico tenentur Perfecti, qui à charitate perfecta tales sunt, ad faciendum omne, quod melius est: ergo vel tale votum superfluit, vel data doctrina ruit. Probatur antecedens ex ijs omnibus, quæ diximus, & à Div. Thoma audivimus, maximè ibi: *Huiusmodi enim* (id est Perfecti isti) *obligantur ex lege interiori, quæ inclinando obligat.* Vbi bis huiusmodi Perfectorum obligatio asseritur, ad exequendum quod perfectius sit: hinc que superfluum esse votum Theresianum convincitur.

Res-

Respondetur 1. Quòd, ut ex supradictis liquet, res aliàs præcepta voveri potest (vide, quæ diximus num. 4.) vndè malè infertur, votum Seraphicum esse supervacaneum, ex eò, quòd Perfecti sine illo teneantur ad id, quod per illud votum promittitur. ¶ Respondetur secundò, & meliùs: distinguendo antecedens: *tenentur* ex lege inclinante, concedo: præcipiente, nego antecedens, & consequentiam. Hanc distinctionem, quæ subtilissima est, didicimus ex profundissimo processu litteræ Sancti Thomæ. Audi iterùm: *Huiusmodi enim obligantur ex lege interiori, quæ inclinando obligat.* Vbi non bis intimatur obligatio, sed qualitas obligationis semèl assertæ declaratur. Obligat quidèm lex charitatis ad operandum id, quod melius est: sed *obligat inclinando*, non autem præcipiendo, ut fiat id, quod melius est; secùs enim omnes habentes charitatem eidem præcepto subessent. Accedit ad illam legem charitatis votum Seraphicum, quod est quædam lex specialis, quam votum illud emittens sibi imponit: & ex tunc manet ille emittens obligatus ad faciendum melius ex lege charitatis inclinantis, & ex lege voti Seraphici præcipientis.

11. Replicabis: D. Thomas asserens legem charitatis obligare Perfectos ad faciendum, quod melius est, aliquid speciale dicit de Perfectis, quod non convenit alijs iustis: sed quòd charitas obliget præcisè inclinando, est commune omnibus iustis; charitas quippè inclinat animam ad placendum Deo, qui neutiquàm culpis levibus, aut imperfectionibus delectatur: ergo Perfecti ita lege charitatis obligantur ad melius faciendum, ut illa obligatio præceptiva sit.

Respondetur legem charitatis præcipientis omnibus esse communem, tam Perfectis, quàm non perfectis, tam iustis, quàm peccatoribus: omnes enim tenentur ad diligendum Deum super omnia, & proximum propter Deum, & in Deo. Vltra hoc, quod præcepti est, ipsa charitas animam, seu voluntatem, quam afficit, allicit, inclinat, invitat ad ita operandum, ut in eius operationibus Deus suavitèr pascatur, delectetur que. Cæterùm cũ charitas, ut alibi ex D. Thomâ diximus subeat tres illos status incipientis, proficiẽtis, & perfectæ; non eodẽ modo allicit, & inclinat, sed charitas imperfecta imperfectè allicit, & charitas perfecta perfectè. Illa ita allicit, ut secum patiatur imperfectiones habituales, & habituales culpas leves. Ilta verò sic inclinat, ut quamquam compatiatur cum imperfectionibus actualibus, & cum actualibus culpis venialibus; cum habitu tamen committendi venialia, aut imperfectiones, incompatibilis est, ut multoties diximus, & suo loco cum N. Mystico Doctore probavimus. Et hoc est, quod emphaticè docuit D. Thomas ijs verbis: *Ad hoc obligantur secundùm mensuram suæ perfectionis, quam implent.* Omnes obligantur, verùm non eodem modo, sed adhùc ipsi Perfecti *obligantur secundùm mensuram suæ perfectionis.* Et hoc est illud speciale, quod Perfectis attribuit D. Thomas. Hinc tamen non infertur, quòd hæc obligatio sit præceptiva; aut quòd Perfectus imperfectionem committens violet perfectionem, sicùt violaret votum Theresianum, qui imperfectionem aliquam quantumvis minimã ex perfecta deliberatione committeret. Per quæ patet ad omnia, quæ in replica continentur.

12. Arguitur 2. Votum Theresianum est quædam voti species contenta sub genere voti: ergo non est de omni meliori bono. Probatur consequentia. Implicat, quòd species contenta sub genere æquet sui generis latitudinem, & extensionem: si votum Theresianum, quod est species quædam voti, esset de omni meliori bono, æquaret latitudinem sui generis: ergo. Alia liquent, & minor probatur. Genus voti nequit ultrà se extendere, nisi ad omne bonum melius, quod est adæquata materia ipsius; ergo si hoc idem omne bonum est materia voti Seraphici, hoc votum æquabit suum genus.

Con-

Confirmatur. Species determinata nequit ita extendi, ſicùt omnes aliæ, quæ cum ipſa generi ſubijciuntur: ſi votum Thereſianum eſſet de omni meliori bono, ita extenſa eſſet eius materia, ac materia omnium votorum; quandoquidèm non datur votum particulare, quod non ſit de meliori bono; nec eſt aliquod bonum melius, quod nequeat voveri: ergo.

Reſpondetur argumento diſtinguendo antecedens. *quædam* &c. continens perfectionem omnium ſpecierum ſub genere voti contentarum, concedo. Non continens, nego antecedens, & conſequentiam, ad cuius probationem diſtinguatur maior tradita diſtinctione. Itaque amplitudo generis non excedit amplitudinem omnium ſpecierum ſibi ſubiectarum, ſi collativè ſumantur. Inter has ſpecies ea, quæ reliquas in perfectione ſuperat, continet ratione ſuæ nobiliſsimæ differentiæ perfectionem aliarum ſpecierum, ultra quas genus, ut dictum eſt, non extenditur. Et hæc perfectiſsima ſpecies æquat hoc modo amplitudinem generis: non adæquatione ſuperioritatis logicæ, quæ imperfectio foret; ſed adæquatione continendi perfectionem omnium aliarum ſpecierum, quam elevat ad ordinem nobiliſsimum. Exemplum. Homo eſt quædam particularis ſpecies contenta ſub *Viventi*, & tamen omnem amplitudinem *Viventis* æquat homo; quia vivit cum arboribus, ſentit cum brutis, & omnem illorum perfectionem continet, illam elevans ratione ſuæ perfectiſsimæ differentiæ, ad nobiliſsimam ſpeciem rationalis. Pariformitèr dicimus de voto Thereſiano, quòd quia genus voti non extenditur ultrà omnes ſuas ſpecies; idcircò hoc votum, quod omnium aliorum perfectionem continet, & elevat, æquat ſui generis amplitudinem, quatenùs non eſt aſsignabilis voti ſpecies, de qua votum prædicetur, cuius perfectio in voto Thereſiano elevata ad nobiliorem ordinem non reperiatur. Sicùt non datur ſpecies, de qua prædicetur *Vivens*, cuius perfectio non contineatur in homine. Per quæ confirmationem patet ſolutio.

Hæc tamen Logicis, & Philoſophis relinquentes reſpondemus 2. ad confirmationem omiſſa maiori, negando minorem. Diverſiſsima eſt materia voti Seraphici à materia aliorum votorum. Horum enim materia eſt *melius* in genere bonorum ſupererogationis: & voti Thereſiani materia eſt *melius* abſolutè. Quod autem inter iſta detur maxima differentia negabit nemo. Vide, quæ diximus à num. 5. uſque ad 7. Hincque reſpondemus 2. ad argumentum, quod genus voti indifferens eſt, ut contrahatur advotum, cuius materia eſt *melius* in genere, eſt ad illud, cuius materia eſt *melius* abſolutè: Vndè nullatenùs æquat amplitudinem ſui generis.

13. Arguitur 3. Si Votum Thereſianum eſſet de omni meliori bono, ſequeretur *primò*, quòd in concurſu illius alia vota ſuperfluerent. Ex quo ſequeretur *ſecundò*, quòd Religioſus emittens illud votum abſolveretur à votis ſubſtantialibus Religionis. *Tertiò*, quòd ſæcularis habens illud votum non poſſet ad Religionem tranſire. *Quartò*, quòd etiam ſi ad Religionem tranſiret, non poſſet Religioſus nominari. *Quintò* deniquè, quòd ſi omnes Religioſi votum illud emitterent, eſſet Religionum confuſio. Hæc omnia planè inconvenientia ſunt: ergo votum Thereſianum non eſt promiſsio Deo facta de omni meliori bono. Cætera nota ſunt, & maior quoad primam partem.

Probatur. In concurſu voti continentis, & excedētis alia vota ceſſant iſta, ut cernere eſt in voto cōtinentiæ retrahentis ab illicitis, quod ceſſat per ſuperveniens votum abſolutum caſtitatis à quibuscunque venereis retrahentis, & in voto abſtinendi à carnibus per unum menſem, quod diſparet, adveniente vōto ieiunandi per illum menſem, & ſic de alijs: ſed votum Thereſianum obligat ad omnia, ad quæ omnia alia vota obligant, & addit ſtrictiorem obligationem,

ut

liquet ex omnibus ſupradictis: ergo in eius concurſu alia vota ſuperſtuunt.

Hinc que probatur maior pro 2. parte. Votum Thereſianum eſt votum obedientiæ perfectæ, Caſtitatis perfectæ, & perfectæ paupertatis: Sed vota, quæ ſtatum religioſum conſtituunt, non ſunt obedientiæ perfectæ &c. ergo cum fide ſanctum ſit, quòd *cum venerit, quod perfectum eſt, evacuabitur, quod ex parte eſt*, fit conſequens, quòd adveniente voto obedientiæ perfectæ &c. evacuatur votum obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis imperfectæ. Maior certa eſt; quia votum Thereſianum, ut dictum eſt, violatur per culpam venialem, aut etiam imperfectionem in materia obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis, quod non evenit votis Religioſis, quod clariùs fiet ex probatione minoris. Illàm quoad votum obedientiæ (idem de alijs intelligi debet) expreſſiſsimè docet D. Thomas 2. 2. q. 104. art. 5. ubi ait. *Ad 3. dicendum, quòd Religioſi obedientiam profitentur, quantùm ad regularem converſationem, ſecundùm quam ſuis Prælatis ſubduntur. Et ideò quantùm ad illa ſola obedire tenentur, quæ poſſunt ad regularem converſationem pertinere. Et hæc eſt obedientia ſufficiens ad ſalutem. Si autem etiam in alijs obedire voluerint: hoc pertinebit ad cumulum perfectionis; dùm tamen illa non ſint contra Deum, aut contra profeſsionem regulæ, quia talis obedientia eſſet illicita. Sic ergo poteſt triplex obedientia diſtingui. Vna ſufficiens ad ſalutem, quæ ſcilicèt obedit in his, ad quæ obligatur: alia perfecta, quæ obedit in omnibus licitis: alia indiſcreta, quæ etiam in illicitis obedit.*

Vlteriùs probatur eadem ſecunda pars. Vota emiſſa ante profeſsionem Religioſam per ipſam profeſsionē ceſſant, etiam ſi profitens habeat expreſſam intentionem in contrarium, de quo vide N. Curſum moral. tract. 15. cap. 4. num. 50. & 51. Quòd autem illa vota priùs facta ceſſent, eſt doctrina D. Thomæ eadem 2. 2. q. 88. art. 12. & in 4. d. 38. quæſt. 1. art. 4. q. 4. ubi ea dictat, quæ non ſolùm intellectum illuſtrent, ſed quæ etiam voluntatem accēdant & Hagiophilum inſtruant; quocirca illa tranſcribire decrevimus, ait enim: *Ad 2. dicendum, quòd quia per introitum Religionis homo moritur priori vitæ; ideò illa vota, quæ vovit in ſæculari vita explenda, non tenetur exolvere, ex quo Religionem* (illam profitendo) *intrat. & præcipuè quia ſingularitas in Religionibus eſt periculoſa, & onus Religionis adeò gravat, quod non manet eadem facilitas ad obſervandum votum, quæ in ſæculari vita erat. Tamen quidam dicunt quòd debet Prælato ſuo exponere, & ille penſatis conditionibus perſonæ & voti poterit cum eo diſpenſare. Sed ſecundùm alios hoc non exigitur; quia ex ipſa vi voti Religionis à prioribus votis eſt abſolutus rationibus dictis* in corpore quæſtionis. Vbi ait: *Ad 4 quæſtionem dicendum, quòd in commutatione eſt quidam contractus, qui non poteſt perfici ſine conſenſu utriuſque partis. Vnde cum homo per votum Deo ſe obliget, non poteſt fieri immutatio voti, niſi interveniat conſenſus eius, qui vicem Dei gerit in terris, ſcilicèt Prælati; niſi fortè unum votum ab alio includatur. Et quia votum Religionis includit omnia alia vota, tum ratione perpetuitatis tum ratione obedientiæ &c. ideò ille, qui aliquod votum temporale fecit poteſt non requiſita alicuius Prælati diſpenſatione Religionem intrare, non obſtante voto præcedente, quod ingreſſum Religionis impediret.* Poſtmodùm ad 1. inquit: *Votum terræ ſanctæ obligat hominem ad ſerviendum Deo temporalitèr, & quantum ad determinatum tempus: ſed votum Religionis quantùm ad omnia, & ſecundùm omne tempus; & ideò quodammodò eſt ampliatio voti, magis quàm commutatio.*

Hæc omnia exſcribere libuit, quia ex ijs & mox ſolvendum eſt argumentum, & nunc ſecunda quoque pars illius ſequelæ probatur in hunc modum. Vo-

facta ante professionem cessant, adveniente ista, quia vota emissa in professione includunt, & superant vota præcedentia: Sed votum Theresianum includit, & superat vota Religiosæ professionis: ergo Religiosus votum Theresianum emittens absolvitur à votis, quæ emittit in professione. Illatio sine calumnia est, illamque paritas suadet. Maior expressa est in allegatis D. Thomæ testimonijs. Minor liquet tum ex se. Tum ex dictis in probatione. Maioris quoad primam partem.

Quoad tertiam partem probatur ipsa maior primò: quia de maiori ad minus non est transitus per se prudens in his, quæ ad perfectionem spectant: sed votum Theresianum superat vota Religiosa, ut dictum est: ergo non datur prudens transitus de illo ad ista. ¶ Probatur 2. Quia habens votum Seraphicum, si in Religione profiteretur, vel absolveretur à voto Theresiano, vel non; Neutrum potest dici: ergo non potest ad Religionem transire. Probatur minor pro prima parte: quia per vota inferiora non absolvitur obligatio superioris, illa includentis, & superantis: ergo. Probatur pro secunda parte, Quia si post professionē maneret votum Theresianum, in eius concursu superfluerent vota Religiosa. Quid ergo ille promitteret in sua professione? Si dicas: ipsum votum Theresianum. Contra est primò: quia hoc votum iam ab ipso emissum erat: undè nihil de novo promitteret; atque ideò, licèt votum priùs factum renovaret, non profiteretur, sicùt nos non profitemur, cum vota Religiosa, quæ in professione emisimus, renovamus. Contra secundò. Quia illud votum debet emitti in professione solemni, quod solemne sit, & à quo illud emittens denominetur solemnitèr professus, seu Religiosus: sed, ut diximus num. 8. Votum Theresianum non est solemne: ergo. Ac per hoc probata manet maior quoad 4. partem.

Quoad ultimam probatur ex Div. Thoma Quodlib. 10. art. 10. ad 1. & in 2. dist. 44. quæst. 2. art. 3. ubi ait: *Si aliquis obedientiam absolutè voveret in omnibus, esset confusio Religionum quia idem teneretur servare unus, quod alter. Et ideò votum obedientiæ determinatur secundùm certam regulam.* Tum sic: sed si omnes Religiosi votum Theresianum emitterent, *idem teneretur servare unus, quod alter*: ergo esset Religionum confusio.

14. Vt huius argumenti confusionem, quæ ipsius difficultatem superat, non obruaris, scias primò, quod de voto Theresiano loqui possumus, vel prout independentèr à professione Religiosa emittitur; vel prout in ea emitti potest. Primo modo certè votum simplex est, simplexque fuit votum hoc emissum à Seraph. M. nostra D. Theresia, ob motivum ab omnibus celebratum, quod inculcavimus num. 8. & quia iuxta rerum regulariſsimum ordinem hoc votum emittatur, emisſibile que sit extra professionis tempus, idcircò illo num. 8. diximus, quod istud votum simplex est, & non solemne. Cum quo tamen stat, quòd si in professione Religiosa nuncupabile sit, tunc erit votum solemne. Quod nullam oppositionem, nec cum ibi dictis, nec cum veritate ipsa retrudit, ut intuens deprehendet.

15. Scias 2. Quòd si hoc votum emisſibile est in professione Religiosa, nihil refert, quod priùs à professe emissum fuerit. Ratio est, quia si prius emissum est, & in professione repromittitur, verè fit professio solemnis, quia in ea illud votum, priùs simplex, solemnizatur; ac proindè constituere potest statum Religiosorum, & denominare solemnitèr Religiosum eum, qui illud solemnizavit. Exemplum ad manum est in donatis nostris, qui biennio ab habitus susceptione emittunt simplicem professionem, vota que simplicia obedientiæ, paupertatis, & castitatis: quæ postmodùm quadriennio ab eorum simplici nuncupatione repromittunt eidem Prælato, secundùm eandem regulam & constitutiones. Vndè nihil addunt, nisi

voto-

votorum ſolemnitatem: & hæc ſufficit, ut ille actus non ſit profeſsionis renovatio; ſed vera, ſolemnis que profeſsio. Hoc ipſum potiori iure continget in eo, qui poſtquàm illud votum emiſsit ſine reſpectu ad hanc Religionem, & regulam: poſtmodùm illud Deo in hac Religione, & ſecundùm hanc regulam repromittit.

16. Quod autem votum Thereſianum (ſcias 3.) poſsit in profeſsione Religioſa nuncupari (quod in præcedentibus prælibatis non determinavimus) indè tibi clariſsimum fiet, ſi animadvertas, hoc votum nihil aliud eſſe, niſi votum obedientiæ perfectæ, uti ſcitè probat N. Hermannus lib. 2. cap. 2. & 3. Triplicem eſſe obedientiam dicebat nobis priùs S. Thomas. Alia eſt ſufficiens ad ſalutem, & iſtam vovent Religioſi. Alia eſt indiſcreta, de qua nobis ſermo non eſt. Alia eſt perfecta, ſecundùm quam in omnibus, etiam, quæ extra, aut ſupra regulam ſunt, Deo, & eis, qui eius vices in terra agunt, obtemperatur. Primam obedientiam voveri in profeſsione Religioſa, certum eſt, quia reverà eſt de bono meliori in genere bonorum ſupererogationis: quod ſufficere ad vota quæcunque, præter Thereſianum, facienda, diximus ſuprà num. 5. Æquali certitudine tenendum eſt, quòd obedientia indiſcreta voveri nequeat: quia nec eſt de re meliori, nec de bona; ſed de re determinatè mala. Obedientiam perfectam poſſe cadere ſub voto, nemo ſanæ mētis negabit: eſt quippè de bono abſolutè meliori. Et de hac obedientia dixit D. Thomas, quòd pertinet *ad cumulum perfectionis*. Ea enim eſt, per quam obedimus Prælatis præcipientibus non ſolùm ea, quæ ſunt ſecundùm regulam, verum etiam, quæ ſupra regulam ſunt. Quod unico verbo explicatur, ſi dixerimus: votum huiuſmodi obedientiæ eſſe votum Thereſianum: per illud namque promittitur quicquid perfectius eſſe, iudicetur. Eſt ergo votum Thereſianum votum obedientiæ perfectiſsimæ: quæ proculdubiò promitti poteſt in profeſsione Religioſa. Nullam ſiquidèm oppoſitionem ſecum affert cum ſtatu Religioſo obedientia perfecta; immò illum cumulatiſsimè extollit. Quod verò hæc obedientia non ſemper promittatur, indè provenit, quòd talem obedienitiam vovere non poſſunt, niſi perfecti, qui pauciſsimi ſunt; & ideò promittitur obedientia alia imperfecta, ſeu non perfecta, & eſt illa, quam D. Thomas appeliat ſufficientem. Hoc que evenit convenientiſsimè: nam Religio non eſt ſtatus perfectionis habitæ, ſed habendæ, ſeu tendentium ad perfectionem: quocircà illa obedientia nuncupatur, qua ad perfectionem tenditur. Aſt ſicùt non opponitur cum ſtatu perfectionis habendæ, qualem diximus eſſe Religionem, quòd aliquis, vel aliqui ipſius profeſſores perfectiſsimi ſint; ſic pariformitèr non adeſt aliquod inconveniens in eo, quòd aliquis iam Perfectus, dum profeſsionem emittit, votum perfectæ obedientiæ nuncupet. Eſt ergo innegabile, quòd in profeſsione Religioſa poteſt emitti votum Thereſianum, in quo paritèr emittuntur perfectiſsima obedientia, ut dictum eſt, & paupertas, & caſtitas perfectiſsimæ.

17. Vt autem hoc congruè, fiat, ſcias 4. Quòd ut votum Thereſianum in profeſsione emittatur, debet eius amplitudo determinari ad certam regulam. Ratio eſt: quia materia huius voti univerſaliſsima eſt; eò que debet eius univerſalitas determinari, ne ex eius emiſsione cauſetur vitioſa Religioſarum familiarum confuſio. Quod graviſsimè docuit D. Thomas Quodlib. 10. art. 10. ad 2. dicens: *Votum obedientiæ reſpicit generalitèr omnes actus. Vndè niſi determinaretur eius generalitas, eſſet Religionum confuſio, quia omnes ad idem tenerentur.* Quod inconveniens cavetur ſi tale votum determinetur ad hanc regulam ſub hoc Prælato ſervandam: qui licèt præcipiat indifferentia, aut regulæ præſcriptum ſuperantia, obedire debet ab habente votum Thereſianum: non verò ſi præcipiat contra regulā: hæc enim

eſſet obedientia indiſcreta, quæ nullum commercium habet cum Seraphico voto. Vndè & illud inconveniens cavetur, & votum Thereſianum emitti poſſe in profeſsione Religioſa convincitur. Nec intelligas, quòd tunc caſus votum illud non eſt vocale. Manifeſtè enim implicat, quòd in profeſsione emittatur, & quòd vocale non ſit. Vndè cum num. 8. diximus: votum iſtud eſſe mentale, loquebamur de illo, proùt communitèr fieri queit; ſicut de ſolemnitate ipſius voti dicebamus. Caſu autem quòd ſolemnitèr fiat, debet vocalitèr in manibus facultatem habentis, & coram teſtibus nuncupari.

18. Tandem ſcias. Vota poſſe auferri, aut alterari, vel per irritationem, vel per diſpenſationem, vel per commutationem. De irritatione, ac diſpenſatione nihil agendum nobis eſt: quocircà ſolùm agimus de commutatione, quæ non eſt ablativa voti, ſed obligationis à voto provenientis in aliud ſubrogativa. Quòd dum fit in evidentèr melius, propria authoritate poſſe fieri, certum eſt. Hanc commutationem in melius ex incèps non nominabimus commutationem, ſed ampliationem: ſic enim illam nominat D. Thomas num. 13. ultimis ijs verbis: *Et ideò quodammodò eſt ampliatio voti, magis quàm commutatio.* Hæc non ſupervacaneè exhibemus, ſed ut dicamus, quòd res ampliata in vero, & rigoroſo formali tamen, ſenſu non perit, nec ſuperfluit: nam licèt pereat, & ſuperfluat in ſe, ſeu materialitèr; formalitèr in ipſam ampliante perſeverat. Exemplum. Vovet quis per unum menſem à carnibus abſtinere: & poſteà vovet per totum illius menſis ſpatium ieiunare. Cùm per votum ieiunij amplietur votum abſtinentiæ à carnibus: hoc votum abſtinentiæ, illo alio advenente, ceſſat, & non ceſſat: ſuperfluit, & non ſuperfluit. Ceſſat quidèm in ſe, & materialitèr; nam eius materialis ſubſiſtentia ſuperflueret inconcurſu alterius ipſum abſtinentiæ votum ampliantis. Non ceſſat, nec ſuperfluit formalitèr in ſuo ampliante: quia reverà in illo ampliante perſeverat obligatio abſtinendi aſſociata illi alij obligationi ieiunandi. Agimus enim de ieiunio, ut communitèr fit; ac de eo ſic accepto hæc aſſerimus, & idem de alijs votis affirmamus.

19. Ex dictis non ſolùm liquet argumenti ſolutio, ſed ipſum plenè enervatum eſſe conſtat. Claritatis tamen gratia ad omnia, quæ affert, dicimus quòd nullum inconveniens reſultat ex eo quòd votũ Thereſianum dicatur *promiſsio Deo facta de omni meliori bono.* Igitur ad argumentum poſitum num. 13. diſtinguatur maior pro prima parte, *ſuperfluerent* in ſe, & materialitèr perſeverantia, cõcedatur. Formalitèr, & in ſuo ampliante, negetur maior. Cuius probatio eadem diſtinctione reſolvatur. Termini patent ex dictis num. præcedenti. Quibus, ut hæc penitùs calleas, addere placuit. Quòd ſubiectum calidum, ut quatuor, manet ut quatuor, & ultrà calidum adveniente calore ut quinque. Nec qui debet eſſe calidus ut quatuor ad minus, aliquid violat per hoc, quòd maiorem calorem habeat, quàm ſibi præcipitur. Et in ipſo calore excedente remanet formalitèr ampliativè calor ſibi præceptus. Hoc exemplo clariſsimè conſtat quicquid de voto quoad iſtam partem dicimus.

Maiorem pro ſecunda parte negamus. Religioſus quippè votum Seraphicum emittens non abſolvitur à votis Religioſis; quinpotius ipſis votis perfectiori modo nuncupatis ligatus manet. Ad probationem conceſsis præmiſsis, diſtinguatur conſequens de evacuatione materiali, & in ſe, aut formali, & in ampliante, ut dictum eſt. Nec D. Thomæ teſtimonium nobis contrariatur, ſed poſitivè favet ijs verbis: *Si autem etiam in alijs obedire voluerint hoc pertinebit ad cumulum perfectionis.* Non dixit: hoc deſtruet vota ab ipſis in ſua profeſsione emiſſa; ſed potiùs aſſeruit, quòd illa, & illos evehet *ad cumulum perfectionis.* Vndè, quòd votum Thereſianum incompatibile ſit cum ſtatu Religioſo; ſolus ille affirmabit, qui teneat, repugnare, quòd

in

in illo ſtatu ſint aliqui Perfecti. Quod ſi quis aſſereret, bonè Deus, & quantum à perfectione diſtaret!

Ad 2. probationem eiuſdem ſecundæ partis, quæ illis authoritatibus Div. Thomæ comprobatur, reſpondemus explicantes authoritates illas ultimis verbis teſtimonij ultimi. Vndè dicimus, quòd tunc manerent vota Religioſa in ſuo ampliante, in quo eminentèr tria vota Religionis ſunt, ut dictum eſt. Et ex his ad diſcurſum ex illis authoritatibus deductum concedimus præmiſſas in ſenſu explicato, & in eodem concedimus conſequentiam: licèt ſemper negandum ſit, illum Religioſum abſolvi à votis Religionis: non manet abſolutus, ſed fortiùs illis ligatus, ut dictum eſt: quamquàm vota in ſe, & materialitèr ceſſent, hoc eſt, quatenùs obedientia V.g. iam non eſt ſolùm ſufficiens, ſed perfecta.

Quoad 3. partem negatur quoque maior. Ad cuius probationes, & omnia, quæ in ipſis inculcantur, ſimùl dicimus: Quòd ſæcularis ille non tranſiret de maiori ad minus, ſed deminori ad maius. Tranſiret quippè de voto Thereſiano ſimplici ad ipſum ut ſolemne, & ſtatus Religioſi conſtitutivum, quatenùs ampliando faceret id, quod ſine illa ampliatione faciunt tria Religionis vota. Nec actus, quo hoc votum in profeſsione repromitteret, foret renovatio voti, ſed elevatio ipſius à ſimplici in ſolemne. Vndè eſſet verè, & propriè profeſsio, ſicùt eſt profeſsio ſolemnis noſtrorum donatorum. Nos autem cum ſtatà die, aut alijs, vota renovamus, nihil de novo promittimus, nec rebus, quas iam promiſimus, addimus ſolemnitatem: quapropter actus ille non eſt profeſsio, ſed profeſsionis renovatio. Quæ omnia manifeſta ſunt ex dictis num. 14. 15. 16. & 18. Ac ex illis ſoluta manet eadem maior quoad 4. partem, quæ etiam falſa eſt.

In ultima ſui parte proponit maior caſum impoſsibilem: quòd videlicèt, poſſent omnes, qui ſtatum Religioſum profitentur, emittere illud votum. Si illud eveniret, forent eæ Religiones eſſentialitèr diverſæ ab ijs, quæ modò ſunt: hæ enim ſunt ſtatus perfectionis habendæ, & illæ eſſent ſtatus, perfectionis habitæ. Demus tamen, doctrinæ grátiá, quod hoc ſic, ut ſupponitur, eveniret. Tunc Religioſi emittẽtes votum Thereſianum, vel emittebant illud iuxta eandem regulam; aut iuxta diverſas regulas & obligationes? Si primum: non eſſent plures Religiones, ſed una, & eadem. Vndè negatur ſuppoſitum de Religionum confuſione. Si ſecundum: eſſent diverſæ Religiones; ſed non eſſet illarum confuſio: quia diverſitas regularum, & aliarum obligationum determinaret generalitatem voti Seraphici, & idem tunc contingeret, quòd modò evenit. Dantur quippè diverſæ Religiones, ſine confuſione aliqua; quia licèt omnes emittant tria vota ſubſtantialia, & habeant eundem finem remotum: diverſificantur per ſuos fines proximos, eis præſcriptos in regulis, & conſtitutionibus. Vide, quæ diximus numer. 17. & audi Div. Thomam 2. 2. q. 188. art. 1. *Ad 4. dicendum quòd confuſio opponitur diſtinctioni, & ordini. Sic ergo ex multitudine Religionum induceretur confuſio, ſi ad idem, & eodem modo diverſæ Religiones eſſent abſque neceſsitate, & utilitate. Vndè, ut hoc non fiat, ſalubritèr inſtitutum eſt, ne nova Religio, niſi authoritate Summi Pontificis inſtituatur.*

20. Arguitur ultimò. Votum negativum, vocale, & conditionatum ſunt de aliquo meliori bono: ſed hoc bonum non eſt materia voti Thereſiani: ergo non eſt promiſsio de omni meliori bono. Conſequentia bona eſt, & maior certa; minor verò probatur. Quia illud bonum eſt materia voti negativi, vocalis, & conditionati: ſed votum Thereſianum non eſt huiuſmodi, ut diximus num. 8. ergo.

Reſpondetur negando minorem. Non eſt bonum melius, quod non ſit materia voti Seraphici; nam bonum, quod eſt materia voti negativi, V. g. non ludendi, eſt ſub altiori ratione materia voti

Sera-

Seraphici, quatenùs comprehendens, quod perfectius eſt, revocat generoſiſsimè animam à vitioſo ludo. Bonum voti vocalis idem prorſùs eſt ac voti mentalis bonum. Vndè ex hac parte nullum eſt argumentum. Votum conditionale non ardentis amoris proles eſt: eò què ipſius bonum longè perfectius ſpectat ad votum Seraphicum, & quà abſolutum eſt, & quà Seraphicum eſt.

***

QVÆSTIO SECVNDA.

VTRVM VOTVM THERESIANVM SIT INTER omnia vota ſuperius?

AD melius dignoſcendam voti Seraphici celſitudinem dirigitur præſens quæſitum, in quo pluralitatem votorum ſupponimus, & plurima alia, quæ circa vota ſolent diſputare Morales.

§. I.

Reſolutio difficultatis.

21. SIt noſtra concluſio. *Votum Thereſianum eſt maximum inter omnia vota.* Authores pro hac concluſione non afferimus propter ſuperiùs dicta, præſertim in prooemio præſentis, ac præcedentis diſputationis. Sed non propter hoc ommittendam duximus: maximè cum videamus, illam eſſe rectè deductam ex doctrina D. Thomæ, ex quo ſic aſſertionem probo. Etenim votum Seraphicum eſt perfectius inter omnia conſilia: ergo & inter omnia vota. Patet iſta: quia cum conſilia ſint, quæ voveri poſſunt, uti ex D. Thoma probavimus num. 3. illud abſdubio eſt perfectius votum, cuius materia eſt propria conſilij ſublimioris. Hæc eſt enim menſura certa ad regulandam votorum celſitudinem, ut inductivè oſtendi poteſt in votis omnibus. Probatur antecedens. Obedientia eſt perfectior inter omnia conſilia: votum Thereſianum ad obedientiam pertinet, ut vidimus num. 16. ergo inter omnia conſilia perfectius eſt. Conſequentia bona eſt. Minor liquet ex dictis loco allegato, & maior probatur ſequenti diſcurſu. Inter omnia conſilia, quæ Chriſtus Dominus nobis dedit, præcipua ſunt tria illa obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis, ad quæ omnia alia, ut ad potiora reducuntur: ſed ex illis tribus conſilijs perfectius eſt conſilium obedientiæ: ergo hoc ſuperat omnia alia. Illatio eſt innegabilis, & præmiſſæ expreſsè docentur à D. Thoma. Maior quidèm 1. 2. quæſt. 108. art. 4. in corpor. Vbi poſtquàm memoraverat tria, quæ homines præpediunt, ne ita expeditè ad perfectionem conſcendant, ait: *Hæc autem tria totalitèr derelinquere, ſecundùm quod poſsibile eſt, pertinet ad conſilia evangelica. In quibus tribus etiam fundatur omnis Religio, quæ ſtatum perfectionis profitetur: nam divitiæ abdicantur per paupertatem. Delitiæ carnis per perpetuam caſtitatem. Superbia vitæ per obedientiæ ſervitutem. Hæc autem ſimplicitèr obſervata pertinent ad conſilia ſimplicitèr propoſita: ſed obſervatio uniuſcuiuſque* &c. Poſt quæ concludit: *Et ſic etiam omnia conſilia particularia ad illa tria generalia, & perfecta reducuntur.* Videatur idem Sanctus Doctor 3. contra Gent. cap. 130.

Minorem verò docet idem Sanctus Doctor 2. 2. quæſt. 104. art. 3. Vbi poſtquàm docuit exceſſum virtutum Theologicarum ſupra virtutes morales, atque ideò ſupra obedientiam; oſtendit, hanc eſſe maximam inter virtutes morales, quæ conſiſtunt in contemptu tem-

temporalium, inter quas sunt castitas, & paupertas. Eius verba sunt : *Sunt autem tria genera bonorum humanorum, quæ homo potest contemnere propter Deum, quorum infimum sunt exteriora bona: medium autem sunt bona corporis: supremum autem sunt bona animæ. Inter quæ quodammodo præcipuum est voluntas: in quantum scilicèt per voluntatem homo omnibus alijs bonis utitur. Et ideò per se loquendo laudabilior est, obedientiæ virtus quæ propter Deum contemnit propriam voluntatem quàm aliæ virtutes morales, quæ propter Deum aliqua bona contemnunt. Vndè Gregor. dicit in ultimo Moral. quòd obedientia victimis iure præponitur quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur. Vndè etiam alia virtutum opera ex hoc meritoria sunt apud Deum, quòd fiunt, ut obediatur voluntati divinæ.* Et infrà quæst. 186. art. 8. idem docet hisce verbis : *Respondeo dicendum, quòd votum obedientiæ est præcipuum inter tria vota Religionis. Et hoc triplici ratione. Primò quidèm* &c. videatur totus ille art. ubi gravissimè hæc veritas demõstratur.

22. Contra hanc tamen probationem dices: ex discursu facto habetur votum Theresianum esse votum obedientiæ: sed votum obedientiæ, quamvis laudabilissimum sit, non tot præconijs extollitur à Theologis, nec est adeò irregulare, quòd quotidiè non emittatur, vel ab ipsis, quos ad principandum natura destinaverat: ergo votum Theresianum nec celebrari tantùm debuit, nec est adeò extraordinarium.

Vrgebis: Votum Theresianum reductivè spectat ad votum obedientiæ: ergo est illo inferius: ergo non est maximum inter omnia vota. Hæc secunda consequentia liquet ex prima, quæ negari non debet; quia id, quod reductivè spectat ad aliquod genus, imperfectè participat quæ sunt propria illius generis, ut inductivè ostendi potest in omni eo, quod reducitur ad aliud. Vt videtur in accidenti, quod secundumquid participat genus entis, & dicitur ens in alio; quia reductivè ad genus entis spectat: & de ipso accidenti in concreto inquit D. Thomas opusc. 42. capit. 19. quòd non est *in genere nisi per reductionem, ut album, & musicum & huiusmodi.* Constat autem *album, & musicum, & huiusmodi* non esse simplicitèr in genere. Antecedens autem probatur. Si namquè discursus factus convinceret, quòd votum Theresianum est simplicitèr, & propriè votum obedientiæ, diceretur votum obedientiæ, & non Theresianum, aut Seraphicum; ac proindè falsum esset, quod disput. præcedenti diximus, ut originem illorum nominum offerremus. Accedit: quòd N. Hermannus, quem unicè de hoc voto conscripsisse, reperimus, ut superiùs notabamus, asserit, illud ad votum obedientiæ reductivè pertinere.

Respondetur distinguendo maiorem, *obedientiæ* perfectissimæ, concedo: sufficientis, nego maiorem. Triplicem obedientiam supra cum D. Thoma distinximus, quarum una sufficiens est ad salutem: & hæc est, quæ regularitèr & quotidiè vovetur, & interdùm ab ijs, quos natura ad dominandum sygillaverat. Alia obedientia est perfecta, quæ Prælato, immò & inferiori obtemperat in omnibus, quæ divinæ voluntati non contradicunt. Et hanc utinam voveremus, qui ad parendum nati sumus? Vndè si votum Theresianum est votum obedientiæ, non est illius obedientiæ sufficientis, sed huius perfectissimæ: ac proindè iure merito tot encomijs ab omnibus celebratur. Diximus: *Si votum Theresianum* &c. quia quid in hac parte tenendum sit, iam subijcimus.

Vrgentiæ tota activitas innititur in significatione illius vocis *reducitur*, quæ non debet constantissimos commovere, ut aliàs dicebat Mag. Parens Augustin. Verissimma est illa D. Thomæ doctrina, quam urgentia continet. Sed ex illa perperàm stabilire quis contendit, quòd omne id, quod in aliud reducitur, secundumquid se habeat ad illud:

hoc

hoc enim falsum est tam absolutè, quàm iuxta mentem D. Thomæ. Absolutè verum est, quòd omnia, quæ sunt sub aliquo genere reducuntur ad illud, quod in illo genere est primum, & qua tale est causa, & mensura cæterorum: & tamen homo V. C. qui sic respicit genus substantiæ, non se habet ad illam secundumquid. Quod sexcentis alijs demonstrari poterat. Ipse D. Thomas, qui illud, & quidèm verissimè, dixit, dicit etiam disputata de charit. art. 1. *quod omnes actus voluntatis reducuntur sicùt in primam radicem in id, quod homo naturalitèr vult, quòd est ultimus finis.* Et sanè actus voluntatis non se habent secundumquid ad finem ultimum à voluntate naturalitèr volitum.

Perspecta autem ex hac parte urgentiæ futilitate, nihil in ea remanet dissolvendum. Debemus tamen aperire, si reverà votum Theresianum sit votum obedientiæ perfectissimæ? & quomodo? Reduci ad perfectissimam obedientiam, rotundè affirmat prælaudatus Hermannus. Sensus, in quo loquitur, non ita planus est, nec eius indagatio est nobis necessaria: cùm supra in fine num. præcedentis audierimus Div. Thomam dicentem: *Vndè etiam alia virtutum opera ex hoc meritoria sunt apud Deum, quòd fiunt, ut obediatur voluntati Divinæ.* Exempla autem suæ doctrinæ apponens prosequitur: *Nam si quis etiam martyrium sustineret, vel omnia sua pauperibus erogaret, nisi hæc ordinaret ad adimpletionem divinæ voluntatis, quod rectè ad obedientiam pertinet, meritoria esse non possent.* Hoc dicit Sanctus Doctor de erogatione omnium bonorum in pauperes, quæ sanè actus paupertatis est; ac de martyrio, quod est actus fortitudinis iuxta ipsum infra q. 124 art. 2. ubi etiam docet, martyrium esse actum fidei, & charitatis. Vndè secundùm D. Thomam actus martyrij reducitur ad quatuor virtutes: Ad obedientiam ut liquet ex dicto art. ad fidem, charitatem, & fortitudinem, ut constat ex hoc art. 2. Pertinet ad fidem finalitèr, & ad fortitudinem elicitivè. Verba Div. Thomæ in solut. ad 2. hæc sunt: *Martyrium comparatur ad fidem, sicùt ad finem, in quo aliquis confirmatur: ad fortitudinem autem sicùt ad habitum elicientem.* Et in solut. ad 2. etiam ad charitatem pertinere, docet his verbis: *Ad actum martyrij inclinat quidèm charitas sicùt primum, & principale motivum per modum virtutis imperantis.* Vlterius spectat etiam ad obedientiam sub illa generali ratione, sub qua *alia virtutum opera ex hoc meritoria sunt apud Deum, quòd fiunt, ut obediatur voluntati divinæ.*

Dùm autem audis, opera habere, quòd meritoria sint ab obedientia, non intelligas, obedientiam conferre operibus ex se, quòd meritoria sint: quippe sine charitate nec ipsa obedientia meritoria est. Sed introspicere debes, Ang. Doctorem loquutum fuisse de obedientia, quam charitas informat, ut inter alia ostendunt textus ex D. Ioan. & verba ipsius Sancti Thomæ, quibus claudit corpus illius art. 3. *Qui autem*, ait, *servat verba eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est. Et hoc ideò est, quia amicitia facit idem velle, & nolle.* Vbi ex obedientia salutari dignoscitur charitatis assistentia, idem *velle*, & *nolle* facientis. Quæ omnia perspicuè, & subtilissimè declaravit Caietanus mihi, iam alibi à nobis datus. Dixerat: obedientiam esse maximam inter virtutes morales, quæ consistunt in contemptu rerum temporalium, & addit: *Hanc excellentiam* non habet obedientia quæcunque, sed illa, qua Deo universalitèr obedimus. Sic enim, & non alitèr præcepto eius voluntatem nostram subijcimus: omnes siquidèm hæ conditiones ex littera diligentèr perspecta habentur. Et ex hac parte considerata obedientia, filia ponitur charitatis individua, differens ab ea, quod charitas facit hominem cum Deo idem velle, & idem nolle per modum amici; obedientia verò per modum subditi. Homo enim recognoscens se tali amico subditum, perpendit, iustum esse,

esse, ut obediat volendo, & nolendo ut subditus quicquid ille præcepit. Et ex hac eadem parte obedientia causat omnium virtutum, etiam charitatis, & fidei actus, ut scilicèt impleat Dei præcepta. Et ex hac eadem parte ponitur quasi forma virtutum aliarum, pro quanto actus reliquarum fiunt, ut impleantur divina præcepta, quod directè spectat ad obedientiam. Verumtamèn quia ipsa impletio præcepti divini ordinatur ad impletionem divinæ voluntatis, per modum amicitiæ, quod est proprium charitatis; *ideò finis præcepti, & obedientiæ est charitas.* Hæc luculentissimè Caietanus, ex quibus planè liquet, qualitèr obediètia dicatur facere meritorios actus aliarum virtutum, quod non habet ex generali ratione, qua supponitur informata charitate; sed etiam ex speciali, qua ipsa, ut filia individua charitatis *ponitur quasi forma virtutum aliarum.*

23. Ex qua doctrina ad nostrum intentum accedentes dicimus: quod votum Theresianum præcipuè reducitur ad tres principales virtutes. Earum prima est Religio, à qua elicitur: & in hoc convenit cum omni quocunque voto: omne quippè votum est actus a Religione elicitus. Vndè ex parte hac non potest cognosci inferioritas, aut superioritas unius voti supra aliud. Secunda virtus est charitas, quæ imperat ipsum votum Theresianum; sed hoc etiam commune est cuicunque voto: ac subindè nec hinc potest principium certum desumi, quo voti Theresiani celsitudo dignoscatur. Tertia virtus est obedientia, quæ offert Religioni materiam, quam Deo sacrificet in odorem suavitatis. Si offert media paupertate bona temporalia, Religio ex charitatis influxu emittit votum paupertatis. Si offert corporis proprij bona, ex charitatis impulsu Religio nuncupat castitatis votum. Si verò offert propriam voluntatem, emittit Religio votum obedientiæ ex charitatis imperio. Sed nec ista obedientia ostendit eminentiam voti Seraphici: hæc enim est illud votum quod omnes Religiosi in sua professione offerunt. Si ergo ab his virtutibus non regulatur ea celsitudo, à quo principio desumenda est?

Respondeo: quòd ab omnibus illis. Et incipiens ab obedientia dico, quòd hæc, ut ex superioribus liquet, est duplex (non loquimur de imprudenti) sufficiens & perfecta. Sufficiens offert propriam voluntatem aris Religionis mactandam in ijs, quæ Religioso sunt necessaria ad salutem. Vndè nec extenditur ad illa, quæ supra regulam, aut indifferentia sunt: nec illa ipsa, quæ offert, ea generositate offert, ut sine nævo culpæ venialis aut imperfectionis observanda promittat. Quocirca huiusmodi obedientiæ votum nec culpa veniali in ipsam commissa infringitur, nec imperfectionibus violatur. Ratio quæ ea est: quia cum sit de necessarijs ad salutem, cui nec imperfectiones neque venialia (si quoad substantiam sumatur) opponuntur: idcircò in concursu talium votum illud inviolatum perseverat. Obedientia perfecta offert propriam voluntatem mactandam in ijs omnibus, quæ Prælatus prudentèr procedens imperet, sive sint indifferentia, aut extra regulam; sive supra illam sint. Hæc est illa obedientia, quam *perfectam* appellat Div. Thomas, quam quę nos dividimus in purè perfectam, & perfectissimam: seu in illam, quæ universalis est ex parte materiæ, quam offert, & in illam, quæ etiam comprehendit modum, quo offert illam materiam. Est dicere: quòd obedientia purè perfecta offert illimitate omnem materiam à Religione Deo sacrificabilem: non verò offert illam universalem, & perfectiorem materiam, ut sacrificabilem perfectiori modo: hoc enim reservatur obedientiæ perfectissimæ, quæ ita Deo offert illam universalem, & perfectiorem materiam, ut ultra illam polliceatur, illam sub modo perfectiori, hoc est, sine culpa veniali, & sine imperfectione, ex parte modi se tenentibus, offerre. Vndè votum obedientiæ perfectæ observatur, si fiat id, quod perfectius esse, existimatur: quamquàm modus, quo observatur

vatur, non ſit perfectior. Aſt votum obedientiæ perfectiſsimæ non ſolùm infringitur, ſi ex parte rei non fiat, quod perfectius eſt; verùmetiàm violatur, ſi modus, quo votum adimpletur, non ſit perfectior. Hæc diviſio obedientiæ in perfectam, & perfectiſsimam, & utriuſque aſsignata explicatio forsàn infra nobis occaſionem præbebunt, ut videamus, ſi pugnantes opiniones poſſumus conſiliare in obſequium Sanctæ M. N. Thereſiæ, & veritatis.

24. Ex dictis plura iam deducenda veniunt. Primum eſt, quòd motivum, ob quod diximus, votum Thereſianum comprehendi ſub voto obedientiæ, eſt quia ipſa obedientia offert materiam, quam Religio ſacrificet. Et licèt tres dictæ virtutes principaliſsimè ad hoc votum concurrant: dicitur tamen votum obedientiæ, quia per materiam, quam hæc offert, amplius nobis innoteſcit. Secundum eſt, quòd omnes illæ virtutes manifeſtant celſitudinem huius voti: obedientia in oblatione materiæ adeò univerſalis. Charitas filiam obedientiam adeò perfectam habens, & Religionem accendens, ut votum illud maximè arduum emittat. Nequit votum hoc provenire, niſi à Religione ferviditſsimà, ab obedientià promptiſsimà, & à charitate perfectiſsimà. Harum autem trium influentium, & nobilitatem voto præbentium maior eſt charitas, cuius filia obedientia eſt, & à qua animatur Religio, ut votum adeò magnum emittat. Dicitur tamen votum obedientiæ propter dicta. Vltimum eſt, quòd votum illud adeò magnum, & celebre eſt votum Thereſianum, cuius diſcuſioni inſudamus. Hinc que apparet, quare votum hoc dicamus, reduci ad votum obedientiæ, & quod non eſt votum illud, quod quotidiè fit, obedientiæ imperfectæ aut ſufficientis; ſed obedientiæ perfectæ; immò & perfectiſsimæ iuxta traditam diviſionem.

Vndè ſecundùm omnia hactenùs dicta inſtauranda eſt ratio probativa concluſionis, & cum D. Thoma, & ex ipſo elevatur ſub hac forma. Votum obedientiæ ſufficientis ſuperat vota caſtitatis, & paupertatis, quia illa includit, & ad illa addit: ſed votum obedientiæ perfectiſsimæ, quod eſt votum Thereſianum, includit alia quæcunque vota, & ad illa addit: ergo eſt maximum inter omnia vota. Conſequentia bona eſt, & maior eſt expreſſa D. Thomæ 2. 2. q. 186. art. 8. Vbi tres rationes aſsignans, ob quas votum obedientiæ præſtet voto caſtitatis, & paupertatis, ſecundam ſub hoc modo proponit: *Secundò, quia votum obedientiæ continet ſub ſe alia vota, ſed non convertitur: nam Religioſus etſi teneatur ex voto continentiam ſervare, & paupertatem; tamen hæc etiam ſub obedientia cadunt, ad quam pertinent multa alia præter continentiam & paupertatem ſervare.* Deindè probatur minor. Nam quodcunque votum aſsignes, vel eſt de omni meliori bono; vel eſt de aliquo, aut aliquibus bonis melioribus; neque aſsignabile eſt votũ, quòd ad aliquod ex iſtis non pertineat, ut per ſe notũ eſt: ſed ſi eſt de omni meliori bono, eſt ipſum votum Thereſianum, quod propterea ſic à nobis ſupra definitum eſt; & ſi eſt de aliquo, aut aliquibus bonis melioribus, includitur in voto Thereſiano, & hoc ad illud addit, ut eſt etiam per ſe manifeſtum: ergo votum Thereſianum eſt maximum inter omnia vota. Et quia hanc rationem rem totam conficere, liquet; idcircò alias, quas ad comprobandam propoſitam aſſertionem meditatus fueram, prætermitto.

26. Dices tamen. Votum faciendi quicquid perfectius eſſe, dignoſcitur ex obedientia perfecta, eſt votum Thereſianum: ſed ſupra hoc eſt votum faciendi, quod cognoſcitur eſſe perfectius ex obedientia perfectiſsima, iuxta ea, quæ diximus num. 23. ergo ſupra votum Thereſianum aliquod aliud votum datur.

Reſpondetur. Nos illam diviſionem præmiſiſſe, ut fundamentum eorum, quæ infra dicenda ſunt, dum de voto emiſſo à Seraphic. M. N. ſermo habeatur. Mõdo autem ex ibi dicendis, reſpondetur, quòd votum faciendi omne melius ex

obe-

obedientia purè perfecta non est votum Seraphicum, nisi ad summum impropriè. Votum autem propriè Seraphicum est votum, quod Sanctissima Carmeli Reparatrix nuncupavit, & hoc fuit ex obedientia perfectissima, promittens non solùm facere perfectiora; sed etiam perfectiori modo. Et hoc votum est, de quo agimus, & quod est omnium votorum maximum.

§. II.

Argumenta.

27. COntra conclusionem arguitur 1. Votum solemne perfectius est voto simplici: sed votum Theresianum est simplex, ut vidimus num. 8. ergo superatur à voto solemni. Ergo non est maximum inter vota. Secunda consequentia liquet ex prima, quam præmissæ inferunt. Minor tradita à nobis est loco citato & maior probatur. Votum solemne & simplex specie differunt: ergo unum est alio superius. Sed superius non est simplex: ergo est solemne. Antecedens certum est, de quo videri debent N. Salmant. tract. 20. disp. 1. toto dub. 4. Primam consequentiam suadet dictum illud Philosophi, quod ferè in paræmiam abijt: *Species sunt sicut numeri*: quia sicùt numeri differunt essentialitèr, sic etiam species essentialitèr differunt. Ex quo minor subsumpta probata manet: quandoquidèm facta comparatione inter votum simplex, & solemne, si unum supponitur alio perfectius, nequit simplex superare, sed excedi.

Vt plurima non admodùm conducentia ad institutum præsens, omittamus, respondetur distinguendo maiorem, *perfectius est* in esse solemnis, concedo, in esse voti, nego maiorem. Ad probationem concesso enthymemate, distinguatur minor subsumpta tradita distinctione. Itaque in voto solemni aliud est solemnitas & aliud ratio voti. Solemnitas dicit perfectam, & absolutam traditionem voventis connotantem perfectam, & absolutam acceptationem eius, qui votum suscipit. Ratio voti in promissione Deo facta consistit. Soliditas huius doctrinæ indè liquet, quòd nemo definiens votum solemne in esse voti, alitèr illud definiet, nisi per promissionem. Si verò illud ut solemne explicare intendat ad traditionem modò explicatam recurrere, debet. Nos autem non comparamus votum Seraphicum cum omni ente creato, sed cum alijs votis secum in contrahendo rationem genericam voti conuenientibus & dicimus, quod inter differentias contrahentes huiusmodi concep um genericum, perfectior est differentia voti Theresiani. Tum: ob maiorem universalitatem explicatam in illa voce *de omni* positam in diffinitione. Tum etiam: ob perfectionem, cui ex parte modi operandi obligat voventem, ut vidimus num. 23. Hæ sunt propriæ rationes voti Theresiani, ex quibus resultat voti species reliquas aliorum votorum species excedentis. Solemnitas autem advenit voto in specie voti constituto: quamquàm essentialis sit voto solemni.

28. Dices. Ratio vinculi convenit voto solemni in ratione voti: sed in ratione vinculi superatur votum Theresianum à voto solemni: ergo in ratione voti. Maior certa est: quia votum ex intrinseca ratione voti est vinculum. Minor verò probatur ex D. Thoma 2. 2. q. 88. art. 7. ad 1. ubi ait: *Votum solemne habet fortiorem obligationem apud Deum, quàm votum simplex*: ergo &c.

Respondetur distinguendo maiorem, *ratio vinculi* incompleti, concedo. Completi, nego maiorem. Solutio est eiusdem D. Thomæ in 4. dist. 38. quæst. 1. art. 2. quæst. 2. dicentis: *Virtus autem voti est obligatio, quæ quidèm virtus est cõpletè in voto solemni, cuius obligatio in nullo casu irritari potest, sed est incompletè in voto privato, cuius obligatio in aliquo casu irritatur.* Cuius discriminis radicem detegit Quodlib. 3. artic. 18. ubi inquit: *Huius autem diversitatis ratio est, quia votum solemne habet promissionem cum quadam traditione:: Votum*

autem ſimplex habet promiſsionem ſine traditione. Igitur de conceptu eſſentiali voti eſt, quòd habeat rationem vinculi incompletè tali, hoc eſt, vinculum reſultans ex promiſsione. Et hæc ratio vinculi incompleti in quocunque voto, etiam ſimplici reperitur; quia quodcunque votum promiſsio eſt. Vltra quam addit votum ſolemne, quòd ſit actualis, & perfecta traditio rei promiſſæ. Hæc autem convenit voto ſolemni, quà ſolemne eſt.

Replicabis. In ratione vinculi ſuperatur votum ſimplex à voto ſolemni: ſed ratio vinculi non convenit voto ſolemni, quà ſolemni, ſed qua voti tationē habet: ergo in ratione voti votum ſolemne ſuperat votum ſimplex. Probatur minor. Ratio vinculi convenit voto ſolemni ex iure Divino, & quòd ſit ſolemne habet ex iure Eccleſiaſtico huius voti ſolemnitatē præſcribente: ergo. Probatur antecedēs pro 2. parte, in qua poterat difficultas conſiſtere, ex D. Thoma 2. 2. q. 88. art. 7. dicente: *Vndè ſolemnitas voti attenditur ſecundùm aliquid ſpirituale, quod ad Deum pertineat, ideſt, ſecundùm aliquam ſpiritualem benedictionem, ſeu conſecrationem, quæ ex inſtitutione Apoſtolorum adhibetur in profeſsione certæ regulæ.*

Reſpondetur conceſſa maiori, negando minorem. Ad probationem negetur antecedens pro ſecunda parte: votum quippè ſolemne ex ſe, & ab intrinſeco ſolemne eſt; quamvis ſolemnitas ipſius, ſeu formula, ſub qua ſolemnizatur ab Eccleſia fit. Et hoc eſt, quod D. Thomas aſſerit. Nec aliud docere potuit S. Doctor; cum in ipſius veriſsima, & ſolidiſsima ſentētia nequeat Eccleſia diſpēſare in votis ſolemnibus Religioſi ſtatus, nedùm cum perſeverantia Religioſi in Religioſo ſtatu (quod planè nugatorium eſt) ſed nec faciens quòd, qui Religioſus erat, Religioſus non ſit. Si namquè votum ab Eccleſia haberet, quòd ſit ſolemne per ipſius Eccleſiæ determinationem poſſet à conceptu ſolemnis denudari; ac per conſequens poſſet ipſius obligationem tollere. Conſiſtit ergo quidditas voti ſolemnis in prædicatis intrinſecis, & ex natura rei convenientibus ipſi voto ſolemni. Sed de his vide laudatos N. Salmant. accerrimè, ac nervoſiſsimè pro ſententia Div. Thomæ diſputantes, præſertim num. 54. & 93. in fine, & 95. immò toto dub. 6. & ferè tota illa diſputatione prima.

30. Arguitur 2. Votum Thereſianū poteſt commutari: ergo datur bonum melius, vel ipſi æquale: ergo non eſt maximum inter vota. Secunda conſequentia liquet ex prima. Si namque datur bonum melius, aut æquale ei, quod eſt materia voti Thereſiani; illud bonum voveri poteſt. Vndè illud votum erit vel ſuperius, vel æquale voto Seraphico ſecundùm ſuperioritatem, vel æqualitatem boni promiſsi. Prima conſequentia ex antecedenti nota eſt: loquimur enim de commutatione pura, quæ fieri nequit, niſi permutetur bonum promiſſum pro alio, vel ſine ambiguitate, ſuperiori, vel, ut minus, æquali. Antecedens autem, in quo difficultas viget, probatur *primò*: quia hoc eſt commune omni voto. Probatur *ſecundò*: quia votum, quod poteſt irritari, & diſpenſari, poteſt etiam commutari: votum Thereſianum poteſt irritari, & diſpenſari: ergo & commutari. Probatur maior. *Minùs eſt votum commutare, quàm in voto diſpenſare*, ait D. Thomas d. q. 88. ex 2. 2. eſt que ab omnibus receptum: ſed votum Seraphicum, ut dictum eſt, poteſt diſpenſari, quod eſt magis: ergo etiam poterit commutari, quod eſt minùs.

Ex ipſa diffinitione voti Seraphici, quam præmiſimus, liquet, negandum eſſe antecedens: quia ſi materia voti Thereſiani eſt omne bonum, non eſt bonum, quod ab ipſo non comprehendatur; cum extra omne bonum nullum bonum detur. Commutatio voti non aufert, nec ſuſpendit voti obligationem, ſed eius materiam permutat pro alia. *Si autem pro hoc quod obſervandum erat, aliquod aliud imponatur, dicitur commutatio voti*; ait Sanctus Thomas art. 10. illius quæſt. Cæterùm hoc, quod verum eſt in omni voto, ſupponente materiam

ſub-

subrogabilem, non est verum relatè ad illud votum, quod talem materiam supponere nequit, eò quod omnem materiam vovibilem comprehendit. Per quod patet ad primam antecedentis probationem.

Ad 2. probationem distinguatur maior, *potest commutari* si detur materia subrogabilis, concedo, si non detur, subdistinguo, quantum est ex parte potestatis ad commutandum, transeat: quantum est ex parte materiæ subrogabilis, nego maiorem, cuius probatio eisdem distinctionibus resolvatur. Irritatio, & dispensatio conveniunt cum commutatione in eo, quòd omnes debent supponere facultatem irritativam ad primam, dispensativam ad secundam, & ad tertiam commutativam. Discriminantur autem in eo, quòd irritatio, & dispensatio penitùs auferunt voti obligationem: quam in suo robore relinquit commutatio, quia tota ipsius novitas se tenet ex parte materiæ. Vndè stat benè, quòd votum sit irritabile, & dispensabile, & quòd non sit commutabile: quia potest contingere, quòd aliquod votum non supponat materiam subrogabilem in locum materiæ promissæ, ut de facto evenit in voto Theresiano: quocircà hoc votum commutabile non est ex defectu materiæ subrogandæ; quamquàm non ex defectu potestatis; hæc tamen non habet materiam, in qua exerceatur. Ipsum etiam Theresianum votum est irritabile, & dispensabile: quia cum irritatio, & dispensatio non egeant materiâ subrogandâ, sed voti obligationem è medio tollunt, propterea suppositâ facultate, potest irritari, aut dispensari. Et hinc clarè liquet sensus D. Thomæ dicentis, minùs esse commutare votum, quàm illud dispensare: quia, videlicèt, dispensatio votum cassat, quod relinquit in suo robore commutatio.

31. Contra hanc tamen doctrinam est gravis obiectio. Etenim votum Theresianum potest commutari in votum Religionis: ergo doctrina data ruit. Probatur antecedens: quia sic sentire videntur communissimè Theologi suum Principem sequuti, qui 2. 2. q. 88. artic. 12. ad 1. & q. 185. artic. 8. ad 2. & q. 189. art. 5. ad 3. & art. 7. in corp. & in 4. dist. 38. q. 1. art. 4 q. 4. & Quodlib. 3. art. 18. ad 2. constantèr affirmat, quod omnia vota ante professionem Religiosam facta cessant adveniente professione. Quod adeò universalitèr plures intelligunt, ut asserant (quod iam supra diximus) quòd etiam si professus non habeat intentionem liberandi se ab illis votis; immò etiam si contrariam intentionem habeat, emissa professione, liber manet ab omnibus illis: ergo etiamsi unum ex illis votis sit votum Theresianum, hoc votum emissa professione cessat.

Pluribus huic obiectioni occurrere possum, & primò respondeo interrogans: si votum Seraphicum emittatur à persona iam Religiosa, uti illud emisit Sanctissima Theresia, vel à persona Religionem ingredi haùd potente, est ne votum commutabile? Si affirmes, debes assignare bonum, in quod commutari possit: & tale bonum diversum esse debet à bono status Religiosi, quem vel iam professus est, vel professeri non potest, qui votum Theresianum emittit. Si neges: fateri cogeris voti huius celsitudinem, quod propter sui illimitatam perfectionem in tot casibus commutabile non est.

Respondetur 2. Nostrum assertum procedere de voto Theresiano comparato cum alio quocumque voto seorsim sumpto, non cum omnibus simùl, aut cum omnibus illis, quæ inter omnia alia perfectiora sunt: qualia esse vota Religiosorum, supra diximus. Vndè & si vota Religionis eminerent supra voti Seraphici perfectionem, nihil indè contra nos colligeretur. Et observare debes, quòd si à votis Religiosis unum, quodcunque illud sit, demas, non manet status Religiosus, ut scitè observare adducti Salmant. nostri num. suo 81. ex quo iam incipit apparere tertia, & directa factæ obiectionis solutio.

Respondetur 3. Vota Religiosa esse

se de se constitutiva status Religiosi, dicere perfectam, & absolutam traditionem ex parte voventis, & acceptationem absolutam, & perfectam admittentis professionem. Vndè solemnia sunt: ac de votis solemnibus iam diximus in solutione ad primum, quòd sunt perfectiora voto simplici: quare præsens difficultas rectè intellecta nihil supra illam addit. Nostrum enim assertum confert votum Theresianum cum omnibus alijs votis in ratione votorum, non in conceptu solemnium: atque ideò ex hac parte nullatenùs labefactatur.

32. Dices. Vota simplicia emissa in sacra societate nullam solemnitatem dicunt: sed in illa potest commutari votum Theresianum: ergo independentèr à solemnitate queit hoc votum in votum Religionis commutari. ¶ Respondetur primò vota illa esse dispositiones ad vota solemnia: non enim, qui illa emittunt, eo animo emittunt, ut ibi sistant. Et ex hac parte non abnuam, illa vota eminere, quatenùs sunt dispositiones ad illa, quæ ex se, & ab intrinseco sunt absolutè constitutiva status simplicitèr Religiosi. Nostra comparatio procedit de voto ad vota in vi votorum; non autem in vi dispositionum ad vota intrinsicè, & ex se solemnia. ¶ Respondetur 2. negando maiorem. In ijs enim votis nonnulla solemnitas adest, quatenùs datur traditio ferè absoluta ex parte promittentis, qui, ijs emissis, nequit à Religione, nisi apostatando recedere. Et ex parte Religionis datur aliqua acceptatio: quatenùs non potest illos expellere, sine gravi superveniente motivo. Qua verò parte vota hæc dicunt illã qualem qualem solemnitatem superiora esse, permittimus. Hæc autem diximus sumentes replicam istam ratione formæ, prout scilicèt comparat votum Theresianum ut simplex cum alijs; si verò sermo sit de voto Theresiano: ut Seraphicum est, eius genuina solutio à fortiori liquebit ex adhuc dicendis ad principalem obiectionem. Cuius directa responsio licèt sit illa, quam tertio loco dedimus in fine numeri antecedentis, si ratione formæ intelligatur: verumtamèn si sumatur ratione materiæ, idest, quatenùs votum simplex, quod solemnibus comparatur, est votum Seraphicum; tunc multa dicenda superfunt huius cælestis voti celsitudinem demonstrantia, quæ idcircò prætermittere non valemus. Vndè.

33. Respondetur 4. ad obiectionem, quòd ligatus voto Theresiano vel iudicat sibi esse melius hic, & nunc nuncupare vota Religiosa; vel non? Si non: debet abstinere à votis Religiosis, ne illa emittens infringat votum, quod habet faciendi sempèr quod hic, & nunc perfectius esse, cognoscat. Nec potest Deo accepta esse promissio facta cum violatione alterius acceptatæ ab ipso: & consequentèr recens illa promissio non esset votum, quod debet esse promissio de re accepta Deo. Si iudicat esse perfectius emittere Religiosam professionem, illam emittere debet; saltem in votum faciendi, quod est melius, peccabit. Vndè ad ipsam professionem emittendam movetur in vi voti Theresiani. Sed nunquid dùm iste suam professionem emittit, repromittit ipsum Theresianum votum illud in professione solemnizans; aut emittit vota illa obedientiæ sufficientis, castitatis, & paupertatis, quæ ab omnibus Religiosis emittuntur? Hoc est istius difficultatis præcipuum, & immediatum caput, ad quod.

Respondeo, quòd iste, de quo loquimur, non potest emittere vota illa obedientiæ sufficientis &c. quæ regulariter in professionibus nuncupantur: sed debet votum Theresianum repromittere illud perfectà, & absolutà sui traditione secũ dùm determinatam regulam solemnizans. Moveor primò: quia dum iste accingitur ad professionem faciendam, adhùc ligatus est voto Theresiano: ergo virtute illius debet facere quod perfectius esse, existimaverit. Ergo debet offerre in sua professione obediẽtiam, castitatem, & paupertatem perfectas. Ergo non potest offerre sufficientes, seu non

per-

perfectas. Tertia consequentia constat ex secunda: qui enim ad melius tenetur, deficit, si offerat minus bonum. Secunda consequentia liquet ex prima; quia ex se notum est, quod eæ virtutes ut perfectæ superant se ipsas, ut non perfectas, seu sufficientes ad salutem. Primam consequentiam suadet antecedens, quod manifestum est: quia tunc non adhùc intelligitur aliquid, quod eximere illum hominem queat ab obligatione voti Seraphici, quod emisit.

Moveor 2. Quia si aliquid liberaret à voto Theresiano, maximè vota Religionis, quæ in instanti sequenti emittet: sed hæc non possunt impedire voti Theresiani vim: ergo. Maior certissima est, probo minorem primò: quia illa vota non adhùc dantur: ergo cum nihil possit causare, antequàm sit; si illa vota in eo instanti non sunt, in illo causare nequeunt; secùs enim ex nihilo fieret aliquid: quod in materia, de qua agimus, absurdum ingens foret. Et etiam effectus, non iam naturà, sed tempore causam præcederet. ¶ Probo minorem 2. Vota Religiosa, ut regularitèr nuncupata, neutiquàm possunt extinguere obligationem voti Theresiani: ergo sive præcedant, sive non, vanus est recursus ad illa. Probatur antecedens. Virtus inferior non potest extinguere superiorem: ergo virtus votorum regularitèr in professione emissorum, quæ inferior est, nequit extinguere virtutem voti Theresiani, seu obligationem, quam inducit.

35. Si dicas. Extingui votum Theresianum à votis Religionis, ut regularitèr emissis, non ut vota sunt, sed ut solemnia sunt, & status perfectionis constitutiva: qualitèr excedere votum Seraphicum, certum est, à nobis que concessum.

Contra hoc disputo sic primò. Quia per hoc nõ occurritur inconveniẽti, quod repræsentavimus, videlicèt, quod vota illa influerent, ante sui emissionem; ac subindè antequàm essent. ¶ Disputo 2. & urgentèr. Tunc vota illa extinguerent Theresianum, quandò hoc non esset compatibile cum perfectione illa, in qua ipsum excedunt vota alia: sed ipsum est planè compatibile, cum illa perfectione; potest enim solemnizari, & constituere statum Religiosum, ut supra diximus: ergo. Minor liquet, tum ex supradictis. Tum ex se: quia non apparet motivum, ob quod professus non offerat in sua professione, aut possit offerre obedientiam, castitatem, & paupertatem perfectas, quod idem est, ac promittere votum Theresianum, in quo eæ perfectæ virtutes & quicquid melius est, continentur. Maior autem probatur. Quoniam si ille professus non posset coniungere perfectionem voti Theresiani cum perfectione status Religiosi, posset quidèm ut istam haberet, deserere illam; perfectionem perfectione compensando, & in eam commutando: ergo tunc vota illa Theresianum extinguerent.

Disputo 3. Professus ille virtute voti Seraphici, quo ligatus est, debet facere, quod perfectius est: ergo debet emittere professionem perfectiorem. Ergo in illa debet emittere votum obedientiæ perfectæ. Cætera constant, & ultima consequentia probatur. Quoniam professio, in qua nuncupatur votum obedientiæ perfectæ, perfectior absdubiò est, quàm professio, in qua emittitur votum obedientiæ sufficientis. ¶ Disputo tandèm, & magis hoc ipsum explico. Ligatus Theresiano voto tenetur facere, quod perfectius est in ijs, quæ statum non constituunt, & etiam, & maximè in ijs, quæ status constitutiva sunt: sed quia tenetur ad melius in alijs peccat, si relicto perfectiori, faciat, quod minus perfectum est: ergo quia tenetur melius facere in ijs, quæ sunt constitutiva status, debet eligere perfectiorem professionem. quæ, ut diximus, illa est, in qua vovetur obedientia perfecta, castitas & paupertas paritèr perfectæ, quod idem est, ac vovere votum Theresianum.

36. Dices. Ligatus Theresiano voto, si

si in vi illius teneatur ad statum Religiosum transire, non tenetur ad eligendam perfectiorem Religionem: ergo nec professionem magis perfectam. Antecedens videtur certum, & consequentia probatur primò à paritate. Secundò: quia perfectio, quæ deest voto Seraphico, & quam illud habens solicitat, est perfecta suipsius traditio, quæ habetur in professione, in qua vota solemnia nuncupantur: sed per professionem Religiosam, in quacunque Sacra Religione regulari modo factam, fit perfecta, & absoluta voventis traditio, & nuncupantur vota solemnia: ergo. ¶ Tertiò: quia unanimis Theologorum consensus, & tot D. Thomæ authoritates allegatæ num. 31. in id conspirant, quòd per vota Religionis approbatæ, quæcunque illa sit, extinguuntur vota omnia, particularia præcedentia professionem, regulari utiquè modo factam: sed votum Theresianum est quoddam votum particulare, contentum sub omni voto: ergo illo ligatus, si transeat ad Religionem, non tenetur ad professionem magis perfectam.

Respondetur concesso antecedenti, negando consequentiam. Discrimen est illud, quod assignatur in secunda consequentiæ probatione, ad quam concedimus præmissas, & negamus consequentiam, quæ ex illis præmissis non legitimè infertur. Itaquè sæcularis habens votum Seraphicum non caret perfectione voti; immò nec perfectione absolutè: nequit enim illud votum nuncupare, nisi qui perfectus est. Caret tamen perfectione status; quia status sæcularis vitæ perfectus non est. Ista autem status perfectio in quacunque ex Sacris Religionibus reperitur. Vndè in quacunque profiteatur, perfectionem illam obtinet, quam desiderat; ac propterea non tenetur ad profitendum in Religione perfectiori. Cæterùm attendi debet, quòd iste non solùm obligatur ad solicitandam perfectionem status, sed etiam ad non deserendam voti perfectionem, quam habet in ijs, quæ compatibilia sunt cum statu perfecto, quem assumit. Est autem prorsùs compatibile cum quacunque Religione, ad quam transeat, quod emittat votum obedientiæ perfectæ, ut dictum est: ergo quamquàm possit in quacunque Religione profiteri, non debet quocunque modo emittere professionem. Per quæ patet ad primam illius consequentiæ probationem. Patet etiam ad secundam, cuius consequentiam negandam esse, diximus: vel claritatis gratia distinguatur maior: *solicitat*, quin amittat perfectionem voti, quod habet, concedo, cum amissione illius, nego maiorem. Termini ex dictis patent.

37. Superest, ut ad 3. probationem, quæ in hac materia caput est, respondeamus. Omnia D. Thomæ loca, quæ dicto num. 31. recensentur, lustravi, & nihil in illis reperio, quòd sententiam mutare faciat; immò in illis plura sunt, quæ in proposita doctrina perseverare, compellant. Res maximæ entitatis est, meæ tibi est prolixitati parcendum. Incipio ab ultima authoritate, quæ est ex Quodlib. 3. & sic se habet. *Si post votum abstinentiæ* (aliquis) *sui ipsius potestatem alteri tradit Religionem intrando, absque peccato potest ieiunium solvere secundùm obedientiam Prælati, & observantiam Religionis; quia per votum solemnizatum ab alijs votis absolvitur.* Nolo in his immorari explorans, quæ sint illa vota, quæ absolvuntur *per votum solemnizatum*: quia hæc declaratio relinquenda est ipsi Doct. Angelico in subijcendis locis.

Transeamus ad 2. 2. & ibi in art. 7. quæstionis 189. invenimus Sãctum Thomam dicentem: *Respondeo dicendum, quòd, sicùt supradictum est, obligatio voti perpetui, præfertur omni alij obligationi.* Videlicèt non perpetuæ, nec voto firmatæ: hoc enim expostulat doctrinæ contextus, & materia, de qua ibi agitur. Agit quippè de Præsbyteris Curatis, de quibus docet, posse pro sua electione ad Religionem transire; quia munus, cui inserviunt, non est firmatum

voto.

voto. Sed quia poteſt aliquis vim facere in ly *omni alij obligationi*, ſub quo omnes aliæ præcedentes continentur: idcircò & nos vim facientes in ly *ſicùt ſupra dictum eſt*, tranſibimus ad videndum quomodo hoc ſupra D. Thomas edocuerit.

Ordine retrogado ſequitur art. 5. eiuſdem quæſtionis, in quo nihil eſt, quod præſenti materiæ deſervire queat. Forsàn Impreſſor erravit, & poſuit art. 5. pro art. 3. ubi ait. Doct. Sanct. *Ad 3. dicendum, quòd votum Religionis, cum ſit perpetuum, & maius, quàm votum peregrinationis terræ ſanctæ, quòd eſt temporale.* Vbi votum temporale poſtponitur perpetuo. Ex quo infertur quòd votum Thereſianum, ſi ad tempus emittatur, prout poſſe fieri diximus num. 8. cedat voto Religionis, ob huius perpetuitatem. De voto autem Seraphico perpetuo nihil in hoc textu determinatur.

Sequitur eodem ordine articulus 8. ex quæſt. 185. ubi ait D. Thomas. *Ad 2. dicendum, quòd vota ſæcularis vitæ ſe habent ad vota Religionis ſicut particulare ad univerſale, ut ſupra habitum eſt: particulare autem ſuperfluit habito univerſali.* Vbi clariſsimè dicitur, quòd omnia vota particularia, qualia ſunt *vota ſæcularis vitæ*, intellige, quæ communitèr fieri ſolent, ſuperfluere, ſeu ceſſare adveniente voto Religionis, in quo ratione obedientiæ continentur omnia vota anteactæ vitæ. Vndè ſi adſit aliquod votum, quod propter ſui perfectionem, & illuminationem non contineatur in voto obedientiæ ſufficientis, ſed potiùs hoc contineatur ab illo. De tali voto non poterit intelligi Div. Thomas. Ex omnibus ſupradictis perſpicuè patet, votum Seraphicum, ſeu votum obedientiæ perfectæ continere votum obedientiæ ſufficientis, & ad illud addere: quocirca iuxta hanc D. Thomæ doctrinam firmitèr tenendum eſt, quòd in concurſu voti obedientiæ perfectæ, ſeu voti Thereſiani ſuperfluit votum obedientiæ ſufficientis, & alia vota Religioſa, proùt regulariter nuncupantur: *Particulare autem ſuperfluit habito univerſali.* Verùm quia D. Thomas inquit: *Vt ſupra habitum eſt*, videre oportet, quid dixerit ſupra.

Sumus iam in quæſt. 88. eiuſdem 2.2. ubi tanquàm in ſede propria Ang. Mag. de voto agit: in ea enim artic. 12. ait. *Ad 1. ergo dicendum, quòd omnia alia vota ſunt quorundam particularium operum. Sed per Religionem homo totam vitam ſuam Dei obſequio deputat. Particulare autem in univerſali includitur; & ideò Decretalis dicit, quòd reus voti fracti non habetur, qui temporale obſequium, in perpetuam Religionis obſervantiam commutat. Nec tamen Religionem ingrediens tenetur implere vota, vel ieiuniorum, vel orationum vel aliorum huiuſmodi, quæ exiſtens in ſæculo fecit: quia Religionem ingrediens moritur priori vitæ. Et etiam ſingulares obſervãtiæ Religioni non competunt, & Religionis onus ſatis hominem onerat, ut alia ſuperaddere non oporteat.*

His prorsùs ſimilia ſunt, quæ idem Ang. Mag. docet loco in eadem obiecne adducto ex ſententiarijs, cuius 4. quæſtiunculam diximus ſupra omnia hæc exornaturam: quocircà eius verba exhibemus. In corpore ait: *Cum homo per votum Deo ſe obliget, non poteſt fieri immutatio voti, niſi interveniat conſenſus eius, qui vicem Dei gerit in terris, ſcilicèt Prælati, niſi forte unum votum ab alio includatur. Et quia votum Religionis includit omnia alia vota, tum ratione perpetuitatis, tum ratione obedientiæ, qua homo voluntatem ſuam Deo tradit, per quam ſui, & omnium dominus eſſe poteſt; ideò ille, qui aliquod votum temporale fecit, poteſt non requiſita alicuius Prælati diſpenſatione Religionem intrare, non obſtante voto præcedente, quod ingreſſum Religionis impediret; putà peregrinationis, vel alicuius huiuſmodi.* Similia ſunt, quæ docet ad 1. ubi tota vitæ ſæcularis per votum Religionis potiùs ampliari, quàm commutari, ait, ut iam ſupra obſervabamus. Ad 2. repetit eandem doctrinam,

quam ex allegato art. 12. tradidimus.

37. Ex quibus omnibus notum est, D. Thomam dividere vota in temporalia, & particularia ex una parte, & ex alia ponit votum Religionis, quod ratione perpetuitatis includit temporalia, & ad illa addit, & ratione obedientiæ includit particularia, seu ad particulares obligationes inducentia, & addit ad illa; & quia *particulare in universali includitur*, sicùt temporale in perpetuo: idcircò Religionis votum, quà perpetuum, includit vota temporalia, *putà peregrinationis, vel alicuius huiusmodi*: quarè hæc vota temporalia in concursu voti Religionis superfluunt; eò que cassantur, seu ampliantur. Pariformitèr vota vitæ sæcularis obligantia ad particularia includuntur in voto Religionis, quod obligat ad omnia, quæ in regula continentur: & ideò per votum Religionis ampliantur. Vndè in eius concursu superfluunt. Et aliúndè horũ omniũ votorum singularitas non est admodùm accepta familijs Religiosis: neque in illis degentibus est adeò facilis, sicùt sæcularibus, illorum votorum observatio: quocircà omnia illa cessant accedente voto Religionis. Hæc est sanissima, solidissima, & verissima D. Thomæ doctrina, quam tot illis authoritatibus docet; illas que omnes idcircò ante oculos tibi posui, ut videas, quòd in omnibus illis nihil aliud diversum ab eo, quod diximus, continetur.

38. In ijsdem authoritatibus nihil invenitur, quod nostræ determinationi obsit: immò plura, quæ prosunt, reperiuntur. Et ab ultimo incipiens: non est in sæculo maior aptitudo, sed multò minor ad observandum votum Seraphicum, quàm in Religione: cui nociva esse nequit singularitas voti Theresiani; cum omnes in illa obediant: & plurimi obedientiâ sufficienti non contenti, perfectam obedientiam, quamvis sine voto, servent. Vndè ex his duobus capitibus ipsa D. Thomæ doctrina edocemur ad excipiendum cæleste hoc votum à communi illa Theologorum sententia: qui, si de illo specialitèr agerent, idipsum, quod nos diximus, docturos esse, credimus. Rursùs: votum Theresianum non est temporale (de hoc quippè loquimur) quare votum Religionis, quà perpetuum, illud includere nequit. Prætereà. Votum Theresianum non est particulare, sed universale, & magis universale, quàm votum obedientiæ sufficientis, quantum superat obedientia perfecta, se extendens ad omnia, quæ sunt iuxta regulam, & supra ipsam, obedientiam imperfectam, quæ regulæ limites minimè prætergreditur. Vndè votum Theresianum non includitur in voto obedientiæ sufficientis; sed è conversò votum obedientiæ sufficientis includitur, tanquàm in universaliori in voto Theresiano: eò que illud in huius concursu superfluit.

39. Ex his omnibus ad summam redactis, rectè colligitur, quòd si sæcularis voto Theresiano ligatus velit ad Religionem transire, benè facit, & eius resolutio celebranda est. Desiderat enim magnam status perfectionem, qua caret, quam in Religionem absdubiò comparabit. Debet tamen in ea Religione deponere, quæ cum statu Religioso incompatibilia sunt: cuiusmodi est status sæcularis, vestitus, & alia huiusmodi. Ex ijs verò, quæ compatibilia sunt cum statu, quem assumit, relinquere etiam debet, quæ cum illo statu superfluunt, ut sunt vota temporalia, & particularia, si quæ habet, aut habere potest: nam ista, vel ipso nolente cessant, ut dictum est, & etiam assignatæ sunt rationes ob quas cessant. Votum autem Theresianum relinquere, fas sibi non est: & quia tale votum melius observabitur in Religione; & quia huic odiosa non est eius singularitas, sed potius æmulanda; & quia ipsum non includitur in votis Religiosis, nec ratione perpetuitatis, quia & ipsum perpetuum est, nec ratione universalitatis; cum ipsum universalius sit, nec propter quancunque aliam rationem. Vndè iuxta suum votum Seraphicum procedens debet emittere pro-

fes-

feſsionem perfectiorem ; eò que debet in illa nuncupare vota obedientiæ perfectæ, & caſtitatis, ac paupertatis paritèr perfectarum.

40. Arguitur 3. Martyrium eſt materia perfectior, quàm materia voti Seraphici : ergo votum martyrij perfectius eſt voto Seraphico. Patet iſta, quia à perfectione rei promiſſæ deſumitur perfectio voti. Antecedens autem probatur. Materia voti Seraphici eſt materia obedientiæ, ut multotiès dictum eſt, ſed martyrium excedit obedientiam: ergo. Probatur minor ex D. Thoma 2. 2. q. 124. art. 3. ubi ait: *Ad 2. dicendum, quòd martyrium complectitur id, quod ſummum in obedientia eſt, ut ſcilicèt aliquis ſit obediens uſquè ad mortem, ſicùt legitur de Chriſto ad Philip. 2. quòd factus eſt obediens uſquè ad mortem. Vndè patet, quòd martyrium ſecundùm ſe eſt perfectius, quàm obedientia abſolutè dicta*: ergo.

Reſpondetur negando antecedens, ad cuius probationem diſtinguatur maior, *obedientiæ* perfectæ, concedo, ſufficientis, nego maiorem. Hæc diſtinctio ex dictis nota eſt, illàque utitur Div. Thomas in authoritate obiecta, ubi ait: *Summum in obedientia, & obedientia abſolutè dicta.* Et quamvis aſſerat, quòd *martyrium ſecundùm ſe eſt perfectius, quàm obedientia abſolutè dicta*; hoc eſt, obedientia ſufficiens ad ſalutem : non dixit hoc de obedientia perfecta, ſeu de eo, *quod ſummum in obedientia eſt, quod martyrium complectitur*, ut actus perfectiſsimus perfectiſsimæ obedientiæ uſque ad mortem obtemperantis. ¶ Aliundè autem hoc argumentum nihil probat ; quia martyrium eſt aliquod bonum particulare : quocircà comprehenditur ſub voto Thereſiano, quod omne, quod melius eſt reſpicit, & omne illud, tanquàm propriam ſui materiam comprehendit. Vndè habens votum Thereſianum, coipſo habet votum moriendi pro Chriſto, quotiès occaſio poſtulaverit ; ſaltem voti Seraphici quo ligatur, fractor erit. Per quæ patet ad argumentum, & ad omnia, quæ adducit Pat. Torrecilla tom. 3. Conſult. Moral. pag. 309.

****

QVÆSTIO TERTIA.

VTRVM OPERARI EX VOTO THERESIANO melius ſit, quam operari ſine illo?

AD pleniorem notitiam voti Thereſiani, cuius elucidatione incumbimus, maximoperè conducit deciſsio huius quæſiti, quod brevitèr abſolvemus.

§. I

Vera ſententia proponitur, & probatur.

41. SIt noſtra concluſio affirmativa, quam eſſe de mente Div. Thomæ non dubitamus, ut in ſequentibus oſtendemus. Probatur ergo aſſertio ijs omnibus rationibus, quibus magis laudabile, ac meritorium eſſe, operari ex voto, quàm ſine voto probat D. Thomas opuſc. 17. & 18. cap. 12. & 3. contra Gentil cap. 138. Quodlib. 3. art. 11. & 12. & 2. 2. q. 88. art. 6. & alibi : omnes quippè diſcurſus illi probant aſſertum noſtrum, ut quiſque ſine labore cognoſcere valet. Ex quibus omnibus hæc brevis, efficax tamen ratio pro ſuadenda aſſertione deſumitur. Etenim operari ex voto circa determinata conſilia melius, & laudabilius eſt, quàm operari ſine voto : ergo operari ex voto circa omnia conſilia melius, & laudabilius eſt, quàm ſine voto operari. Ergo & opera-

ri ex voto Thereſiano. Secunda conſequentia liquet, quia votum Thereſianum, ut patet ex eius definitione, eſt de omni meliori bono, ſeu de omni conſilio Evangelico. Antecedens in præſenti debet ſupponi, illud que nervoſiſsimè, ac fuſiſsime probat D. Thomas locis citatis. Conſequentia autem prima probatur primò à paritate. Si namque conſilia aliqua determinata ex voto ſervare eſt laudabilius; ſimilitèr laudabilius erit, ligari ex voto ad obſervanda omnia conſilia. ¶ Probatur 2. operari ex voto circa aliqua conſilia non eſt laudabilius, quia votum illud reſpiciat hæc, aut illa conſilia, ſed quia ex ſe, & ab intrinſeco opus ex voto melius eſt, quàm ipſum opus ſine voto: ergo opus illimitatæ perfectionis, quale eſt opus voti Thereſiani, laudabilius eſt cum illo, quàm ſine illo. Patet iſta. Quia hic invenitur id, à quo eſſentialitèr provenit, quòd opus ſit laudabilius, nempè votum.

42. Confirmatur, & ſimùl declaratur ratio facta. Voluntas poteſt adimplere omnia conſilia; ita ut nullum ex plena deliberatione violet: ergo poteſt hoc vovere. Ergo eius opera ex voto illo procedentia laudabiliora ſunt, quàm ſine voto. Antecedens conſtat. Quia voluntas poteſt duci obedientiâ perfectiſsimâ, quæ quidèm omnium conſiliorum impletionem procurat, uti ſcitiſsimè ac dulciſsimè docet Div. Bernard. de præc. & diſp. cap. 9. dicens: *Subiectus huiuſcemodi obedientiam, quæ voti finibus cohibetur, noverit imperfectam: nam perfecta obedientia legem neſcit, terminis non arctatur, neque contenta anguſtijs profeſsionis longiori voluntate fertur in altitudinem charitatis, & ad omne, quod iniungitur ſpontaneo vigore liberalis, alacris que animi (modum non conſiderans) in infinitam libertatem extenditur. Hæc eſt illa, de qua ſignanter Apoſt. Petrus: caſtificantes, inquit, corda veſtra in obedientia charitatis pulchrè ipſam per hoc ſequeſtrans ab illa inerti, & ſervili obedientiâ quodammodò, nec charitati prompta ſed obnoxia neceſsitati.* Hæc eſt illa obedientia, quàm, ut ſuprà vidimus, appellat perfectam Div. Thomas, de quaquè docet 2. 2. q. 104. art. 5. ad 3. quòd *pertinet ad cumulum perfectionis.* Hæc eſt obedientia, cuius univerſaliſsimum, &, ut Div. Bernardus ait, infinitum territorium ex Dei adiutorio, pede ex plena deliberatione inoffenſo, luſtrat, qui ad culmen perfectionis aſcendit, uti de ſeipſa teſtatur Expertiſsima M. N. quæ cum Deo alloquens lib. vitæ cap. 6. ait: *Aliquot anni ſunt, Domine, quòd tu, quantum cognoſcere poſſum, me tua manu tenes, & quòd me video cum deſiderijs, & determinationibus (& aliqualitèr his annis, non paucis in rebus per experientiam probavi) nihil, quantumvis exiguum, faciendi contra voluntatem tuam; quamquàm ignorantèr me tuam Maieſtatem frequentèr offendere, pro comperto habeam. Videtur quoque mihi quod nihil mihi ocurrere queat, quod ob tui amorem magna reſolutione non ſuſtineam.* Hæc Sanctiſ. Doctrix, quibus affatim manifeſta eſt veritas illius antecedentis.

Et ex hoc manifeſta eſt etiam bonitas conſequentiæ indè illatæ. Quia ſi hoc facere eſt bonum adeò ſublime & voluntati Divino amore flagranti poſſibile: non eſt dubium, quin voveri queat. Hineque probatur primò ſecunda conſequentia. Nam votum aliquam laudabilitatem addit actui, qui vovetur, & ex ſe laudabilis erat: ergo accedente laudabilitate voti Seraphici laudabilior evadit. Probatur *ſecundò.* Ex hoc quòd actus laudabilis elevetur ad claſſem virtutis ſuperioris, evadit laudabilior: ſed accedente voto Thereſiano actus de ſe perfectus, & laudabilis elevatur ad ſpeciem Religionis, quæ inter omnes morales præcipua eſt: ergo. Probatur *tertiò.* Actus procedens à voluntate firmata in bono laudabilior eſt actu procedente à voluntate non firmata, ſicùt actus vituperabilis abominabilior eſt, ſi procedat à voluntate obſtinata: ſed votum

tum Thereſianum firmat voluntatem circa omne bonum: ergo actus procedens ex voto Seraphico laudabilior eſt actu non procedente ex illo. Probatur *tandèm*. Actus eò laudabilior eſt, quò magis recedit à contrario: ſed accedente voto Thereſiano, actus virtutis magis recedit à contrario; quandoquidèm votum iſtud infringitur per venialia, & imperfectiones ex plena deliberatione commiſſas: ergo. Et quia ratio facta cum ſua confirmatione aſſerti veritatem clariſsimè perſuadent; idcircò ab alijs diſcurſibus in id tendentibus abſtinemus.

§. II.

Argumenta.

SIcùt omnia, quibus Sanctus Thomas locis allegatis ſuadet, quòd opus ex voto quocunque factum eſt magis laudabile, ac meritorium quàm opus non procedens ex voto, deſerviunt ad firmandum noſtrum aſſertum, ex ijs quæ reipſa illud ſtabilire conati ſumus: ſic etiam omnia illa, quæ in illam Ang. Præcept. doctrinam militant, noſtræ aſſertioni ab lubiò refragantur. Intentum tamen noſtrum erit, non omnia argumenta, ſed quæ in votum Seraphicum immediatè militant, adducere. Pro ijs verò, quæ in quolcunque votum opponi poſſunt, Lectorem remittentes ad opera D. Thomæ locis illis, quæ ſupra obtulimus.

43. Igitur contra concluſionem arguitur 1. Quoniam Eccleſiaſt. capit. 5. verſ. 4. dicitur: *Melius eſt non vovere, quàm poſt votum promiſſa non reddere*: ſed votum Thereſianum expoſitum eſt imminenti periculo non reddendi: ergo opus ex ipſo factum non eſt melius. Patet iſta: quia melius, & laudabilius eſt, operari cum remotione à periculis ingruentibus, quàm cum illis operari. Minor autem probatur. Quia votum Thereſianum ex ſe eſt ſummè arduum, petit que vires robuſtiſsimas, quibus per labem originem natura humana denudata eſt; & aliundè vel minima imperfectione infringitur tale votum, ut ſæpè ſæpius dictum eſt. Nequit ergo eſſe magis laudabile, ac meritorium cum his diſcriminibus operari.

Confirmatur, & declaratur vis huius argumenti. Ex duobus operibus eſt laudabilius, quod magis accedit ad prudentiam: ſed magis accedit ad prudentiam opus non procedens ex voto Thereſiano, quàm opus ex eo procedens: ergo hoc non eſt illo laudabilius. Probatur minor *primò* ex modo dictis de voti materia penè incomprehenſibili, ac de naturæ virtute exigua. Probatur *ſecundò*. Quia votum Thereſianum expoſitum eſt propter dicta innumeris ſcrupulis, & cruciatibus conſcientiæ. Tùm propter infenſiſsimos animæ hoſtes. Tum propter paſsionum inquietantes tumultus. Tum, & præcipuè propter facilitatem, qua votum illud violatur. Quæ omnia evincere videntur, prudentius, conſultius, & laudabilius eſſe operari ſine illo voto, quàm ex eo operari.

Ad argumentum reſpondetur diſtinguendo minorem. *Expoſitum eſt* &c. ex defectu voventis, concedo, ex ipſo voto, nego minorem. Solutio eſt D. Thomæ 2. 2. q. 88. art. 4. ad 2. ubi ait: *Periculum autem voventium non imminet ex ipſo voto, ſed ex culpa hominis, qui voluntatem mutat. Undè Auguſt. dicit in eadem epiſt. Non te voviſſe pœniteat: imò gaude iam tibi ſic non licere, quod cum tuo detrimento licuiſſet.* Si autem periculum illud ex ipſo Thereſiano voto eveniret, tunc non ſolùm non eſſet laudabilius operari ex eo; ſed nec laudabile foret: quod ante verba exhibita dixerat elegantiſsimè D. Thomas ſic: *Quandò periculum naſcitur ex ipſo facto, tunc factum illud non eſt expediens: putà ſi quis per pontem ruinoſum tranſeat fluvium. Sed ſi periculum immineat ex hoc, quòd homo deficit ab illo facto, non deſinit propter hoc eſſe expediens. Sicùt expediens eſt aſcendere equum, quamvis periculum immineat cadendi ex equo. Alioquin oporteret ab omnibus*

bus bonis ceſſare, quæ etiam per accidens ex aliquo eventu poſſunt eſſe periculoſa.

Datis Sancti Thomæ verbis, quibus planè argumentum, & eius confirmatio conteruntur, annectare placuit teſtimonium graviſsimum Eximij Pat. Suarez lib. 1. de Relig. tract. 6. cap. 18. dicentis: *Ad difficultatem de periculo reſpondetur*: ex voto nullum naſci morale periculum: quia ſola obligatio rectè operandi non conſtituit hominem in periculo: alioqui, ut rectè intulit Ambroſ. lib. de vid. propè finem: *Ergo nemo militet, ne aliquandò vincatur: nec pedis utatur obſequio, qui cadendi periculum reformidat: nec oculi intendat officio, qui concupiſcentiæ timet lapſum.* Hoc ergo periculum, ſi prudentia in vovendo ſervetur, moralitèr loquendo, nullum eſt. Cum autem abſolutè dicimus, expediens eſſe vovere, loquimur, ut par eſt, ſervatis prudentiæ legibus. Hæc autem prudentia non debet eſſe tantùm ſecundùm hominem, ſed ſecundùm Deum, ut non plus de humana fragilitate timeat, quàm de divina virtute confidat. Vndè Auguſtin. in Pſal. 75. cum dixiſſet: *Non ſitis pigri ad vovendum, non enim viribus veſtris implebitis.* Subiungit: *Deficietis, de vobis præſumitis: ſi autem de illo, cui vovetis, vovete, ſecuri reddetis.* Deniquè periculum voti per ſe nullum eſt niſi periculum obligationis: hoc autem per ſe loquendo, moralitèr nullum eſt: aliàs nullum præceptum poſitivum deberet hominibus imponi. Imò, ut benè Vvaldenſis argumentatur, nulla pacta eſſent inter homines ineunda, *nulla fides danda.*

Hactenùs Doctor Eximius, qui, ſicùt & D. Thomas, loquitur de quocunque voto. Cæterùm eorum doctrina æquè efficax eſt circa votum Seraphicum, quatenùs contra illud ſpecialitèr urgere videntur ea ſpicula, quæ in omnia vota communiter intorqueri ſolent. Illa enim maior difficultas, quæ reperitur in voto Thereſiano propter illa, quæ argumentum repræſentat, nullatenùs debet animum deterrere, nec ab illius obſervatione retrahere: ſicùt enim votum illud emiſit ope divina fretus; ſic etiam confidere debet, ut ex eiuſdem gratiæ benigniſsimo, paritèr que potentiſsimo adiutorio ſalutaritèr impleat, ut verbis à Suario inductis perſpicuè docet Div. Auguſtin. qui etiam lib. 8. confeſ. cap. 11. ait: *Quid in te ſtas, & non ſtas? Proijce te in eum. Noli metuere, non te ſubtrahet, ut cadas. Proijce te ſecurus: excipiet, & ſanabit te.*

Ex his ergo conſtat ad totum argumentum. Ad ipſius confirmationem ſimilitèr reſpondetur negando minorem, ad eius primam probationem etiam conſtat ex dictis, non eſſe alienum à vera prudentia, imo valdè ipſi eſſe conforme, quod operibus perfectiſsimis ſuperaddatur perfectio, & laudabilitas, quam ex voto Thereſiano ſortiri queunt. Ad ſecundam probationem dicas: quòd votum Seraphicum emittens debet eſſe Perfectus, ut infra dicemus. Vndè habere debet hoſtes animæ ſuperatos, paſſiones ad concordiam redactas, vires que inferiores ſubiectas vi purgationum præcedentium: quocircà poteſt hæc facere, quæ alijs, qui rigoroſum illud examen non ſubiere, conceſſa non ſunt. Quæ quia in ſubſequentibus iterùm occurrent, modò non ampliùs ſtabilimus. Ad illud de facilitate, qua violatur Thereſianum votum, dicendum eſt, quòd licèt vel minima imperfectione infringatur; tamen quia illa imperfectio debet ex plena deliberatione procedere: idcircò non eſt impoſsibilis talis voti obſervatio. Vide, quæ Seraphic. Mat. noſtra docebat nos numer. 42. & cognoſces huiuſcemodi poſsibilitatem, ne dicam, ex gratiæ divinæ affluentia facilitatem.

44. Arguitur 2. Ligatus voto obedientiæ ſufficientis nullam laudabilitatem poteſt addere ſuis actibus ex voto Thereſiano: ergo actus iſtius non ſunt laudabiliores, ſi fiant ex voto Thereſiano. Ergo nullius actus hanc maiorem

rem laudabilitatem habent ex tali voto. Secunda consequentia liquet: quia si illud votum conferret illam laudabilitatem actibus alicuius, in omnes quoque omnium actus illam laudabilitatem maiorem corrivaret. Prima consequentia legitimè deducitur ex antecedenti, quod probatur, quia illud illius obedientiæ votum extenditur ad omnia, est quippè illa obedientia universalis: ergo nihil laudabilitatis potest ipsi impertire votum Seraphicum. Probatur antecedens ex D. Thoma, qui 2. 2. q. 186. art. 5. inquit: *Ad 1. dicendum, quòd obedire Prælatis in his, quæ pertinent ad necessitatem virtutis, non est supererogationis, sed omnibus commune. Sed obedire in his, quæ pertinent ad exercitium perfectionis, pertinet propriè ad Religiosos: & comparatur ista obedientia ad aliam, sicùt universale ad particulare. Illi enim qui in sæculo vivunt, aliquid sibi retinent, & aliquid Deo largiuntur: & secundùm hoc obedientiæ Prælatorum subduntur. Illi verò qui vivunt in Religione, totaliter se, & sua tribuunt Deo, ut ex supradictis patet. Undè obedientia eorum est universalis.* Si ergo *obedientia eorum est universalis*, & secundùm illam *totaliter se, & sua tribuunt Deo*, nihil est laudabilitatis, quod per votum Theresianum addi queat istorum actibus: iam quippè spectant ad speciem Religionis in vi voti obedientiæ sufficientis, & aliundè materia huius voti universalis est, quarè hoc votum facit, ut eo ligati *totaliter se, & sua tribuant Deo.*

Respondetur negando antecedens, ad cuius probationem dicas, sensum D. Thomæ esse clarissimum ex ipso contextu, ut docet inibi Caietanus §. *In eodem articulo.* Dividit enim ibi Sanctus Doctor obedientiam Religiosorum in eam, quæ ipsis competit, ut Christiani sunt, & in eam, cui subsunt, ut Religiosi. De utraque iudicat idem Prælatus, ac propterea hæc Religiosorum obedientia dicitur à D. Thoma *universalis*, non absolutè, sed relatè ad sæcularium obedientiam, quam includit obedientia Religiosorum, & ad illam, quæ præceptorum est, addit observationem consiliorum, non omnium; sed eorum quibus status Religiosus constituitur. Vide laudatum Caietanum hæc elegantissimè edisserentem. Vltra hanc universalem obedientiam datur alia universalior, illam que includens, & hæc est obedientia perfecta, per quã homo obligatur ad faciendum quicquid perfectius esse, iudicet. Et votum huius obedientiæ est votum Theresianum. Videatur Div. Bernardus adductus num. 42. & Divus Thomas ipse numer. 40. qui hanc perfectissimam obedientiam docet etiam loco numer. 13. allegato, & in 2. dist. 44. quæst. 2. art. 3. & multis alijs locis. Et hanc perfectissimam obedientiam, quæ planè supererogationis est ipsis Religiosis, facit obligatorium Theresianum votum. Vide, quantum ab illa distet abedientia sufficiens.

QVÆS.

QVÆSTIO QVARTA.

VTRVM POSSIT ALIQVIS VOTVM THERESIANUM emittere?

VIdimus Seraphici voti naturam, dùm illud definivimus : vidimus eius celsitudinem, dùm illud alijs votis omnibus comparavimus. Vidimus tandèm quid perfectionis, meriti, & laudabilitatis ex hoc cæleſti voto operibus, etiam perfectiſsimis, accreſcat. Modò autem videndum eſt, an hoc votum adeò eminens poſsit ab aliquo viatorum nuncupari? ut, hac difficultate diſcuſſa, ad eas, quæ ſuperſunt, tranſeamus.

§. I.

Poſt brevem monitionem concluſionem ſtatuo.

45. QVæſitum præſens diverſiſſimum eſt à præcedenti, ut vel ex ipſis terminis notum eſt. Veruntamèn, materia inſpecta, ferè omnia, quæ modò dicenda ſunt, potuerunt præcedenti deſervire. Quocircà ibi brevitate uſi fuimus, reſervantes ad difficultatem præſentem, quæ ibi ſine calumnia inſererentur. Sic enim claritati conſulitur, cui ſempèr pro viribus, inſudamus. A principio huius diſputationis recuſavimus agere de poſsibilitate metaphyſica Thereſiani voti : quia quicquid ſucci ex hoc certamine lucrari poſſet, ex dictis, dicendis que in alijs, & maximè in præſenti, congruentius haberi, cognovimus. Vndè in præſenti controverſia ſupponimus, votum Seraphicum eſſe ſecundùm ſe poſsibile : nec hoc, ſi diſcutiendum à nobis eſſet, addùc indiſcuſſum fuiſſet. Sed ſuppoſita poſsibilitate ſecundùm ſe tali huius voti, diſquirimus: an votum Thereſianum, quod ſecundùm ſe, & metaphyſicè poſsibile eſt, poſsit ab aliquo iuſto emitti? Ratio dubitandi eſt, quia poteſt aliquid eſſe ſecundùm ſe poſsibile, & repugnare alicui ſpeciei, vel ſtatui: quod quia adeò pervium cuique eſt, vel ſic attigiſſe, ſat fuerit. Ratio huius rationis ea eſt: quòd ab alia radice provenit poſsibilitas rei ſecundùm ſe, & ab alia poſsibilitas eſſendi in hoc. Quod ad noſtrum propoſitum accedentes ſic explicatur. Poſsibilitas voti Thereſiani ſecundùm ſe provenit à ſuis prædicatis quidditativis. Poſsibilitas voti ut in hoc, provenit à viribus, quas habere debet votum emittens: quocircà poteſt benè votum eſſe poſsibile in ſe, & repugnare huic. Sicùt votum Religionis eſt ſecundùm ſe poſsibile: impoſsibile tamen eſt, quòd reperiatur in non habente ætatem, libertatem, & alia, quæ in illud emittente neceſſaria ſunt. Ad hunc ergo modum, & in hoc eodem ſenſu procedit quæſitum noſtrum, cuius titulus affatim declaratus eſt.

46. Sit ergo noſtra concluſio. *Poteſt iuſtus emittere votum Seraphicum.* Concluſio hæc eſt D. Thomæ, D. Bernardi, Seraph. M. N. & omnes illi eam propugnare debent, quotquot non ruere velint in miſerabile præcipitium dicendi, Eccleſiam, regulam infallibilem veritatis, errare, dùm recognoſcit, & encomijs celebrat, hoc cæleſte votum nuncupatum fuiſſe à Sanctiſ. N. Matriarcha: quia etiam ſi in nullo alio inventum ſit tale votum, hoc ſufficit ad veritatem noſtræ aſſertionis, quæ tantum determinat, poſſe votum Seraphicum in aliquo iuſto reperiri. Et hæc eſſet ipſius concluſionis probatio efficax, ſecundùm illud communiſsimum effatum *ab actu ad potentiam* &c. Verùm hoc principio prætermiſſo, ab alijs probatur aſſertio; brevitèr tamen; quia hæc difficultas facilè

ſua-

ſuadetur, ſed non ita facilè vindicatur à muſcis importuniſsimis, quæ ſua inquietudine ſatagunt, perdere ſuavitatem unguenti, quam halat prætioſiſsima hæc doctrina.

47. Probatur ergo concluſio ſic primò. Poteſt iuſtus proponere ſe facturum, quod perfectius eſſe cognoſcat: ergo & poteſt hoc ipſum vovere. Ergo & emittere votum Thereſianum. Patet ſecunda conſequentia, quia votum Thereſianum nihil aliud eſt, niſi promiſsio faciendi, quod melius eſt. Antecedens liquet ex diſp. præcedenti, ubi illud diſcuſsimus. Et prima conſequentia probatur primò. Quia, cum votum ſit promiſsio de meliori bono, id, quod iuſtus poteſt proponere, poteſt & vovere: quia propoſitum etiam reſpicit bonum melius: ergo iuſtus, qui poteſt proponere, ſe melius operaturum, poteſt etiam id ipſum Deo promittere. ¶ Probatur 2. conſequentia ex ijs, quæ audivimus à Doct. Eximio num. 43. Etenim ſi iuſtus habens propoſitum faciendi, quod perfectius eſt nõ poſſet hoc ipſum vovere, maximè propter difficultatem, quam votum addit ſupra propoſitum: ſed votum nullam difficultatem moralem ſupra propoſitum addit: ergo qui poteſt proponere, ſe facturum, quod intelligat eſſe perfectius, poteſt idipſum Deo promittere. Minor patet ex ibi dictis, & inſuper ex dictis ibi probatur. Votum Seraphicum ſolummodò addit obligationem faciendi, quod melius eſt, quæ obligatio priùs non dabatur: ſed per hanc obligationem denuò advenientem, nec difficultas rei promiſſæ augetur, nec vires promittentis imminuuntur: ergo votum Seraphicum nullam difficultatem moralem addit ſupra propoſitum Thereſianum.

48. Dices. Tota vis huius diſcurſus innititur fundamento ruinoſo. Videlicèt, quòd qui aliquid proponit, poteſt idipſum vovere. Quod fundamentum falſiſsimum eſſe, indè liquet, quod propoſitum eſt minus, quàm votum. Vndè perperàm infertur ex minori maius: ex eo, quod vires inferiores requirit, id, quod vires robuſtiores expoſcit. Nam conſtans cuique eſt: quod ad minus exigantur minores vires, quàm ad id, quod maius eſt. Et quin propriam materiam deferamus, poteſt huius doctrinæ veritas demonſtrari. Quandoquidèm, ut infrà dicemus, ante voti Thereſiani nuncupationem, debet præire propoſiti Seraphici exercitium, & experientia: Sicque ſe geſſiſſe Seraph. M. N. patet ex ijs, quæ diximus in præmio diſputat. antecedentis, & ut poſtmodum magis declarabimus, imprudentiſsimè faceret, qui votum Thereſianum emitteret, propoſito Seraphico non præmiſſo: ergo inſulſus eſt diſcurſus noſter, utpotè falſo fundamento innixus.

Hæc obiectio ex ignorantia quidditatis propoſiti, & voti & ex non penetrata vi facti diſcurſus procedit. Etenim quòd quandoquè propoſitum præire debeat, non provenit ex natura ipſius propoſiti, nec quia ex ſe vires inferiores requirat: ſecùs enim ſemper, & ubiquè propoſitum anteiret: quod patet, eſſe falſum in eo, qui votum nuncupat recitandi ſemèl in die orationem Dominicam; hic enim non priùs proponit, & in propoſito exercetur, ut poſtea voveat: ſed prudentiſsimè poteſt votum emittere ſine propoſiti experientia. Aliundè autem provenit, quòd in aliquibus votis debeat propoſitum antecedere: nempè quia vovens debet præſupponere in ſe vires ad implendum id, quod promittit. Cum autem hoc nequeat rationibus metaphiſicis dimetiri, nec alitèr valeat, niſi per experientiam, cognoſci: ideircò præmittitur experientia propoſiti: &, ſi ductrice experientia conſtet, proponentem habere vires ad obſervandum, quod propoſuit nec in propoſiti exercitio manifeſtantur alia inconvenientia prudentèr vitanda, poteſt propoſitum ſuum elevare vovens ad id ipſum, quod propoſuit. Sinminus à vovendo retrahitur. Hinc oritur obligatio præmittendi propoſitum ante vota, non quæcunque, ſed ardua, & difficilia: in alijs verò propoſitum præmittere ſuperfluum eſt, ut patet in

appoſito exemplo voventis quotidiè orationem Dominicam recitare. Et quia votum Thereſianum eſt inter omnia difficilimum; propterea debet præcedere ſeria, & matura propoſiti experientia.

Ex his que inſtauratur ratio facta in hunc modum. Votum Seraphicum nullam moralem difficultatem addit ſupra Seraphicum propoſitum: ergo qui poteſt illud propoſitum facere, poteſt & rem priùs propoſitam vovere. Ergo cum poſſibile ſit iuſto propoſitum Seraphicum, & votum paritèr eſt ipſi poſsibile. Hæc ſecunda conſequentia conſtat ex prima, quàm infert antecedens, quod ex ſupra dictis probatur. Votum Seraphicum tantùm addit ſupra propoſitum obligationem faciendi idipſum, quod priùs ſine obligatione fiebat: ſed obligatio illa nullam difficultatem moralem addit; quandoquidèm per illam nec difficultas rei obſervandæ creſcit, nec decreſcunt vires illam rem obſervantis: ergo. Et ſanè qui propoſitum habet, & obſervat recitandi quotiè pſalterium, ſi hoc ipſum poſtmodùm voveat, nihil aliud novitatis experitur, niſi obligationem ad pſalterium recitandum; ita ut quod priùs ſine culpa omitteretur, iam nequeat omitti ſine culpa. In alijs omnia perſeverant, ſicùt priùs. Non eſt igitur principium inducens illam moralem difficultatem, aut exigens in promittente vires robuſtiores. Quæ ſi exigerentur, non eſſet arduum principium illas conferens aſsignare: nam Deus ipſe in præmium reſolutionis generoſæ, & promiſsionis ſpõtaneæ propria ipſius indole benigniſsima motus vires, ſi forent neceſſariæ, augeret, ut promiſsio adeò nobilis impleretur. Et etiam ipſa obligatio promittentem impellit ad exequendum, quod adeò generosè promiſit. Quod licèt non ſit augmentum virium, eſt tamen Calcar efficaciſsimum, ut vires præhabitæ applicentur ad obſervandum promiſſa.

49. Probatur 2. concluſio ratione alia efficaci. Poteſt iuſtus vovere obedientiam perfectam, ſeu in omnibus, etiam ſi ſint ſupererogationis: ergo poteſt emittere votum Seraphicum. Patet iſta: quia, ut multotiès dictum eſt, votum Seraphicum eſt votum obedientiæ perfectæ. Probatur antecedens. Bonum ſupererogationis poteſt voveri: ſed obedientia perfecta dicit bonum ſupererogationis, illud videlicèt, quod ſuperat obedientiam ſæcularium, & obedientiam Religioſorum: ergo illud votum ſupererogationis voveri poteſt. Illatio tenet. Minor conſtat ex ſupradictis, & maior certa eſt: quia votum non eſt materiæ præceptæ, ſed conſultæ; propterèaque dicitur promiſsio de meliori bono: ergo ubicunquè datur bonum ſupererogationis, datur materia per votum offeribilis.

Confirmatur hæc ratio. Sancti ſuis exhortationibus monet nos ad emiſsionem voti Seraphici: ergo tale votum à nobis nuncupabile eſt. Patet hæc, quia alioqui Sanctorum exhortatio imprudens, & vana foret, utpotè nos ad impoſsibile invitans. Antecedens probatur egregio teſtimonio Saraph. Mat. N. in de Itin. capit. 16. §. *O Señor* dicentis: *Dios nos libre, hermanas, quando algo hicieremos no perfecto, de decir, no ſomos Angeles, no ſomos Santas; mirad, que aunque no lo ſeamos, es gran bien penſar, que, ſi nos esforzamos, lo podriamos ſer, dandonos Dios la mano, y no ayais miedo que quede por él, ſi no queda por noſotras. Y pues no venimos aquí à otra coſa, manos à la labor, como dicen: no entendamos coſa* (obſerva) *en que ſe ſirva mas el Señor, que no preſumamos ſalir con ella con ſu favor. Eſta preſuncion querria yo en eſta Caſa, que hace ſiempre crecer la humildad, y tener una ſanta oſadia: que Dios ayuda à los fuertes, y no es acceptador de perſonas.* Non ad quodcunque bonũ nos invitat alma M. ſed ad bonum magis perfectum: hoc quippè bonum magis perfectum eſt illud, in quo *Dominus, ſibi magis complacet*, qui ſimplicitèr cõplacet ſibi in bono, quod ſolùm ſimplicitèr eſt tale. Hoc bonum perfectius eſt, quo ſe carere fa-

tentur illi, qui aliquod minus perfectum, seu imperfectum facientes confugiunt ad frigidam illam excusationem: *Non sumus Angeli, Sancti non sumus.* Hoc bonum perfectius est, quod consequi possumus ex Dei adiutorio, si ad illud consequendum sancta præsumptione adnitamur. Hoc bonum perfectius est, ad cuius consecutionem *sine acceptione personarum Deus præstò est fortibus.* Sed nonne isti *fortes* sunt viri potentes, in sæculo viri famosi? neutiquam. Sed sunt fortes in bello, qui fortitèr pugnantes cum antiquo serpente, sibimetipsis violentiam virtuosam inferunt, ut Regnum Cælorum, quod in via perfectio est & vim patitur, violenti rapiant. Hoc bonum perfectius est, ad quod obtinendum *ad Religionem venimus.* Hoc denique bonum perfectius est, ad cuius consecutionem *manus, ut aiunt, applicare debemus.* Vide quomodo, & quantis Cælestis Magistra nos invitet ad faciendum, quod melius est. Ex quo evidens fit, quòd sic operari possumus; alioqui non exhortaremur: ac per consequens, quòd id ipsum possumus vovere; cùm voti materia sit melius bonum. Et quia tepiditas alicuius posset offendere in eo, quòd Sancta Mat. N. dicat, *quòd non ad aliud ad Religionem venimus*, nisi ad perfectius operandum.

Audiat Div. Bernardum allegatum à V. P. N. Ildephonso à Iesu Maria tomo 2. part. 2. discurs. 1. § 3. dicentem: *Non vult regula, nos in obediendo mensurà esse contentos professionis, non attendere promissi debitum, non de pacto sumere modum sed transire alacritèr etiam votum, & obedire in omnibus.* Idem D. Bernard. numer. 41. datus nos invitat ad hanc obedientiam perfectam, illam, quæ imperfecta, aut purè sufficiens est, *inertem*, ac *servilem* appellans. Votum Seraphicum est, ut sæpè diximus, votum obedientiæ perfectæ. Vndè D. Bernardus nos invitans ad votum perfectæ obedientiæ ad Seraphicum votum adhortatur: ijs que verbis hoc facit, quæ planè ostendunt, mentem eiusdem Mellifui Doctoris, & Doctricis Seraphicæ eandem prorsùs esse. ¶ Signum quoque est magni fundamenti, quo ducta Sanct. Mat. Nost. suis filiabus dixerit: *Non aliud ad Religionem venimus*, id, quod ex N. Philippo retulimus disp. præced. num. 18. videlicèt: *Ordo noster usquè ad Ioannem 44 per tredecim sæcula regebatur sola traditione; sic ut superior suos exhortans gesta Maiorum exponeret Æliæ, Ioannis Baptistæ &c. Nosse tamè volebant quid maioris esset perfectionis in Maioribus æmulandum: nec necessarium erat obligationis opera inculcare.*

Dictis Sanctissimis Doctoribus addere placuit allegatum Nost. Ildephonsum dicentem: *Esto ultimo es hablando de la obligacion de la obedientia en todo rigor, porque si hablamos segun todo lo que pide la perfeccion yà lo què es razon que se haga en las Religiones, que de veras tratan de ella, no se ha de atender à lo que precisamente nos obligamos por el voto, ni contentarnos con esso.* Prosequitur, docens transeundum nobis esse ab obedientia sufficienti, quam vovimus, ad obedientiam perfectam, ad quam titulo speciosо tenemur. Quod si tibi durum appareat, illud non esse durum comperies, si Div. Thomam audieris in 2. distinct. 44. quæst. 2. art. 3. docentem: *Obedientia verò perfecta est, secundùm quam subditus simplicitèr obedit in omnibus, quæ non sunt contraria legi divinæ, vel regulæ, quam professus est. Vndè ibidem Divus Bernardus dicit: Perfecta obedientia legem nescit* &c. (sicùt numer. 42.) *& ad hanc obedientiam nullus tenetur debito necessitatis, sed solùm ex honestate quadam, sicùt tenetur semper æmulari charismata meliora.* Hæc ultima verba sunt Div. Pauli 1. ad Corinth. capite 12. vers. 31. vbi ait: *Æmulamini autem charismata meliora*, quæ sic inibi Doct.

ipſe Angelic. exponit : *Æmulamini, ideſt, deſiderate charismata meliora, id eſt, gratias potiores, ut ſcilicèt magis deſideretis ea, quæ ſunt meliora.* Verba hæc D. Pauli ſi non ſunt præceptiva, ſunt, ut minùs, exhortatoria: illis ergo monemur, ut, quæ meliora fuerint, magis deſideremus. Vndè ad illa magis deſiderandum titulo honeſtatis tenemur: hoc que eodem titulo obligamur ad obedientiam perfectam, ut liquet ex eodem D. Thoma: ac proindè verum eſt, quòd Sancti exhortantur nos ad perfectam obedientiam, quæ impræſcindibilis eſt à voto Seraphico.

§. II.

Argumenta.

50. MVltifariam propoſitam aſſertionem arietare conantur aliqui, quorum nomina ignoramus; quia lapidem iaculantes abſcondunt manum: quod ſignum eſt, quòd vel ipſos pudet, rem adeò claram, & præclaram impugnare. Ex diverſis capitibus aſſertum noſtrum invadunt, iam dicentes illud eſſe maximis, & continuis ſcrupulis obnoxium: iam eſſe novitatem quandam inauditam, quæ eo-ipſo vitanda eſt. Hæc, & alia cominiſcuntur, quorum præcipua operæpretium eſt ad examen vocare, ne qui illa obijciunt, ſapientes ſibi eſſe videantur. Aliqua ex his convulſa iam ſunt quæſt. præcedenti, ut eſt illud de ſuperfluitate voti Thereſiani, ſuppoſito voto obedientiæ: nam ſi loquitur de obedientia ſufficienti, iam reſpondimus num. 44. Si loquitur de obedientia perfecta, ipſum perfectæ obedientiæ votum eſt votum Thereſianum: undè illa ſuperfluitas ficta prorsùs eſt. Ad illud de ſcrupulis etiam patet ex ibi dictis. Verùm quia adhùc reſtat præclara quædam doctrina, quam ſempèr præ oculis habere debet, qui ad perfectionem illimitatam contendit, quã que ad hunc locum reſervavimus; idcircò ab hoc capite incipientes,

51. Arguitur 1. Votum Thereſianum ſecum affert plures ſcrupulos in conſcientiæ turbationem, & animarum perniciem: ergo licèt in ſe poſsibile ſit; nullus tamen iuſtus queit illud nuncupare. Probatur antecedens. Nam illud votum ex una parte obligat ad plurima; ex alia verò per minimam imperfectionem infringitur: ergo ſecùm affert plures illos ſcrupulos, qui in antecedenti inſinuantur. ¶ Vrgetur. Ideò iuſtus ſine ſpecialiſsimo gratiæ privilegio nequit per longum tempus omnia venialia vitare, quia, ut ex Div. Thoma vidimus diſp. 26. quæſt. 1. nequit anima iuſti eſſe cõtinuè vigilans ad illa omnia vitanda: ſed multò minùs poteſt ratio eſſe ſempèr vigilans, ut faciat quicquid perfectius eſt, quod ultra venialia addit etiam imperfectiones: ergo.

Ad hoc argumentum, & urgentiam liquet ex dictis num. 43. votum Thereſianum ex ſe nullum inconveniens afferre. Videantur ibi dicta, quibus addenda eſt peregregia doctrina Sancti Franciſci Sales. lib. 2. epiſt. 6. quandam filiam ſuam ſpiritualem inſtruentis dicentis que prout refert N. Herman. lib. 1. cap. 20. *Cordis tui pellem velim eſſe nonnihil duriorem, ut propter pulices dormire non omittas.* Quam doctrinam poſtmodùm lib. 3. epiſt. 13. repetens ait: *Deſidero, ut legas caput 41. Viæ perfectionis B. Virg. Thereſiæ: multùm quippè tibi proderit ad intelligendum id, quod totiès inculcavi tibi, quòd non oporteat in exercitio virtutis, & perfectionis eſſe nimis punctualem. Sed oportet ambulare rotundè, ſecurè, candidè, moribus antiquis, groſſo modo.* Hæc Illuſtriſ. hic Magiſter feſtivè, æquè ac ſolidè docens, quod non debet Hagiophilus ſcrupulis occurrentibus revereri; ſed illos tanquàm culices perſtrepentes abigere, re animæ quietem, & pacem conſcientiæ interturbent. Quæ doctrina ligatis voto Seraphico applicanda eſt, quia ipſis præcipuè convenit. Quod autem votum Thereſianum violetur per imperfectionem quantumvis minimam verum eſt; ſed

etiam

etiam verum eſt, quòd illa imperfectio debet procedere ex plena deliberatione, & advertentia. Sicùt etiam verum eſt, quod allegato num. 43. dicebamus, ſcilicèt, quòd votum nullam difficultatem moralem addit operi ex illo exequendo. Videat ergo, qui hoc votum emittit, quod illud prudentèr, & iuxta regulas infra ſtatuendas emittat: ſic que nullum ſcrupulum à voto Seraphico ortum trahentem comperiet. Et etiam videbit, quòd eſt longè ſuperiùs, vitare omnia venialia cuiuſcunque generis ſint, quàm vitare venialia, & imperfectiones ex perfecta advertentia, ac plena deliberatione: quocirca neceſſarium eſt ſpecialiſsimum gratiæ privilegium, ut ratio ſemper vigilet, ut omnia venialia ſive ex plena, ſive ex ſemiplena deliberatione procedentia vitentur, ut convincit abſdubiò D. Thomas; ſed non requiritur illud adeò ſingulare privilegiũ, ut votum Seraphicum obſervetur; quia cum huius violatio cauſetur à venialibus, & imperfectionibus perfectè deliberatis, indè eſt, quòd debet ſupponi ratio vigilans: non enim datur perfecta advertentia, quin ratio vigilet. Vnico verbo. Si ratio non vigilat: non adeſt plena advertentia: & culpis indè ortis non infringitur votum Seraphicum, quod culpas illas non comprehendit. Si adeſt plena advertentia, eſt, quia ratio vigilat: & tunc non eſt adeò difficilè, culpas veniales, imperfectiones que vitare, ut propter hoc aſſeratur, votum Theſianum ſecum afferre conſcientiæ ſcrupulos imminentes.

52. Arguitur 2. Iuſtus procedens ex virtute morali tenet medium: ſed procedens ex voto procedit ex virtute morali: ergo medium tenet. Tunc ſic: ſed votum Seraphicum non obſervat medium: ergo iuſtus nequit ex illo procedere, ac ſubindè nec emittere. Maior certa eſt, illamque docet D. Thomas 1. 2. q. 64. art. 1. probat que in argument. *Sed contra* ex Philoſopho 2. Ethic. dicente *quod virtus moralis eſt habitus electivus in medietate exiſtens*. Minor eſt eiuſdē Ang. Præcept. 2. 2. q. 88. docentis, votum eſſe actum elicitum à virtute Religionis. Prima conſequentia legitima eſt, & minor ſubſumpta probatur: votum Seraphicum vovet omnem omnium virtutum materiam, & totam omnimodè voventis libertatem ſacrificat; quæ planè extrema ſunt: ergo medium non ſervat.

Qui hoc argumento utuntur, inſcios ſe eſſe, oſtendunt in cognitione medij virtutis. Actum utiquè virtuoſum, atque ideò prudentem, intimavit Chriſtus Dominus, dum dixit adoleſcenti: *Vade, & vende omnia, quæ habes*. Non aliqua, ſed *omnia*, vendenda, & pauperibus eroganda eſſe, conſuluit. Quod reipſa Apoſtoli fecere, ut liquet ex illo: *Ecce nos reliquimus omnia*. Et in hoc, quod *omnia* relinquerent, ut ſic Chriſtum expeditiùs inſequerentur, virtuoſiſſimè operati ſunt Apoſtoli: itaque argumentum ſolvitur ex doctrina D. Thomæ in contrarium adducti: ibi enim perſpicuè docet, *quòd bonum virtutis moralis conſiſtit in adæquatione ad menſuram rationis*. Hanc ipſam doctrinam tradit 2. 2. q. 186. art. 5. ad 3. ubi ait: *Medium virtutis ſecundùm Philoſoph. in 2 Ethic. accipitur ſecundùm rationem rectam, non ſecundùm quantitatem rei. Et quicquid poteſt fieri ſecundùm rationem rectam non eſt vitioſum ex magnitudine quantitatis, ſed magis virtuoſum*. Ex quibus habes, quòd menſura virtutis non eſt quantitas dimiſſa, aut promiſſa, ſed recta ratio. Vndè quicquid fit ſecundum rectam rationem, quantumvis in quantitate magnum ſit, medium virtutis tenet; ac proindè virtuoſum eſt. Quòd autem homo ſtatuat, voveat que facere omne illud, quod perfectius eſſe, cognoverit, eſt prorsùs ſecundùm rationem rectam. Vndè non eſt tanquàm vitioſum extremum ſuggillandum; ſed tanquàm actum virtuoſiſſimum efferendum. Similitèr omni ſuæ libertati abrenuntiare, illam que in holocauſtum ſuaviſſimum Deo offerre, qui illam cum uſuris conſecranti reddet, non eſt extremum, ſed medium laudabiliſsimum virtutis

tis celebratum à præadducto Divo Bernardo, qui ait: *Cum nihil in nobis sit charius, intimius, altius, & maius propria libertate, ac facultate usus eius; abdicare hanc à se, prout est possibile, tantò est perfectius, & altius, quantò ista præponderat omnibus alijs abdicabilibus nostris.* Videatur Div. Thomas art. illo 1. ubi plura docet, quibus hoc argumentum penitùs cõteratur. Et etiam ad 2. dicit ex Philosopho, *quòd magnanimus est quidèm magnitudine extremus.* Vndè si sic velis, votum Seraphicum, aut illud nuncupantem esse extremum, inficias non ibimus; hoc tamen neutiquàm vitiosum est, sed potiùs virtuosum. Videantur etiam N. Salmant. doctrinam illius primi articul. elucidantes.

53. Arguitur 3. Votum Seraphicum est novum inventum in nulla Scripturæ Sacræ, aut SS. PP. authoritate fundatum: ergo emitti à iusto non debet. Patet ista, quia in re adeò gravi periculosum est declinare ad novitates. Antecedens autem probatur. Quia si hoc votum non esset nuperum, multi, qui sanctitatis fama à primis sæculis claruerunt, illud emisissent; nec enim credendum est, aut quòd divina illustratione caruissent ad tantum bonum cognoscendam; aut quòd, si illud cognoverunt, renuissent votum adeò utile, Deo que acceptum emittere: sed de nullo legitur, quòd tale votum nuncupasset: ergo.

Confirmatur. Singularitas, maximè in viris Religiosis, est obsservantiæ regularis noverca, opponitur que humilitati, cuius gradus quintus est, *tenere, quod communis regula Monasterij habet, cui opponitur singularitas, per quam scilicèt aliquis sanctior vult apparere*; ait D. Thomas: sed novitas est individua singularitatis socia: ergo vitanda ab omnibus est, & maximè à regularibus.

Respondetur argumento, & simùl confirmationi, quòd si emittens votum Seraphicum hoc faceret, *ut sanctior appareret*, non votum emitteret, sed sacrilegè operaretur. Itaque in voto Theresiano & est considerandum ipsum votum, & sunt consideranda illa, ex quibus species hæc voti coalescit. Vt autem votum hoc non subsit novitati censurabili, non requiritur, quòd inveniatur expressè aut emissum, aut edoctum in Sacra Scriptura, & SS. Patribus; sed sufficit, si inveniantur ea, ex quibus coalescit. Ad constitutionem illius voti concurrunt promissio Deo facta, & materia promissa. Seu, & est idem, ratio generica, & ratio differentialis. Ratio generica voti invenitur planè in Scriptura Sacra, & Patribus, ut docet Div. Thomas allegata quæst. 88. artic. 4. Ratio differentialis est materia promissa, quæ in voto Seraphico est eadem, ac materia obedientiæ perfectæ: quam apud Scripturam Sacram reperiri in dubium est, sicùt etiam est certum, quòd apud Sanct. Patres reperiatur. Vide, quæ dicta relinquimus numer. 49. & ibi inter alia tibi occurret, quod ex Div. Thoma tradidimus, videlicèt, quòd ad perfectam, seu in omnibus, obedientiam ex quadam honestate tenemur. Illis autem, & alijs in præsenti, & præcedenti disp. dictis addenda sunt ea, quæ Richard. a Sanct. Vict. docet illustri tract. *De differentia inter sacrificium David, & Abrahæ.* Vbi inter alia habet: *Si promittis coram Deo tuo, aut profiteris coram Prælato tuo obedientiam ad omnia, iam tibi de reliquo nulla obedientia erit in debita.* Et infrà. *Vaccam ergo in Domini sacrificio iuxta Abrahæ exemplum offerimus, si plenam ad omnia obedientiam promittimus, & cum gaudio exolvimus.*

Sed lubet inter alios, quos prætermittimus, audire Div. Bernard. ad Fratres de Monte Dei sic dicentem: *Altissima est professio vestra. Cælos transit, par Angelis est, angelicæ similis puritati. Non enim solùm vovistis sanctitatem, sed omnis sanctitatis perfectionem, & omnis consummationis finem.* Et paucis interpositis subdit: *Magnum*

num eſt hoc, arduum eſt hoc: ſed Omnipotens, & bonus eſt Deus, qui in vobis eſt pius promiſſor, fidelis redditor, & indefeſſus adiutor, qui magno eius amore magna profitentibus, & in fide, & ſpe gratiæ ipſius maiora viribus ſuis aggredientibus, & voluntatem, & deſiderium ſuggerit in idipſum. ¶ Quibus viſis, iam nemo ſi ſanæ mentis ſit, poterit votum Seraphicum de novitate appellare: quinpotiùs dicere debet cum D. Thoma opuſc. contra impugnantes paupertatem Religioſam. *Iſti modus antiquitus à multis Sanctis fuit approbatus etiam in Eccleſia primitiva.* Et cum Divo Bernardo ad eoſdem Fratres de Monte Dei: *Hæc novitas non eſt novella vanitas. Res eſt antiquæ Religionis, perfectæ, fundatæ in Chriſto, antiqua hæreditas Eccleſiæ Dei, à tempore Prophetarum demonſtrata, ab ipſo Domino celebrata, ab eius Diſcipulis, ipſo præſente, concupita.*

Si ergo votum Seraphicum tam ſecundùm rationem genericam, quàm ſecundùm rationem ſpecificam diviſivè ut ita dicam cõſideratas, invenitur in Scripturis, & Sanct. Patribus, vaniſimè de præcavenda novitate, ac ſingularitate appellatur, qui utranque illam rationem veluti coniungens ſpeciem voti Deo ſacrat, quam Patres approbavere. Votum redemptionis Captivorum inauditum erat, donec glorioſiſsimus ille Cæleſtis charitatis rogo peregregio flagrans illud primus nuncupavit. Novum fuit tunc tale votum, & ſingulare; non ſingularitate, ac novitate, quas procax ſuperbia cauſat, ſed quas charitas ardens progignit. Illud votum ſecundùm rationem genericam erat, ſicùt & omnia alia, in Sacris Scripturis expreſſum: ſecundùm rationem differentialem pluriès commendatum, ijs omnibus locis, in quibus charitas proximi nobis proponitur. Fuit quoque exemplar illius glorioſiſsimi voventis Chriſtus Dominus, qui hominum abſolutè, ac ſimplicitèr Redemptor de Cælis deſcenderat, ut ſuos iam fratres, aut proximos a barathri horroribus liberaret. Acceſsit Cæleſte monitum divinam voluntatem oſtendens. Quibus omnibus rectè, ut par erat, perpenſis, Cæleſtis illa charitas in votum illud, adeò ſtupendum, erupit. Pariformitèr dicendum eſt de ſublimiſsimo voto Seraphico, materiam omnium aliorum includente: ſecundùm utranque ſui rationem in Scriptura, & Patribus, ut diximus, continetur. Qui illud emittat, habet in exemplar Chriſtum Dominum, qui propriam voluntatem in omnibus Æterno Patri ſubmiſit, ita ut diceret: *In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam* &c. Pſalm. 39. verſ. 8. ubi D. Thomas exponit: *Oſtendit propoſitum obediendi, ſecundùm quòd homo.* Ac tandèm debet habere divinam inſpirationẽm; quia nemo debet votum Seraphicum emittere, niſi Deo conſiliante, ut infra declarabitur. Nihil eſt ergo ſingularitatis vitandæ, aut novitatis fugiendæ in hoc nobiliſsimo voto, omnium aliorum maximo. Videatur inſignis N. Lezan. conſult. 44. ¶ Alia plura in noſtrum aſſertum intorqueri ſolent; ſed quæ ex dictis affatim evaneſcant: quarè à nobis prætermittuntur, & etiam quia in ſubſequentibus congruentiùs conterentur.

QVÆS

QVÆSTIO QVINTA.

VTRVM OMNES IVSTI QVEANT EMITTERE votum Thereſianum?

STabilita voti Thereſiani poſsibilitate relatè ad ſubiectum, ſupereſt examinandum an omnes iuſti tale votum nuncupare queant? an verò hoc ſit aliquibus reſervatum? quod in præſenti quæſtione determinandum eſt.

§. I

Difficultatis deciſsio.

54. SIt noſtra concluſio. *Votum Thereſianum nuncupare non poteſt, niſi qui perfectus ſit, & intra perfectorum claſſem perfectiſsimus.* Bimembrem concluſionem ut ſtabiliamus, præ oculis habenda eſt communis ea doctrina, quam ex Myſticorũ concordi iudicio accepimus, videlicèt, ſtatus vitæ ſpiritualis partiri eo modo, quo charitas illos conſtituens dividitur. Charitatem autem, ut ſuo loco vidimus, dividunt D. Thomas, & Magiſter ſentent. cum D. Auguſtino in incipientem, proficientem, & perfectam. Vndè datur triplex vitæ ſpiritualis ſtatus primus incipientium, ſecundus proficientium, tertius deniquè Perfectorum. Horum autem ſtudium principale, & exercitia vel refricare opus eſt, quia admodùm utile eſt ad diſcuſsionem præſentis controverſiæ. De his actum à nobis eſt in noſtra Iſagoge diverſis in locis, & præſertim à num. 25. Vbi diximus, incipientium exercitium eſſe, miſerias proprias deplorare, & implorare divinam miſericordiam. Studium proficientium eſſe, virtutes acquirere, & illas exercere. Perfectorum verò ſolicitudinem alto conamine ferri ad unionem fruitivam, qua habita, ad pedes Domini dulciſsimè conquieſcunt. Hæc, in quibus quoad præſens nulla ratio dubitandi eſt, ſic tetigiſſe oportuit, ut debita claritate in materia hac non admodùm pervia procedatur.

55. Quod autem ſpeciatim recolendum eſt, eſt doctrina illa, quam cum Catena myſtica, & myſtica itèm Medulla dedimus loco citato num. 49. dicentes, quemlibet ex aſsignatis ſtatibus eodem modo tripartiri; ita ut in unoquoque eorum ſint incipientes, proficientes, ac Perfecti. Quotquot ad viam purgativam pertinent ſunt abſolutè incipientes: verùm quia ex his alij ſunt in ianua, ſeu principio illius ſtatus alij in medio, & alij in fine; idcircò primi ſunt duplicitèr incipientes; primò abſolutè, quia ſunt in via purgativa: ſecundò reſpectivè ad ipſam viam purgativam, quia ad ianuam ipſius ſunt. Secundi ſunt abſolutè incipientes ob aſsignatum motivum; & inſupèr, quia in medio ſunt illius ſtatus, in quo aliquem progreſſum fecere. dicuntur, relatè ad alios, qui ſunt in eodem ſtatu, proficientes. Et ſic de alijs, qui iam ad finem illius ſtatus pervenere, hi propterea dicuntur intra terminos illius ſtatus perfecti.

Qua Theologia translata ad viam unitivam, cuius præcipuè meminiſſe in præſentiarum debemus, dicendum eſt, quòd omnes, qui ad illum feliciſsimum ſtatum gratiæ favonio appullere, ſunt Perfecti. Verùm ſi ſunt in principio illius feliciſsimi ſtatus, dicuntur incipientes: ſi in medio proficientes, & ſi in termino, dicuntur omnimodè Perfecti, ſeu perfectiſsimi. Author Lucernæ myſticæ, ut iam alibi obſervabamus, dividit illos, qui ad viam unitivam ſpectant in Perfectos, & unitos. Quam diviſionem retinere in præſenti poſſem, & ſuper illam

lam conſtruere, quæ dicenda ſunt. Aſt quia conſentaneum eſt ſcribere cohærentèr ad ſcripta; idcircò trimembris aſſignata diviſio ſuſtinenda eſt. Illam dedimus loco citato ex Iſagoge: & ſi benè res conſideretur, illa etiam uſi fuimus, dum de unione fruitiva loqueremur.

56. Illud tamen modò præſertim inſpiciendum eſt, qui ſint illi *omnimodè Perfecti, ſeu Perfectiſsimi*? illis quippè nominibus diverſi poſſunt ſignificari: undè nihil certum eſſet, ſi hoc non determinaretur. Vnuſquiſque pro ſuo libito poteſt diſcurrere, quod ſibi magis conſonum videatur. Nos autem Angelic. N. Præceptorem inſequentes dicimus, illos eſſe, in quibus reperiuntur virtutes purgati animi. Quod ut probè ſcias, memento illius doctrinæ, quam ex ipſo D. Thoma dedimus diſp. 23. q. 3. ubi vidimus, virtutes dividi in exemplares, politicas, purgatorias, & purgati animi. Hanc diviſionem tradit D. Thomas 1. 2. q. 61. art. 5. & ait: Virtutes exemplares illas eſſe, quæ in Deo ſunt. Virtutes politicas eſſe illas, ſecundùm quas homo *rectè ſe habet in rebus humanis gerendis*. Virtutes purgatorias eſſe, ſecundùm quas homo *ſe trahit ad divina, quantum poteſt*. Ita tamen quòd qui his virtutibus ornatur, non habeat Deum in re eo ſpeciali modò, quem dicta quæſt. 3. explicuimus, ſed in affectu: quocirca virtutes iſtæ dicuntur à D. Thoma *tranſeuntium, & in divinam ſimilitudinem tendentium*. Hoc eſt, ſunt virtutes eorum, qui moventur ad aſſequendam divinam ſimilitudinem, ipſum que Deum in re habẽdum illo ſpeciali modo inſinuato. Harum virtutum ſtatus ſic deſcribitur à D. Thoma: *Quòd prudentia omnia mundana Divinorum contemplatione deſpiciat, omnemque animæ cogitationem in Divina ſola dirigat: temperantia verò relinquat, in quantum natura patitur, quæ corporis uſus requirit: fortitudinis autem eſt, ut anima non terreatur propter exceſſum à corpore, & acceſſum ad ſuperna: iuſtitia verò eſt, ut tota anima conſentiat ad huiuſmodi propoſiti viam, A Spiritu Sancto.* Vbi, ut vides, virtutes iſtæ, quamvis adeò perfectæ, habent inimicos, à quibus infeſtentur. Prudentia à mundanis animam retrahere conantibus à contemplatione Divinorum. Temperantia terrenas cupiditates. Fortitudo paſsiones imbecillitatem cauſantes. Iuſtitia verò id omne, quod à propoſito mentem ſolicitat removere.

Vltra has virtutes dantur illæ aliæ, quæ dicuntur purgati animi, inter quas, & purgatorias hoc intereſt, quòd purgatoriæ, ut diximus, ſunt eorum, qui tendunt, & moventur, ut Deum habeant. Aſt purgati animi ſunt illorum, qui iam aſſequuti ſunt hanc felicitatem: *Quædam verò ſunt virtutes*, ait D. Thomas, *iam aſſequentium divinam ſimilitudinem, quæ vocantur virtutes iam purgati animi*. Ex quo maximo diſcrimine ortũ ducit, quòd virtutes purgatoriæ habent, ut dictum eſt, inimicos illis refragari cupientes: Virtutes verò purgati animi pace ſumma gaudent. *Ita ſcilicèt*, inquit D. Thomas, *quòd prudentia ſola Divina intueatur: temperantia terrenas cupiditates neſciat: fortitudo paſsiones ignoret: iuſtitia cum divina mente perpetuo fœdere ſocietur, eam ſcilicèt imitando*. Audiſti celſitudinem virtutum purgati animi. Audi ſubſequentia, in quorum gratiam omnia præcedentia allata ſunt. *Quas quidèm virtutes*, ſcilicèt purgati animi, proſequitur D. Thomas, *dicimus eſſe Beatorum, vel aliquorum in hac vita perfectiſsimorum*. Hi ſunt illi Perfectiſsimi, de quibus loquitur concluſio noſtra, quos onte oculos tuos clariſsimè poſui.

57. Igitur aſſertum noſtrum duplicem partem habere, vidimus. Prima eſt, quòd nullus, qui Perfectus non ſit, poteſt votum Thereſianum emittere. Secunda eſt, quòd etiam ex Perfectis non omnes poſſunt emittere illud votum, ſed ſolummodò illi, qui Perfectiſsimi ſint. Et quamquàm ex probatione ſecundæ partis prima à fortiori convincitur, attamèn quoad hanc primam partem probatur concluſio ſic primò. Iuſti, qui Per-

fecti non ſunt, vel ſunt incipientes, vel proficientes iuxta diviſionem præmiſſam num. 54. quæ eſt D. Thomæ 2. 2. q. 24. art. 9. ſed nec incipientes, nec proficientes poſſunt votum Thereſianum emittere: ergo nullus, qui Perfectus non ſit, illud valet nuncupare. Cætera liquent, & minor probatur. Carens amore Dei perfecto nequit emittere votum Seraphicum: Incipientes & proficientes carent amore Dei perfecto: ergo. Illatio eſt prorsùs formalis. Minor negari non debet, quia quiſquis habet amorem Dei perfectum, iam viam purgativam, & illuminativam ſuperavit ad unitivam tranſlatus; alioqui non dividerentur ſtatus vitæ ſpiritualis iuxta diviſionem ſtatuum, quos habet charitas, contra id, quod docent D. Auguſt. & D. Thomas prout dicto num. 54. præmiſimus. Vndè ſicùt charitas proficiens non datur in eo, qui Perfectus eſt; ſic nec charitas perfecta datur in proficiente.

Maior, de qua dubium eſſe poterat, videtur certa primò ex ipſo nomine huius eminentiſsimi voti: dicitur quippè Seraphicum ab ardentiſsimo exceſſu amoris ipſius elicièetiam imperantis prout diximus diſp. præced. q. 1. ¶ Oſtenditur 2. Veritas illius maioris. Votum Seraphicum eſt actus perfectiſsimi amoris, quo tota hominis libertas offertur Deo in holocauſtum ſuaviſsimum, ut liquet ex ſupra dictis: ergo procedit ab amore perfecto; ſecùs enim effectus cauſam ſuperaret. ¶ Oſtenditur 3. Votum Seraphicum, ut ſupra ex D. Thoma vidimus, eſt actus obedientiæ perfectæ, elicitus à perfecta Religione: ſed ſine amore perfecto non datur perfecta Religio, nec obedientia perfecta, ut de ſe notum eſt: ergo nec votum Seraphicum.

Confirmatur, ſeu potius aperitur vis facti diſcurſus. Sine obedientia perfecta non eſt emiſsibile votum Seraphicum: Incipientes & proficientes non habent obedientiam perfectam: ergo emittere non valent Seraphicum votum. Maior liquet ex dictis, & minor probatur urgentèr doctrina N. Myſtic. Doct. Etenim obedientia perfecta non compatitur cum imperfectionibus habitualibus, quæ ſeminaria ſunt plurimarum imperfectionum, & culparum actualium: ſed incipientes abundant hiſce imperfectionibus, quas etiam habent proficientes: ergo. Maior liquet: quia Deo perfectè, & in omnibus obedire faciendo omne id, quod intelligitur, eſſe perfectius; & ſimùl voluntariè voluntari in cœno imperfectionum habitualium, ex ipſis terminis implicatorium eſt. Minor probatur toto libro 1. & 2. Noctis, in quibus Extaticus N. Parens agit de imperfectionibus incipientium, & proficientium: ac de his, de quibus poterat eſſe aliqua difficultas, inquit cap. 3. dicti libri. *Por tanto todavia el trato, y operaciones que tienen eſtos aprovechados con Dios ſon muy baxas.* Eſt dicere: *Idcircò operationes, quas iſti proficientes erga Deum habent, ſunt adhùc valdè infimæ*: eſt ergo vera illa minor.

58. Probatur 2. hæc prima concluſionis pars diſcurſu breviſsimo, & efficaciſsimo eruto ex authoritate præiacta, quam totam exhibeo ſic: *Idcirco operationes proficientium erga Deum ſunt adhùc valdè infimæ; eò quòd eorum ſpiritus non eſt adhùc purificatus, & illuſtratus. Quocircà adhùc intelligunt ſicùt parvuli, loquuntur de Deo ut parvuli, ſapiunt, & ſentiunt de Deo ut parvuli ſicùt dicit Apoſtol: cum eſſem parvulus, loquebar ut parvulus, ſapiebam* &c. Totum que hoc ideò ſic evenit, ut inibi teſtatur Sanctus Doctor, quia iſti non adhùc examinati ſunt per purgationem ſpiritus. Ex quibus ſic in forma procedo.

Votum Seraphicum eſt actus erga Deum nobiliſsimus, origo que innumerabilium nobiliſsimorum actuum, eorum videlicèt, quibus tale votum adimpletur: ſed incipientes, & proficientes nequeunt habere actus nobiliſsimos erga Deum: ergo non poſſunt emittere votum Seraphicum. Illatio ſine calumnia procedit, & maior eſt per ſe, & ex hactenùs dictis manifeſta. Minor

au-

autem probatur *primò*: quia, ut ex inducto testimonio liquet, illorum operationes erga Deum sunt valdè infimæ. Probatur *secundò* ex eodem testimonio, Dum iustus parvulus est in via spiritùs, nequit habere actus nobilissimos erga Deum: Dum est incipiens, & proficiens parvulus est in via spiritùs, ut dictum est: ergo. Maior constat ex analogia ad ætate parvulos, qui incapaces sunt habendi operationes viriles, aut robustas. Probatur *tertiò*. Quoadusquè iustus experiatur, patiaturque purgationem spiritùs nequit habere actus erga Deum nobilissimos: Dum est incipiens, aut proficiens passus non est spiritùs purgationem: ergo. Maior patet ex allegata authoritate, & minor indè liquet, quia, ut suo loco diximus, purgatio passiva spiritus evenit in fine viæ illuminativæ, cum iustus iam ad unitivam assumitur.

59. Secunda pars propositi nostri asserti, videlicèt, quòd nequit emittere votum Theresianum, nisi qui *intra perfectorum classem perfectissimus sit*, dividitur in duas. Prima affirmat: Perfectissimos posse illud votum emittere. Secunda negat hoc de alijs perfectis, qui ad illum perfectionis apicem non pervenere. Quoad primam probatur facilè. Quia aliqui iusti possunt Theresianum votum nuncupare, ut liquet ex quæst. præcedenti: ergo hoc concedendum est, ut minùs iustis perfectissimis. Qui autem sunt isti perfectissimi, constat ex numer. 56. Quoad secundam partem, quæ hoc ipsum negat de alijs iustis perfectis non adeò manifesta est conclusio. Inclinor tamen vehementissimè ad sic sentiendum propter ea, quæ iam subijcio, quæ simùl sumpta mihi hanc partem probabiliorem esse, demonstrant.

60. Et ut à bono capite incipiamus, agmen agat discursus ex D. Thomæ doctrina fabricatus. Etenim votum Seraphicum est, modo supradicto, actus obedientiæ summæ, & perfectissimæ: ergo solus perfectissimus potest illud emittere. Consequentia videtur bona: quia sicut opera perfecta nequeunt fieri, nisi à perfecto, in quo virtus, ad quam spectant, perfecta sit; ita opera summa, & perfectissima non possunt esse, nisi à perfectissimo, qui in gradu perfectissimo habeat virtutem, ad quam illæ operationes spectant. Et antecedens probatur. Martyrium est opus obedientiæ summæ, & perfectissimæ: ergo & votum Seraphicū. Antecedens edocetur à D. Thoma num. 40. adducto, qui ait, *quòd martyrium complectitur id, quod summum in obedientia est.* Probatur consequentia. Martyrium est quoddam particulare bonum comprehensum sub innumeris bonis, quæ voti Seraphici materia sunt: ergo si martyrium, quod est quoddam particulare bonum, *complectitur* propter sui arduitatem, id, *quod summum in obedientia est*; hoc ipsum summum obedientiæ potiori iure cōplectitur votū Seraphicū, quod martyrium, & omnia alia bona, ut meliori modo exequenda, aut patienda, comprehendit.

Confirmatur hæc ratio. Martyrium est actus charitatis summæ, & perfectissimæ: ergo & votum Seraphicum. Ergo hoc emitti nequit, nisi ab eo, qui perfectissimus sit. Antecedens est expressum Div. Thomæ inibi. Immò Christus Dominus apud Ioan. c. 15. ait: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Prima consequentia liquet ex dictis: si namque votum Seraphicum comprehendit martyrium, ut bonum speciale, planum est, quòd si martyrium est actus perfectissimæ charitatis; ita & votum Seraphicum sit charitatis perfectissimæ actus. Probatur secunda consequentia etiam ex dictis. Quia actus perfectissimæ charitatis prærequirit charitatem perfectissimam: sed charitas perfectissima constituit perfectissimum illam habentem: ergo. Maior certa est: quia sicut dilectio Dei perfecta non elicitur, nisi à perfecta charitate; sic perfectissima prærequirit perfectissimam charitatem. Et minor patet ex ijs, quæ præmisimus numer. 54. & 55. ubi diximus, quod iuxta divisionem statuum charitatis dividuntur status ambu-

lantium per viam ſpiritualem : quæ doctrina eſt D. Thomæ 2. 2. q. 24. in argum. *Sed contra* dicentis : *ſed contra eſt, quòd Auguſt. dicit ſuper primam Can. Ioan. charitas cum fuerit nata, nutritur; quod pertinet ad incipientes: cum fuerit nutrita, roboratur; quod pertinet ad proficientes: cum fuerit roborata, perficitur*; quod pertinet ad perfectos. Ergo eſt triplex gradus charitatis. Vbi etiam diximus, quòd in quolibet ex dictis ſtatibus dantur incipientes, proficientes, & perfecti. Quocircà in via unitiva, ad quam quotquot ſpectant, ſunt perfecti, qui in illius principio ſunt, perfecti abſolutè ſunt, ſed relatè ad illum ſtatum ſunt incipientes: qui in medio ſunt, ſunt abſolutè perfecti, ſed reſpectu illius ſtatus ſunt proficientes: qui verò ſunt in vertice illius viæ ſunt omnibus modis perfecti, perfectione viæ, habent que illas virtutes, quas purgati animi eſſe, diximus. Hanc graduum ſubdiviſionem etiam cauſat ſubdiviſio charitatis perfectæ in incipientem, proficientem, & perfectam. Vndè ſicùt non datur abſolutè perfectus ſine charitate abſolutè perfecta; nec poteſt hæc in aliquo dari, quin illum abſolutè perfectum conſtituat: ſic nequit dari perfectiſsimus ſine perfectiſsima charitate, nec hæc queit in aliquo dari, quin illum conſtituat perfectiſsimum. Tenet ergo propoſita illa minor.

61. Dices. Si ratio facta, & eius confirmatio aliquid probant, probant quidèm, quòd omnes perfecti, & proficientes poſsint emittere votum Seraphicum: ergo ſunt contra ipſas producentem. Probatur antecedens. Omnes perfecti, & etiam proficientes poſſunt martyrium ſubire; abſonum quippè foret, aſſerere, quòd omnes Sancti Martyres erant perfectiſsimi, cum martyrium ſubiere, aut quòd nemo poſſet martyrium ſuſtinere, qui perfectiſsimus non foret: ſed ratio noſtra, eius que confirmatio confert votum Seraphicum cum martyrio: ergo ſicùt hoc poteſt ſuſtineri ab omnibus perfectis, & proficientibus; ſic & illud ab his omnibus emitti valet.

Reſpondetur 1. Quòd ſi obiectio facta aliquid probat, probat quidem quòd omnes incipientes, & etiam qui peccato lethali maculatus eſt, poſsint emittere votum Seraphicum: ergo eſt contra producentem ipſam. Probatur antecedens. Omnes incipientes, & etiam qui in peccato gravi eſt, poſſunt martyrium ſubire; abſonum quippè foret, aſſerere, quòd omnes Sancti Martyres erant, ut minus proficientes: ergo &c. Quòd autem incipientes & qui in gravi peccato eſt, poſſint martyrium ſubire, certum eſt: de quo vide Caietan. 2. 2. q. 124. art. 2. §. *In reſponſione ad* 2. Et tamẽ nemo hactenùs dixit, quòd incipientes queant votũ Thereſianum emittere: quod ſi quis de exiſtente in peccato mortali affirmaret, ſibilandus foret: ergo obiectio facta deſtruit obiſcientem.

Reſpondetur 2. negando antecedens, & minor probationis diſtinguatur *cõfert* cum exceſſu ex parte voti, concedo, ſine illo, nego minorem. *Confert* ratio noſtra votum Seraphicum, & martyrium, ſupponens ſemper exceſſum illius ſupra iſtud; quia iſtud eſt bonum quoddam ſpeciale contentum ſub univerſali bono inſpecto ab illo. Vndè ratione formæ nihil concludit obiectio: quia licèt minus poſsit fieri à minus perfecto, ſeu non perfecto: non hinc ex vi formæ colligere licèt; quòd ab eodem poſsit fieri quod maius eſt.

Reſpondetur tamen 3. Et directè diſtinguẽdo eandem minorem. *Confert &c.* in ijs, quæ actu concurrunt ad utrunque, concedo, in ijs, quæ ad utrunque præſupponuntur, nego minorem. Explicatur ſolutio. Etenim martyrium requirit actu univerſaliſsimam, & perfectiſsimam obedientiam, & charitatem paritèr perfectiſsimam. Quas perfectiſsimas virtutes Martyri Deus infundit intuitu illius generoſæ reſolutionis, qua ex gratiæ influxu decernit, totum ſuum Sanguinem effundere, propter amorem Jeſu-Chriſti Domini noſtri. Vndè licet Martyr in inſtanti præcedente ad martyrium non fuiſſet perfectiſsimus, ſed perfectus, aut

profi-

pr ficiens, aut incipiens, aut etiam iniustus: ſuppoſita præiacta generoſa ſalutari reſolutione in ipſo inſtanti, quo martyrium ſuſtinet, infunduntur illi eæ perfectiſsimæ virtutes, à quibus, & præſertim à charitate, in eſſe perfectiſsimi conſtituitur. Votum Seraphicum ad ſui emiſsionem, & obſervationem has etiam perfectiſsimas virtutes actu requirit, ut dictum eſt. Et in hoc convenit cum martyrio. Diſcriminatur tamèn; quia ad martyrium non præſupponitur charitas perfectiſsima, ſed infunditur; ad votum verò præſupponitur. Vnico verbo. Martyrium, ſi non invenit, facit perfectiſsimum. Votum verò Thereſianum non facit perfectiſsimum, ſed ſupponit. Ex quibus.

Reſpondetur 4. negando antecedens, & maiorem probationis diſtinguendo, quæ vera eſt de non perfectis, ac etiam de iniuſtis præſuppoſitivè; falſa autem de ipſis, ut formalitèr martyrium ſuſtinentibus. In hoc que formali ſenſu verum eſt, quòd nemo, qui perfectiſsimus non ſit, martyrium ſubeat. Et hoc ipſum affirmamus de voto Seraphico.

62. Secundum motivum, quo præcipuè ducimur, ad ſuſtinendum votum Seraphicum non poſſe emitti, niſi ab eo, qui perfectiſsimus ſit, deſumitur ex diverſis authoritatibus, quarum aliquas adducemus, ex quibus clariſsimè conſtat veritas noſtræ reſolutionis.

Incipio à V. P. N. Franciſco à Sancta Maria, qui lib. 1. Hiſtor. gen. cap. 30. num. 2. agens de Seraphica Virgine hoc ſuo voto omne, quod perfectius eſt comprehendente ait: *No ſe contenta con diez, ni con veinte coſas: todo lo abraza, à todo ſe abanza. Los penſamientos quiere, que ſean ſubidos, las palabras angelicas, las obras del Cielo, las intenciones divinas, porque nada halle ſu Eſpoſo en sì, que no ſea digno de èl.* Et concludit: *En fin, hace una obra à todos viſos inſigne, à todo encarecimiento ſuperior, à toda conſideracion admirable.* Vide, & conſidera, quòd votum Thereſianum eſt opus, qualitèrcunquè inſpiciatur, inſigne, quocunque elogio ſuperius, & cuivis conſiderationi mirandum. Et hæc ideò huic voto conveniunt; quia ad ipſius impletionem requirantur cogitationes ſublimes, verba angelica, operationes cæleſtes, & intentiones divinæ. Opus hæc omnia expoſcens non crediderim fore opus cuiuſcunque perfecti, ſed opus animæ perfectiſsimæ, virtutibus purgati animi exornatæ. Quas virtutes emicuiſſe in anima Sanctiſsimæ Thereſiæ teſtatur, qui eam intimè cognovit Illuſt. Dom. Yepes, qui in vita eiuſdem Sanctæ lib. 3. cap. 27. confirmans ea, quæ diximus, ſic ſcribit: *Alcanzò la Bienaventurada Madre Thereſa de Jesvs el ſupremo grado de las virtudes, que llaman los Philoſophos, y Theologos de animo purgado, que es lo miſmo, que de corazon purgado, limpio, y puro de paſsiones, y perturbaciones deſordenadas. Porque quando aqui arriba el navio de nueſtra miſeria, eſtàn yà las olas de las paſsiones muy ſoſſegadas porque ni ſopla el viento de la ſobervia, ni ſe levanta el viento de la ira, ni ay quien encienda el fuego de la concupiſcencia ni atemorize à la paſsion de la iraſcible. Todo eſtà en calma, y ſolo ſoplan los vientos de ſerenidad, y templanza. A eſta pureza no ſe llega, ſino es aviendo primero alcanzado las virtudes en grado heroico: porque à penas ay virtud, que no trai conſigo la mortificacion, y moderacion de las paſsiones; pues quando los vicios, y apetitos eſtàn tan rendidos, que à penas ay raſtro de ſus deſordenes en el alma, ſeñal es, que ha ſido grande la fuerza y excelente la virtud, que aſsi hà triunfado de ſus enemigos.* Hæc omnia infra neceſſariò iteranda, idcircò modò adduximus, quia admodùm neceſſaria ſunt ad plenam intelligentiam eorum, quæ in præſenti ſcribimus. Ex illis ergo perſpicuè patet ſtatus animæ habentis virtutes purgati animi, quas habere debet, ut queat votum Seraphicum nuncupare, illas què habuiſſe Seraph. M. N quæ tale votum emiſit, liquet ex inducto graviſsimo teſtimonio.

In-

63. Inceptum prosequentes producimus V. N. Ioannem a Iesu Maria, qui in vita, quam Idiomate Latino scripsit, Sanct. Mat. Nost. ait: *Inter universa Virginis gesta maximum, quod in alia nulla Sanctorum historia legisse meminimus, fuit votum quod promisit se, non grata modò, sed quæ Deo gratiora crederet effecturam. Votum quippè hoc angelicum, & usquè ad stuporem planè mirum, nisi ab animo divini amoris flammis excocto & in Deum perennitèr rapto, edi non potuit.* Observa in huius V. ac Sapientissimi Patris plurima pro instituto præsenti. Nec moram facio in eo, quòd S.M.N. suum votum sine exemplari emiserit: hoc enim huius loci ita proprium non est, & infra examinabitur. Primum ergo, quod observandum est, est, quòd hoc votum dicatur *Angelicum, & usquè ad stuporem mirum.* Quæ notiones non ita propriè adaptantur operibus perfectorum, ut dictum est; conveniunt tamen proprijssimè perfectissimorum operibus. Vlteriùs inquit, quòd tale votum *edi non potuit, nisi ab animo divini amoris flammis excocto.* Flammæ divini amoris coquunt quidèm animum perfectorum, sed non *excoquunt*, hoc enim perfectissimis reservatur. Quod autem clarissimè nostri asserti stabilimentum est, continetur ijs verbis: *Et in Deum perennitèr rapto*, est prorsùs impossibile, nisi adsint virtutes purgati animi: hisce enim virtutibus fruitur animus ea pace, tranquilitate illa, quam num. præcedenti vidimus, iam que numer. 56. nobis dixerat Sanctus Thomas. Alij verò, qui perfectissimi non sunt, seu qui his virtutibus non fulgent, quamquàm egregijs virtutibus exornentur, ultra corporis gravitatem habent passionum incursus, & cogitationum multitudinem, à quibus intercipiuntur, ne *perennitèr* in Deum *rapiantur.* Modò placet sic brevitèr discurrere. Votum Theresianum *edi non potest, nisi ab animo perennitèr in Deum rapto*, ut docet gravissimus hic Theologus: ergo edi non potest, nisi ab habente virtutes purgati animi. Consequentèrque edi nequit nisi ab eo, qui perfectissimus sit.

64. Tertius, quem afferimus, est N. Ildephons. à Iesu Maria, qui tom. 2. 2. part. disc. 3. §. 8. postquàm dixerat, Seraphicam M. N. votum Seraphicum emisisse, addit: *Cosa que aunque al parecer excede la perfeccion ordinaria de los hombres, pero no la de aquellos, en quien Dios quiere hacer prueba, y demonstracion del poder de su brazo, y de sus mas particulares misericordias, para mayor manifestacion de su gloria y en comprobacion de lo que ofreciò hacer en el hombre al principio de su creacion.* Est dicere. *Votum Theresianum, quamvis excedere videatur hominum regularem perfectionem; non tamèn superat perfectionem illorum, in quibus Deus demonstrare vult potentiam sui brachij, suarum que magis specialium gratiarum, in ampliorem manifestationem suæ gloriæ, & in testimonium illius, quod, dùm hominem creavit, facere spopondit in homine.* Gravissima hæc huius Patris authoritas adeò perspicua est, ut nihil addere debeamus pro ipsius explanatione. Ex illa constat divisio perfectionis in ordinariam & omnimodam. Qua divisione supposita, votum Seraphicum dicitur excedere primam, non verò superare secundam.

65. A domesticis recto ordine ascendimus ad extraneos, quamquàm charitate finitimos. Occurrit primus Egregius Doct. P. Franciscus de Ribera, qui lib. 4. vit. S. M. N. cap. 10. de hoc voto agens inquit, prout refert Historia nostra loco citato: *Voto es este, que yo de ningun Santo he leido, ni oido jamàs y quien quiera que lo hace, solamente el hacerle, es clarissima señal de una mui alta, y muy extraordinaria perfeccion.* Quibus edocemur quòd sola emissio voti Theresiani *est clarissimum signum altissimæ, & extraordinarissimæ perfectionis.* Nil clarius adduci potest pro stabiliendo nostro asserto, quod omnimodam, seu altissimam, & extraordinarissimam

mam perfectionem expoſcit in eo, qui votum Thereſianum emittat.

66. Poſt auditos hos graviſsimos Authores iuſtum eſt, ut alium quoque graviſsimum, & qui conſcientiam, ac vires ſpirituales Seraph. Thereſiæ optimè novit, audiamus. Hic eſt Illuſt. D.D. Didacus de Yepes, Sanctæ M. N. ſpiritualis Ductor, qui in eiuſdem vita, eadem Hiſtoriâ noſtrâ referente, ait: *El mayor teſtimonio que yo hallo de la admirable ſantidad, y perfeccion de eſta Glorioſa Santa, es aver hecho, y cumplido por tantos años un voto tan excelente, y dificultoſo para cuyo cumplimiento era meneſter la perfeccion de los Seraſines.* Id eſt. *Maius teſtimonium, quod ego invenio circa ſanctitatẽ, & perfectionem huius Glorioſæ Sanctæ, eſt votum, adeò excellens, & difficile, quod fecit, & per tot annos implevit; ad cuius impletionem Seraphinorum perfectio exigebatur.* Hæc verba prolata à viro docto non panægyriſtam, ſed hiſtoriographum agente, egregiè perſuadent propoſitæ doctrinæ veritatem, ex illis què in favorem illius duplicitèr argumentor.

Primò ſic. In Seraphica Mat. N. plurima inventa ſunt, quæ ad perfectionem omnimodam ita ſpectabant, ut à nullo, qui perfectiſsimus non eſſet, haberi potuiſſent: ſed inter omnia, quæ ad omnimodam perfectionem dicto modo ſpectabant, maius fuit votum Seraphicum: ergo hoc emitti nequit, niſi ab habente omnimodam perfectionem, ſeu, quod idem eſt, à perfectiſsimo. Illatio tenet, & minor eſt expreſſa in adducto teſtimonio, quo non ſolùm probatur intentum, nempè, quòd votum Thereſianum debeat præſupponere in emittente omnimodam perfectionem, verumetiàm ſuadet, quòd inter omnia opera, quæ perfectionem omnimodam prærequirunt, ſuperius, excelentius què ſit votum Seraphicum. Maiorem non negabit, niſi ille, qui pervicax luce in merediana cæcutiat.

Secundò argumentor ſic. Opus illud, ad cuius obſervationem exigitur Seraphinorum perfectio, ſi ab homine ex Dei benignitate fiat, præſupponere in eo debet omnimodam perfectionem: Votum Thereſianum tale opus eſt, ut exigat ad ſui obſervationem perfectionem Seraphinorum: ergo homo, qui illud ex Dei benignitate emittit, & obſervat, debet habere omnimodam perfectionem. Minor liquet ex inducto teſtimonio, & maior de ſe conſtare videtur. Si enim ab alio, præterquàm ab homine perfectiſsimo, illud opus fieri, & obſervari poſſet, vanè recurreret Theologus peritiſsimus hiſtoriam texens ad ſpiritus inter Angelicos ſublimiores. Nec enim dixit, quòd non ab alio queat illud votum emitti, niſi à Seraphinis. Sed ſenſus illius, is que fundatiſsimus, eſt, quòd quicunque votum illud nuncupaverit, debet habere perfectionem ſimilem perfectioni Seraphinorum. Vndè ſicùt iſti ſunt inter omnes ſpiritus Angelicos perfectiſsimi; ſic & qui votum Thereſianum emittat, debet eſſe perfectiſsimus inter omnes ſpirituales, qui elevati ſunt ad perfectionem.

His, quæ diximus, affatim comprobatam eſſe, putamus noſtram aſſertionem, quoad ſui difficiliorem partem, in qua dicimus, quòd emiſsio, & obſervatio cæleſtis voti Thereſiani non eſt opus cuiuſcunque perfecti, ſed illius ſolummodo, qui perfectiſsimus ſit, ad quod etiam comprobandum alia teſtimonia ſuperſunt, etiam à Summis Pontific. deſumpta; illa tamen infra commodiùs adducemus, ubi præcisè iteranda eſſent, ſi hic inſererentur.

§. II.

Argumenta ſolvuntur.

67. HErman. N. lib. 2. c. 8. Suſtinet, quòd poteſt emittere votum Thereſianum ille, qui *inter proficientes poſsit annumerari.* Vndè noſtræ reſolutioni, quoad omnes ſuas partes, contrariatur. Qua verò parte probare contendit, proficientes poſſe

illud

illud votum nuncupare (ſupponit quippè ut indubium, omnes perfectos poſſe) arguit authoritate D. Thomæ 2. 2. q. 24. art. 9. ubi ait: *Ad 2. dicendum, quòd illis, in quibus charitas incipit, quamvis proficiant; principalior tamen cura imminet, ut reſiſtant peccatis, quorum impugnatione inquietantur. Sed poſtea hanc impugnationem minus ſentientes, iam quaſi ſecuriùs intendunt ad profectum: ex una tamen parte facientes opus, & ex alia parte habentes manum ad gladium, ut dicitur in Eſdra de ædificatoribus Hieraſalem.*

Hoc D. Thomæ teſtimonio & alijs. S. M. N. Thereſiæ, S. Saleſij, & N. Ioannis à Ieſu Maria perſuadere conatur doctus Pater, proficientes, aut illos, qui *inter proficientes poſſunt annumerari*, idoneos eſſe ad emittendum votum Thereſianum. Cum tamen ad id ſuadendum nullum fundamentum in illis textibus reperiatur: quocircà illos prætermimus. Ad inductum ex D. Thoma dicimus: eo optimè probari (quod nos alibi fecimus, ut initio huius quæſtionis inſinuavimus) diverſitatem illam trium ſtatuum vitæ ſpiritualis. Vndè docet, quòd licèt charitas incipiens proficiat; tamen eius præcipua ſollicitudo dirigitur ad peccatorum reſiſtentiam: & propterea ea via dicitur purgativa, & qui in ea ſunt dicuntur incipientes. Poſteà tamen charitas proficiens incumbit virtutum acquiſitioni; habet verò gladium ad manum, ne culparum ignis revireſcat. Hoc, & non aliud eſt, quod inibi Sanctus Thomas dicit, conformitèr ad ea, quæ in eo articulo docet. Ex his autem quid de Thereſiano voto? aut de perfectione, qua illud nuncupantes ornari debent?

68. Verùm quia aliqua poſſunt opponi contra eandem partem illius noſtri aſſerti; ideò arguitur 2. eſt maxima receptiſsima inter omnes Myſtas, quòd Deus conferre ſolet incipientibus, & proficientibus eas gratias, quæ ſunt propriæ perfectorum: ergo gratiam, quam perfectis communicat ad voti Seraphici emiſsionem, poteſt conferre proficientibus. Ergo iſti cum iſta gratia votum Seraphicum emittere valent. Et conſequentèr illa ipſa capacitas, quam habent ad ſuſcipiendam hanc gratiam, facit illos idoneos, ut edere queant illud votum.

Confirmatur. Adveniente purgatione paſsiva ſpiritus, illam patiens idoneus eſt ad emittendum votum Thereſianum: ſed hæc paſsiva purgatio evenit proficientibus, ut ſupra diximus: ergo iſti media illa purgatione, reddunt idonei ad emittendum hoc votum. Maior, in qua ſtare poſſet difficultas, liquet ex ijs quæ §. præcedenti attulimus ex N. Myſtico Doctore, qui perſpicuè docet, quod media illius purgationis efficacia extrahitur ſpiritualis à parvuli ſtatu, in quo erat priùs.

Reſpondetur argumento negando maiorem: Maxima enim certiſsima, & receptiſsima Myſticorum eſt, quòd Deus ſolet, perfectis gratiam contemplationis denegare, & illam incipientibus impertire. Quod veriſsimum eſt. Nullum tamen hinc fundamentum deſumi poteſt, ad colligendum, quod gratiæ propriæ perfectorum conferri à Deo ſoleant non perfectis. Tum: quia gratiæ propriæ perfectorum ſunt plurimæ, quarum una eſt gratia contemplationis, quam interdùm ſolet Deus illis ad illorum exercitium denegare. Tum etiam: quia gratiæ propriæ perfectorum dicuntur illæ, quæ ſunt ſtatus perfectorum conſtitutivæ: has que licèt Deus alijs conferre poſsit abſolutè; non tamen ut ſunt conſtitutivæ ſtatus. Implicat enim manifeſtè, quòd non perfectus habeat gratiam perfecti, prout perfecti conſtitutivam. Hinc que liquet, quòd non confertur imperfectis gratia exacta ad emiſsionem voti Seraphici, in quo datur motivum ſpecialiſsimum, ut ſub illa maxima non contineretur. Etenim non negamus quod proficientes & etiam incipientes eo fervore quandoquè fulgeant, ut nihil illis tunc repræſentetur, quod facilitèr aut ſuſtinendum, aut faciendum propter

Dei

Dei amorem non aggrediantur. Vndè tunc facilè ipsis erit non ambigere, se posse votum Seraphicum nuncupare: rectè que facient, si auram illius fervoris non contemnant, & facere, quod perfectius fuerit, proponant: præsumptuosè tamèn votum emitterent. Ratio est: quia idoneitas ad illud votum non venanda est ex illo fervore; sed ex viribus, quæ permanentèr sunt in promittente: & etiam inspiciendum est, quòd voti emissio relinquit in vovente obligationem ad illius observantiam: non est enim ex ijs actibus, qui citò fluunt, & nullum vinculum, aut obligationem relinquunt. Vndè si in vi illius fervoris votum illud emitteretur, eo transacto, maneret obligatio ad faciendum sèpèr, quòd perfectius est sine viribus ad votum adeò arduum observandum. Quocircà nunquàm hæc gratia communicari potest *i*mperfectis.

Ad confirmationem negetur maior; quia purgatio passiva spiritus, non cum advenit, sed cum perficitur, suum que munus explet, extrahit eum, qui illam passus est, à statu parvuli, illum que sublevat ad perfectorum statum. Et hoc est, quod docet Extatic. N. Doctor. Vndè confirmatio non tenet; quia transacta ea purgatione, transfertur, qui proficiens erat ad statum perfectorum; advenit quippè purgatio illa in fine viæ illuminativæ, ut alibi diximus. ¶ Ast quia potest facta confirmatio urgeri contra id, quod de perfectis asseruimus, dicendum est, quòd hæc purgatio transfert quidèm proficientes ad statum perfectorum: ast cum ad emissionem voti Seraphici necessaria sit omnimoda perfectio, ut patet ex dictis; idcircò nequeunt illud emittere perfecti incipientes.

69. Sed antequàm hinc recedamus animadvertere placuit, quòd N. Herman. quem num. 67. vidimus asserentem posse proficientes edere votum Seraphicum, postmodùm clarissimè cap. 17. affirmat, requiri perfectionem reipsa habitam, ut quis idoneus sit ad illius voti nuncupationem. Quam doctrinæ contrarietatem præsentiens ipse in fine illius capit. 17. illam conciliare contendens ait: *Ad evitandam obscuritatem ex hoc, quòd aliquando votum Seraphicum dicatur esse perfectorum, aliquandò verò proficientium: brevitèr hic admoneo* &c. Illum tu videris, si fortè capere queas. Nos autem hæc tibi duplici motivo proponimus. Primum est, ne decipiaris existimans me falsò illum Authorem allegasse. Secundum est, quia si verè sustinet, requiri perfectionem qualemcunque, subest eoipso dictis, dandis que impugnationibus.

70. Arguitur 3. ex secunda parte conclusionis contra 3. Possunt perfectissimi emittere votum Theresianum: ergo & omnes perfecti hoc idem possunt. Probatur consequentia. Ideo perfectissimi illud votum emittere possunt, quia habent virtutes purgati animi, ut dictum est: sed easdem virtutes habent omnes perfecti: ergo. Probatur minor: quia, ut diximus in Isagoge lib. 1. n. 151. cum nostra Catena mystica: Virtutes politicæ attinent ad incipientes; virtutes purgatoriæ ad proficientes; virtutes verò purgati animi ad perfectos: ergo.

Respondetur negando consequentiam. Ad probationem dicas: Illam divisionem, ut ibidèm diximus, esse virtutum moralium; de quibus idem dicendum est, ac de charitate. Charitas non solùm dividitur absolutè in incipientem, proficientem, & perfectam: verum etiàm, ut dictum est numer. 55. quodlibet ex his dividentibus tripartitur in alia eiusdem nominis dividentia. Vndè sicùt charitas perfecta alia est incipiens, alia proficiens, & perfecta alia: sic possumus dividere eodem modo virtutes purgati animi. Omnes illæ semper, & ubiquè perfectæ sunt: ast earum perfectio habet principium, medium, & finem. In sui fine perfectissimæ sunt: & quia analogum per se sumptum stat pro famosiori; idcircò auditis his verbis: *Virtutes purgati animi*, illæ virtutes menti intelligentis objiciuntur, quæ non sunt omnium perfectorum, sed *Beatorum*,

vel aliquorum in hac vita perfectiſsimorum, uti D. Thomas dixit num. 56. in fine.

71. Arguitur 4. Contra illam concluſionis partem, in qua aſſerimus, perfectiſsimos poſſe votum Seraphicum emittere. Etenim votum Thereſianum emittens debet cognoſcere, ſe habere vires ad obſervandum tale votum, ut dictum eſt: ergo ſi ſolus perfectiſsimus queit illud nuncupare, dùm illud emittit, debet ſcire, ſe eſſe perfectiſsimum. Modò ſic: ſed hoc eſt maximum incõveniens: ergo non ſolus perfectiſsimus poteſt votum Seraphicum nuncupare. Cætera conſtant, & minor ſubſumpta probatur. Inconveniens maximum eſt, & humilitatis defectus, præſumptuoſum que, quòd aliquis cognoſcat, ſe eſſe conſtitutum in culmine perfectionis: ergo inconveniens maximum eſt, quòd ſolus ille, qui omnimodam perfectionem habet, poſſit emittere votum Thereſianum.

Reſpondetur. Hoc argumentum habere patrem diabolum, qui hac ſuperbiſsima humilitate plures decipit, vel ut malos faciat, vel ut maiorem eorum perfectionem impediat. Et ſanè ultra hanc malitiam habet argumentum & aliam: nempè quòd multum probet; atque ideò nihil convincat. Si namquè aliquid probaret, probaret utiquè, quòd nullus perfectus; immò nullus iuſtus poſſet illud votum facere: nec aliquod ſalutare opus, nec ingreſſum ad gloriã deſiderare. Vndè humilitas quę eſt via ad Cælum, à Cælo retrahet, & ad tartara ducet. Igitur ad argumentum reſpondetur diſtinguendo antecedens, *ſe habere*, ex Dei benignitate, concedo, ex ſe ipſo, nego antecedens, & ſub eadem diſtinctione ad aliam propoſitionem applicata, negetur minor ſubſumpta. Ad cuius probationem dicas: falſiſsimum eſſe; quòd ſit præſumptuoſum, aut contra humilitatem, quòd aliquis cognoſcat, ſe eſſe in culmine perfectionis ex benignitate, ac liberalitate divina. Effectus quippè huic cognitioni correſpondens eſt magnificare liberaliſsimum Largitorem, ſe que ipſum humiliare. Quod fecit ſelectiſsima illa inter filias Hieruſalem, quæ ad ſanctitatis apicem evecta, & Mater Dei facta cognovit, ac venerata eſt largitatem Omnipotentis & ex hac cognitione in actum humilitatis erupit dicens: *Ecce ancilla Domini fiat mihi* &c.

Hanc Sanctiſsimam æmulari debent omnes. Sic que dùm dona à Dei manu recipiunt, illius benignitatem magnificabunt, ſe ipſos profundiſsimè humiliantes. Egregiè hanc doctrinam ediſſerit S. Sales. Introduc. part. 3. cap. 5. *Plures*, ait, *nec volunt, nec audent particulares, quas à Domino gratias acceperunt, cogitare, vel conſiderare; ne vel complacentiæ, vel inanis gloriæ vitio depraventur, & in hoc certè ſemetipſos decipiunt: quia cum ad amorem divinum perveniendi verum ſit medium (Angelico Doctore ſuffragante) divinorum beneficiorum conſideratio: quò magis illa conſideremus; eò magis Deum amabimus & cum beneficia particularia magis efficacitèr excitent, magis etiam attentè debent conſiderari.* Et poſtmodùm ſubiungit: *Timendum non eſt, quòd nos inflabit illarum rerum cognitio quas Deus poſuit in nobis, modo cum diligentia reflectamus ad hanc veritatem: non eſſe de nobis id, quod eſt bonum in nobis: quin è contrà potiùs acceptarum gratiarum conſideratio nos humiliat.* Totius huius doctrinæ, immò & perfectionis ſummam edocuit Deus ipſe Sanctam M. N. (ut ipſa in ſupplem. ad lib. vitæ refert) hiſce pauciſsimis verbis: *Hæc eſt vera humilitas, ut cognoſcat anima quid ipſa poſſit, & quid ego.* Ex cognitione vero eorum quæ ipſa ex ſe facere poteſt, humiliatur. Vtranque cognitionem præ oculis habere debet; ne ſine fiducia humilis deſperet; aut præſumptuoſa ſine humilitate ruat. Videri debet Seraphica ipſa Doctrix lib. vitæ cap. 13. ubi hæc miriſsimè ediſſerit, & quæ ſit vera, ac virtuoſa humilitas docet.

QVÆS-

QVÆSTIO SEXTA.

VTRVM SOLA CHARITAS PERFECTISSIMA SVFFICIAT ad emiſsionem voti Thereſiani? vel aliquid aliud requiratur?

SVperavimus, auxiliante Deo, præcipuas difficilis valdè voti Seraphici difficultates. Quæ ſequuntur non ita arduæ ſunt: & quæ maiori ex parte aut ad hiſtoriam ſpectant, aut ſunt præcedentium appendices. Quocircà leviori manu ſunt attingendæ, & ſtylo ab ipſis exacto.

§. I

Titulus breviſsimè exponitur, & controverſia dirimitur.

72. DVm audis: *An ſola charitas* &c non intelligas quæſitum procedere de ſola charitate, ita ut aliæ virtutes, ſeu principia intrinſicè, & habitualitèr animam exornantia non concurrant, ſeu, illa non concurrere, dubitemus. Hoc enim puerile eſſet. Tum: propter mirabilem virtutum connexionem. Tum: quia, ut ſupra comprobatum relinquimus, ad votum Seraphicum tres virtutes ſpecialitèr concurrunt: ſcilicèt Religio eliciens, charitas imperans, & obedientia materiam offerens. Omnes hæ virtutes influunt modo dicto in votum Seraphicum: ſolius autem charitatis mentionem fecimus: vel quia charitas eſt Mater omnium virtutum, ut dicitur in 1. 2. q. 62. art. 4. in corp. vel quia omnium virtutum radix, & forma eſt, ut dicitur 2. 2. quæſt. 23. art. 8. ad 2. & in 3. d. 23. q. 2. art. 3. q. 1. ad 1. aut quia *poteſt dici virtus generalis*, ut dicitur 2. 2. q. 58. art. 6. in corpore: aut deniquè; quod expreſſiùs rem præſentem ſignificat, quia eſt generalis perfectio virtutum omnium, ut dicitur q. 8. de Malo art. 2. in corpor. & diſput. de charit. q. 2. art. 3. ad 1. ob hæc omnia, & alia, quæ facilè ex ipſis percipiuntur, ſolam charitatem nominavimus: verumenimverò nomine *charitatis* omnes alias virtutes comprehendimus; & maximè illas, quæ ſpecialem influxum habent in votum Thereſianum: quæ omnes à charitate formantur: à charitate perfecta perficiuntur: & à perfectiſsima fiunt perfectiſsimæ. Vndè idem eſt inquirere: *Vtrum ſola charitas perfectiſsima* &c. ac explorare: *Vtrum ſolæ virtutes perfectiſsimæ* &c. ſolius autē charitatis meminimus propter dicta.

Explicuimus quid nomine charitatis in titulo poſito intelligendum veniat. Reſtat, ut explicemus ad quid ly *ſola* referatur? & breviſsimè dicimus, quod ly *ſola* refertur ad aliquid aliud diverſum à dictis virtutibus, vel à charitate modo explicato conſiderata. Quapropter ſenſus tituli propoſiti eſt: An qui perfectiſsimus eſt à charitate, & alijs virtutibus perfectiſsimis, queat, circunſcripto quocunque alio, votum Seraphicum nuncupare?

73. Sit noſtra concluſio. *Plura alia præter charitatem perfectiſsimam neceſſaria ſunt, ut votum Thereſianum emitti queat.* Aſſertio probatur, & ſi nùl illa alia, quæ neceſſaria ſunt declarantur. Etenim ut votum Seraphicum validè, ac laudabilitèr nuncupetur, debet præcedere cognitio virium, quas emittens illud votum requirit ad illius obſervationem, ut ſupra diximus: ſed ut hæc cognitio præcedat, requiruntur plura alia præter virtutes: ergo eæ ſolæ non ſufficiunt. Maior, quam ſupra inſinuavimus continet doctrinam certiſsimam, quam Meliſſuus Doct. nobis cōfert ſerm. 62. De modo benè vivendi hiſce verbis:

bis: *Moneo te, ut facias bonum, quod promisisti: Non sis in verbis facilis, & in operibus difficilis. Coram Deo facere aliquid, facilè non promittas: sine consideratione virium nihil præsumas: quod non potes facere, non promittas.* Pulchrè quidem D. Bernard. immaturam vovendi solicitudinem frænat, & ad implendum, quæ promisimus, urget. Vrget ad implendum, quia obligatio instat: frænat solicitudinem, ut vires, quæ necessariæ sunt, examinentur. Videtur que desumpsisse suum hoc solidissimum monitum ex verbis Christi Domini apud Lucæ cap. 14. vers. 28. docentis: *Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non priùs sedens computat sumptus, qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum: ne, postea quam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes, qui vident, incipiant illudere ei dicentes: Quia hic homo cæpit ædificare, & non potuit consummare.*

Per ædificationem turris significatur perfectio Christianæ vitæ, ait D. Thomas in 2. 2. q. 189. art. 10. Qui ergo hanc turrim ædificare intendit, sedeat, non ad otiandum, sed ad computandum sumptus sibi necessarios. Sumptus computet, non currens, non deambulans, non stans, sed sedens. Quibus significatur seria sumptuum consideratio, quæ facienda est ante illius turris ædificationem; ne ædificationem intendens irrisionem, & ludibrium sibi fabricet. Hæc matura consideratio specialissimè præmittenda est ad votum Theresianum. Si namquè *diuturna deliberatio, & multorum consilia requiruntur in magnis dubijs*, ut ex Philosoph. in 3. Ethic. refert laudatus D. Thomas: consequens est, quòd ante emissionem voti Seraphici præcedat consideratio, & *diuturna deliberatio*. Prudentissimè monet Exim. Suarez lib. 1. cap. 8. de voto, quòd *consideranda est maximè materia voti: nam quò votum est de meliori, & perfectiori, magis perpetuo, magis que universali bono, eò ex se melius est, magis que expediens; tamen eoipso potest esse difficilius; & ideò contingere etiam sæpiùs potest, ut non expediat propter indispositionem, & fragilitatem voventis.* Hæc gravissimus hic Theologus, cuius motivum nullibi æquè viget, ac in voto Seraphico, cuius materiam esse universaliorem, quàm alia cuiuscunque alterius voti, dictum multotiès est.

74. His pro ostendenda veritate. Illius maioris adductis, ad probationem minoris ingredimur. Et ante omnia occurrit, quod necessariò præcedere debet ante voti Seraphici emissionem impulsus specialissimus Dei semèl, & iterùm animam vocantis ad eius nuncupationem. Sic se gessisse Seraphicam M. N. in sui voti emissione testantur quotquot suam mirabilem vitam typis mandarunt: & quod maximum est. Gregor. XV. in Bul. Canon. eiusdem Sanctæ ait: *Maximè arduum votum à Deo edocta emiserit.* Et Vrbanus VIII. inquit: *Eo consiliante maximè arduum votum emisit.* Discere vellem à gravi Scriptore, quem infra dabimus, quis sit Pontificum sensus in ijs verbis: *Eo consiliante, & à Deo edocta*: quia si nihil aliud intenderent, nisi illud, quod generalissimum est cuicunque operi salutari, quod utiquè *de sursum est, descendens à Patre luminum*, nihil se dixisse, facilè ostendi posset, quod de supremo capite, rem adeò gravem versante, animus Christianus abhorret. De his tamen infra. Modò autem sufficiat nobis ad stabiliendam nostram veritatem dicere, quòd sic sentiunt omnes vitæ Sanct. M. N. Scriptores, ex quibus unum afferam, qui pro multis est. Hic est præallegatus N. Historiograph. qui in fine illius 30. capitis, postquàm alia recensuit, quæ præter charitatem perfectissimam requiruntur ad emissionem voti Theresiani, inquit: *Super hæc omnia speret à Deo impulsum specialissimum, & multotiès reproductum; sine illo enim imminenti periculo exponitur. Et Theresia magnum præmium comparavit; quia sic operata est.* Nec solidiùs, nec clariùs, nec breviùs rem gravissimam tibi proponere potui.

Se-

75. Secundum, quod, præter perfectiſsimam charitatem, requiritur ad emiſsionem voti Seraphici, eſt Seraphicum propoſitum, & ipſius diuturnum, & ſedulum exercitium. Res manifeſta eſt, & ut talis ab omnibus admiſſa. Poteſt que ſic brevitèr, ſed urgentèr ſuaderi. Propoſitum, & votum Seraphicum conveniunt omninò in materia; eadem quippè eſt illimitatio utriuſque; nam ſicùt votum eſt promiſsio de omnibus, quæ gratiora Deo eſſe, cognoſcuntur; ſic propoſitum eſt voluntas faciendi ea omnia, quæ meliora eſſe, exiſtimantur. Diſcrimen tamen, & illud maximum inter illa eſt, quòd per propoſitum nulla inducitur obligatio; cum ſit ſola voluntas, ſeu deſiderium faciendi; per votum autem obligatio maxima inducitur, cum ſit promiſsio realitèr acceptata. Ex quo diſcrimine patet, quòd propoſitum eſt res inferior voto. Sicùt etiam ex eo, in quo conveniunt, liquet, quòd propoſitum eſt index evidentiſsimus virium, quas anima habet ad votum Seraphicum: cum enim materia ſit, ut dictum eſt, prorsùs eadem: qui in propoſito exercetur, evidentèr computat ſumptus, ſeu vires, quas habet: & experitur, an habeat illas, quæ neceſſariæ ſunt ad perficiendam altiſsimam turrim illimitatæ perfectionis Thereſiani voti; ne, ſi abſque diuturnâ hac, & experientijs confirmatâ cognitione incipiat ædificare, & perficere nequeat, dignus irriſione fiat.

Eſt igitur propoſitum Seraphicum opportuniſsimum medium, in cuius praxi examinatur perfectiſsimè an anima vires habeat ad votum Seraphicum emittendum: & quia aliundè propoſitum facilius eſt, quia nullam culpæ obligationem inducit; non eſt enim promiſsio, ſed deſiderium: idcircò ex utroque capite oportet, quòd propoſitum antecedat, & experientijs oſtendat, ſi proponens queat ſumptus facere, qui neceſſarij ſunt ad voti nuncupationem. Vndè ſicùt diximus impulſum ſpecialiſsimum Dei ſemèl, & iterùm reproductum exigi ad emiſsionem Seraphici voti; eò quòd impulſus iteratio ſignat eſſe in recipiente vires ad vovendum: ſic & idem dicimus de propoſito Seraphico, & eius ſedula praxi. ¶ Diximus, quòd *propoſitum eſt facilius*, non quia votum addat difficultatem aliquam moralem, ut ſupra dicebamus: ſed quia faciliùs emittitur, quod ad ſui obſervationem, nullam culpæ, aut minorem obligationem inducit. Sicùt videmus, quòd faciliùs emittitur votum ieiunandi ſub obligatione veniali, quam ipſum votum ſub gravi obligatione: licèt idem omninò ſit ieiunium obſervandum.

76. Tertium, quòd, ultrà virtutes in gradu perfectiſsimo habitas, exigitur ad nuncupationem voti Thereſiani, eſt facultas à ſuperiori obtenta, & directio ſpiritualis Magiſtri. Superioris facultas ideò, ut cenſemus, præcedere debet, ut res adeò magna, qualis eſt votum Seraphicum, prudentiùs, & maturiùs fiat. Aliundè enim nullam iniuriam facit, qui obligatus ad obedientiam ſufficientem, obedientiæ perfectæ voto, nemine cogente, ligatur. Quamvis emittens votum Thereſianum Religioſus ſit, leges ſubditi, quibus ex voto adſtringitur, non infringit; ſi illam ipſam obedientiam, quam in profeſsione vovit iuxta regulam; ſic elevet, ut ſit præter, & ſupra regulam. Hæc licèt ita ſint, conſultius eſſe iudicamus, quòd Prælati notitia votum antecedat, ac de facultate ipſius nuncupetur. Moveor primò ex ipſa arduitate voti: quæ exigit, ut ex beneplacito illius, qui loco Dei colitur, emittatur; ſicque ex mera obedientia procedat emittens, qui modus procedendi abſdubiò perfectior eſt. Sic que procedens maiorem ſecuritatem habet circa impulſum Dei, quem neceſſarium eſſe, diximus.

Moveor 2. & præcipuè, quia ſic proceſiſſe Seraphicam M. N. conſtat ex noſtra hiſtoria loco allegato, ubi dicitur: *Muy contenta la Santa con eſte parecer* (obſerva) *para mayor firmeza y ſoſsiego de ſu alma quiſo añadir à la dicha otra diligencia, que fue pedir al Reveren-*

diſ-

diſsimo General de la Orden, que entonces era Fray Juan Baptiſta, licencia para hacer eſte voto en la manera ſeñalada. Diòla de buena gana. Y para memoria añadiò ella de ſu letra en el papel dicho de la comiſion del Padre Provincial, y parecer del Padre Fray Garcia eſtas palabras: Diòme el Reverendiſsimo General licencia para prometer eſte voto. Huius graviſsimi teſtimonij ſumma eſt, quòd S. M. N. ad maiorem ſui voti firmitatem, & quietem animæ ſuæ, petijt à ſuo Generali licentiam, ut ſuum illud votum nuncuparet, quam obtinuit, ut ipſa Sancta teſtatur ſcribens: *Licentiam mihi contulit Reverendiſsimus Gen. ut ederem iſtud votum.* Et ſanè in ipſa emiſsione Seraphici voti caderet, qui alitèr procederet: votum quippè eſt de faciendo, quod gratius Deo eſſe, deprehenditur: & nemo dubitare poteſt, quòd ſit Deo acceptius emittere illud votum cum beneplacito illius, quem qui audit, Deum audit.

Quod nullam difficultatem in præſenti habet, eſt neceſsitas Directoris: ſine illo enim votum Seraphicum nec poteſt emitti, nec obſervari. Nequit obſervari; quia Director ipſe debet eſſe Iudex determinans, quid ſit hic, & nunc perfectiùs, & quid minus perfectum ſit, ut mòx videbimus. Nequit quoque emitti; quia Director ipſe debet iudicium ferre de progreſſu animæ in exercitio propoſiti Seraphici, quod ante votum fieri, neceſſarium eſſe, diximus. Ad ipſum ſpectat vires animæ conſiderare, & eas cum arduitate voti nuncupandi conferre. Ipſius eſt explorare, an impulſus in anima receptus ad aggrediendum hoc opus ſit ex Deo, vel non. Alia plurima ipſius Directoris propria ſunt, quæ haberi non poſſunt ſine illius magiſterio, ob quæ omnia neceſſarium omninò eſſe. adſtruimus. De hoc magiſterio, ac de ſpiritualis Magiſtri qualitatibus videnda tibi ſunt, quæ diximus tom. 1. integra diſput. 2. ubi hæc determinata ſunt.

77. Ex dictis num. præcedenti colligenda veniunt aliqua, quæ hic deſiderantur ad eorum, quæ diximus, complementum. Primum eſt de formula, ſub qua emittendum eſt votum Seraphicum. Secundum de conditionibus, ſub quibus nuncupandum eſt. Circa primum tibi moleſtus non ero; quia nullius determinatæ formulæ indigentiam agnoſco. Nullam formulam ſibi vendicat hoc ſublime votum diverſam ab ea, ſub qua emittitur V.g. votum in una ſola die ieiunandi. Vndè poteſt emitti ſub quacunque forma, dummodò ea, quæ neceſſaria ſunt ad ipſius voti ſubſiſtentiam non deſint. Quocircà poteſt emitti ſcripto, vel verbo; vel etiam purè mentalitèr. Obligatio, quam inducit, eſt ad Deum, qui cordis arcana comprehendit, & mentis verba audit.

Circa ſecundum paucas tibi conditiones proponam: & hæ illæ erunt, ſub quibus ſuum hoc votum emiſit Seraphica M. N. illas refert noſtra allegata hiſtoria. Earum prima eſt, quòd Director ſciat, ſuum diſcipulum hoc voto ligatum eſſe. Secunda, quòd ſit penès diſcipulum obligatio interrogandi, quidnam perfectius ſit? Tertia deniquè, quòd facta hac inquiſitione, debeat diſcipulus ſtare iudicio ſui Directoris, & amplecti ut perfectius id, quod Director perfectius eſſe dicat. Sub his tribus conditionibus Seraphica Doctrix ſuum votum nuncupavit. Et eo ſub his tantùm conditionibus edito, progreſſus habuit, qui ubiquè reſonant, & quorum æmulator erit, qui ſimile votum ſub ipſis conditionibus faciat. Has conditiones deſidero in votum hoc nuncupante. Aliæ verò, ut ſunt, quòd illud votum obliget ſolùm ſub culpa veniali, & nunquàm ſub mortali, niſi ad ſummum cum Director præcipiat aliquid in ſcriptis; an etiam emittendum ſit pro determinato tempore, an verò pro tota vita: hæ, inquam, & ſimiles conditiones mihi non probantur. Aliæ, quia vanæ, & aliæ, quia falſæ ſunt. Modò agimus de voto Thereſiano eo animo, ut videamus, an vera ſint, quæ diximus, ab aliquo nuncu-

cupabile esse. Ad hoc methodo scientifica statuendum inspici præcisè debet, quid votum Seraphicum dicat, ut emissibile à iusto, & quid iustus requirat, ut illud emittere queat. Huic obligationi satisfit dicendo, quòd istud votum potest emitti ab eo, qui intra perfectorum classem perfectissimus sit, ut diximus quæst. præcedenti, dummodò adsint quoque ea, quæ in præsenti quæst. dicta sunt. De hoc quippè dicimus, quòd edere potest votum Theresianum sub tribus assignatis conditionibus. Vndè si mihi des decem, centum, mille, infinitos, qui illis floreant, dicam tibi, quod omnes illi possunt sub datis conditionibus emittere tale votum. Quòd autem iste, aut ille possit hoc votum facere, non pro tota vita, sed pro tempore determinato: non hoc, sed illo modo. & his similia aliena sunt à nostro instituto. Sicùt erraret, qui negaret votum castitatis à nemine esse nuncupabile; quia hic illud nuncupare non potest, aut ille nequit illud pro tota vita emittere, aut propter huius generis alia. Idem dicimus in nostro casu.

Ex quibus omnibus constat veritas illius minoris positæ num. 73. in cuius comprobationem illa allata sunt. Constat etiam veritas nostræ assertionis, videlicèt, quòd plura alia, præter perfectissimam charitatem, & alias virtutes in gradu perfectissimo habitas, requiruntur ad voti Seraphici nuncupationem.

§. II.

Respondetur argumentis.

78. PLuribus labefactari posse videtur assertio nostra, quibus occursum ire, opus est. Et incipientes ab eo, quòd omnia, quæ diximus, impugnat, arguitur sic primò. Ad emissionem voti Seraphici non exigitur cognitio virium, quibus observandum est: ergo non prærequiritur impulsus Dei, nec exercitium propositi Seraphici, nec consilium, aut directio Magistri spiritualis. Ergo sufficit charitas perfectissima eo modo sumpta, quo supra explicuimus. Patet ista, quia ideò hæc non sufficeret, quia illa necessaria forent. Prima consequentia ex antecedenti liquet, quod probatur. Ad vota Religiosa emittenda non exigitur cognitio virium, quibus observanda sunt: ergo nec ad votum Seraphicum nuncupandum. Antecedens continet doctrinam D. Thomæ 2. 2. quæst. & art. ultimis ubi in corp. ait: *Potest considerari Religionis ingressus per comparationem ad vires eius, qui est Religionem ingressurus: & sic etiam non est locus dubitationis de ingressu Religionis.* Consequentia autem probatur. Tum: à paritate. Tum: a ratione innixa in prosecutione præiactæ authoritatis. Etenim ideò qui Religionem ingreditur, non debet suas vires considerare, quia non à se, sed à Deo debet vires sperare, quibus perseveret: sed hoc ipsum debet, qui votum Theresianum emittit: ergo. Cætera liquent, & maior probatur prosequendo datam authoritatem dicentem, non esse dubitandum de ingressu Religionis: *Quia illi, qui Religionem ingrediuntur, non confidunt in sua virtute se posse subsistere, sed auxilio virtutis divinæ secundùm illud Isaiæ 40. Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem: assument pennas, sicùt aquilæ: current, & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient*: ergo.

Respondetur argumento negando antecedens. Ad probationem explico authoritatem D. Thomæ cum ipso D. Thoma, qui doctrinam illam sic limitat, seu explanat: *Si tamen sit aliquod speciale impedimentum, putà infirmitatis corporalis, vel onera debitorum, vel aliqua huiusmodi, in his requiritur deliberatio, & consilium cum his, de quibus speratur, quòd prosint, & non impediant.* Dantur ergo casus, in quibus explorari debet, an qui Religionem intrare statuit, debeat, aut possit intrare. Nec hoc est dubitare, an Religionem ingredi, sit bonum? Sed an huic bonum sit, ingredi Religionem, propter obstan-

obſtantia, quæ habet, vel habere dubitatur? Impedimenta aſsignantur ab Ang. Præcept. quorum primum eſt *infirmitas*: Secundum *onera debitorum*: Tertium: *Aliqua huiuſmodi*. Hoc ipſum dicimus de voto Seraphico, quòd poteſt ipſius emiſsio impediri per infirmitatem ſpiritualem: & ad hanc cognoſcendam neceſſarius eſt Medicus ſpiritualis: poteſt etiam impediri per onera debitorum: & ad hoc cognoſcendum, ultrà ductum Medici ſpiritualis, requiritur exercitium propoſiti Seraphici, quod debita ipſum præcedentia extinguit, & maximè prodeſt, ut alia non contrahantur. Poteſt etiam impediri *per alia huiuſmodi*, quorum cognitio latere poteſt Medicũ ſpiritualem: & ad hoc requiritur iteratus ſpecialiſsimus Dei impulſus. Vndè ex ipſo Ang. Doctore firmatur doctrina data.

79. Secundum argumentum poteſt confici ex ijs, quæ moleſtè, & minus ſolidè inculcat Hermannus cap. 14. ibi enim negat, requiri ſpecialem Dei impulſum ad nuncupationem voti Seraphici: illum expectare appellat frivolam excuſationem tepidorum nolẽtium magna opera aggredi: addit; quod non rectè de fide ſentiunt, qui ad hoc recurrunt, utpotè revelationibus, & ſenſibilibus nimium dediti, in ijs, ad quæ ſola fides ſufficit. Prætereà dicit: quòd volens Seraphicum votum emittere, ſi audiat illa verba: *Vovete, & reddite*, hic, dicit, *nihil eſt, quod præterèa requirat*. Rurſùs. Docet, Seraphicam M. N. emiſiſſe quidèm ſuum votum edoctam à Deo, hæc tamen doctrina non fuit *inſpiratio aliqua ſenſibilis, aut ſpecialis revelatio*; ſed edocta à Deo dicitur, quia *omne datum optimum, & omne donum perfectum, à quocunque procedat, de ſurſùm eſſe, dicendum eſt*: ergo non requiritur ſpecialiſsimus ille Dei impulſus, ut votum Seraphicum nuncupetur.

Hoc argumentum plura continet indigeſta, plurima falſa, & ſe invicem deſtruentia. Si namquè arguenti opponas, quòd ſua hæc doctrina contrariatur doctrinæ S. Saleſij à ſeipſo allegatæ, & admiſſæ lib. 1. cap. 6. ubi S. Doctor docet, quòd licèt omnia conſilia data fuiſſent pro omnium hominum perfectione; non tamen illa omnia cuicunque homini applicanda ſunt: ergo nec quicunque homo votum Seraphicum queit emittere. ¶ Hoc ſi ei opponas: reſpondet: *Quòd omnibus omninò Chriſtianis, etiam in particulari (prout iam ex Div. Thoma didicimus) omnia Chriſti conſilia ſunt propoſita, ſive data, non abſolutè tamen, ſed conditionatè, ſi nullum videlicèt impedimentum ſpeciale habeant: illis enim, qui habent impedimentum huiuſmodi, non eadem conſilia conveniunt: quia ſcilicèt obedire debemus divinæ voluntati non minùs cum nos docet hoc, vel illo poſito impedimento conſilia generalia ſeponere, quàm cum docet illa, ſepoſitis impedimentis practicare.*

80. Si inſtes. Vndè nam ſcire poterit iſte, vel ille ſe impedimentum eſſe ad conſilia; atque adeò, quòd Deus ipſum doceat, *conſilia generalia ſeponere*? Recurrendum ne tunc erit ad Dei ſpecialem impulſum? Reſpondet: *Nequaquàm*. Sed recurrendum eſſe ad Sacerdotes, quos Chriſtus *ſuos in terra Vicarios inſtituit*. Hoc que feciſſe Sanctam M. N. dicit ipſe cap. 9. per hæc verba: *Ipſa profectò Seraphica Fundatrix noſtra, cuius voti ſequelam explicamus, abſque conſilio maturiſsimo ſe ſe non obſtrinxit: R. enim P. Ribera votum ipſius referens hæc inter cætera ſcribit: Nec verò levitèr id, & temerè ipſa nuncupavit, vel quid ageret non advertendo: ſed conſultò admodùm* &c. Miriſsima ſunt hæc, & alia plurima, quæ prætereo.

Dico ergo. Quòd ſi audiens ea verba *vovete, & reddite: nihil eſt, quòd præterea requirat* ad vovendum. Vt quid recurſus ad Sacerdotes? Si recurſus iſte neceſſarius eſt, adhùc ſuppoſita infallibilitate illorum verborum: cur huic infallibilitati refragari videtur, qui impulſum ſpecialem Dei neceſſarium

eſſe,

esse, adstruit ad opus adeò sublime, uti est votum Theresianum? Recursus ad Sacerdotes necessarius est, quia ille, qui vovere intendit, potest esse impeditus, ut voveat, & hoc declarare Sacerdotum est. Vnum ex principijs, ex quibus Sacerdotes procedunt ad discernendum, an qui vovere vult, sit, vel non sit impeditus, est repetitus impulsus specialissimus Dei, illum ad vovendum vocantis. Recurrens ad Sacerdotes non sentit minus rectè de fidei certitudine: quia non fit recursus ex eo, quòd recurrens dubitet de bonitate consilij; nec enim ille dubium habet de eo, quòd *vovere* sit melius; nec ad hoc discernendum necessarij sunt Sacerdotes: recurrit tamen, ut sciat, an quod supponit melius secundùm se, sit ipsi melius. Pariformitèr impulsus specialis Dei non dicitur ad votum Seraphicum necessarius, ut innotescat voti Seraphici bonitas, quæ iam aliundè ex ipsa Sacra Scriptura innotescit; sed dicitur necessarius, ut innotescat, an huic expediens sit illud votum. Quocircà licèt verum sit, quòd audiens ea verba: *Vovete, & reddite, nihil est, quod præterea requirat*, ut cognoscat, quòd *vovere* melius est; habet tamen *quod præterea requirat*, an videlicèt melius sibi sit *vovere*.

81. Nec imaginamur, hunc specialissimum impulsum conferendum esse, Deo apparente in corpore assumpto, & hominem ad votum Seraphicum proprio idiomate invitante. Sed dicimus, quòd homo quotiès in virtutibus proficit, totiès per internum impulsum movetur à Deo: non enim homo passum in virtute dat, ad quem Deus ipsum nõ promoveat. Vndè cum ad gradum valdè arduum, ac sublimẽ ascendit, specialissimã inspirationẽ internã impulsũ que recipit. Quod fulciri, & quidèm solidissimè valet ex illo Cantic. 4. vers. 8. ubi Divin. Sponsus ait: *Veni de libano Sponsa mea, veni de libano, veni coronaberis.* Quæ verba sic D. Thomas inibi exponit: *Vocat eam, ut veniat, id est, ut virtutibus proficiat. Non enim solùm vocat Deus animam, quandò eam à vinculis corporis exutam ad cælestia præmia ducit; sed etiam, cum per internam inspirationem, ut in virtutibus proficiat, hortatur: quot enim virtutibus Sancti proficiunt, quasi tot passibus ad ipsum tendunt.* Egregiè quidèm. Et si benè observes, nihil reperies ex ijs, quæ Hermannus vibrat in specialissimum Dei impulsum à nobis assertum, quo non impugnari videantur textus inductus, & eius expositio.

Dicere verò, quòd Seraphica M.N. edocta fuit à Deo ad emissionem sui voti eo universalissimo doctrinæ genere, quo quicquid à Patre luminũ descendit, eius doctrina potest dici: hoc est, quod nõ sine maxima admiratione audio. Dedecere quippè videtur, supremum Ecclesiæ caput asserere Sanctam Doctricem suum votum nuncupasse *à Deo edoctam, & Deo consiliante*; & quòd in his verbis nihil aliud deferatur impulsui, seu doctrinæ descẽdẽti à Deo, nisi idipsum, quod conceditur inspirationi internæ ad salutaritèr erogandam aliquam eleemosynam. Aliquid speciale ostendere voluerunt Sum. Pontif. per ly *Deo consiliante*, & per ly *à Deo edocta*. Et hoc speciale est specialissimus ille impulsus, quem asseruimus, esse necessarium ad voti Seraphici emissionem. Quòd autem hic specialissimus impulsus dicatur revelatio, vel alitèr nominetur: res est de solo nomine. Nos cum prælaudato D. Thoma dicimus inspirationem internam, seu impulsum: eligat adversarius, quod magis sibi placuerit. Sicùt etiam illi optionem damus, ut ille impulsus dicatur, vel non dicatur *sensibilis*; dummodò non intelligat, quòd sensibus percipi queat; sed quòd perceptibilis sit ab ipsum recipiente.

82. Arguitur 3. Contra id, quod diximus de directione, & consilio habendo à Magistro spirituali. Potest quis vitam solitariam aggredi, & in ea, si ad habendam perfectissimam charitatem pervenerit, emittere votum Theresianum: sed tunc non habet Directorem, ex cuius di-

rectione votum emittat, & in eius obſervatione procedat: ergo ad emittendum votum Seraphicum non requiritur obedientia Prælati, aut conſiliũ Directoris. Præmiſſæ ſunt omninò certæ, & conſequentia bona. Si namquè neceſſaria eſſet facultas Superioris, & Directoris conſilium, non poſſet ſine illis illud votum nuncupari, ubicunquè emitteretur.

Reſpondeo cum D. Thoma 2. 2. q. 188. art. 8. cuius ſunt hæc verba: *Ad 3. dicendum, quòd actu obedire eſt neceſſarium his, qui indigent exerceri ſecundùm directionem aliorum ad perfectionem capiendam. Sed illi, qui iam perfecti ſunt, ſpiritu Dei ſufficienter aguntur, ut non indigeant alijs obedire. Habent tamen obedientiam in præparatione animi.* Et in corp. art. dixerat: *Vita ſolitariorum, ſi debitè aſſumatur, præeminet vitæ ſociali. Si autem abſque præcedenti exercitio talis vita aſſumatur, eſt periculoſiſſima, niſi per divinam gratiam ſuppleatur, quod in alijs per exercitium acquiritur, ſicùt patet de Beatis Antonio, & Benedicto.* In hac præclara doctrina plura ſunt pro facti argumẽti ſolutione, & alijs materijs proficua. Tenendum certiſsimè eſt, quòd tendentes per viam ſpiritùs, ſi non ſint ſolitarij egent actu conſiliario, etiam ſi perfecti ſint, ut ait Div. Chryſoſt. Hom. 9. de laud. Paul. per hæc verba: *Conſiliarijs omnes opus habent, etiamſi Moyſi conferri poſsint.* De quo fusè egimus tom. 1. diſp. 2. Qui verò ſolitariè degunt, ſunt perfecti; ad illam quippè vitam confugiendum non eſt, niſi iam in vita ſociali acquiſita ſit perfectio, ut inibi docet D. Thomas. Perfecti, dùm ſolitarij ſunt, *ſpiritu Dei ſufficienter aguntur, ut non indigeant alijs obedire.* Vndè actu non obediunt alijs: *habent tamen obedientiam in præparatione animi.* Si verò contingat, quòd aliquis, qui in vita ſociali perfectionem non adeptus eſt, tranſeat ad vitam ſolitariam ex ſpeciali inſtinctu Dei in hoc, *per divinam gratiam ſuppletur, quod in alijs per exercitium acquiritur.* Ex quibus habemus, quòd quia emittens votum Thereſianum debet eſſet perfectiſsimus; ſi ad hunc gradum perfectionis elevetur in ſolitudine, poteſt quidèm votum iſtud nuncupare, nec tunc dicendus eſt deſtitutus conſilio, & obedientia Directoris. Tum: quia *habet obedientiam in præparatione animi.* Tum etiam: quia benigniſsimus Deus ſupplet hominis dirigentis magiſterium *cum per divinam gratiam ſuppleatur, quod in alijs per exercitium acquiritur.* Vndè ſemper verum eſt, quod ad voti Seraphici emiſsionem requiruntur ea, quæ diximus cum aſsignato diſcrimine inter eos, qui in ſociali vita ſunt, & illos, quî ad ſolitariam confugiunt.

83. Dices. Seraphica Mat. N. cum primò emiſsit votum hoc, nec à Prælato licentiam obtinuit, nec ſub illis alijs conditionibus nuncupavit, quas ad illius editionem requiri, diximus: ſed Sanctiſ. Mat. non agebat vitam ſolitariam: ergo ſine ullo diſcrimine inter vitam ſolitariam, & ſocialem poteſt votum Thereſianum fieri. De conſequentia, & minori nulla dubitatio eſſe poteſt. Maior autem certiſsima eſt apud omnes, qui vitam Seraph. Doctricis ſcribunt. Omnes enim ſupponunt, eas conditiones appoſitas fuiſſe, cum ſecundò emiſſum fuit illud ſublime votum.

Reſpondetur. Verum eſſe, quòd votum Seraphicum emiſſum à S. M. N. non omnes illas conditiones habuit. Verumtamèn omnes illæ conditiones, quæ adeſſe debent, non eodem gradu neceſsitatis exigi, dicimus. Aliæ enim requiruntur neceſſariò, & formaliter, ut ſunt impulſus ſpecialiſsimus Dei, & propoſitum Seraphicum, quæ requiruntur neceſſariò, & in ſe, ſeu formaliter. Ex quibus impulſus neceſſarius eſt in quacunque providentia; non enim eſt dabilis providentia, in qua illud votum emitti queat ſine Dei ſpecialiſsimo impulſu. Propoſitum requiritur in ſe, & formaliter in hac providentia, in qua per minus arduum aſcenditur ad magis arduum, & in exercitio minus ardui cognoſcuntur vires ad magis arduum. Conſilium

ſilium etiam requiritur neceſſariò, non tamen in ſe, & formaliter: ſed vel ſic, ut liquet in vita ſociali: vel in præparatione animi, ut patet in vita ſolitaria. Nec Sanct. Mat. Noſt. emiſit primò illud votum ſine Directoris conſilio, licèt illud emiſiſſet ſine Prælati licentia, & illis alijs conditionibus poſtmodùm additis. Hinc tamen ſolùm ſequitur, quòd eæ conditiones ſint neceſſariæ ad melius, quod nobis ſufficit. Hæc tamen quæſt. ſequenti ampliùs declarabimus.

QVÆSTIO SEPTIMA.

VTRVM SERAPHICA MATER NOSTRA THERESIA votum Seraphicum nuncupaverit? Quoties? Et quid ſub illo comprehendebatur?

MVltotiès in præcedentibus compulſi fuimus ad revelandum id ipſum, quod in præſenti diſquirimus: videlicèt, Sanctiſsimam Thereſiam votum Seraphicum nuncupaſſe. Veruntamèn quia modò propria illius difficultatis ſedes occurrit; idcircò cum alijs in titulo propoſitis nunc examinanda eſt.

§. I

Reſolutio omnium, quæ titulus repræſentat.

84. PLurium examen in eodem dubio aggredimur: quia ſanè, quæ dicenda modò ſunt, magna ex parte liquent ex ijs, quæ in hac, & præcedenti diſput. tradidimus: undè non eſt opus, quòd illa ſeorſim, ſeu in diverſis q.q. diſcutiamus. Primum, quod inquirimus, eſt: An Seraphica M. N. S. Thereſia votum Seraphicum nuncupaverit? Quà in re certiſsima eſt reſolutio affirmativa, quam omnes unanimitèr ſequuntur, & tam verbis, quàm ſcriptis ubiquè docent voti huius arduitatem extollentes, & voventis magnanimitatem celebrantes. Innumeris teſtimonijs poterat hæc veritas comprobari; ſed quia cuique obvia ſunt, nonnulla ſeligemus, quibus apertiſsimè ſtabiliatur.

Sacra Rota in relat. proceſ. ad Canon. Sanctæ Virg. ſic in relat. 1. artic. 5. Pauſum V. Pont. Max. alloquitur. *Quartò accedunt prædictis efficax propoſitum, cura que continua ſui ipſius ſuarum que actionum, & cogitationum, qua ambulabat de non offendendo Deum ſibi adeò dilectum, nedùm culpa veniali, & levi; verùm nec actu aliquo minoris perfectionis. Ex quo proceſsit illud votum rarum, ac notatu dignum, quod emiſit: nempè, ſemper agendi, quod inter multa, quæ illi occurrerent, gratius, & acceptius Deo ſibi videretur. Ita ut per talem voti emiſsionem non ſolùm voluit, quod placitum eſſet Deo, adimplere quod amoris iſtius magnum ſignum fuiſſet, iuxta illud Ioan. cap. 14. Si quis diligit me ſermonem meum ſervabit; ſed etiam tànquàm illa, quæ inter iſtas amoris flammas ardebat, voluit, & quod perfectius, & quod Deo acceptius iudicaret, illud exequi, & ad id voto ſe adſtringi. Quòd, & Deo fideliter reddidit præ nimio amore, quo illum propter ſe ipſum proſequebatur, ut totius vitæ ſuæ curſus probat.*

Hac graviſsima authoritate, & convincitur intentum præſens, & plurima, quæ in antecedētibus diximus, magis ſtabiliuntur. In illa quippè clariſsimè aſſeritur, quòd S. M. N. antequàm votum ſuum nuncupaſſet, exercuit propoſitum

Seraphicum, quo exercitio, ita crevit ipsius erga Deum amor, ut *inter istas amoris flammas*, non qualitercumquè esset, sed *arderet*. Nec mireris: erat enim nimius ille amor, quo in Deum toto suarum virtū pondere rapiebatur *Præ nimio amore, quo illum* &c. Ex quo *nimio amore* in Deum in exercitio propositi Seraphici septuplum probato, *processit illud votum rarum, ac notatu dignum, quod emisit.* Vt noscas: effectum adeò maximum, qualis est votum Theresianum, non aliundè provenire, præterquàm à *nimio amore*, inter cuius flammas diligens amburatur, & quantum fas illi sit, nimiæ charitati divinæ, propter quam Vnigenitus Dei nobis datus est, assimiletur. Quocircà improbandum non censeo id, quod quidam Theologus scribens contra N. Herman. (ipso referente in appendice pag. 324.) inquit his verbis: *Nisi quis ergo repereris Theresias, probaverit que, non annuat.* Hoc est, nemo Seraphicum votum nuncupandum alicuit consulat, *nisi repereris Theresias*, id est, animas *amore nimio*, aut perfectissimo erga Deum & virtutum purgati animi sacro agmine exornatas, sicùt Theresia floruit, in qua virtutes purgati animi emicuere, ut vidimus numer. 62. Non est ergo manu adeò liberali concedendum opus sic maximum, prout facit laudatur Author.

85. A Sacra Rota ascendimus ad Caput Ecclesiæ, &, ut supra dictum est, invenimus Gregor. XV. dicentem in Bul. Canon. S. M. N. *Ex quibus cælestibus donis divini amoris flamma in eius corde adeò exæstuabat, ut maximè arduum votum à Deo edocta emiserit efficiendi semper quicquid perfectius esse intelligeret.* Quo Pontif. testimonio eadem nostræ resolutionis veritas demonstratur, & illi eadem reflexio, quam modò fecimus, applicari potest. Idem docet Vrbanus VIII. in lectionibus officij eiusdem Sanctæ, quod ipse concesit, & ex parte componere dignatus est.

86. Domesticorum testimonia dedimus num. 62, 63, & 64. ex alijs Pat. Doctor Franciscus de Ribera datus à nobis est num. 65. Item Illustr. D. D. Didacus de Yepes, postquàm plura de hoc Seraphico voto, ac de sublimi perfectione S. M. N. quæ illud nuncupavit, dixerat, subiungit: *Este voto conservò, y guardò por muchos años hasta su muerte. Y confirman bien esta verdad infinitos testigos en las informaciones de su Canonizacion, los quales juran que haviendola tratado, y comunicado muchos años, y muchos de ellos de las puertas adentro, jamàs le vieron hacer cosa, que fuesse imperfeccion. Pues por el sucesso, y fruto del voto se echarà de ver claramente, que no lo hizo la Santa sin particular consejo, è inspiracion divina. y assi precediendo esta, fue gran prudencia, y cordura semejante voto; porque sin ella seria disparate, y atrevimiento. Y el mayor testimonio, que yo hallo* &c. sicut num. 66. Amentiam, & audaciam appellat gravissimus hic Author accedere ad votum Seraphicum emittendum si non adsit impulsus specialis Dei animam ad illud vocantis, quibus confirmat doctrinam, quam quæst. præcedenti tradidimus.

Clarissimè manifestum est ex adductis testimonijs Sanctissimam Theresiam nuncupasse votū Seraphicum: quocircà alia prætermittimus. Nec horum omnium mentio facta fuisset, nisi propter reflexiones, quas offerunt in confirmationem eorum, quæ dicta sunt in alijs qq.

87. Secundum, quod modò explorare debemus, est; an S. M. N. semèl, vel pluries Seraphicum hoc suum votum nuncupaverit? Qua in re dicendum brevitèr, est. Doctricem Sanctam votum Seraphicum formasse, ac reformasse: eòque bis illud emisisse. Anno ab ortu pijssimo nostri Clementissimi Redemptoris 1560. Sponsa charissima ipsius hoc suum votum nuncupavit ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, Ecclesiæ Sanctæ utilitatem, fidelium exemplar, & omnium admirationem. Finis Sanctæ Virginis in huius voti emis-

sione

sione fuit, facere, quod acceptius, gratius que Deo fuisset in omnibus, quæ occurrerent circa omnia præcepta, & consilia circa sui Ordinis Regulam, Constitutiones, & alia, quæ sibi quomodocumquè iniungerentur, ac deniquè circa omnium virtutum exercitium. Observa, quòd non dicimus, quòd S. M. N. vovit, se facturam, quod perfectius esset. Hoc enim imprudentiæ, & non Religionis foret. Cum interdùm id, quod in abstracto, & secundùm se est perfectius, debeat prætermitti, & fieri illud, quod non sit secundùm se perfectius, prout non paucis stabilivimus disput. antecedenti. Sed dicimus, ipsam spopondisse, se effecturam, quod Deo gratius esset. Et non sempèr est Deo gratius id, quod secundùm se est perfectius, ut inibi comprobavimus.

Hoc voto, sic nuncupato, ligata fuit alma Virgo per quinquennium. In cuius spatio plures scrupulos passa est, ortos non semèl ex parte confessariorum, qui nescientes, quamquàm sapientissimi, determinare, quid hic, & nunc foret acceptius Deo: & ipsi in eadem quoque scrupulorum salebra implicabantur. Quibus maturè consideratis, duo gravissimi, ac verè Religiosi Theologi, P. M. Fr. Garcia de Toledo ex præclaro Prædicatorum Ordine, & P. Præsent. Fr. Antonius de Hæredia nostri Eli-Mariani instituti, & sui Conventus Abulensis tunc Prior, quibus cum Sancta suum spiritum communicaverat, & confessiones emisserat, decreverunt, petendam esse à Prælato irritationem voti, prout illa generalitate editi, insimùlque licentiam, ut illud sub magis congruenti forma nuncuparet. Obtemperavit humillima Virgo, sempèr ad obediendum paratissima, & postulatis irritatione, & licentia, utramque nacta est à suo Provinciali R. P. M. Fr. Angelo de Salazar, qui, ut diximus q. præcedenti, petitioni, & postulanti P. benignissimus annuit. Suas litteras dedit, & in ipsis suam facultatem delegavit duobus prælaudatis Theologis, ut quicumque ex illis iuxta postulata procederet. Has litteras S. M. accepit, & tradidit supradicto Mag. Dominicano, cui specialissimè sinus sui spiritus revelarat. Ille virtute facultatis sibi datæ votum factum irritavit, & reformandum consuluit modo dicto q. præcedenti; ita scilicèt, ut Sancta promitteret, facere, quod melius esse iudicaret iuxta Directoris, aut Confessoris dictamen. Quocircà ablata à voto fuit illa generalitas confusionum & anxietatum causatrix, quia ex vi voti ut priùs facti non erat, nisi ipsa Sancta, qui decideret, quid hic, & nunc esset facienti, aut omittenti perfectius. Ipsum verò ut reformatum assignavit Iudicem Directorem, cuius arbitrio, & determinationi standum esset. Vndè emissum fuit votum illud pulchriori forma venustum; quia exemptum perseveravit à molestia scrupulorum, nihil de priori nobilitate, & arduitate amisit, & magna ex parte modò nobilius est, quàm prius. Omnia, quæ huculque diximus, desumpsimus ex N. verid. Chronologo loco allegato. Vbi etiam sunt litteræ P. M. Provincialis, & acceptatio Commiss. irritatio, & reformatio voti. Ibi hæc omnia videri possunt: nos que iam de his plura dedimus in præcedenti quæstione.

88. Tria modò protuli, quorum probationem desiderabis. Ad quam ultroneus tibi exhibiturus ingredior. Dixi primùm, quòd votum Seraphicum post sui reformationem liberum mansit ab inquietudine scrupulorum. Hoc dixi ductus authoritate, & ratione. Authoritate quidèm; quia laudatus N. Chronista ibi num. 7. ait: *Se redujo el voto con aquellas condiciones, que le señalò el dicho Confessor Fr. Garcia de Toledo, à estado practicable sin escrupulos.* Id est: *Votum Seraphicum sub ijs conditionibus nuncupatum fuit practicabile sine scrupulis.* Huic veritati ratio etiam suffragatur. Quandoquidèm determinatio illius, quod perfectius esset, non relicta fuit in ea generalitate, ac confusione, quam habebat prius, sed commissa fuit iuditio Directoris; ita ut S. M. N. illud,

ut perfectius amplecti, votò reformato, debebat, quod Director declararet, esse perfectius. Vndè ſicùt in vi voti priùs facti non tenebatur Sancta, ad faciendum, quod melius in abſtracto foret, ſed id, quod melius eſſe, ipſa exiſtimaret: ſic poſt reformationem, tenebatur ad exiſtimandum ut melius id, quod ſibi ſuus Director oſtenderet. Et hoc remotum à ſcrupulis eſſe, indè liquet, quòd origo ſcrupulorum erat, quòd Sancta multotiès ignorabat, quid in tot cogitationibus, verbis, & operibus perfectius eſſet. Si Directorem adibat; cum iſte non eſſet arbiter, tenebatur dirimere controverſiam inſpiciendo rem, ſecundùm id, quod exigebat ex ſe; ac proindè ſcrupulis etiam torquebatur: & quò ſapientior, & iuſtior, eò magis pertimeſcebat. Poſt reformationem verò illius voti hæc dubitationum ſcaturigo ceſſavit: quia Confeſſor conſtitutus erat Iudex ad dirimenda dubia occurrentia procedens ex prudenti dictamine, quod formaret. S. M. N. ſecuriſsima, & certiſsima erat; quia illud ſine dubio erat ſibi melius, quòd Director præciperet: ac proindè amputata fuit ſcrupulorum origo.

Secundò dixi: quòd votum Thereſianum poſt ſui reformationem omnem ſuam ſublimitatem retinuit. Et hoc facilè cognoſcet, qui videat, eandem fuiſſe materiam, eundem finem voti formati, & reformati. Materia fuit eadem; quia nihil de illa ſubſtractum eſt. Eodem modo illimitata fuit materia utriuſque voti: & cum voti perfectio, & nobilitas venetur à materia promiſſa: manente materia eadem, eadem quoque voti nobilitas perſeverat. Finis etiam idem eſt; quia in utroque voto finis fuit offerre Deo ſuaviſsimum holocauſtum in voluntatis propriæ omnimoda, ſeu illimitata mactatione. Non eſt ergo principium, ex quo colligatur, votum illud ut reformatum à prima ſua celſitudine cecidiſſe.

89. Dixi tertiò: Votum Thereſianum poſt ſui reformationem magna ex parte nobilius eſſe, quàm priùs. Hoc forsàn difficilè tibi apparebit: mihi verò valdè facilè. Sic que viſum fuit N. Franciſco à Sancta Maria citato ſuo numer. 7. ubi ait: *Por eſta parte no deſcaeciò el voto. Y por otra ſugetandoſe al parecer ageno ſin permitir à ſu natural, que declaraſſe las dudas por ſu arbitrio, creciò mucho lo arduo, y lo perfecto.* Quibus Sapientiſ. Pater, & doctrinam à nobis datam approbat, & fundamentum graviſsimum ſuggerit, quo illam ſic comprobemus. Etenim magis arduum, ac perfectum eſt ſequi dictamen alterius in cauſa propria, quàm duci proprio dictamine: ſed votum Thereſianum, ut reformatum ſubeſt dictamini alterius: ergo ut reformatum magis arduum, ac perfectum eſt. Conſequentia bona eſt, & minor certa. Maior autem, quantum ad arduitatem ſpectat, negari non debet; quia ſequela dictaminis alieni habet potentiſsimum adverſarium amorem proprium, qui ſempèr illi refragatur; ſequela verò proprij iudicij ipſius amoris proprij aurà fovetur: eſt igitur ſine comparatione difficilius ſequi iudicium alterius, quàm duci proprio iudicio. ¶ Quantum attinet ad maiorem perfectionem probatur eadem maior primò per id, quod in ea dicitur de cauſa propria, in qua nemo ſine periculo eſt Iudex, ut communitèr dici ſolet. Probatur *ſecundò*, & urgentèr: quia perfectius eſt duci iudicio illius, quem qui audit, Deum audit & quẽ qui cõtemnit, Deum cõtemnit; quàm dirigi, aut parere iudicio eius, qui loco Dei nõ eſt, & quẽ qui audit, ſolet contemnere Deum, & qui contemnit, Deum audire ſolet: ſed qui dirigitur dictamine Prælati, aut Directoris, audit Deum in ijs, qui loco Dei ſunt, & Deum in eiſdem contemnit, ſi contemnat illos, quod non habet, qui ducitur iudicio proprio, ut eſt per ſe notum: ergo magis perfectum eſt duci dictamine alterius.

Vrgetur primò hic diſcurſus. Votum Seraphicum illud eſt, quo fit, quod eſt Deo acceptius, ut liquet ex omnibus

bus dictis, & ex diffinitione ipsius voti: sed proculdubio Deo gratius, & acceptius est, quòd nos metipsos abnegemus propriam voluntatem mactantes, & eis, qui loco Dei sunt obedientes: ergo.

Vrgetur secundò. Quidditas voti Seraphici consistit in promissione faciendi quidquid perfectius esse, existimetur: sed nemo est, qui non existimet; perfectius esse obedire ei, qui loco Dei est, quàm ex proprio iudicio determinari: ergo quidditas voti Seraphici perfectius viget, quandò non solùm melius existimatum; verùm etiam ipsa existimatio melioris regulatur obedientiâ. Consequentèrque tunc votum Theresianum perfectius est, quandò in electione melioris ducitur dictamine alieno.

90. Tertium, quod præsens quæsitum explorat, est, quid sub voto à Seraphica Theresia nuncupato comprehenditur? & claritatis gratia loquimur de hoc voto ut reformato, idem de eodem, ut primùm emisso dicturi: est enim eadem utriusque materia, prout constat ex dictis. Propositæ dubitationi respondent Illust. D. Yepes, & P. Doct. Ribera, quòd S. M. N. ad præcavendos scrupulos non comprehendit sub hoc voto res minutissimæ entitatis, sed eas solùm, quæ alicuius notæ, seu entitatis essent. Sed bonâ venià tam illustriũ Authorum, desidero fundamentum, quo eorum opinio fulciatur. Res ista non est discursibus convincenda, sed authoritatibus comprobanda. Nullam, qua id suadeant, inducunt. Vndè ab illis recedere compellor. Quem recessum imperant multa haùd contemnenda motiva. Primum est, quod iam insinuavimus, videlicèt, quia ex adversò nulla authoritas adducitur. ¶ Secundum est, quòd illa opinio plurimum derogat perfectioni voti Theresiani, & ipsi Sanctiss. M. N. aufert enim à materia promissa res illas parvæ entitatis; ac proindè non remanet materia ipsius voti illimitata; cum plurima non comprehendat. ¶ Tertium est, quòd votum Seraphicum est maximum inter omnia vota, ut diximus tota q. 2. Rogo nunc. Vel res illæ parvæ entitatis possunt cadere sub voto Theresiano, vel non? Si non: debes assignare motivum, ob quod nequeat quis vovere res illas parvæ entitatis; maximè, cum non obligent, nisi ex plena deliberatione, & advertentia committantur. Si sic: ergo votum Theresianum non est maximum: quandoquidèm superaretur à voto res illas parvæ entitatis ambiente. ¶ Quartum est, quòd Illustriss. ipse de hoc voto loquutus inquit, ut vidimus suprà, quòd ad eius observationem necessaria erat Seraphinorum perfectio: minimè autem tantam perfectionem exigeret; si res non multùm momenti non comprehenderet: ergo etiam in sententia ipsius Illustriss. verum est, quòd illas comprehendebat.

Nec fundamentum opinionis adversæ multum premit, & aliundè non occurit inconvenienti, quod vitare intendit. Non premit; quia scrupulorum ingluvies iam intercluſa est per illius voti reformationem. Stando enim iudicio Prælati, & Directoris scrupulis clausa est ianua, quantum est ex vi voti: quòd autem aliundè interturbent, non est ad rem; idem enim contingere interdùm solet in alio quocumque voto. ¶ Non occurit inconvenienti, quod vitare satagit; quandoquidèm si res parvi momenti excipiuntur, & non aliæ, extemplò scrupulus adest ad discernendum inter res parvi momenti, & res momenti non parvi. Quæ sint primi generis, & quæ ad secundum spectent.

91. Vlterius discere vellem ab his gravissimis Theologis, quid intelligant, quoad præsens, per res parvæ entitatis. Nam si intelligunt res ex se indifferentes, quales sunt festucam levare, barbam tricare, aut pectinare caput, ut exemplis D. Thomæ utar: hæ nullius voti materia sunt, ut tenet Ang. ipse Doctor, quem sequuntur communissimè omnes. Verùm sicùt qui caput pectinat, debet rationali modo procedere: quocirca tenet Schola Thomistica, non dari in individuo actiones indifferentes:

sic

sic qui habet votum Theresianum, si crinem pectat, debet hoc facere perfectiori modo: non perfectioritate, ut ita dicam, se tenente ex parte actionis, aut materiali; sic enim perfectius pectuntur fœminæ, & effœminati; sed perfectione morali, & talem actionem ex obiecto indifferentem ad genus moris perfectissimè elevante. Vndè ligato voto Theresiano nullam aliam obligationem imponimus, nisi quòd faciat perfectè id ipsum, quòd ut rationalis, aut ex deliberatione rationis procedens, tenetur facere benè, hoc est, ex fine honesto. Vide, ut hæc penitiùs calleas, N. Salmantic. tract. 11. disp. 7. dub. 2. & Div. Thomam 1. 2. q. 18. art. 9. In his ergo nullam rem parvæ entitatis reperimus: nam sicùt non datur parvitas materiæ in individuo, hoc est, sicùt non datur actio, quantumvis parva, in individuo, quæ per se non debeat referri in finem honestum, si ex ratione deliberata, & non ex imaginatione, procedat: ita dicimus, quòd non datur actio, quantumvis entitatis exiguæ, quam votum Theresianum non comprehendat. Quæ omnia speciali titulo urgent, si illi doctissimi loquantur de actionibus determinatè moralibus. Omnes quippè, licèt pro substracto sint debilis entitatis; propter idoneitatem, quam dicunt, ut in Deum perfectissimè referantur, magnæ sunt. Quod exemplo illo actionis ex obiecto indifferentis, quæ in individuo debet esse determinatè bona, perspicuè declaratur, & solidè stabilitur.

92. Igitur dicendum nobis est. Quòd sub voto Theresiano, ut reformato, comprehenditur omne id, quod Deo magis acceptum, magisque gratum est: dummodò iudicare quid sit Deo acceptius, spectet non ad voventem, sed ad ipsius Prælatum, seu idoneum Directorem. Sic que verificatur, quòd S. M. N. in vi sui illius mirabilis voti faciebat, quod Deo gratius erat, & quod ipsa perfectius existimabat: quippè intelligebat id esse sibi perfectius, quod ei Prælatus, sive Director designabat.

Hinc que colligitur, quod sub illo voto nõ solùm comprehenditur omne id, quod est materia obedientiæ perfectæ, sed etiam modus, quo illud exequitur. Vndè obedientia concurrens ad votum Theresianũ est obediẽtia perfectissima. Quod ut intelligas, videnda tibi sunt quæ diximus num. 23. usque ad 26. Ibi enim vidimus, obedientiam perfectam esse illimitatam quoad substantiam quatenùs non datur res à Prælato, ut tali, perceptibilis, quam procedens ex obedientia perfecta non faciat. Obedientia autem perfectissima supra perfectam addit modum: quatenùs, qui ex illa procedit, non solùm in omnibus obedit; sed etiam sub modò, quem existimat perfectiorem, obtemperat. Et hunc perfectissimum obediendi modum comprehendisse Sanctam M. N. sub illo suo stupendo voto, asserimus, ijs motivis ducti, quæ desumuntur ex omnibus, quæ de voto Seraphico hactenùs dicta sunt: quod etiam iam in superioribus affirmavimus: ac propterea necessarium non est, illud ampliùs stabilire.

§. II.

Argumenta in primum assertum.

93. PRimum, quòd affirmavimus est, quòd Seraphica M.N. nuncupavit votum Seraphicum; contra quod arguitur 1. S. M. N. nullibi dicit, se hoc votum emisisse: ergo illud non emisit. Antecedens certum est, quia in nullo ex scriptis Sanctæ Virginis eiusmodi voti memoria reperitur. Et consequentia probatur. Cælestis hæc Doctrix scripsit nostræ reformationis erectionem, & fundationes plurium Conventuum, quos construxit; scripsit, quòd *viderit Angelum ignito iaculo sibi præcordia transverberantem, quòd audierit Christum data dextera dicentem sibi, deinceps ut vera Sponsa meum zelabis honorem* & alia innumera *conscripsit quibus fidelium mentes ad supernæ patriæ desiderium maximè excitantur*, ut dicitur in officio eiusdem: ergo cum plurimùm

mùm excitarentur fidelium mentes ad ſupernæ patriæ deſiderium, & virtutum acquiſitionem, ſi ipſa de hoc voto ut à ſe emiſſo ageret, ſignum eſt, quòd illud non ediderit: ſi namquè illud nuncupaſſet, ſcripſiſſet.

Reſpondetur, omiſſo antecedenti, ob ea, quæ num. 95. dicemus, negando conſequentiam. Ad probationem negetur ſimilitèr conſequentia. Diſcrimen eſt, quòd ut S. M. ſcriberet Monaſteriorum fundationes, & alia, quæ ſcripſit, habuit præceptum pluriès repetitum, & à ſua humilitate recuſatum. Vt autem de voto Seraphico ſcriberet, nullum mandatum habuiſſe conſtat: tum, quia non extat non ſolùm mandatum, ſed nec illius memoria. Tum etiam: quia ſi aliquandò extitiſſet, ei promptiſsimè obtemperaſſet: fuit quippè obedientiſsima, vel in ijs, quæ genialis eius propenſio recuſabat. Ad alia, quæ in ſecundo antecedenti recenſentur, dicimus, quòd illa, & alia innumera illius generis erant cæleſtes diviciæ, quibus animam directæ ſuæ liberalitèr locupletabat Dominus. Emiſsio voti Seraphici fuit obſequium, quod Deo obtulit ipſa Sancta. Quæ æquè propenſa erat, ut miſericordias Domini in æternum cantaret, ac ut proprias virtutes, & obſequia ab ipſa Deo præſtita reticeret. Et ideò ex relatione gratiarum, quas acceperat, non benè infertur debitum ad relationem obſequiorum, quibus & gratias pro illis favoribus fundebat, & ampliores merebatur. Fuit enim ſempèr humillima Cæleſtis hæc Virgo; & ideò ſempèr ſolicita erat erga ſuarum virtutum occultationem. Imò & gratias à Deo acceptas, quas ex obedientiæ imperio conſcripſit, dum recipiebat, humillima occultare ſtudebat.

94. Sed contra, & arguitur 2. Non compatitur votum Seraphicum cum imperfectionibus: ſed ſi vera eſt doctrina data, S. M. N. in ſolicitudine occultandi ſuas virtutes, & favores, quos Deus illi largiebatur, imperfectiones committebat: ergo non emiſit votum Seraphicum. Conſequentia legitima eſt, & ex ſæpiſsimè dictis liquet maior. Minor autem, in qua difficultas ſtare poteſt, continet expreſſam doctrinam eiuſdem almæ Doctricis pluribus in locis, è quibus lib. vitæ cap. 31. §. *Tambien di en otro eſtremo* inquit: *Todos eſtos temorcillos, y penas, y ſombra de humildad entiendo yo aora era imperfeccion, y de no eſtàr mortificada.* Agit inibi Sancta de favoribus, quibus illam Deus cumulabat, ob quos apud aliquos in veneratione erat, quod moleſtiſsimè ferens deſiderabat, ut non virtutes, non chariſmatum dona, ſed ſua peccata omnibus manifeſta fierent; & hoc appellat *extremum*; atque adeò vitium: *humilitatis umbram*; eòque non veram humilitatem: ac deniquè *imperfectionem & non eſſe mortificatam.* ¶ Et ne recurras ad illud *entiendo yo aora era imperfeccion*, hoc eſt, *nunc cognoſco, eſſe imperfectionem.* Obſerva, quòd toto ſuæ vitæ diſcurſu illam eandem ſolicitudinem conſervavit, ut facillimè teſtimonijs eiuſdem oſtendi poſſet: ergo ex doctrina ipſius Sanctæ vera eſt minor facti ſyllogiſmi.

Reſpondetur ex eadem Sancta Doctrice in eodem libro ibi, & cap. 10. eſſe duplicem humilitatem, unam imperfectam, & perfectam aliam. Humilitas imperfecta, potiùs dicenda eſt puſillanimitas, quàm humilitas iuxta eandem Sanctam §. allegato ubi ait: *Ala verdad no ay poca razon de temer: y eſte debia de ſer mi temor, y no humildad, ſino puſilanimidad.* Hæc humilitas imperfecta, ſeu *puſillanimitas* eſt *umbra humilitatis*, eſt *imperfectio* Tyronum; & animam interturbat, ut docet Sancta §. præcedenti his verbis: *Deſpues vine yo à entender no era buena humildad, pues tanto inquietaba.* E contrà vero humilitas perfecta eſt vera humilitas, vera virtus, eſt perfectio, animam non perturbat, ſed potiùs in ſumma pace conſtituit, tranquillitate conſervat. Prima eſt incipientium: ſecunda perfectorum. Primam habuit alma Doctrix, fateor, ſed ut li-

quet ex illis verbis: *Nunc cognoſco, eſſe imperfectionem*, tunc non ad celſitudinem perfectionis conſcenderat, nec votum Seraphicum nuncupaverat. Hanc imperfectam humilitatem in virtutibus robuſta depoſuit, & perfectam obtinuit, quam toto ſpatio ſuæ perfectiſsimæ vitæ conſervavit, & nunc ad regna ſyderea ſublimata conſervat.

95. Arguitur 3. S. M. N. reprehendit D. Laurentium de Cepeda germanum fratrem ipſius, quia fecerat votum Seraphicum: ergo ipſa illud non emiſsit. Patet iſta: quia alioqui Sancta in eo, quod prædicabat, reprehenſibilis foret. Antecedens autem conſtat ex epiſt. 31. ubi quantum per materiam licet, deprehendi videtur, quòd reprehenſio illa directa eſt contra emiſsionem voti adeò ardui, ut vires hominis, etiam iuſti ſuperaret, quod propterea nullum fuiſſe, Cõfeſſor ipſius Sanctæ illi affirmavit, ut teſtatur ipſa epiſtolà 32. ſed hoc votum non aliud poſſe eſſe, videtur, præter quàm votum Seraphicum: ergo.

Reſpondetur. Quòd votum illud fuit de nunquàm peccando venialitèr, quòd nullum eſſe, certum eſt, fusè que à nobis probatum diſp. 26. q. 1. Vndè licèt Sancta ſui fratris animum laudaverit, votum reprehendit. Quòd autem votum illud fuiſſet de non peccando venialiter, patet ex toto contextu illius num. 9. & inter alia inquit Sancta: *Lo que yo tengo ofrecido es con otros aditamentos.* Seù: *Quod ego obtuli, alijs additamentis factum eſt.* Vbi modeſtiſsimè de voto Seraphico à ſe nuncupato loquitur, adeò humilitèr, & cautè, ut nec nomen voti pronuntiet; de illo tamen ſine controverſia agit. Quocircà omiſimus antecedens primum primi argumenti: quia reverà Sancta Virgo affirmat, ſe votum Seraphicum emiſiſſe: ſed affirmat modeſtiſsimè, & ſibi proprijſsima humilitate.

96. Arguitur 4. Cui ſuperiorum ſanctiones indiſcretæ videntur, non habet votum Seraphicum; imò nec idoneus eſt, ut illud emittat; ſic fuit S. M. N. etiam pro tempore, in quo ab omnibus habebatur ut ſanctitatis oraculum: ergo voto Seraphico ligata non fuit. Minor certa erit illi, qui videat in ſecundo tomo epiſt. Sanctæ Virginis epiſtolam 27. in qua determinationes cuiuſdam Prælati carpit, illum, & illas; imò & noſtram regulam, quæ ſuaviſsima eſt, dicens Prælatum eſſe gravoſum, & eius determinationes, & regulam eſſe paritèr nimis gravoſas, & oneroſas. Maior autem pluribus oſtendi poterat; brevitatis tamen gratià illam paucis oſtendimus dicentes illam nervosè, & fusè probari à Noſt. Herman. cap. 10. pluribus authoritatibus deſumptis ex Sanctis PP. Vnum D. Hyeron. audire libet epiſt. 4. ad Ruſtic. ubi inquit: *Non de maiorum ſententijs Iudices cuius officium eſt obedire, & implere, quæ iuſſa ſunt, dicente Moyſe: Audi Iſrael, & tace.* S. M. N. non audivit, & tacuit; ſed audivit, & illius Maioris decreta, ipſum que Maiorem cenſuravit. Hic igitùr procedendi modus non eſt conſentaneus illi, qui voto Seraphico ligatus eſt.

Reſpondetur. Sanctiſ. Thereſiam fuiſſe noſtræ Sacræ Reformationis Fũdatricem, quam ut communem omnium Matrem omnes Carmeli reparati alumni venerabantur. Contingit, quòd Pater Provincialis pluribus negotijs præpeditus non poſſet viſitare quoddam Monialium Monaſterium. Vndè Viſitatorem illius inſtituit, qui ſui muneris eſſe, ratus eſt, aliquas ordinationes ſancire pro illis Monialibus ſibi commiſsis. Et iſtæ ordinationes imprudentes viſæ ſunt Seraphicæ Fundatrici, quæ ut talis vigilare debebat ſupra gregem ſuum, & non ſolùm lupos arcere; ſed etiam Paſtores, qui nimis illum gravarent. Quocircà S. M. comprehenſa non eſt ſub dicto Sancti Hyeronimi, quia eius officium non erat obedire illi Viſitatori, cuius ſubdita non erat; ſed impedire onera graviſsima, quæ ſui ſuſtinere nequirent, habentes regulam, ſuaviſsimam quidèm, quatenùs ſub culpa lethali non obligat; ſed oneroſam prop-

Con-

ter gravem ipsius aretitudinem. Vndè argumentum non tenet.

Contra secundam conclusionem nihil se offert, quod sit speciali discussione dignum. Tertiam verò non-nulla impugnant: sed quæ in sequenti quæstione §. 2. in responsione ad argumenta contra illius secundam assertionem examinabimus.

QVÆSTIO OCTAVA.

VTRVM ANTE, VEL POST SERAPHICAM THERESIAM aliquis votum Seraphicum nuncupaverit?

NON pauca supersunt, quibus quæstio præcedens exornari ampliùs poterat; illa tamen præsenti annectere voluimus ob doctrinæ claritatem, & ne præsens controversia merè historialis redderetur. Vndè adhùc penitùs finita non est difficultas illa, quam inibi disputavimus, ut dicendorum series manifestabit.

§. I

Tituli explicatio præmittitur & dubium determinatur.

97. PRiusquàm ad resolutionem accedam, operæpretium duxi animadvertere, quod quæsitum præsens potest duplicitèr intelligi. Primò, ita ut investigemus, an reipsa aliquis ante, aut post S. M. N. votum Seraphicum emiserit? Secundò, ita ut hoc nobis constet. Sub prima consideratione non procedit controversia; quia reverà ante & post Seraph. Doctricem plurimi perfectissimi fuere, qui virtutibus purgati animi floruere, & charitate perfectissima ornati sunt. Horum heroicis virtutibus si accesit impulsus specialissimus Dei illos ad emissionem huius voti trahentis, adfuit, idoneitas proxima ad illud nuncupandum. An autem de facto illud emiserint, & an habuerint illum impulsum specialem? valdè possibile est. Vnde debemus, tanquàm extra controversiam habere, possibile esse, aliquem, vel aliquos ex illis votum Seraphicum edidisse. ¶ Nec proderit recursus ad notitiam Prælati, aut Directoris, quam necessariam esse, supra diximus, & ab illis notitia in alios derivata esset, ut certum est evenisse Sanctis. Theresiæ, quæ de suo voto paucissima & adeò obvelata docet, ut eius nuncupatio nos latèret, si illam à suis Prælatis, & Directoribus non haberemus.

Vanitas huius recursûs indè liquet, quòd plurima Sanctorum præclarissima gesta ignoramus, vel propter iniuriam eorum, per quos ad nos deducenda essent; vel propter alia motiva aliundè provenientia. Prætereà. Si illud votum emittens vitam solitariam degebat, nullus esset Director, aut Prælatus, à quibus certiores de illo voto redderemur. Accedit: quòd, ut diximus quæst. 6. in fine, Prælati, ac Directoris facultas non est adeò necessaria, sicùt impulsus specialissimus Dei. Vndè licèt sit conditio prærequisita ad huius voti emissionem, potest suppleri, sicùt de facto supplerentur, si illud nuncupãs vitam solitariam degeret. Tenendum igitur est, nostram controversiam non procedere de voto Seraphico, proùt re ipsa ab aliquo emisso, quod possibile esse supponimus.

98. Procedit tamen sub secunda consideratione, videlicèt, an nobis constet, aliquem hoc voto ligatum fuisse ante, vel post Doctricem Seraphicam? Et sub hoc sensu procedentes sit nostra prima conclusio. Seraphica Theresia *prima fuit, quæ votum Seraphicum nuncupavit.*

pavit. Vndè nullus ante ipſam illud emiſsit. Concluſio quamquam videatur bimembris, unicà reipsà parte conſtat: quia idem prorsùs eſt, quòd S.M.N. fuerit prima, ac quòd nullus ante ipſam votum illud fecerit, & è contra. Senſus concluſionis clariſsimè expenſus eſt. Illam que primò probamus aliquibus aliquorum Authorum particularium teſtimonijs, quam plurimis alijs idem continentibus prætermiſsis. Primus ſit P. Doctor Franciſcus de Ribera, qui de voti Seraphici celſitudine loquutus loco ſupra allegato ait: *Voto es eſte que yo de ningun Santo he leido, ni oido jamàs.* Eſt dicere: *Votum hoc ab aliquo Sancto factum nunquàm legi aut audivi.* V. N. Ioannes a Ieſu Maria ſupra quoque datus inquit: *Inter univerſa Virginis geſta maximum, quod in alia nulla Sanctorum hiſtoria legiſſe meminimus, fuit votum quo promiſit, ſe non grata modò, ſed quæ Deo gratiora crederet effecturam.* Ex his authoritatibus planè conſtat, quòd ante Seraphicam Thereſiam nullus voto Seraphico ligatus fuit, à quo ipſa exemplum ſumere potuiſſet, ut ſtupendum hoc votum emitteret. Vndè prima fuit, quæ tàm eximium opus patravit.

99. Huiuſmodi probatio, quam iuxta ſubiectam materiam omnibus, & maximè filijs Seraph. Virginis, credidimus placituram, poſitivè diſplicuit Herman. noſtro, qui vel authoritates, quibus innititur, explicans, vel eas inſufficientiæ arguens nobis contrariatur negans almæ ſuæ Matri primatum in voti Seraphici emiſsione. Primò enim ait illo libro 2. cap. 13. pag. 171. quòd dùm præfati Authores, & plurimi alij dicunt, votum Seraphicum ante S. M. N. viſum non eſſe, *interpretari poſſunt, talitèr, ut hoc votum reijciant, quandò ſic emittitur, ut ad Voventem pertineat iudicio proprio quidnam ſit perfectius determinare: hanc enim determinationem innumeris exponi ſcrupulis autumant.* Aſt ſic hoc votum facere, ut ad Directorem ſpectet determinare, quid ſit perfectius, ante illam viſum eſt, ut ipſe loco mòx allegando tenet. *Et hic eſt modus iuxta quem Sancta M. N. Thereſia (ſicùt anteà retulimus) ſuum etiam votum immutavit.*

Sic procedit iſte ſapiens ſapientis Thereſiæ filius. Contra quem ſic primò diſputo. Ergo in emiſsione voti Seraphici ſine conditione ſequendi dictamen Directoris Seraphica Thereſia prima fuit. Ergo abſolutè fuit prima. Ergo inconſequentèr hoc ille Author negat cap. 16. & in fine Appendicis. Vltima conſequentia liquet ex ſecunda, quæ nota eſſe videtur. Quia emittens validè aliquod votum, à nemine antea emiſſum, illius emiſſor abſolutè primus eſt, licèt poſtmodùm votum illud limitetur, aut reformetur aliquibus conditionibus, non oſtendentibus votum priùs factum eſſe invalidum, ſed ſcrupulos imminentes abigentibus. Vndè cum conditio illà de expectando Directoris iudicio, ut determinet, quidnam ſit perfectius, dirigatur ad abigendos ſcrupulos, qui ſine illa imminebant: fit conſequens, quòd ante illam conditionem votum abſolutè ſubſiſtebat; ac ſubindè, quòd nuncupatrix illius voti fuerit abſolutè prima. Conſequentia prima, ex qua aliæ dependent, probatur urgentèr. Iuxta Authorem, què impugno, authoritates à nobis datæ loquuntur de voto Thereſiano, quatenùs non dicit conditionem ſequendi Directoris dictamen: ſed authoritates illæ affirmant, votum illud à nemine emiſſum eſſe ante S. M. N. ergo illa fuit prima, quæ tale votum emiſsit independentèr ab illa conditione.

Diſputo 2. & prædicta magna ex parte roboro. Vel S. M. N. fuit prima in emiſsione illius voti independentèr à iudicio Directoris; vel non fuit prima? Si non: ergo malè interpretaris noſtras authoritates, dicens illarum Authores loquutos fuiſſe de voto Seraphico ſine præfata conditione. Si ſic: ergo minus rectè dicto capite 13. negas S. M. N. fuiſſe primam, quia Chriſtus Dominus (de quo, & alijs inibi contentis agendum eſt ſequenti §.) hoc votum emiſsit primus.

mus. Probo istam: quia si Christus Dominus emisit illud votũ, fuit indepẽdentèr à iudicio Directoris, quis vel somniabit contrarium? ergo cum aufers à S. M. N. primatum circa voti Seraphici emissionem, debes loqui de hoc voto, non solùm sub illa conditione emisso, sed etiam sine illa nuncupato. Ergo vel absolutè, vel nullo modo prima dicenda est.

Disputo 3. Authores à nobis dati, illa, quæ dedimus, scripsere post voti Theresiani reformationem: ergo de illo prout reformato loquuntur. Ergo illud prout reformatum à nemine priùs emissum erat. Antecedens est prorsùs certum. Et ex illo prima consequentia deducitur. Improprium quippè foret, scribere de voto illo post sui reformationem, & agere, seu loqui de illo, ut erat, antequàm reformaretur. Hinc que secunda consequentia probatur. Illud votum, prout de eo loquuntur illi Authores, S. M. N. emisit prima: sed illi Authores loquuntur de eo, ut reformato: ergo proùt sic primò nuncupatum fuit à Seraphica Theresia. Illatio sine calumnia est, & minor liquet ex proximè dictis; nec oppositum umbram veritatis habere potest. Maiorem concedit Adversarius.

100. Qui eodem cap. 13. pag. 177. aliter interpretatur authoritates, quas exhibuimus, dicens earum Authores intelligendos esse de voto faciendi, quod est perfectius quoad substantiam operum, & quoadmodum eadem faciendi. Quo præmisso, inquit, sibi *non improbabilem videri sententiam illorum, qui opinantur, adeò præcellens fuisse votum S. M. N. ut illa non tantùm intenderit perfectiora vovere quoad substantiam, cum prima vice votum emisit, verùm etiam quoadmodum.* Ex quibus notum est, prædictum Authorem habere ut non improbabilem sententiam, quam sustinemus, videlicèt, S. Matrem N. voviſſe, facere, quod intelligeret esse perfectius quoad substantiam, & modum: & hac sententia admissa, interpretatur authoritates, quas dedimus, dicens, veras esse de voto faciendi melius quoad substantiam, & modum; non autem de voto faciendi melius quoad substantiam præcisè. Sumpto enim voto sub hac secunda consideratione plures antè Seraphicam Theresiam illud nuncupavere, ut in illo capite suadere conatur. Indidèmque ait: Quòd votum illud, ut reformatum, non erat de faciendo meliori quoad substantiam & modum, sed quoad substantiam præcisè: quamquàm ut primò emissum tam substantiam, quàm modum comprehenderet.

Hæc omnia perdoctus ille Pater, in quibus plurima sunt, quæ approbare non possumus. Et quia hæc maximè conducunt ad intelligentiam eorum, quorum elucidationi navamus operam in præsenti, & cedunt in Sanctissimæ Theresiæ elogium; idcircò à nobis per partes discutienda sunt. Vndè priùs interpretationem impugnaturus ingrediar. Secundò ipsam interpretationem esse contra interpretãtem demonstrabo. Nec mirari debes, si pro Matris meæ honore pugnavero contra filios Matris meæ.

101. Et ante omnia gratias huic Authori rependo; quia nostram illam opinionem de voto faciẽdi melius quoad substantiam, & modum reputet, ut *non improbabilem*, & illam sustinere fateatur gravissimos duos illos Authores, quos num. 98. dedimus. Sic enim firmatur dictamen, quod circa illam sententiam efformaveram ante hanc animadversionem. Vndè iam illam meam sententiam, quam ex attributis voti à Seraphica Doctrice nuncupati, & ex elogijs Sum. Pontif. Sacræ Rotæ, & omnium ferè Doctor. deduxeram, ex incèps ut sententiam adeò illustrium Theologorum venerabor.

Post gratiarum actionem ad impugnandã interpretationẽ accedo, & contra illam procedo sic. Quia habet contra se illa omnia, quibus primam interpretationem impugnavimus. Primum quidèm: quia Seraphica Theresia prima omnium emisit votum faciendi melius quoad substantiam, & modum: ergo absolu-

ſolutè dicenda eſt prima nuncupatrix Seraphici voti. Conſequentia liquet ex ijs, quæ diximus in prima impugnatione interpretationis primæ. Et antecedēs ex ibi quoque dictis probatur. Seraphica Thereſia emiſsit prima illud votum, eo modo, quo in authoritatibus, quas dedimus, dicitur: ſed per te eæ authoritates intelligendæ ſunt de promiſsione faciendi melius, quoad ſubſtantiam, & modum: ergo. ¶ Secunda quoque impugnatio huius interpretationis falſitatem oſtendit. Quia ſi Chriſtus Dominus, ut aſſeris, miſit votum Seraphicum, planum eſt, quòd promiſit facere melius non ſolùm quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad modum; nec contrarium imaginari valet: ergo vel Seraphica Thereſia non fuit prima, quæ promiſit facere melius quoad ſubſtantiam, & modum; vel, ſi hoc non obſtante, prima fuit, quæ illud quoad modum vovit, nullum tibi fundamentum reſtat, ut deneges, almam Doctricem hoc privilegio gaviſſam fuiſſe abſolutè. ¶ Tertia quoque impugnatio in præſenti urget; quia illi Theologi ſcripſerunt poſt voti Thereſiani reformationem. Vndè loquuntur de illo, ut iam reformato: ergo ſi agunt de illo, ut reformato, & intelligendi ſunt de perfectiori etiam quoad modum; de illo ut modum comprehendente loquuntur. Alijs impugnare paraveram poſitam interpretationem; ſed dicta ſufficiant.

102. Secundum, quod facere dixi, eſt oſtendere, quòd tradita interpretatio eſt contra producèntem. Et hoc ſatis, ſupèr que demonſtratum eſt in modò dictis; omnia quippè illa oſtendunt, explicationem excogitatam ab illo Authore illum perimere. Sed aliundè hoc à nobis oſtendendum eſt ſub hac forma. Etenim votum Thereſianum, ut reformatum, fuit promiſsio de faciendo meliori etiam quoad modum: ergo prima nuncupatrix illius voti abſolutè fuit Serephica Thereſia; atque ideò nullus ante ipſam illud edidit. Patet iſta: nam ideò, ut primum nuncupatum fateris, illam fuiſſe primam, quia eo modo factum modum comprehendebat: vel ſi hac cauſali contentus non es, aſsigna aliam, & poſt cuiuſcumque aſsignationem, videbis tuâ interpretationem te opprimentem. Antecedens, autem de quo tibi dubium eſſe poteſt, probo hoc diſcurſu fundato in tua doctrina. Etenim votum illud poſt reformationem non fuit minoris perfectionis, quàm priùs, immò ex parte ſuperavit ſe ipſum, novum ſplendorem, & perfectionem acquirens: ſed ſi ut reformatum non comprehenderet modum, non poſſet verificari, quòd priſtinam perfectionem non amiſerit, nec quòd novum ſplendorem acquiſierit: ergo votum Thereſianum ut reformatum fuit promiſsio faciendi quod perfectius eſſet quoadmodum. Conſequentia eſt innegabilis, & minor per ſe nota. Maior autem expreſsè edocetur ab adverſario lib. 2. cap. 3. ubi cum noſtra præcitata Hiſtoria ait: *Appoſitiſsimè verò notat præfatus Chronologus, quòd per huiuſmodi reductionem, vel mutationem votum S. M. N. Thereſiæ de faciendo ſempèr quicquid intelligeret eſſe perfectius, non tantùm nihil ſplendore ſuo perdiderit, verumetiàm aliquid abundantiæ luminis acquiſierit: quam veritatem facilè confitebitur, qui ſtatim dicenda cum attentione ruminabit.*

Ex quibus hunc brevem, efficacem tamen, diſcurſum efformo, & datam interpretationem in illam adducentem regero. Etenim S. M. N. Thereſia fuit prima, quæ emiſit votum Seraphicum faciendi, quod eſt perfectius quoad ſubſtantiam, & modum: ſed votum ab ipſa emiſsum, etiam poſt reformationem illius, ſubſtantiam, & modum comprehendebat: ergo fuit prima nuncupatrix illius voti, etiam ut reformati. Ergo abſolutè, & omnibus modis prima fuit, quæ illud votum nuncupavit. Patet iſta: quia tale votum non alitèr ſumi pro re præſenti poteſt, niſi vel abſolutè, vel ut reformatum. Vndè cum abſolutè ſumptum illud prima emiſſerit S. M. & etiam prout reformatum: fit conſequens, quòd in illius nuncupatione fuerit omni-

nibus modis prima. Prior consequentia legitima est ex præmissis, quarum maior liquet ex interpretatione, quam nostris authoritatibus adhibet adversarius, qui etiam debet minorem concedere iuxta ea, quæ modò ex ipso audivimus. Omnia ex dictis clara sunt; eòque properamas ad aliud.

103. Respondet 3. Præallegatus Author in fine Appendicis: Datas authoritates esse negativas, quatenus (ait) *dictum est à Ribera, quòd votum huiusmodi nec legerit unquàm, nec audierit, quempiam emisisse.* Argumentum verò negativum, seu quod ab authoritatibus negativis desumitur, nullum esse, sciunt omnes. Vndè licèt P. Ribera illud dixerit, similia que protulerit N. Joan. à Jesu Maria, nihil aliud ex eorum dictis habetur, nisi quòd illi ignoraverint Alios, vel alium ante S. Matrem N. votum seraphicum nuncupasse. Ex quò fatuè infertur: ergo nullus ante ipsam tale votum emisit. Maximè, quia authoritatibus positivis liquet contrarium, ut mòx videbimus.

Hoc autem, quo Author contrarius se munit, nullius momenti esse, constat primò. Quia non solùm illi Authores, quos dedimus, sed plures alij tàm domestici, quàm extranei id ipsum affirmant, quorum testimonia prolixum esset referre. Omnes illi unanimitèr docent, se nullibi legisse, aut audivisse, quempiam ante Sanctis. Theresiam tale votum nuncupasse. Ex quo prudentissimè infertur, Sanctam Doctricem fuisse primam, quæ illud edidit. Et sanè incredibile est, quòd in re tàm magni momenti Vnus Hermannus super omnes alios Theologos & Scriptores cognoscat. Maximè quia res, quam versamus, est de facto, & non dependet à discursibus, sed ab historia.

Constat 2. Quia ultra illos, & alios plures Doctores, qui se illud non vidisse, aut audivisse testantur, sunt penè innumeri, qui iam in conversacionibus privatis, iam in sermonibus publicis positivè affirmant, Seraphicam Theresiam primam fuisse, quæ Cælestè hocce opus patravit. Quocircà non solùm authoritatibus negativis; verùm etiam positivis ducimur, cum hoc privilegium S. Matri N. concessum recognoscimus.

Constat 3. & præcipuè: quia Summi Pontifices, ut supra vidimus, docent, votum editum ab alma Doctrice fuisse *maximè arduum*: illud Sacra Rota appellat *rarum, ac notatu dignum*: Quibus innixus N. Ioan. à Iesu Maria dixit supra, hoc votũ fuisse *usquè ad stuporem planè mirum.* Quæ notiones non rectè aptari possunt rei ab alio priùs factæ. Sicùt post S. Matrem *rarum, ac notatu dignum* non ita propriè dicetur, aut *usque ad stuporem planè mirum*, si quis illud votum emittat: ex quo enim prius emissum supponatur, vim ad causandum stuporem adèo ingentem non habet. Sicùt etiam licèt ille à Deo doctus veracitèr dicetur; haberet tamèn exemplar humanum, cuius vestigijs, insisteret. Quo caruisse Seraphicam Theresiam non obscurè docet Gregor. XV. dum in Bulla Canonizat. eiusdem S. Matris dicit: *Maximè arduum votum à Deo edocta emiserit.* Vbi de magisterio humano, aut humano exemplari, quod æmularetur, sivè à quo edoceretur, nulla mentio fit; sed solo magisterio divino illam ductàm, ac edoctam fuisse asseritur.

Ex quibus omnibus in unum collectis, prudentissimum argumentum desumitur, convincens Seraphicam Theresiam tenere primatum in emissione huius Sacratissimi Voti. Quod propterea tantam admirationem, ac stuporem omnibus attulit: quem stuporem sanè non attulisset, si alij priùs illud nuncupassent. Stupor enim, ait D. Thomas 1. 2. q. 41. art. 4. in corpore, *causatur ex insolita imaginatione.* Et ad 4. concedit, quòd *admiratio, & stupor sunt de magno & insolito.* Insolitum ergo erat votum illud magnum faciendi, quod perfectius esset, usquè ad tempora Sanctissimæ Theresiæ, quæ Cælesti amore flagrans *à Deo edocta* votum illud prima nuncupavit.

104. Se-

104. Secunda Concluſio. *Poſt Seraphicam Thereſiam aliqui Votum Seraphicum emiſerunt.* Concluſionem iſtam ſtatuo propter Authores non infimæ notæ, quos illam edocuiſſe, reperio. Et hoc etiam cedit in Sanctiſsimæ M. N. elogium ſingulare, quòd videlicèt exemplar fuiſſet, ac Ductrix, quam in via virtutis proceres ſequerentur. Celebris eſt in hac parte Ven. Mater Ioanna Franciſca Fremiot Fundatrix Ordinis Viſitationis B. Mariæ, filia ſpiritualis Sancti Franciſci de Sales, ei que inter Cœteras dilectiſſima. Hanc ergo Ven. heroinam ligatam fuiſſe voto Seraphico conſtat ex hiſtoria ipſius vitæ Cap. 21. ubi ipſam dixiſſe, refertur:

Dilectiſsime Redemptor, poſt renovationem votorum meorum Obedientiæ, Caſtitatis, paupertatis, & faciendi ſempèr quicquid intelligam eſſe perfectius ſub directione, diſciplina que Domini Genevenſis, veri Patris, ac Domini mei, cui coram Divina Maieſtate tua, totà que Cæleſti curià particularem, atque fidelem obedientiam voveo: me ipſam exuo, & quicquid ſum, & quicquid eſt rerum abnego, abſque omni prorsùs exceptiuncula, relinquens, & reſignans in ſinum divinæ perfectionis tuæ, & in ſecretiſsimum fidelitatis amoris tui ſancti, curam æternæ ſalutis meæ, vitæ meæ, mortis meæ, interioris quietis, ac pacis animæ meæ, conſolationum mearum, afflictionum, deſideriorum, reflexionum ſuper id, quod in me tranſit, ac deſiderij, quo pœnas interiores meas auferri cupio &c. Hanc mihi ſolam reſervando curam, ut ſpiritum meum referam in te, in quo me perdere, necnon immergere totalitèr, ac abyſſalitèr concupiſco: ut me non ultra reſpiciam, non intuear, nec aliud quidpiam: idque non felicitatis ergo, quam continet in te confidere, ſuam que curam in te iactare; ſed quia ſic eſt voluntas tua ſancta, per divinas inſpirationes tuas, ac per conſilia digniſsimi Patris animæ meæ, tui que ſancti famuli mihi manifeſtata. In cuius conſideratione ſpero, quòd ſicùt mihi donaſti gratiam hoc votum faciendi, ſic etiam donabis perficiendi. Soror Ioanna Franciſca Fremiot. Datum hac 18. Maij 1616.

Ex quo clariſsimè liquet, Venerab. iſtam emiſiſſe votum ſeraphicum ad imitationem S. M. N. Hæc quippè Ven. fœmina fuit æmulata chariſmata meliora ſeraphicæ Virg. in huius ſui voti nuncupatione. Et attentà obſervatione digniſsima ſunt illa verba: *abſque omni prorſùs exceptiuncula*, quibus dictamen P. Ribera, & Illuſtr. D. Yepes ſupra à num. 90. expoſum, penitùs enervatur.

105. De alijs etiam hoc ipſum à pluribus edocetur, ut de Ven. ac ſapientiſſimo P. N. Fr. Thoma à Ieſu, & alijs tàm noſtræ reformatæ familiæ, quàm aliarum. Qui de aliquibus ampliorem notitiam deſideret, Conſulat Catenam N. myſticam tractatu de voto Seraphico propoſitione 1. reſp. 5. ad 6. obiectionem. N. Philip. in Decore Carmeli p. 3. & alios. Nobis enim, qui hiſtoriam non ſcribimus, ſat fuerit his, quæ diximus, comprobare noſtram propoſitam aſſertionem. Ex qua non leve argumentum conſurgit ad ſtabiliendam priorem, in qua præcipua huius controverſiæ difficultas conſiſtit. Etenim poſt S. N. Matriarcham conſtat, aliquos edidiſſe votum ſeraphicum: ergo ſi ante ipſam aliqui illud emiſiſſent, paritèr nobis conſtaret. Antecedens conſtat ex modò dictis, & conſequentiam ſuadet paritas, ita perſpicuè, ut ſupervacaneum ſit in hoc ampliùs immorari. Vndè hæc ſola inſinuatio ſufficiat.

§. II.

Argumenta in utramque Concluſionem diluo.

106. CONtra primam Concluſionem opinatur Hermannus noſter locis allegatis, in quibus ſuadere admittitur, S. N. Matriarcham non fuiſſe primam, quæ voto ſeraphico ſe alligavit. Quam opinionem parum ſibi, aut opinanti

nanti constantem esse, suprà vidimus. Quia vero ad hunc §. remisimus fundamenta ipsius conterere; idcircò ad eorum propositionem accedentes arguitur primò. Christus Dominus votum Seraphicum nuncupavit: ergo Seraphica Theresia non fuit prima, quæ tale votum emitteret. Consequentia videtur certa, & antecedens pluribus probare conatur Author ille primò ex Psalm. 131. vers. 2. ubi in persona Christi dicitur: *Sicut iuravit Domino, votum vovit Deo Iacob.* Item: etiam in Psalmis dicitur in persona eiusdem Redemptoris N. iuxta Glossam: *Vota mea reddam in conspectu timentium eum.* ¶ Secundò probat suum illud antecedens authoritate D. Chrysostomi, D. Isidori, & aliorum. D. Chrisostomi quidèm Hom. 4. ex var. in Matth. dicentis, Christum appellatum esse Nazarenum, non solùm quia habitavit in Civitate Nazareth sed etiam & principalitèr, quia ad instar Nazaræorum se ipsum Deo consecravit: hoc que confirmat S. Doctor ex illo Psalmi: *Sicùt iuravit Domino, votum vovit* &c.

Clarius adhuc loquitur D. Isidorus in lib. Iudic. capit. 7. ubi ait: *Omnia humanæ salutis Sacramenta tanquàm iuratus explevit, & quasi filiam, ita carnem propriam, pro salute Israelis Domino obtulit. Iurasse enim Patri, & vovisse Vnigenitum legimus Psalmo dicente: Sicùt iuravit Domino* &c. Idem docet D. Petrus Damian. serm. 2. in Dedic. Ecclesiæ, & ex Theologis Suarez 3. part. quæst. 40. art 3. disput. 28. sect. 2. dicens: *Christum primo instanti conceptionis suæ, se voto consecrasse Deo ad redimendos homines: & in hunc finem omnes actiones, ac passiones vitæ suæ voto obtulisse.*

Ac deniquè id ipsum probat ex D. Thoma in Psalm. 21. ubi expressè docet: *Fuisse votum Christi, ut se daret pro salute fidelium: ipse enim vovit in quantum homo.* His suum illud antecedens probat Herman. & posset quam pluribus alijs illud suadere. Si namquè sempèr quòd David votum nominat, emissum à Christo dicitur illud votum, pluriès illum vovisse, dicemus.

Respondetur primò, omisso antecedenti, negando consequentiam. Vndè tota argumenti machina ruit. Quamquàm enim dicamus Christum Dominum emisisse votum Seraphicum, non indè colligere licèt, Seraphicam Theresiam nõ fuisse primam inter omnes Christi sectatores, quæ se hoc voto ligavit. Sublimis siquidèm hæc Virgo, nec alia pura creatura, nequit ponere in numerum cum homine Divino, Authore gratiæ, ac Mundi Reparatore. Ex quo conclusio nostra nequaquàm labefactatur. Sempèr enim remanet verum, quòd in emissione voti Seraphici S. M. N. prima fuerit. Quod tibi manifestum erit, si legeris D. Thomam sup. Ioan. capit. 1. lect. 15. lit. F. dicentem, quòd D. Andreas *fuit primus Christianus*, & D. Stephanus *primus Martyr.* Omnes Div. Stephanum Protomartyrem, seu primum Martyrem appellamus, tametsi Christus Dominus priùs martyrium subierit. Et hic omnium usus frequentissimus ratione assignatæ innititur. Appositissimè Ven. Beda inquit, quòd nomen *Stephanus* Hæbraicè significat *norma vestra*, nempè, exponit Lorinus in Act. Apost. capit. 5. vers. 23. *Martyrum sequentium, quibus, dùm primus pro Christo occubuit, factus est forma pro eodem moriendi.* Ad hunc ergo sensum dicimus, S. M. N. fuisse primam, quæ votum Seraphicum edidit. Sed ne Thomistam doctrinis D. Thomæ abutentem relinquamus.

107. Respondetur 2. negando antecedens. Christus enim Dominus nec emisit, nec emittere potuit votum Seraphicum, aut aliud quodcumque votum. Sic docet D. Thomas mòx exhibendus, quem sequuntur cõmunitèr eius discipuli, paucissimis exceptis, quos inter voluit militare Hermannus, quo à sua Matre abstulit singulariſsimum splendorem. Videri omninò debet Illust. Godoi in 3. part. q. 19. tract. 12. disp. 49. à num. 88. Ratio autem, ob quam Christus nequivit votum elicere ea est: quòd Christus vel consideratur ut Deus, vel ut homo. Vt

Deus certo certiùs eſt, quòd non ſit capax emittendi votum. Vt homo, etiam cum apud nos degebat, erat comprehenſor, ac proindè habebat voluntatem firmatam in bono. Vndè ſicùt modò vovere non poteſt; ſic nec cum apud nos erat. Quibus corruit expoſitio illa, qua Hermannus vult, D. Thomam ad ſuã ſententiam adducere, dicens, Ang. Doctorem denegaſſe Chriſto capacitatem ad vovendum ſub illa conſideratione, qua votum firmat voluntatem in bono; non autem ſub illa, qua elevat operationes ad lineam Religionis, ſeu ad Dei cultum. Sic enim vovere potuit, ac de facto votum nuncupavit. Sicùt etiam, licèt haberet illam firmitatem voluntatis erga bonum, præcepto ſui Patris ligatus fuit, & quandoquè ea, quæ dicebat, iuravit: ergo ſimilitèr de voto.

Ex dictis, inquam, corruit hæc expoſitio, qua etiam utitur Silvius 2. 2. q. 88. in Comment. ad art. 4. Quæ Theologia pluribus confutari poterat; breviſſimè tamen ſic contra illam procedo. Primùm: quia de iuramento ad votum nullum eſt argumentum: ergo. Probo antecedens: Chriſtus ut Deus poteſt iurare, iuravit que, ut pluribus ſcripturis liquet, ut eſt illa: *iuravit Dominus, & non pœnitebit eum.* Pſalm. 109. v. 3. & illa: *iuravit Dominus David veritatem.* Pſal. 131. v. 11. Itèm & illa: *Ius iurandum, quod iuravit ad Abraham Patrem noſtrum.* Luc. capit. 1. Erat que formula, qua Deus ante legem gratiæ iurare ſolebat, *Vivo ego*, ut conſtat ex multis textibus Scrip. Sacræ. Tunc ſic: ſed Chriſtus ut Deus nequit votum emittere, ut dictum eſt: ergo de iuramento ad votum nullum eſt argumentum. Diſcrimen autem inter iuramentum, & votum quo ad præſens, illud eſt; quòd votum firmat voluntatem voventis; iuramentum dirigitur ad ſollicitandum aſſenſum audientis. Quocircà poteſt, qui habet voluntatem firmatam in bono iurare; non autem poteſt vovere.

Prætereà contra illam Theologiam facit. Quòd Chriſtus modò in Cælo parère debet ſuo Æterno Patri, ſicùt & alij Beati: ſed nec Beati, nec Chriſtus poſſunt modò votum emittere; quòd ſi adverſarij negent, illorum erit oſtendere, adquid deſervire poſſet illud votũ, aut qualitèr in ipſo reperiri poſſent, quæ ad votum neceſſaria ſunt: Ergo ex eo, quòd Chriſtus præcepto ſui Patris in terris obtemperaſſet, perperàm aſſeritur, eum tunc emiſiſſe votum, aut illud edere potuiſſe.

108. Tandèm, & à priori. Inter voti effectus, qui ad præſens deſervire poſſunt, unus eſt firmare voluntatem in bono, & alius elevare operationes ad ſpeciem religionis. Vterque eſſentialis, aut intraneus eſt voto; ſed magis, & primariò primus. Ratio eſt: quia actus elicitus à Latria eſt actus religionis, & Dei Cultus; & tamèn, circumſcripta promiſſione facta Deo, votum non eſt. Actus verò V. g. humilitatis ex promiſsione Deo facta elicitus, etiam ſub impoſsibili, quòd virtus religionis repugnaret, aut quòd non eſſet ſpecialis virtus, eandem neceſsitatem, ac firmitatem in bono præſtaret, ac modò præſtat. Eſt igitur verum, quòd ex illis duobus, quæ votum confert, primum, hoc eſt firmare voluntatem, eſt voto magis intraneum, & eſſentiale, quàm elevare ad aliam ſpeciem operationes. Modò diſcurro ſic. Ablato à voto eo, quod eſt ſibi primarium & magis intraneum, non remanet votum, quod pluribus tum Philoſophicis, tum Theologicis oſtendi poſſet: ſed ablato à voto, quòd voluntati conferat firmitatem, auferetur, quod eſt ſibi primarium, & magis intraneum, ut dictum eſt: ergo non remanet votum.

Quæ intelligenda ſunt de voto propriè tali: non enim per hæc negamus, quòd remaneat votum impropriè, ſeu, ut ait prælegatus Dominus Godoi *propoſitum operandi iuxta voluntatem, & præceptum divinum.* Hoc tamèn contrarijs deſervire non poteſt, ſicut nec nobis obeſſe. Immò prodeſt nobis ad explicandas authoritates inductas, maximè ſi addiderimus ex D. Thoma infra adducen-

ducendo, quòd ea, quæ Christus Dominus dixit, sic intelligenda sunt, ut quandoquè verificentur de ipso in sua propria persona; quandoquè verò in suis, quos à captivitate dæmonis liberavit. Exemplum. In ipso Psalmo 21. in contrarium adducto, vers. 1. ait Dom. ac Redemptor N. Crucifixus: *Longè à Salute mea verba delictorum meorum.* Ly *delictorum* potest duplicitèr intelligi. Primò sic: *delictorum*, quæ commisi. Secundò sic: *delictorum*, pro quorum solutione vas in hac cruce patior. Vtroque modo sunt verba Christi: sed secundo modo sunt verba ipsius in propria persona loquentis: ipse quippè languores nostros tulit, & dolores nostros in se portavit. Primo modo sunt verba Christi nomine suorum, quos redimebat, ad suum Patrem orantis: ipse enim peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius. Sic D. Thomas inibi verba illa exponit, & eandem doctrinam ad vota alibi applicat, ut iam videbimus.

109. Ex his ergo ad illas authoritates, quibus Hermannus utitur ad probandum negatum antecedens, dicimus: quòd si verba illa ex Psalmis desumpta accipienda sunt in persona Christi, votum illud non erat propriè tale, sed *propositum operandi iuxta voluntatem, & præceptum Divinum.* Si autem de vero, ac proprio voto intelligenda sunt, illa Christus dixit nomine suorum, quorum caput est. Et sub hoc duplici sensu explicamus authoritates D. Chrysost. Div. Isidori, Div. Petri Damiani, & aliorum, quibus par est revereri, & de ipsorum mente nihil certum habemus. Exim. Suarez clarè ex adverso est; sed non est motivum, ut ipsius authoritate præmamur; cum ipse non præmatur D. Thomæ authoritate.

Vltimum testimonium, quod ex D. Thoma allegat, plausibile nobis est ob circunstantiam, qua illius meminit. Immediatè enim recitaverat Ang. Mag. authoritatem, in qua ut Doctor exprimit, quid tenendum sit in præsenti controversia dicens 2. 2. quæst. 88. artic. 4. *Ad 3. dicendum, quòd Christo secundùm se non competebat vovere, tum quia Deus erat: tum etiam, quia in quantum homo, habebat firmatam voluntatem in bono quasi comprehensor existens: quamvis per quandam similitudinem ex persona eius dicatur in Psalmis secundùm Glossam: vota mea reddam in conspectu timentium eum. Loquitur autem de corpore suo, quod est Ecclesia.* His D. Thomas negat, quòd Christus potuisset vovere *secundùm se*, hoc est, proprio nomine: & docet, quòd quandò in Scripturis vovisse dicitur, *loquitur de corpore suo, quod est Ecclesia.* Hoc est, si loquimur de voto propriè tali; si verò de voto impropriè tali sermo sit, prout est *propositum operandi iuxta voluntatem, & præceptum Divinum*, loqui intelligendus est de se ipso.

Hæc viderat adversarius, & relinquens sententiam Doctoris, sequitur Expositoris sententiam. Et sanè expositio, quam D. Thomas adhibet verbis Sacræ Scripturæ, etiam suæ expositioni applicanda est. Sicque idem ubiquè docere reperietur. Et etiam si D. Thomas in 2. 2. non adeò perspicuè loqueretur, adhuc ea, quæ dicit in explanatione illius Psalmi nihil suffragarentur contrariæ imaginationi. Quod, ut percipias, observa textum D. Thomæ non esse fidelitèr adductum: tum quia plura omittuntur. Tum etiam, quia Sanct. Thomas non dixit: Christus *vovit in quantum homo.* Sed: *illud vovit.* Quid est *illud*, quod vovit, & quo modo vovit? audi integrum textum: *Votum Christi fuit, ut se daret pro salute fidelium: ipse enim illud vovit in quantum homo: Psalmo 39. ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, quæ quidèm voluntas Dei est sanctificatio nostra. Ioan. 6. Descendi de Cælo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. Hæc vota solvit Christus dando se ad passionem: & iterùm quandò dedit corpus suum in cibum fidelium.* Hæc D. Thomas, ex quibus planissimè constat, quòd Ang. Doctor non dixit, quòd Christus absolutè vovit, sed

quòd *illud vovit*, hoc eſt, vovit, quòd ſe daret in pretium in ara Crucis, & in edulium in Euchariſtico Sacramento. Et hæc vota non fuerunt promiſsiones Deo factæ, ſed propoſitum, promptiſsima voluntas, & animus reſignatus ad obtemperandum Æterno ſuo Patri illa ſibi imperanti. Vndè in his omnibus nihil eſt contra primatum Thereſianum.

110. Arguitur 2. Glorioſiſsima Virgo MARIA votum Seraphicum emiſit: ergo Seraphica Thereſia non fuit prima illius nuncupatrix. Conſequentia bona eſt, & antecedens facilitèr probat Hermannus ex illa recepta maxima: *Quod alicui Sanctorum fuit collatum, non eſt credibile Sanctiſsimæ Virgini fuiſſe negatum.* Sed S. M. N. collatum fuit, quòd faceret votum Seraphicum: ergo priùs hoc ipſum cõceſſum fuit Virg. Glorioſiſsimæ.

Hoc argumentum nemini placere poteſt. Illud primò ſolvi poterat iuxta primam ſolutionem adhibitam præcedenti: ea enim, quæ ibi de Chriſto Domino diximus, queunt, & ſuæ Sanctiſsimæ Matri proportionabilitèr applicari. Sed abſolutè reſpondemus negando antecedens, cuius probatio futiliſsima eſt ob craſſam intelligentiam illius maximæ, quæ in ſano ſenſu accepta veriſsima eſt; non autem in illo ſenſu, in quo arguens illam introducit. Alioqui vel nullus in Eccleſia fuit, aut erit verè Martyr; aut Beatiſsimæ Virgini collata fuit propria veri martyrij aureola, contra receptum Theologorum placitũ cum ſuo Principe D. Thoma. Rursùs: D. Franciſco collatum eſt ſtupẽdum illud privilegium portandi viſibilitèr in ſuo corpore Stigmata Domini noſtri Ieſu-Chriſti: quod Virgini Glorioſiſsimæ conceſſum non fuit. Tandèm Seraphicæ Thereſiæ collatum eſt, ut viderit Angelum ſibi præcordia phyſicè percutientem, & quòd deinceps viveret corde realitèr tranſverberato: quod de Beatiſsima Virgine non legimus. Hoc ipſum poterat ſexcentis alijs fulciri. Quæ omnia in id collineant, ut ijs manifeſtetur craſſam eſſe intelligẽtiam, quã arguens habet de illa S. Patrum, ac Theologorum maxima. Eius tamen genuina intelligentia eſt, quam N. Salmantic. aſsignant tract. 9. diſp. 3. num. 22, ubi negantes cum D. Thoma Virgin. Sacratiſsimam fuiſſe rigorosè Martyrem addunt.

Neque hoc eius derogat excellentiæ. Tum quia totum illud præmij accidentalis, quod in Martyribus eſt aureola, eminenter continetur in præmio eſſentiali, quod Virgini correſpondet ratione ſpiritualis martyrij, quod ſuſtinuit iuxta Crucem, ubi gladius à Simeone prænuntiatus puriſſimam eius animam pertranſivit. Tum etiam, quia (ut benè notavit Suarez tomo 2. in 3. p. diſp. 21. ſect. 3.) adhùc reſpectu præmij accidentalis, ad quod pertinet aureola, debet Virgini concedi aliquid peculiare in hoc genere, quod ſit veluti inſigne quoddam excellentiſſimæ fortitudinis, & invictæ patientiæ, quodque, etſi propter rationem traditam propriè non ſit aureola; ſuperat tamèn aureolas omnium Martyrum, & continet eminentiſsimè quicquid bonitatis & præmij in illis reperitur.

Hactenùs ſapientiſsimi Patres, quorum doctrina noſtro inſtituto applicata penitùs conterit propoſitum argumentum. Tres virtutes ſpecialitèr inter alias concurrere ad votũ Seraphicum, liquet ex ſupradictis, ſcilicèt, charitatem, religionem, & obedientiam. Harum influxu S. M. N. votum Seraphicum nuncupauit: Vndè illarum virtutum actibus votum fecit, & maximum ſibi præmium ob ipſius obſervationem comparavit. Verumenimverò minus nobilis actus charitatis, religionis, obedientiæ, aut alterius virtutis ſacratiſsimæ Virginis votum Thereſianum, & actus ad illius emiſsionem, & obſervationem concurrentes longè ſuperavit, continens *eminentiſsimè quicquid bonitatis, & præmij in illis reperitur.* Sic què intelligenda eſt maxima illa Patrum, & Theologorum.

111. Arguitur 3. Apoſtoli votum Seraphicum emiſerunt: ergo primatus huius voti non reſervatus fuit Sanctiſsimæ Thereſiæ. Antecedens probat Author

thor contrarius ex ſupra laudato D. Thoma dicente, quòd Apoſtoli *intelliguntur vovisse pertinentia ad perfectionis ſtatum, quando Chriſtum, relictis omnibus, ſunt ſecuti.*

Debilius adhùc præcedentibus eſt hoc argumentum, eiuſque futilitas adeò previa eſt, ut vel ipſius Author dicat pag. 217. *Fateor quidem* ſolùm eſſe coniecturam, ſi quis velit Apoſtolis votum Seraphicum adſcribere: Verùm cum ex eo, quòd fuerint Epiſcopi, certum ſit eos acquiſitæ perfectionis obligationem habuiſſe, parum intereſſe crediderim, an obligationem hanc per votum, an alitèr *contraxerint*. Hæc Author ille, quibus ſe intendere oſtendit, Apoſtolos fuiſſe perfectos; ſive ad perfectionis gradum inſcenderint per votum, ſive aliundè. Quibus viſis, dicimus, Apoſtolos fuiſſe Epiſcopos; ſed non à ſua vocatione: dicimus etiam eſſe perfectos; ſed non uſque ad adventum Spiritus Sancti. Vndè illos ut Epiſcopos, & perfectos veneramur, & ut ſanctitatis fontes, à quibus perfectionis aquæ, quas à capite accipiunt, in Eccleſiam corrivantur. Hoc eſt, quod arguens intendit, & hoc ei concedimus reſervantes primatum voti Seraphici Seraphicæ M. noſtræ, in quo nec Apoſtolorum celſitudini aliquid derogatur, nec arguens iniuriam patitur, ut oſtendunt ipſius ultima verba.

112. Vltimò arguit ex Richardo Victorino, qui plurimis annis ante Seraphicam Thereſiã de voto Seraphico egit. Tu arguentem vide hæc prolixiſsimè pertractantem, & poſtquàm feceris; nihil aliud in Richardo reperies, niſi (ſi de voto Seraphico loquitur) quòd tale votum nuncupabile eſt. Quod ad præſentem controverſiam nihil conducit; ſed deſervit ad huius voti poſsibilitatem, quam iam ſupra diſcuſsimus, & rationibus, & Authoribus ſtabilivimus, quibus Authoribus modò addimus Theologum celeberrimum Illuſtr. Godoi, qui tomo 3. in 3. p. q. 19. tract. 12. numero 151. hoc clariſsimè docet, & de facto ab aliquibus eximiæ ſanctitatis nuncupatum eſſe, dicit.

113. Obijcies: ſi hoc votum Richardus expreſsit, & poſt illius expreſsionem tot ſanctitatis proceres floruere, incredibile videtur, quòd nullus illud ante Seraphicam Thereſiam nuncupaſſet; nec huius ratio aliqua à nobis hactenùs aſſignata eſt: ergo non adeſt fundamentum ſolidum, ut primatum iſtum Sanctiſsimæ Thereſiæ adſcribamus.

Hanc obiectionem ille rectè ſolvet, qui cognoverit ſenſum Domini aut Conſiliarius eius fuerit. Nos autem arcana Domini trementi poplite venerantes dicimus, quòd in hoc obſervavit Deus curſum ſuæ profundiſsimæ providentiæ, ſecundùm quam quilibet Sanctus in aliquo præ alijs lucet: quo circà de quolibet Sancto Confeſſore cantat Eccleſia: *Non eſt inventus ſimilis illi, qui conſervaret legem excelſi.* Quod verum non eſſet, niſi in quolibet eſſet aliqua ſpecialis prærogativa, penès quam alijs præponeretur. Vndè D. Thom. 1. 2. q. 66. art. 2. ait: *Ad 2. dicendum, quòd unus Sanctus laudatur præcipuè de una virtute, et alius de alia propter excellentiorẽ promptitudinem ad actum unius virtutis, quam ad actum alterius.* Videatur corpus illius articuli, in quo exhibetur motivum, ob quòd licèt omnes virtutes cuiuſcumque iuſti ſint in ipſo æquales; idèm tamen iuſtus promptior eſt, & magis viget erga actus unius virtutis, quam erga actus alterius. Hincque facilè percipies, quod de uno Sancto cum alijs comparato docuit modò D. Thomas.

Qui opuſc. 62. agens de *Divinis moribus* ſub titulo *liberalitas Dei* ſic ad rem præſentem inquit: Deus *quibuſdam ſpiritualitèr communicat aliquod, quod habet ex natura: ut Abrahæ largitatem, Moyſi manſuetudinem, qui mitiſſimus hominum fuit Ioſeph providentiam ſuper Ægyptum: Samſoni fortitudinem: Heliæ zelum iuſtitiæ: patientiam Iob, & Thobiæ: Heliſæo mortuorum ſuſcitationem: Danieli iudicij diſcretionem, Samueli fidelitatem: Dauid contra perſequentes miſericordiam: Salomoni prudentiam: Ioanni Baptiſtæ ſanctitatis, & verita-*

ritatis amorem: Beatæ Virgini humilitatem: Petro charitatem: Ioanni Evang. caſtitatem: Beato Paulo zelum animarum, & cognitionem ſupernorum. Singuli in iſtis alijs excellebant, licèt omnes eadem habuiſſent. Hoc D. Thomæ teſtimonium demonſtrat, morem eſſe providentiæ divinæ ſibi devinctiſsimos decorare aliquibus prærogativis quibus ſe ipſos reciprocè ſuperent, poſsitque de eorum quolibet verè dici: *Non eſt inventus ſimilis illi, qui conſervaret legem excelſi.* A quo abditiſsimo perenni fonte ortum duxit, quòd Sanctiſsima Thereſia prima foret, quæ votum Seraphicum nuncuparet. Ita ut de illa dicere cum omni proprietate poſsimus, *non eſt inventus ſimilis illi, qui cõſervaret legem excelſi.* Hæc ſunt, quæ pro enodanda facta obiectione fas eſt dicere: alia autem noli iudicare, ſi non vis errare.

114. Contra ſecundam concluſionem, in qua aſſerimus, aliquos poſt S. M. N. votum Seraphicum emiſiſſe, arguitur ſic primò. Quia N. Curſus moralis tract. 17. cap. 1. num. 85. docet, quòd ipſa Doctrix alma, *Deo conſiliante, ab ipſoque edocta ſpecialitèr, potuit aggredi, quod nemo, niſi ipſa exequi auderet:* ergo ipſa ſola eſt, quæ hoc votum emiſit, nec alius poſt ipſam illud nuncupavit.

Reſpondetur: nos hiſtorijs fide digniſsimis probaſſe, aliquos ſanctitatem Seraphicæ Doctricis æmulantes illud votum emiſiſſe: & aliundè duriſsimum, & penitùs incredibile nobis eſt, quòd Myſticus N. Doctor Sanctus Ioannes à Cruce, Sanctus Petrus de Alcantara, & alij celſiſsimæ perfectionis, non potuiſſent ſimile votum edere, quantum eſt ex parte idoneitatis intrinſecæ, et virtutum purgati animi. Vndè ſi habuiſſent (& forſan habuerunt, etſi lateat) alia, quæ neceſſaria eſſe, diximus ad huius voti emiſsionem, illud abſdubiò nuncupaſſent. Sub ſigno Libræ vitales auras ſuſcepit: ad medium in his tenendum impellor geniali propenſione. Non debet voti Seraphici celſitudo ita deprimi, ut plurimi ad eius nuncupationem accedere, permittantur: in quo excedere reperimus Authorem, quem in hac diſputatione ſæpiùs impugnavimus. Sed nec ad illud occludendus eſt aditus omnibus, cuiuſcumque perfectionis ſint. *Medio tutiſsimus ibis.* Quapropter ad authoritatem N. Curſus moralis dicendum eſt, quòd ly *niſi ipſa* duplicitèr intelligi debet. Primò ita ut ly *ipſa* deſignet perſonam: ſecundò, ut ſtatum perſonæ deſignet. Quod adhùc duplicitèr ſumi debet. Primò, ita ut dicat perſonæ ſtatum ſecundùm ea, quæ ſtatui intrinſeca, & permanentia ſunt; ut ſunt gratia, & charitas perfectiſsima, & virtutes purgati animi. Secundò, ita ut ultrà hæc dicat alia, quæ ad illius voti emiſionem neceſſariò requiruntur, ut ſunt ſpecialiſsimus Dei impulſus, & alia, de quibus ſupra actum eſt. Si ly *niſi ipſa* deſignet perſonam; falſum eſt, quòd ſola Seraphica Thereſia hoc votum elicere potuiſſet, nec in hoc ſenſu locutum eſſe graviſsimum illum Authorem, nobis certiſsimum eſt: hoc enim eſſet excludere S. Ioannem à Cruce ab idoneitate ad illud votum exacta: quod nec ille Author dicet, nec nos æquanimitèr audiremus. Si verò deſignet perſonã ornatam perfectiſsima charitate, & virtutibus purgati animi, ſed ſine ſpeciali Dei impulſu, verum eſt, quòd illa perſona adhùc non eſt proximè idonea ad illud votum. Si autem deſignet perſonã in vertice perfectionis conſtitutam, & ſpecialiſsimo impulſu Dei gaudentem, veriſsimum eſt, quòd *niſi ipſa* nullus debet audere ad votum Seraphicum nuncupandum. In hoc que ſenſu loquutum laudatum Authorem, mihi plus quàm certum eſt. Sicùt & ille alius, cuius ſupra meminimus, qui dixit: *Niſi quis repererit Thereſias, non annnat.* Vndè nihil argumentum concludit.

115. Arguitur 2. Plurimum derogare videtur excellentiæ Seraphicæ Thereſiæ, qui illam ſolam non fatetur emiſiſſe votum Seraphicum: ergo nullus poſt ipſam illud nuncupavit. Conſequentia bona eſt, & antecedens probatur. Quia ex eo, quòd illa ſola magnum illud opus

fece-

fecerit, consequitur maiorem laudem apud omnes, illorum que omnium maiorem æ timationem: ergo qui dicit alios hoc votum emisisse, S.N. Matris derogat excellentiæ.

Respondetur. Sanctorum excellentiam non esse veritatis inimicam. Vndè cum alij inveniantur promisisse, se facturos quicquid perfectius esse, cognoscant, nequit cedere in obsequium excellentiæ Theresianæ, quòd ipsa ut singularis in hac parte habeatur cum veritatis iniuria.¶ Adde: quòd est singularissimum Sanctissimæ Theresiæ encomium, quòd ipsa Primiceria sit in opere adeò egregio, quam alij tanquàm vexilliferam insequantur: & queat, suo Dilectissimo Sponso dicere: *Trahe me post te* tua specialissima gratia ad culmen Seraphici voti, & tunc non ego sola, sed etiam alij meo exemplo allecti *curremus in odorem unguentorum tuorum.* Vide in simili N. Salmantic. tract. 20. disp. 3. à numer. 34

116. Arguitur 3. Cum dicimus, aliquos post Seraphicam Theresiam votum Theresianum emisisse, vel loquimur de illo voto, prout est opus obedientiæ perfectæ, aut prout est opus obedientiæ perfectissimæ, non solùm substantiam, sed modum etiam comprehendens: neutrum potest dici: ergo nullus præter Seraphicã Theresiã votum illud post ipsam edidit. Maior, seu sequela nota est. Quia obedientia sufficiens idonea non est ad votũ Theresianum. Vndè requiritur obedientia perfecta, vel perfectissima iuxta dicta num. 23. Minor pro prima parte certa est: nam ante Seraph. Virginem plures professi sunt obedientiam perfectam, ut liquet ex superius dictis, maximè ex illo D. Bernardi ad Frat. de Monte Dei: *Non vovistis sanctitatem sed omnis sanctitatis perfectionem, & omnis consummationis finem.* Et tamen non dicimus, illud votũ esse Theresianũ: alioqui ante S. M. N. daretur, quod est contra primam conclusionem: ergo nec concedendum est votum Seraphicum ab aliquo post ipsam factum, quamvis inveniantur aliqui, qui votum obedientiæ perfectæ ediderint. ¶ Pro secunda parte, in qua difficultas viget, probatur minor. Votum obedientiæ perfectissimæ comprehendit res etiam minutissimas & modum perfectiorem illas exequendi, prout vidimus quæst. præcedenti conclusione 3. Sed tale votum emitti ab alio nequit, nisi à Seraphica Theresia, quam Deus ad hoc donis cælestibus liberalissimè cumulavit: ergo nullus post ipsam illud edidit.

Respondetur. Votum Seraphicum esse duplex. Vnum est propriè, & perfectè tale: aliud dicitur tale impropriè, aut minus perfectè. Primum est votum Seraphicum Seraphicè. Secundum est votum Seraphicum præcisè. Primum comprehendit res minutissimas, & modum. Secundum non comprehendit modum; sive res minutissimas comprehendat, aut non comprehendat. De secundo non agimus in hac disput. nisi ob connexionem doctrinæ cuius scopus est votum Seraphicum Seraphicè, aut propriè & perfectè tale; aut obedientiæ perfectissimæ, quòd unico verbo dicitur *Theresianum.* Votum Seraphicũ minus perfectè sumptum editum fatemur ab aliquibus ante Seraphicam Theresiam: ac de illis intelligi potest dictum illud D. Bernardi. Et à pluribus emissum esse post ipsam, non diffitemur. Votum Seraphicum Seraphicè ante illam à nemine nuncupatum vidimus: post illam, & ad illius exemplar, ab aliquibus, rarissimis tamen, nuncupatum dicimus, fidem dantes Authoribus fidedignis.

Vndè iuxta hæc negetur minor pro secunda parte. Ad cuius probationem concessa maiori, distinguatur minor, *nisi à Seraphica Theresia* ly *nisi* denotante statum, & proximam idoneitatem, concedo: denotante præcisè personam, nego minorem. Contrarium quippè foret, manum Domini Dei nostri abbreviare, & non benè de ipsius liberali omnipotentia sentire. Numero 104. vidimus emittentem votum Seraphicum *absque omni prorsùs exceptiuncula.* Quod fal-

sum

ſum eſſe, demonſtrat dictamen P. Ribera, & Illuſtr. Yepes circa votum S.M.N. ut diximus quæſt. antecedenti; & ſimùl firmat hanc noſtram cõcluſionem ſecundam. Quando quidèm vovens facere omne, quod perfectius eſſe, iudicaverit *abſque omni prorsùs exceptiuncula*, res omnes, etiam minutiſsimas, & modum ipſum operandi comprehendit.

117. Arguitur ultimò. Votum Thereſianum emitti nequit ſine approbatione Directoris prudentis, & ſapientis: ſed nullus Director, qui ſapiens, & prudens ſit, conſulet emiſionem illius voti, præterquam Seraphicæ Thereſiæ, quam ad ingens hoc facinus deſtinavit Deus: ergo nullus præter ipſam illud aggreſſus eſt. Probatur minor. Emiſio illius voti expoſita eſt imminenti periculo peccandi lethalitèr frequentiſsimè, ipſius naturà attenta, inſpecta eius univerſalitate, res tenuiſsimas ambiente, ac voventis fragilitate: ſed nullus Director ſapiens, & prudens queit ſuo diſcipulo conſulere, quòd adeò frequentèr ſe exponat periculo amittendi gratiam infringens votum: ergo.

Confirmatur. Nemo eſt, qui veniali tèr non peccet: ſed peccatum veniale non habenti votum Seraphicum, mortale eſt illud habenti propter votum, quo ligatur, & cuius fractor eſt: ergo nemo eſt, cui illud votum conſuli queat à prudenti Directore.

Hoc argumentum, eius que confirmatio petunt, ut ampliùs aperiamus naturam voti Seraphici: & licèt, quæ dicẽda ſunt, conſtent ex dictis, & ex quidditate ipſius voti Thereſiani, quod quia votum eſt, debent de illo verificari ea, quæ ad votum ſpectant. Nihilominùs tamen maioris claritatis gratia dicimus cum D. Bernardo de Præc. & diſp. cap. 16. *Nemo ſi cautè profitetur, profitetur ſe ultra non tranſgreſſurum. Alioquin aut periurat qui ita iurat; aut ſanctior eſt illo, qui ait: in multis offendimus omnes.* Quæ verba viam nobis ſternunt, ut dicamus: quòd voto Thereſiano ligatus ex vi voti firmat ſuam voluntatem in bonõ, ut ab eo non deſiſtat: hoc eſt enim proprium cuiuſcũque voti genium. Cum quo tamen ſtat, quòd ex propria infirmitate voventis quandoquè illa firmitas infirmetur, & quòd ſempèr infirmari queat. Hæc autem infirmatio poteſt oriri ex ſubreptione, aut ſemiplena deliberatione; & tunc non adeſt culpa gravis, ſed levis, neutiquàm infringitur votum Thereſianum, quod ad illas vitandas non extenditur. Vndè ſi has culpas vitare quis voveret, ſeu iuraret: iſte aut periuraret, *aut ſanctior eſſet illo* &c. Culpæ igitur, contra quas votum Thereſianum firmat voluntatẽ in bono, & quæ ex infirmitate voventis quandoquè committi poſſunt, ſunt eæ, quæ ex plena deliberatione fiũt. Hæ ſi cadunt ſupra materiam notabilis entitatis, graves ſunt: leves verò, ſi materia parva ſit. Vndè quoad hoc idipſum habet votum Seraphicum, quod votum V.g. non furandi aliquid, ſive grave, ſive leve. Hoc quippè votum quocumque furto violatur: alitèr tamen, & alitèr; quia ſi materia ſublata ſufficiens eſt ad peccatum grave in ſpecie furti, fractio voti, aut ſacrilegium grave eſt: erit tamen leve, ſi furtum ſit in parva quantitate. Id ipſum de voto Thereſiano aſſerimus, videlicèt, quòd ſemper violatur, ſi ex plena deliberatione non fiat id, quod iudicatur perfectius. Aſt ſi quod fit, aut omittitur, eſt grave: gravis quoque eſt voti Thereſiani fractio: & levis, ſi quod fit, aut omittitur, ſit leve.

118. Decipieris tamen, & quidèm vehementèr, ſi intelligas per materiam gravem in præſenti rem præceptam, aut prohibitam ſub culpa gravi, & per materiam levem rem ſub culpa levi prohibitam, aut præceptam. Decipieris, inquam, & hac tua deceptione peſum iret voti Seraphici celſitudo: nec in hoc adeſt aliqua ſimilitudo inter votum Thereſianum, & votum de nihil omninò furando. Per materiam igitur gravem intelligimus in præſenti cum noſtra Catena myſtica rem notabilis entitatis, etiam ſi aliàs non ſit præcepta, ſed conſulta. Et per materiam levem intelligimus rem, quæ

ex

ex se exiguæ entitatis est. Vndè si emittens votum Teresianum sæcularis sit, & nullo impedimento, aut circunstantia gravetur, debet ingredi Religionem; & paritèr tenetur ad offerendam propriam vitam in holocaustum Deo, quandò sibi perfectius esse, ex Directoris consilio reperiret. Sinminus voti sui gravitèr fracti reus erit. Si verò illud votum nuncupans iam sit Religiosus, ex quo illud nuncupat, tenetur sub culpa gravi ad ea, quæ magnæ entitatis sunt in sua regula; quamquàm hæc solùm ad levem obliget: & etiam ad ea, quæ notabilis entitatis sunt in suis constitutionibus; tametsi istæ ex se solùm obligent ad pœnam. Hinc que cognoscenda clarissimè venit voti Seraphici arduitas, & celsitudo. Videatur Catena mystica tractatu de voto Seraphico in principio.

119. Ex his ergo constat ad obiecta. Ad argumentum concessa maiori, distinguatur minor, quæ verà est, si ly *præterquàm* designet Seraphicam M. N. cum idoneitate sufficienti ad emissionem illius voti; falsa verò, si solam ipsius personam designet, aut si etiam velit, quòd tanta perfectio requiritur, quantam Sancta habuit toto tempore, quo illo voto ligata fuit. Quod ut percipias, scire debes, quòd S.M.N. per duos supra viginti annos floruit sub celebri illo voto. Anno 1560. illud emisit, observavit que perfectissimè, ut supra à Sacra Rota, alijs que audivimus, toto sequenti tempore suæ sanctissimæ vitæ. Eius felicissimus transitus fuit anno Domini 1582. toto hoc tempore sub illo voto vixit, in quo inenarrabiles Cælestium divitiarum thesauros comparasse, quis abnuat? Sicùt & quòd eius perfectissima charitas in dies augeretur? Si ergo argumentum velit tantam perfectionem in vovente votum Theresianum, quantà fruebatur S.M.N. duobus, decem, aut viginti annis à sui voti nuncupatione, negamus minorem; non enim tanta perfectio necessaria est; sed quantam habuit, cum illud emisit, aut fortassè minor; quia latet, an priùs vires sufficientes haberet, ut illud nuncuparet. Ad probationem minoris negetur maior. Quia licèt materia voti Seraphici adeò universalis sit, non omnis illa servari debet sub mortali, ut explicatum est. Immò (tacitam obiectionem præocupamus) nec imminenti periculo peccandi venialitèr exponitur: ratio que desumenda est ex supra traditis. Qui proximè idoneus est ad emittendum votum Theresianum, fulget charitate perfectissima, virtutibus que heroicis, ac purgati animi micat. Et huic non est adeò facilis lapsus in venialia ex plena deliberatione, & advertentia. Quòd, si quandoquè, ut potest, cadat, levis sacrilegij reus erit.

Per quæ omnia patet solutio ad confirmationem, cuius maior vera est de peccatis venialibus ex subreptione, aut semiplena advertentia, à quibus sine specialissimo gratiæ privilegio nemo immunis est. A venialibus verò ex plena deliberatione commissis potest quis esse immunis independentèr ab illo specialissimo privilegio. Deindè negetur minor, cuius falsitas ex dictis liquet.

120. Contra hanc tamen doctrinam objicies. Quoniam ex ea sequitur, quòd habens votum Theresianum, dùm illud violat, possit mereri præmium vitæ æternæ: hoc est absurdum: ergo, & quòd quælibet voti Theresiani violatio non sit peccatum grave. Maior, seu assumptum probatur. Peccatum veniale, seu actus venialitèr peccaminosus potest esse meritorius: sed violatio voti Theresiani est quãdoquè tantùm venialitèr peccaminosa: ergo. Maior, in qua est difficultas, probatur primò. Stante bonitate substantiali actus, stat, quòd sit salutaris; idem quippè videtur esse, quòd actus sit salutaris, ac quòd habeat substantialem bonitatem: sed peccatum veniale non excludit ab actu bonitatem substantialem: ergo. ¶ Probatur secundò. Actus respiciens Deum finem ultimum supernaturalem, est salutaris: actus venialitèr peccaminosus sic quandoquè est: ergo. ¶ Probatur 3. Actus non solùm moralitèr bonus, sed perfectus, est absdubio

ſalutaris: Actus, quo habens votum Thereſianum, illud violat, interdùm perfectus eſt: ergo & meritorius. Conſequentia bona eſt, & maior certa, quia ſi charitas ſimplicitèr talis facit actum meritorium; potiori iure illum meritorium faciet charitas perfecta. Probatur minor. Habens votum faciendi quod perfectius eſt, illud violat, ſi advertentèr faciat id, quod perfectum eſt: ergo actus violans votum Thereſianum interdùm perfectus eſt.

Reſpondetur negando aſſumptum, & maiorem probationis, ad cuius primam probationem negetur ſimilitèr maior. Huius rationem reddit Caietanus tom. 1 opuſc. tract. 31. in reſponſ. 14. ubi ait: *Magna eſt differentia* inter has duas combinationes, ſcilicèt bonitatem ſubſtantialem cum peccato veniali, & meritum cum peccato veniali. Nam prima combinatio frequentèr ſimùl concurrit in eodem numero actu, dùm ſæpè facimus actus moralitèr bonos ex ſuo genere cum aliqua circunſtantia moralitèr mala: ut cum quis reddit mutuum; non tamen ea hilaritate, qua debet, & ſic de alijs. Secunda autem combinatio nunquàm ſimùl invenitur in eodem actu, quoniam nullus peccando meretur vitam æternam. Eſt enim tantæ vis peccatum veniale, ut tollat ab actu, quem afficit, meritum æternæ vitæ: quamvis non tollat æternæ vitæ meritum à perſona: multi enim ſancti viri abſque hoc, quòd perdant æternæ vitæ meritum, peccant venialitèr: verùm per illos actus, qui peccata ſunt venialia, non merentur vitam æternam. Hinc clarè patet, ex hac ſana doctrina non ſequi, quòd iuſtus in quolibet ſuo bono opere peccet. Nam etſi poſsit in opere aliquo bono ex genere peccare; in nullo tamen *opere meritorio poteſt peccare.* Hæc Caietanus, quibus maior illa ſolvitur, & quid ſentiendum ſit de peccato veniali, aut de actu ex genere bono, aliundè autem venialitèr peccaminoſo, declaratur non incongruè. Hac ipſa doctrina ſolvi poſſunt ſequentes illius maioris probationes.

Verùm quia hæc Caietani doctrina Angelico Præceptori non admodùm cohæret: idcircò hac opinione prætermiſſa, dicimus cum D. Thoma in 2. diſt. 38. q. 1. art. 4. *Ad 4. dicendum, quòd cum aliquis vult dare eleemoſynam propter inanem gloriam, hic eſt unus actus voluntatis: & hic actus totus malus eſt, licèt non ab omni eo, quod in eo eſt, malitiam habeat.* Idem, quod de hoc actu dicitur, de omni alio propter eandem rationem dici debet. Vndè ad primam illam probationem concedatur maior, & negetur minor. Ex quo enim actus ſit ex capite aliquo malus, non remanet in eo bonitas ſubſtantialis, niſi ad ſummum de materiali. Quod idem eſt, ac quòd non habeat malitiam ex omni capite: totus tamen ille malus eſt, ut modò audivimus à D. Thoma. Circa quæ omninò conſulendi ſunt N. Salmant. tract. 11. diſp. 6. dub. 1. ubi hæc nervoſiſsimè elucidant.

Ad ſecundam probationem negetur minor. Nunquàm enim actus venialitèr culpabilis in Deum finem ultimum ſupernaturalem refertur. Habet enim ſuum finem, in quo ſiſtat eius actualis habitudo, dicitur que relatè ad illud ultimus *ſecundumquid.* Cur autem ille finis non ſit ſimplicitèr ultimus: & quare iuſtus venialitèr peccans habeat Deum pro fine ultimo: & huiuſcemodi alia ad nos non ſpectat examinare, ſed ſupponere. Videantur laudati Salmantic. tract. 8. tota diſp. 4. & præſertim dub. 4.

Ad 3. probationem, propterquam præcedentia allata ſunt, conceſſa maiori, negetur minor, ſeù claritatis gratia diſtinguatur: *perfectus* eſt materialitèr, & in eſſe rei, concedo: formalitèr, nego minorem. Et hac ipſa diſtinctione reſolvatur minoris probatio. Termini ex dictis liquent. Ex quo enim habens votum faciendi, quod perfectius ſit, advertentèr omittit perfectius; quodcumquè faciendum eligat, poſt habito perfectiori, quamquam perfectum materialitèr, & in ſe ſit; ut tamen ſubeſt illi imprudenti electioni, nec perfectum, nec bonum eſt; ſed prohibitum; atque ideò malum, ut liquet ex adducto D. Thoma.

QVÆS-

QVÆSTIO NONA.

DE NON-NVLLIS E PLVRIBVS STEMMATIBVS, quæ conſecuta eſt Seraphica noſtra Matriarcha ob votum Seraphicum quod emiſit.

DEO auſpice, appulimus ad ultimam quæſtionem huius tertij prædicabilis, in qua ſine argumentorum tumultibus, aut ictibus ſyllogiſmorum pacificè procedere intendimus aliqua ex innumeris, quæ ferax hæc arrugia progignit, perſtringentes.

§. Vnicus.

Titulus declaratur, & promiſſa ſtemmata proponuntur.

121. NOn in id labor præſens tendit, ut votum Thereſianum abſolutè conſideret. Sic enim tam ipſius nuncupatio, quam fideliſsima per quinque luſtra, & ampliùs obſervatio tot Cælestes Theſauros Seraphicæ Thereſiæ contulere, quot nemo enarrare queat. Laudo Pat. D. Franciſcum de Rib. qui hanc materiam verſans ad emphaſim interrogationum verbis indigus ſe recepit. Ait enim ſupra allegato: *Voto es eſte, que yo de ningun* Santo he leido, ni oido jamàs: y „ quien quiera que lo hace, ſolamente „ el hacerle es clariſsima ſeñal de una „ muy alta, y muy extraordinaria perfeccion, y mas en perſona de tan temeroſa conciencia. Porque no ſe podia hacer, ſino con un gran deſaſimiento de todas las coſas criadas, y „ con abraſado deſeo de contentar al „ Criador, y un Señorio grande de ſu „ alma, y de las paſsiones de ella. Y no „ le hizo de preſto, ſino con mucho conſejo, y con licencia de ſu General, y „ (lege ſui Directoris: non dùm enim „ erat inſtitutus Commiſ. Apoſt.) del „ Comiſſario Apoſtolico. Pues què ſeria „ el cumplirlo tan enteramente, y tan„ tos años? Què riquezas ſe ganarian con eſto? Què de merecimientos ſe „ amontonarian? Què *gloria tan alta* „ *ſe adquiriria*? Hactenùs perdoctus iſte Pater. Ac ſi diceret: Dicant alij, ſi fortè queant; nam mihi verba non ſuppetunt ad rem tam verè ineffabilem exprimendam.

Noſter igitur animus non eſt de voto Thereſiano ſub hac univerſalitate verba facere; ſed conſideramus illud, ſeu potiùs Sanctiſsimam Thereſiam quatenùs fuit prima, quæ tale votum emiſerit: & etiam prout præſtitit exemplum, quod alij ſimile votum edentes, æmularentur.

122. Circa primum tot ſunt, ut eorum copia reddat inopem ſcribentem. Nec dictum miraberis, ſi conſideres: Seraphicam Doctricem ob tam egregium facinus, quod patravit, dùm ſe facturam, quod perfectius eſſe, cognoſceret, ſtatuit, ſuperiorem quacumque laude humana reperiri. Supra dixit Illuſtr. D. Yepes, quòd votum Thereſianum exigit ad ſui perfectam obſervationem ſupremorum ſpirituum celſitudinem. Immò S. M. Eccleſia Seraphicam Thereſiam *Angelicis ditatam virtutibus* dicit. Ex quibus ipſam, ſuum que votum, quod prima edidit, omnem laudem ſuperare, reperimus. Teſtor Ariſtot. qui libr. 1. Ethicorum capit. 18. ait: *Si autem laus eſt talium, manifeſtum, quod optimorum non eſt laus, ſed maius aliquid in eis, & melius. Quemadmodum videtur. Deos enim (ſubſtantias ſeparatas, quas Deos nomitat*, gloſſat inibi Sanctus Thomas) *beatificamus, & fælicitamus, & virorum diviniſsimos beatificamus, ſimiliter autem & bonorum. Nullus enim fælicitatem laudat, quem-*

admodum iuſtum ſed ut divinius aliquid, & melius beatificat.

Quam authoritatem ſic D. Thomas exponit: *Dicit ergo primò, quòd optimorum eſſe aliquid melius laude, videtur communiter omnibus. Quod manifeſtum eſt ex hoc, quòd Dijs quaſi aliquid melius laude attribuentes, dicimus eos beatos, & fælices, & ſimiliter optimos virorum, in quibus apparet quædam divina ſimilitudo propter eorum excellentiam.* Optimum eſt votum Thereſianum, quod Seraphica Thereſia, Deo Ductore, ac Doctore, prima vovit. Et propter hanc excellentiam divinam quandam ſimilitudinem ei cælitùs conferentem tranſcendere omnem laudem reperta eſt.

123. Semper fuere ab omnibus venerati, qui in commune reipublicæ beneficium aliquid utile inveniſſent. Quod ita apud fide orbos invaluit, ut alicuius præclaræ rei inventoribus divinitatem communi conſenſione adſcriberent. Res iſta Trivijs nota eſt, atque tonſtrinis. De illa diſſerit Cicero lib. 1. de natur. Deor. De ipſa quoque agit Petrarca lib. 1. de vita ſolitar. capit. 6. ubi ſacrilegam dementiam carpens inquit: *Inventores artium quarundam poſt mortem Divinitatis honore cultos audivimus, gratè quidèm, potiùs quàm piè. Nulla eſt enim pietas hominis, qua Deus offenditur. Sed erga memoriam de humano genere benemeritorum inconſulta gratitudo mortalium humanis honoribus non contenta uſque ad ſacrilegas proceſſit ineptias. Hinc Apollinem citharæ: hinc eundem ipſum, atque Æſculapium medicinæ, Saturnum Liberum que, & Cererem agriculturæ, Vulcanum fabricæ Deos fecit. Hinc Ægyptus Oſirim, Athenæ docta Vrbs Minervam coluere: quòd ille lini, hæc olei uſum, artemque lanificij reperiſſe fertur. Longum eſt ſingula proſequi, quia apud veteres huiuſmodi vanitatum nullus eſt modus.*

Prudentèr reprehendit hic Author impium exceſſum, in quem cæci illi impingebant, ut ſe gratos oſtenderent inventori. Verùm quòd grati eſſent, nec tiquam reprehendit: quin potiùs laude dignus eſt, qui gratias agit aliquid ſibi proficuum reperienti. Cæleſtis Negotiatrix alma Thereſia *à Deo edocta* pretioſam margaritam voti Seraphici invenit, ſibi, & toti populo Dei utiliſsimam, & ipſi Deo acceptiſsimam. Omnes igitur ob tam præclarum inventum perennes gratias rependamus, & Regem gloriæ, quo edocente Theſaurum illum invenit, cernui magnificèmus uti aliàs in ſimili docet Petr. Martyr Angleira in ſuis Decad. novi orb. dec. 1. in princip. dicens: *Solebat grata vetuſtas pro Dijs habere viros, quorum induſtria & animi magnitudine ignotæ maioribus eorum terræ panderentur. Nobis autem, qui Deum habemus unicum ſub triplici perſona, quem colamus, reſtat, ut huiuſcemodi genus hominum, ſi non coluerimus, admiremur tamen. Reges verò obſervemus, quorum ductu, & auſpicijs datum eſt illis, cogitata perficere: utroſque etiam extollamus, & pro viribus illuſtremus iure merito.*

Sic loquitur iſte de viris illis, quorum ſtrenuitate, & induſtriâ orbis novus inventus fuit, ac de Catholicis noſtris Regibus, *quorum ductu, & auſpicijs datum eſt illis, cogitata perficere.* De primo horum novi orbis inventorum cecinit Ian. Iacob Boiſardus 4. parte Hiſtor. Amer.

Gloria prima tibi hæc debetur, magne Columbe.

Inclita fama debetur Sanctiſsimæ Thereſiæ, quæ *ſub Columbæ ſpecie puriſsimam animam Deo reddidit*, ob voti Seraphici inventionem ſub ductu, auſpicijs que Summi Regis Regum, & Domini Dominantium. Illa in huius Cæleſtis novi orbis voti Seraphici nuncupatione prima fuit, ut potè ab illa reperti, & ſine alterius creato exemplarè nuncupati.

Di-

Dicebamus quæſtione præcedenti, Almam noſtram Doctricem emicuiſſe inter Sanctorum lucidiſsimos Choros propter huius ardui voti emiſsionem; atque ideò de illa dici poſſe: *Non eſt inventus ſimilis illi.* Hoc tunc diximus, & reproducimus modò. Et ſi fundamentum deſideras, illud, ultra dicta, tibi non iniucundum exhibeo. In lib. Iob. cap. 1. verſ. 8. ſcribitur, Deum ſibi devinctiſsimi Iob virtutem extuliſſe, dixiſſeque: *Nunquid conſideraſti ſervum meum Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo?* Plurima paucis ſermo divinus comprehendit. Sed eminet inter omnia, quòd inter omnes tunc ſuperſtites ſic virtus Iob emineret, ut ſimilis ei in terra nullus inveniretur. Miratur D. Auguſtinus elogium dicens quæſt. 118. *Quis tantum potuit promereri, cui tale teſtimonium Dominus perhiberet?* Divum Auguſtinum audiſti interrogantem, audi & appoſitiſsimè reſpondentem. *Hic qui non imitator invenitur ſed Author eorum quæ geſsit.* Quam plurimis, inſignibus que virtutibus fulgebat Iob. In animi ſimplicitate erat inſignis, in cordis rectitudine conſpicuus, in Dei timore admirabilis, & in receſſu à malo ſtrenuus: his virtutibus, quas ex gratiæ beneficio comparaverat, loricatus miriſsima illa fecit, quæ de illo dicuntur; & ſanè *non imitator invenitur, ſed Author eorum, quæ geſsit.* Hinc que ab ipſo Deo laudatur, *quòd non ſit ſimilis ei in terrâ.*

124. Non imitatrix, ſed inventrix Seraphici voti fuit alma M. Noſt. hoc Sanctiſsimum inventum illam reddidit inter omnes conſpicuè ſingularem. Gratiæ divinæ munificus Diſpenſator humilem Thereſiam elegit, ut de hoc peregrino invento in ipſo pijſsimo largitore gloriaretur. Portenta, quæ hoc ſacrum votum ſecum affert, abſcondit à ſapientibus, & prudentibus, & ob ſuæ ſapientiæ inſcrutabile arcanum parvulæ Thereſiæ revelavit. Vocata omni prorsùs abiectà morà adfuit, & votum edidit, quod alij, ad ipſius imitationem in proprium eorum commodum poſſent pariter nuncupare.

125 Hoc ad ſecundum, quod ſupra propoſui, ſpectat, & ab eodem principio derivatur. Ex quo enim huius Sacri Theſauri inventrix extitit, & non ſibi illum avara reſervavit, ſed prodiga manu alijs obtulit in exemplum, quod chariſmata meliora æmulantes ſectarentur, omnem humanam laudem tranſcendere viſa eſt, & inter omnes inſequentes ipſam veluti ſola laudabilis. Coram Apoſtolis, Diſcipulis Phariſæis, Scrivis, plurimâque turbâ ſermonem quadam die habuit Dominus, ac Redemptor noſter Jeſus-Chriſtus. Sermone confecto, contigit, quod Div. Lucas refert capit. 11. num. 17. *Factum eſt autem, cum hæc diceret extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ ſuxiſti.* Omnibus è magna illa concione tacentibus, ſola mulier iſta extulit ſalvatorem. Miriſsima circa hæc tradunt Sancti, & Expoſitores. Quod autem nobis negotium faceſsit, eſt doctrina D. Auguſtini tract. 10. in Ioan. dicentis: *Cum Dominus in turba mirabilis videretur faciens ſigna, & prodigia, & oſtendens quid lateret in Carne, admiratæ quædam animæ dixerunt: Felix venter, qui te portavit.*

Abſdubio notaſti iam diverſitatem. D. Lucas unicâ mulierem loquutam docet, D. Auguſtinus plures vocem extuliſſe, dicit. Quomodo hæc dici queant ſine veritatis diſpendio, multorum ſolicitudo fuit. Placet, & quidem ſingulariſsimè Sylveiræ noſtri textualis intelligentia. Sic enim ait inibi quæſt. 5. num. 31. *Quamvis aliæ piæ animæ dixiſſent: Beatus venter: de hac ſola muliere evangeliſta facit mentionem, quia hæc prima extitit, quæ tali præconio ſic vocem extollit, ad cuius imitationem ſic proclamantes alij ſunt ſecuti. Et mulier, quæ in his Chriſti præconijs proclamandis frontem, & primum*

mum occupat locum, magna ſanè gloria fuit celebranda. Eſt dicere: quod plures animæ in ea occaſione in Chriſti præconia erupere, & quod ſola una loquuta eſt. Quia una prima fuit, quam aliæ inſectatæ ſunt. Et ex quo illa una prima fuit, & exemplar cæterarum, meruit habere Sacrum Evangeliſtam laudatorem divinum, qui alias non efferens illam ſolam dilaudaſſet: ac ſi in illius concurſu aliarum præconia apparere, non audeant.

126. O Seraphica Thereſia, tui nominis commendationem cum omni poſteritate adæquabis. De tuis nulla unquàm ætas præconijs conticeſcet. Prima fuiſti, quæ votum Seraphicum, à te inventum, nuncupares. Tuarum gloria laudum cum æternitate perennabit; nec vitæ huius exiguis limitibus terminabitur. Prima fuiſti, quæ Cæleſtem hunc Theſaurum reperires, & alijs ad ipſorum profectum demonſtrares. Ob hoc vivet tuarum virtutum fama nullis temporis, aut loci marginibus concluſa, ſed totum orbem, etiam Cæleſtem, Theſaurum habens. Si novi orbis inventores tot ob ſuam induſtriam, ac ſollicitudinem encomia ſibi compararunt, quia ſuis Hiſpanis viam, & locum, in quo innumeras mundi divitias reperiſſent, oſtenderunt. Longè ſuperiora ſunt tua præconia, quæ omni populo Dei inventum præſtitiſti, methodum præfignaſti, ut immenſas Indiarum gloriæ divitias ſibi congregent. Omnium illorum Magiſtra facta es hoc tuo facto, quin propria conditio obſit.

127. De Div. Stephano prædicavit S. Auguſtin. ſerm. de eodem Sancto: *Diſcipulus erat ordine; ſed factus eſt Magiſter exemplo.* Cur conditione Diſcipulus abijt in Magiſtrum? In promptu reſponſio eſt Stephanus primus Martyr fuit, omnibus Sacris Martyribus oſtendens modum, quo martyrij aureolam compararent. Nomen *Stephanus*, ut dicebamus quæſt. antecedenti cum V. Beda, & Lorino, idem hæbraicè eſt, ac *Norma veſtra, nempè Martyrum ſequentium, quibus, dum primus pro Chriſtus occubuit, factus eſt forma pro eodem moriendi.* Et ex hoc, qui Diſcipulus erat, factus eſt commilitonum Magiſter.

128. Formam præſtitit alma Thereſia omnibus, qui ſuæ ſaluti conſulentibus emittere velint votum Seraphicum; illud non ſoli ſibi, ſed & omnibus idoneis adinvenit. Omnium illorum Magiſtra, ac Doctrix eſt. Illique in ſignum ſuæ gratitudinis ad illam exornandam concurrunt. Non inidoneè procederem ſi mulierem illam adducerem, quam *ſignum magnum* appellat Ioan. in ſua Apocalypſi. Nec deeſt Sacræ Scripturæ Interpres, qui dicat, illam mulierem prodigioſam fuiſſe Sanctiſsimam Thereſiam. Quæcumque tamen fuerit, ſtellis ipſam redimitam audio. *In capite eius corona Stellarum.* Has ſtellas, fert receptiſsima interpretatio, eſſe illas animas, quæ exempla illius fœminæ inſequentes in ſtellas commutatæ ſunt ad fulgendum in perpetuas æternitates. Et in oſtenſionem gratitudinis illi, qui eam Doctricem habuerunt, obſequuntur, ipſius caput ſplendidiſsimè exornantes.

129. In cuius rei confirmationem haùd præteream, quòd diù in Sacris Evangeliſtis obſervavi. Dum de Apoſtolorum numero agunt, pervenientes ad Andream illum fratrem Petri dicunt, ut videre eſt apud Matth. cap. 4. v. 18. Marc. cap. 16. & Ioan. cap. 1. v. 40. Nec facilè apparet deſignare motivum. Quod de N. Patrono D. Iacobo dicatur, quòd erat Ioannis frater, iuxta illud: *Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis*: In promptu ratio adeſt, videlicèt, quod ſic dicitur, ut ab alio Iacobo diſtinguatur. Simile evenit in Simone, & Iuda. Aſt, cum unicus eſſet, qui inter Apoſtolos Andreas diceretur, ut quid additur, quòd erat frater Petri?

Vidit difficultatem Lorinus in Act. cap. 1. & ait: *Opinor, quod Andreæ per honorificum fuit tanti, aut talis viri*

viri fratrem esse; aut Christo virum tantum lucrifeciſſe. Prima expoſitio habet contra ſe aliqua ex Sacro textu deſumpta. Secundam verò approbo, & explico in hunc modum. Supra vidimus ex D. Thoma ſuper Ioan. cap. 1. quòd ſicùt *Stephanus fuit primus Martyr poſt Chriſtum, ita & Andreas fuit primus Chriſtianus.* Invenit Andreas Chriſtum, & Petro fratri ſuo communicare bonum à ſe repertum, deſiderans, illum duxit ad Ieſum, qui confeſtim ac illum vidit, ex nomine eũ ſe cognoſcere oſtendit, mutavit priſtinum nomen in aliud, & favoribus cumulavit. Omnia ex ſacro laudati D. Ioan. textu manifeſta ſunt; ait enim: *Invenit hic primùm fratrem ſuum Simonem; & dicit ei: Invenimus Meſſiam (quod eſt interpretatum Chriſtus) & adduxit eum ad Ieſum. Intuitus autem eum Ieſus dixit: Tu eſt Simon filius Iona: tu vocaveris Cephas, quod interpretatur Petrus.* Ex directione Andreæ adeptus eſt Petrus ad Chriſtum venire, & ab ipſo honoribus cumulari. Quocircà in triumphi, quem ex Petri directione comparavit Andreas, monumentum; cum nominatur Andreas, & Petrus paritèr nominatur. Vt ſic glorificetur Deus in illo triumpho, & Andreas ob ſuam inſtructionem celebratur.

130. Seraphica Mater mea, omnibus, quos tui exemplo, & inſtructione ad votum Seraphicum, omnium votorum caput, adduxiſti, caput tuum ornabitur, veluti ſplendenti corona, illis que veluti gloriæ tuæ ornamento fulgebis in ſignum gratitudinis ſuæ, & in memoriam magiſterij lucidiſſimi, quo à te illuſtrati ſunt. Hactenùs licuit Sanctiſsima Mater mea. Tuam benignitatem imploro, ut tuo potenti patrocinio tuus filius verè ſim, & te Matrem ſine tua diſplicentia valeam nominare.

131. Quibus finem imponimus huic quæſtioni, diſputationi, & tertio prædicabili *de natura myſticè perfecta* quæ cedant, oro, in laudem Omnipotentis Dei in propria, & aliena natura ſubſiſtentis, & in honorem Sanctiſ. Virg. MARIÆ de Monte Carm. Sancti Ioſeph, Protectoris mei, Sanctorum PP. Thereſiæ, & Ioannis à Cruce, & omnium Sanctorum.

Sint etiam in tui obſequium, Sanctiſſime Thoma, cuius doctrinam ſectari ſtudui in omnibus, à cuius veritate, ſi aliquid devium protuli, confeſtim retracto. Omnia à me ſcripta, ſcribenda que S. R. E. & ſapientium dictamini ſubijcio.

****

IN-

INDEX
LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, quæ in hac ſecunda parte tertij tomi reperiuntur.

Primus numerus diſputationem ſignat, ſecundus verò eſt marginalis.

EX VETERI TESTAMENTO.

EX GENESI.

Cap.2. v.21. *Immiſit ergo Dominus ſoporem in Adam, cum que obdormiſſet.* 20.7. & 23. 2.

Cap.32. v.30. *Vidi Deum facie ad faciem.* 20.6. & 21. 8.

EX LIBRO EXODI.

Cap.20.v.26. *Non aſcendes per gradus ad altare meum.* 24. 29.

Cap.33.v 13. *Novi te ex nomine, & inveniſti gratiam coram me.* 26. 175.

In eodem v.21. *Non videbit me homo & vivet.* 17. 136.

EX LIBRO 2. REGVM.

Cap.23. v.3. *Mihi loquutus eſt fortis Iſrael.* 20. 100.

EX LIBRO 2. PARALIPOMENON.

Cap.6. v.30. *Tu enim ſolus noſti corda hominum.* 20. 34.

EX LIBRO ESTHER.

Cap.2. v.12. *Sex menſibus oleo ungerentur mirrhino.* 24.13

EX LIBRO IOB.

Cap.4. v.12. *Quaſi furtivè ſuſcepit auris mea venas ſuſurri eius.* 21.54.

Cap.42. v.5. *Auditu auris audivi te; nunc autem oculus meus vidit te.* 22.8

EX LIBRO PSALMORVM.

Pſalm.2. v.9. *Servite Domino in timore.* 27 40.

Pſalm.5. v.7. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* 26.38.

Pſalm.18. v.2. *Cæli enarrant gloriam Dei.* 20. 98.

In eodem v.13. *Delicta quis intelligit.* 26. 140.

Pſalm.21. v.1. *Longè à ſalute mea verba delictorum meorum.* 28.1 8.

Pſalm.30. v.9. *Statuiſti in loco ſpatioſo pedes meos.* 27. 42.

Pſalm.39. v.8. *In capite libri ſcriptum eſt de me ut facerem voluntatem tuam.* 28. 53.

Pſalm.50. v.5. *Et peccatum meum contra me eſt ſemper.* 26.79.

Pſalm.80. v.11. *Dilata os tuum, & implebo illud.* 27.19

Pſalm.109. v.3. *Iuravit Dominus, & non pœnitebit eum.* 28. 107.

Pſalm.118. v.10. *In toto corde meo exquiſivi te.* 27. 16.

In eodem v.61. *Funes peccatorum circumplexi ſunt me.* 27.61.

In eodem v.119. *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ.* 26. 47.

In eodem v.165. *Pax multa diligentibus legem tuam.* 26. 45.

Pſalm.124. v.1. *Qui confidunt in Domino ſicut mons Sion.* 26. 47.

Pſalm.131. v. 2. *Sicut iuravit Domino, votum vovit Deo Iacob.* 28. 106.

EX LIBRO PROVERBIORVM.

Cap.1. v.24. *Quia vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam.* 27.52.

Cap.23. v.26. *Præbe, fili mi, cor tuum mihi.* 27. 20.

Cap.24. v.16. *Septiès enim cadet iuſtus, & reſurget.* 26. 11.

EX LIBRO ECCLESIASTES.

Cap.5.v.4. *Melius eſt non vovere, quàm poſt votum promiſſa non reddere.* 28. 43.

EX LIBRO CANTICORVM.

Cap.1. v.1. *Oſculetur me oſculo oris ſui; quia meliora ſunt ubera tua vino.* 21 21. & 23.43. & 52.

Cap. 2. v. 16. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* 27. 17.

Cap.3. v.4. *Inveni quem diligit anima mea.* 25. 50.

Cap.4. v. 7. *Tota pulchra es, & macula non eſt in te.* 26. 15.

In eodem v.8. *Veni de libano Sponſa mea.* 24. 1. & 28. 81.

In eodem v. 9. *Vulneraſti cor meum ſoror mea Sponſa.* 24. 1.

In eodem v. 10. *Hortus concluſus ſoror mea Sponſa.* 24. 1.

Cap.5. v.1. *Veni in hortum meum ſoror mea Sponſa.* Ibi.

In eodem v.2. *Ego dormio & cor meum vigilat.* 25. 38.

Eodem v. *Vox dilecti mei pulſantis.* 27. 19.

Cap.6. v.2. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.* 27 17

Cap.8. v.1. *Quis mihi det, te fratrem meum ſugentem ubera matris meæ.* 23. 3.

In eodem v.5. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens.* 26. 86.

In eodem v.4. *Adiuro vos filiæ Hieruſalem ne ſuſcitetis, neque evigilare faciatis dilectam.* 23.104

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

Cap.1. v.11. *Os, quod mentitur, occidit animam.* 26.38

Cap.9. v.15. *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam.* 27.37.

Cap.13. v.5. *A magnitudine enim ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poteſt creator horum videri.* 26.124.

EX LIBRO ECCLESIASTICI.

Cap.48. v.14. *Et mortuum prophetavit corpus eius.* 20.35

EX ISAIA PROPHETA.

Cap.1.v.3. *Bos cognovit poſſeſſorem ſuum* 26. 110.

Cap.6.v.1. *Vidi Dominum ſuper ſolium excelſum, & elevatum.* 22. 8.

Cap. 11. v.2. *Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini.* 20.18.

Cap.40. v. 18. *Cui ergo ſimilem feciſti Deum.* 22.6.

Cap.52. v. 2. *Excutere de pulvere, conſurge, ſede Hieruſalem.* 27.62.

Cap.58. v.10. *Orietur in tenebris lux tua.* 23.4. & 25.46.

Cap 60. v.19. *Non erit tibi ampliùs ſol ad lucendum per diem &c.* 25.46.

EX IEREMIA PROPHETA.

Cap.1. v.5. *Et prophetam in gentibus dedi te.* 20.

Cap.17. v.9. *Pravum eſt cor omnium & inſcrutabile: quis cognoſcet illud?* 20. 34.

EX DANIELE PROPETA.

Cap.3 v. 9. *Angelus Domini excuſſit flammam ignis de fornace &c.* 22. 13.

EX OSEE PROPHETIA.

Cap.2. v.20. *Sponſabo te mihi in fide.* 24. 2.

EX NOVO TESTAMENTO.

EX D. MATTHÆO.

Cap 7. v.14 *Quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitã.* 27.43.

Cap.11. v.28. *Venite ad me omnes, qui laboratis.* 27.42.

Cap.12. v 30. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* 27. 52.

Cap.15. v.12. *Scis quia Phariſæi audito verbo hoc ſcandalizati ſunt.* 26.72

Cap 6.v.23 *Vade poſt me Satana, ſcandalum es mihi.* 26.48.

Cap 9 v 8 *Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras.* 25.15

EX D. LVCA.

Cap. 1. v. 73. *Iusiurandum, quod iuravit ad Abraham Patrem nostrum.* 28. 107.

Cap. 2. v. 34. *Eccè positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel.* 26. 72.

Cap. 10. v. 42. *Optimam partem elegit sibi Maria.* 28. 5.

Cap. 12. v. 36. *Vt cum venerit, & pulsaverit, confestim aperiant ei.* 20. 21.

Cap. 14. v. 28. *Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non priùs sedens &c.* 28. 73.

Cap. 20. vers. 36. *Æquales enim sunt Angelis.* 26. 179.

EX D. IOANNE.

Cap. 8. v. 29. *Qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum.* 27. 21.

Cap. 10. v. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt.* 27. 52.

Cap. 14. v. 16. *Ego sum via, veritas, & vita.* 26. 80. & 106.

In eodem v. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclytum dabit vobis.* 26. 142

Cap. 15. v. 13. *Maiorem hac dilectionẽ nemo habet.* 28. 60.

Cap. 16. v. 7. *Expedit vobis, ut ego vadam.* 26. 119.

In eodem v. 21. *Rogo ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te.* 23. 5.

Cap. 21. v. 18. *Cum esses iunior, cingebas te, & ambulabas, ubi volebas.* 26. 164.

EX ACTIBVS APOSTOLORVM.

Cap. 4. v. 12. *Non est in alio aliquo salus.* 26. 118.

Cap. 7. v. 55. *Vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei.* 20. 9. & 77.

EX EPISTOLA AD ROMANOS.

Cap. 7. v. 22. *Condelector autem legi Dei.* 27. 37.

In eodem v. 25. *Ego ipse mente servio legi Dei carne, autem legi peccati.* 26. 7.

Cap. 9. v. 3. *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* 23. 80

EX EPIST. 1. AD CORINTHIOS.

Cap. 4. vers. 4. *Nihil enim mihi conscius sum.* 26. 140.

In eodem v. 5. *In Christo Iesu per Evangelium ego vos genui.* 25. 22

Cap. 6. v. 3. *Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus.* 26. 193

In eodem vers. 17. *Qui autem adhæret Deo, unus spiritus est.* 25. 23 & 24. 8

Cap. 9. v. 19. *Cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci.* 27. 15.

Cap. 12. v. 8. *Alij per spiritum datur sermo scientiæ.* 20. 28.

In eodem v. 31. *Adhùc excelentiorem viam vobis demonstro.* 20. 43.

Eodem v. *Æmulamini charismata meliora.* 28. 49.

Cap. 13. v. 5. *Non quærit quæ sua sunt.* 26. 167.

In eodem v. 12. *Videmus nunc per speculum, & in ænigmate.* 22. 8

In eodem v. 10. *Cũ venerit quod perfectũ est evaquabitur quod ex parte est.* 21. 7

Cap. 14. v. 40. *Omnia honestè, & secundùm ordinem fiant* 26. 54

EX 2. AD CORINTHIOS.

Cap. 5. v. 4. *Qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus gravati.* 26. 163

In eodem v. 8. *Audemus autem & bonam voluntatem habemus.* 26. 154.

In eodem v. 16. *Si cognovimus secundùm carnem Christum.* 26. 123.

Cap. 11. v. 2. *Æmulor enim vos Dei æmulatione.* 27. 7.

EX EPIST. AD GALATAS.

Cap. 2. v. 8. *Qui operatus est Petro in apostolatum circumcisionis.* 26. 59 & 68.

In eodem v. 11. *In faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.* 26. 58.

Cap. 5. v. 17. *Caro concupiscit adversùs spiritum.* 26. 8. & 27. 37.

Cap. 20. v. 20. *Vivo autem iam non ego; vivit verò in me Christus.* 27. 17.

EX EPIST. AD EPHESIOS.

Cap. 5. v. 1. *Estote ergo imitatores Dei sicut filij charissimi.* 26. 39

In eodem v. 32. *Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo.* 25. 7.

EX EPIST. AD PHILIPPENSES.

Cap. 1. v. 23. *Coarctor autem è duobus.* 26. 154.

Cap.2. v.12. *Cum metu,& tremore veſtram ſalutem operamini.* 27.40.

EX EPIST.AD COLOSSENSES.

Cap.2. v.3. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ.* 21.27

Cap.3. v.5. *Mortificate ergo membra veſtra.* 26. 177.

EX EPIST. 1. AD TIMOTHEVM.

Cap.1. v.17. *Regi ſæculorum immortali, & inviſibili.* 22.15.

Cap.6. v.16. *Lucem habitat inacceſsibilem.* 22.15.

EX EPIST. 2. AD TIMOTHEVM.

Cap.3. v.12. *Omnes, qui piè volunt vivere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur.* 27.39.

In eodem v.16. *Omnis ſcriptura divinitùs inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum &c.* 24.1.& 27.64.

EX EPIST. AD HEBRÆOS.

Cap.12. v.1. *Curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in authorem fidei.* 26.85.

EX EPIST. CATHOLICA B. IACOBI.

Cap.1. v.17. *Omne datum optimum & omne donum perfectum eſt deſcendens à Patre luminum.* 20.15.

Cap.3. v.2. *In multis offendimus omnes.* 26. 9.

EX EPIST. 1. D. PETRI.

Cap.5. v.8. *Adverſarius veſter Diabolus tanquàm Leo rugiens circuit.* 27. 39.

EX EPIST. 1. D. IOANNIS.

Cap.1. v.8. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus.* 26. 9.

Cap.2. v.1. *Filioli mei, hæc ſcribo vobis, ut non peccetis.* 26. 15.

Cap.3. v.22. *Quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus.* 23.70.

EX APOCALYPSI.

Cap.19. v.7. *Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ Agni.* 25. 2.

INDEX RERUM NOTABILIUM, QVÆ CONTINENTVR IN HAC secunda parte tertij prædicabilis.

Primus numerus disputationem signat: secundus verò, & si qui alij, sunt marginales.

A

ABRAHAM.

Deum contemplatus est contemplatione supereminenti. 208.

ACTIO.

Nulla actio diù durare queit in sui summo. 25.31.

In actionibus immanentibus activa verè convertitur in passivam, & è contra: in transeuntibus non semper. 26.49. & 50.

ACTVS.

Matrimonium spirituale patriæ in actu consistit. 20.30.

Actus orationis elicitur elicitiâ impropriâ à virtute Religionis. ibi.

Contemplatio supereminens non est actus gratiæ gratis datæ non cognoscitivæ. ibid 29. & 30.

Lumen transiens ex sua natura non confertur nisi pro unico actu: potest verò pro pluribus dari. ibid.36.& 37.

Contemplatio supereminens est actus elicitus à scientia per se infusa. ibid. 75. & seq.

Actus, & habitus directè non opponuntur, sed indirectè. 22. 13.

Incompatibilis est habitus luminis gloriæ cum actu fidei: non autem fidei habitus cum actu proveniente à lumine in esse dispositionis. ibid. 14.

Actus charitatis nequit elici nisi à charitatis habitu. 23. 89.

Concessâ elicientiâ actûs charitatis ab auxilio transeunti, adhùc illum eliciens non haberet Deum sibi realitèr præsentem, nec actus eliceretur connaturalitèr. ibi.

Vita contemplativa, habet plurimos actus, & quos. 25. 31.

Etiam actus vitæ activæ ad contemplationem spectant. ibi.

Vnio habitualis in spirituali matrimonio non est habitus, sed actus: & cur, & quomodò. ibi. 34.

In quo sensu actus perfectior est habitu, & habitus perfectior actu. ibid. 37.

Matrimonium spirituale B. V. Mariæ in via consistebat in actu. ibid. 38.

Visio, comprehensio, & fruitio, ut actus, non sunt animæ dotes: benè verò ut habitus. ibid. 40.

Christus Dominus dum viator habuit actus corporis glorioſi aliquandò: non verò dotes. ibid. 66. & 67.

Circunstantia *Personæ* nequit afficere moralitèr actum humanum, nisi in duobus casibus, & qui sint. 26. 28.

Actus venialitèr culpabilis nunquàm in Deum finem ultimum supernaturalem refertur. 28. 126.

Actus perfectus, relicto perfectiori, in habente votum Seraphicum est imperfectus. ibi.

ADAM.

Quâ contemplatione frequentiùs ditatus est, ostenditur. ibi. 20. 85.

Scientiæ fuerunt ei inditæ, non per ic, sed

ſed per accidens. 21. 1.
Ratione ſtatus iuſtitiæ originalis Deum non vidit. 22.30.
Adam habuit altiſsimam contemplationem, in qua plura myſteria ei revelata fuerunt. ibid.32.
Dum viator fuit, Deum non vidit. ibid. 30.
In ſtatu iuſtitiæ originalis nec venialitèr peccare poterat. 25.24.

AMICVS, ET AMICITIA.

Amici plùs æſtimant ſe amare, quàm cum amoris diminutione ſe videre. 23.79.
Deſponſatio ſpiritualis fundatur ſupra amicitiam, & ſuper quam. 24.6.& 7.

AMOR.

Duplicis unionis amor eſt cauſa: una eſt affectiva, & effectiva alia. 23.9.& 11
Amor eſt, & cauſat unionem: ſed in unione, quam cauſat, eſt multiplex diviſio, & quæ. ibid.10.
Radix amoris eſt ſimilitudo. ibi.
In Beatis contemplatio non oritur ex amore; ſed è contrà. ibid.21.
Amor ex ſe præſcindit à præſentia amati: amor verò experimentalis, & guſtativus non præſcindit. ibid.69
Deus in amante eum ex gratia eſt illi realitèr præſens: in amante eum amore naturali eſt ſolùm obiectivè præſens. ibid. 81.
Vnio fruitiva conſequitur ad amorem deficientem; & quid ſit iſte amor. ibid. 106.
Purgatio medians inter ſponſalitium, & myſticum matrimonium eſt amor vehementiſsimus. 24.25.
Amor terminatur ad bonum, & ad perſonam, cui bonum concupiſcitur: primus reſpectus eſt concupiſcentiæ: ſecundus verò amicitiæ. 26.149.
Amor concupiſcentiæ eſt in multiplici differentia. 26.151.
Omnes hæ differentiæ numerantur. ibid. 152.& 171.
Error hæreticorum dicentium, amorem concupiſcentiæ eſſe peccaminoſum proponitur. ibid.153
Amor concupiſcentiæ non opponitur ſtatui Perfectorum. ibid.154.& ſeq.
Perfectus nequit Deum non amare amore concupiſcentiæ. ibid.155.
Mors appetitur à Perfectis amore cõcupiſcentiæ & cur. ibid.161
Perfectus tenetur Deum amare amore concupiſcentiæ, ſed non ſemper. ibid. 162.
Quid ſit amoris exercitium, explicatur. ibid. 165.
Amor concupiſcentiæ puræ eſt imperfectus relatè ad charitatis amorem. ibid. 166.
Amor ſui perfectus, & imperfectus quis ſit. ibid.167.
Perfecto conveniens eſt amor concupiſcentiæ non ſolùm dum adverſitatibus quatitur, ſed etiam cum Divino rogo amburitur. ibi.174.
Amor concupiſcentiæ eſt bonus & queit eſſe malus. ibid.177.
B. V. Maria omnes Angelos collectivè ſumptos excedit in gratia, gloria, & amore. ibid.183.
Votum Seraphicum ſic dicitur, quia in eo inter omnia vota amor ſpecialiſsimè fulget. 27.3.& 26.
Ardens Dei amore ſine gratiæ ſpeciali privilegio queit vitare omnia venialia ex plena deliberatione, tam ea, quæ ſunt ex genere, quàm ex parvitate materiæ, & hoc per totam vitam. ibid. 31.& ſeq.

S. ANDREAS.

Fuit primus Chriſtianus. 28.106.

S. ANGELA DE FVLGINO.

Experientiâ docet, animam in unione fruitiva actuali ſcire certitudinalitèr eſſe in gratia. 26.132.

ANGELVS.

Scientia infuſa perficit hominis intellectum, ut cognoſcat more Angelorum. 21.11.
Angelus, & homo ut viatores nequeunt Deum intuitivè videre; ſed ob motiva diverſa. 22.10.
Chriſtus, nec ut Deus, nec ut homo Angelis myſticè deſpõſatur, & cur. 24.22.
Chriſtus eſt Angelorum caput, non ſecundùm cõformitatem, ſed ſecundùm proportionem. ibid.23.

S. M. N. Thereſiam vulnerans non fuit quilibet Angelus, ſed Seraph. ibid. 43
Inter Angelos Seraph ſunt nobiliora. ibi.
Angelus non habet dotes propriè, & rigorosè tales. 25. 3.
Anima Chriſti, & Angeli habent dotes animæ glorioſæ, ſed non ſub ratione talium. ibid. 43
Poteſt homo viator excedere ſupremos Angelos in amoris intenſione. 26. 179 & ſeq.
Qui ex hominibus ſalvantur, aſſumuntur ad Angelorum choros. ibid. 179
B. V. Maria omnes Angelos collectivè ſumptos excedit in gratia, amore, & gloria. ibid. 183.
Beat. Ioſeph omnes Angelos excedit in amore. ibid.
Illuminatio, quam à Deo habet viator perfectus, præſtare queit illuminationi Angelorum. ibid. 184
Abſolutè aſſerere, quòd homines non aſſumuntur ad Angelorum choros, & quòd decimum chorum conſtituunt Angelis inferiorem, ſapit hæreſim. ibid. 185.
Angelis, & non hominibus datur gratia ſecundùm ſuam naturam. ibid. 188
Nullus homo viator maior eſt Angelo ut comprehenſore. ibid. 178. & 193.
B. V. Maria Angelum habuit cuſtodem ibid. 193.

ANIMA.

Perfectiſsimis animabus ſolet Deus quãdoque concedere tranſeuntèr ſcientiam per ſe infuſam. 21. 52.
Impoſsibile eſt animæ in hac vita eſſentiam Dei videre ſine miraculo. 22. 2. & ſequentibus.
Deus eſt in anima per eſſentiam: ſed non modo intelligibili. ibid. 11.
Mors ſumitur, & pro ſeparatione animæ à materia, & pro ipſius ſeparatione à ſenſibilibus. ibid. 15
Sufficit hæc mors ſecunda, ut poſsit in via Deum clarè tranſeuntèr videre. ibid. 16.
Datur unio fruitiva animæ cum Deo. 23. 1.
In hac unione anima rapit, & rapitur, ſtringit, & ſtringitur, & una uni per amoris copulam ſociatur. ibid. 7.
Multiplicitèr Deus animæ illabitur. ibid. 15.
Deus in animas perfectas illabitur, non quia novam gratiam infundat; ſed quia præexiſtentem roborat, & reddit perfectam. ibid. 16.
Quotuplicitèr Deus animæ unitur, proponitur. ibid. 32.
Vnio fruitiva dicitur deſponſatio Dei & animæ. ibid. 43.
Deus animæ, ei unione fruitiva copulatæ, eſt phyſicè præſens præſentia diverſa ab ea, quam habet ratione immenſitatis, & in quo conſiſtit. ibid. 51. & ſequentibus.
Deus in anima iuſti eſt ut in templo. ibid. 57. & 58.
Vt Deus ſit cognitus, & amatus ſpeculativè, ſufficit eius præſentia in anima ratione immenſitatis: non verò, ut ſit cognitus, & amatus perceptivè experimentalitèr, & guſtativè. ibid. 64.
Vt anima ſit Dei templum, ſufficit fides viva. ibid. 92.
Tempore unionis fruitivæ actualis omnes animæ potentiæ aliquandò Deo uniuntur, & aliquandò non. ibi. 104.
Tempore huius unionis anima contemplatur liberè, & ſine adumbratione phantaſmatum, vel ſaltim imperceptibili. ibid. 109.
Anima Chriſti non eſt propriè Dei ſponſa, & cur. 24. 11.
Quas conditiones debeat anima habere, ut ſit Dei ſponſa ibid. & 12.
Dum deſponſatio myſtica celebratur, Deus animæ illabitur. ibid. 20.
Deus ut homo eſt animæ ſponſus, & quomodò. ibid. 21.
In triduo mortis Chriſti dici queit, quòd anima perfecta fuit ſine ſponſo propriè tali, & quòd eum habuit. ibi.
Ad myſticam deſponſationem non requiritur animæ purgatio ex natura rei; ſed ſecundùm regularem Dei providentiam. ibi 24.
Animæ unio cum Chriſto per deſponſationem eſt alijs durabilior. ibid. 25.

Factâ desponsatione, anima frequentèr invisitur à Christo Sponso. ibi.
Quibus gratijs ornatur anima ad mysticam desponsationem. ibid.33.
Extat. P. D. Ioanes à Cruce docet, duplex esse cauterium animæ, & quod. ibid.39.
Anima disponitur ad desponsationem per cordis vulnus. ibid.44
Anima beata contrahit propriè matrimonium cum Deo 25.2.& seq.
Anima viatoris est elevabilis ad matrimonium cum Deo contrahendum: sed hoc matrimonium æquivocè, & imperfectè est matrimonium. ibid.7.
Matrimonium spirituale est actus altior, ad quem in hac vita anima queit pervenire. ibid. 11.
Anima Deo per spirituale matrimonium unita peccare potest. ibid.23.
Hæc doctrina est ad mentem Almæ Doctricis Theresiæ. ibi.
Matrimonium spirituale animæ viatoris consistit in habitu. ibid.30
Animæ dotes sunt: *Visio, comprehensio, & fruitio.* ibid.40.& 43.
Ex animæ dotibus *comprehensio & fruitio* in patria perficiuntur: *fides* verò evaquatur. ibid.53.
Spes non est animæ dos, & cur. ibid.58.
Quotuplex sit prædominium animæ glorificatæ in corpus. ibid.63.& 64.
Dotes corporis sunt à Deo authore supernaturali, & ab anima dimanativè. ibid.75.
Obiectum contemplationis, in qua anima ad spirituale matrimonium elevatur, est humanitas Christi. 26.88.
Non est credibile, quòd Deus uniatur animæ peccatrici unione totali omniũ potentiarum, nec partiali, si ad totalem subsequatur, & cur. ibid.130
Explicatur, & vindicatur authoritas Almæ Theresiæ asserentis, animam peccatricem à Deo aliquibus favoribus perfundi. ibid. 131.
Animam in unione fruitiva esse certitudinaliter conscium de sua gratia, est probabile. ibid. 134. & 135.
Transacta unione, solùm certitudine conjecturali hoc cognoscit. ibid. 139. & sequentibus.
Hoc que probatur testimonio Almæ Doctricis Theresiæ. ibi.
Duplex inclinatio animæ ad vitam, & gloriam proponitur. ibid.163.
Anima ardentissimè Deum diligens propositum Seraphicum emittit. 27.26.
Est triplex vinculum, quo anima impeditur, ne perfectiora eligat. ibid.61.

APOSTOLVS.

B. V. Maria fuit magistra Apostolorum. 22.25.
Etiam adfuit & præfuit concilio Apostolorũ hierosolimitano, & eorum publicis, & privatis conventibus. ibi.
Spiritus Sancti illapsus fuit in Apostolos per sui præsentiam. 23.16.
Sine venialibus Apostoli in hac vita diù non fuere. 26.8.
Præsentia corporalis Christi contemplationem eorum retardabat, quia nondùm erant perfecti. ibid. 120.
Apostoli votum Seraphicum non emisserunt. 28.111.

D. AVGVSTINVS.

Fuit summè oppositus mendatio. 26.38.

AVXILIVM.

Charitatis actus nequit elici ab auxilio. 23.89.
Concesso, quòd ab auxilio eliceretur, ille actus non eliceretur connaturalitèr. ibi.

B

BEATITVDO.

Beatitudo inchoata obtinetur ab anima in matrimonio spirituali. 20.24.
Beatitudo iusti alia est simplicitèr talis, quæ est in patria, & alia beatitudo viæ; & in quo consistant. 23.70.
Beatitudo viæ bipartitur in perfectam, & imperfectam. ibi.
Datur beatitudo supernaturalis viæ, quâ fruuntur Perfecti. ibid.71.
Non stat assecutio beatitudinis sine assequentis quiete, pace, delectatione, & gaudio. ibid.72.
Beatitudo potest duplicitèr diligi, et quomodò. 26.169.

BEATVS.

In Beatis permanent scientiæ naturales, 21. 7.

Implicat, quòd viator sit simùl beatus simpliciter: non verò secundùm quid. 22. 20.

Magnus P. N. Elias in paradyso adhùc non est beatus. ibid. 33.

Quomodò Deus in Beatos illabitur. 23. 15. & 16.

In Beatis contemplatio non oritur ex amore; sed è contra. ibid. 21

Beatus inijt cum Deo matrimonium spirituale consummatum: Perfectus verò præcisè ratum. ibid. 29.

Habitio Dei manifesta constituit beatum ibid. 73.

Fruitio Dei habita à viatore perfecto perfectissima est in suo statu; sed imperfecta respectu fruitionis Beatorũ. ibid. 76

In ingressu ad gloriam Beatis dona conferuntur. 23. 3.

Matrimonium inter Christum, & Beatorum animas est perfectissimum. ibi. 18

Vnio Beatorum cum natura Divina non est ita perfecta, sicùt unio hypostatica. 26. 124

D. BENEDICTVS.

Deum contemplatus fuit contemplatione supereminenti. 20. 10

Eius mirabilis visio, quæ fuit. ibi.

Aliqui sentiunt hanc contemplationem D. Benedicti fuisse facialem: sed Div. Thomas oppositum docet. ibid. 11

D. BERNARDVS.

Describit scientiam per se infusam. 21. 21 & sequentibus.

Etiam physicam, & peculiarem unionem animæ cum Deo dilecto pulchrè describit. 23. 54.

D. BONAVENTVRA.

Specialem, ac physicam Dei unionem cum anima iusti luculentèr tradit. 23. 61.

Communes spiritualis vitæ gradus explicat. ibid. 62

C

CAVTERIVM.

Cauterium animæ duplex: Primum eminentior tactus Divinitatis: secundum vulnus cordis. 24 39

Hoc secundum cauterium est sublimissima gratia in esse signi, non verò ex statu: pauci sunt, qui eam experiuntur, & qui. ibid. 40

Hac prærrogativà insignita fuit Alma M. N. Theresia. ibi.

CERTITVDO.

Quotuplex sit, & quæ? 26. 127.

In unione fruitiva actuali cognoscit anima certitudine infallibili, se esse in gratia. ibid. à 129. usque ad 139.

Hoc probatur testimonijs Almæ M. N. Theresiæ & S. Angelæ de Fulgino. ibi.

Transacta unione actuali, anima solùm certitudine coniecturali cognoscit, se esse in gratia. ibid. 139. & sequentib.

Probatur hoc etiam testimonijs Almæ Theresiæ. ibid.

CHARITAS.

Vnio fruitiva habitualis radicalis consistit in gratia dicente modum à quo redditur perfecta: Proxima verò in charitate eundem modum dicente. 23. 25.

Seraphim dicitur à charitatis excessu. 24. 43.

Habitus secundæ dotis animæ est perfectissima charitas. 25. 42. & D. 27. 3.

Glorià adveniente, manet eadem charitas numericè. ibid. 55. & 57

Lex nova est difficilis ex se: à charitate verò facilis. 27. 43. & 44.

Sunt perfecti propter statum perfectionis; & sunt perfecti à charitatis perfectione. 28. 9.

Martyrium non præsupponit charitatem perfectissimam, sed in illo stanti infunditur: benè verò votum Theresianum hanc charitatem prærrequirit. 28. 61.

Charitas est Mater omnium virtutum; radix, & forma, virtus generalis, & generalis perfectio. ibid. 72.

CHRISTVS.

Christi proprium est habere Spiritus Sancti dona cum omni plenitudine. 28. 18.

Christus per scientiam infusam perfectiùs

tiùs, quàm per omnia dona cognoſcibilia cognovit. ibid. 80. & D. 21. 18.
Quos defectus aſſumpſit cum natura humana. 21. 29.
Habuit Chriſtus Dominus ſcientiam infuſam. ibid. 5 & 7
Chriſti Domini intellectus ab omni imperfectione privativa fuit immunis. ibid. 30.
Chriſto non fuit debita cognitio omnium poſsibilium. ibid. 32
Anima Chriſti Sponſa Dei propriè non eſt. 24. 11.
In triduo mortis anima perfecta fuit ſine Sponſo propriè tali. ibid. 21
Chriſtus non eſt caput Angelorum ſecundùm cõformitatem; ſed ſecundùm proportionem. ibid. 23.
Chriſtus nec ut Deus, nec ut homo Angelis myſticè deſponſatur. ibid. 27.
Chriſtus non habuit dotes propriè, & rigorosè tales. 25. 3.
Matrimonium Chriſti cum Eccleſia verum matrimonium ratum eſt: ſed non perfectum. ibid. 18.
Matrimoniũ Chriſti cum Eccleſia triumphanti eſt perfectiſsimum. ibi.
Chriſtus dum viator habuit aliquandò actus dotium corporis glorioſi. ibid. 66
Hos actus habuit ex miraculo. ibid. 67.
Perfectius inhæret ſuo Prælato, quatenùs iſte inhæret Chriſto, & non alitèr. 26. 46.
Chriſtus paſſus eſt ſcandalum largè, & impropriè tale. 26. 48.
D. Petrus ſcandalum præbens Chriſto non erat perfectus. ibid. 57.
Abſurdum eſt dicere, quòd ab omnibus, & ſempèr contemplanda eſt Chriſti Domini humanitas. ibid. 77. & ſeq.
Chriſtus eſt via, veritas, & vita, & quomodò. ibid. 80 & 84.
Humanitas SS. Chriſti Domini eſt obiectum ſecundarium Divinæ contemplationis. ibid. 83.
Obiectum contemplationis, in qua anima ad ſpirituale matrimonium elevatur, eſt SS. Chriſti Domini humanitas. ibid. 88.
S. Thereſia flebat, dolebat que; quia aliquandò rata fuit, quòd humanitas Chriſti Domini ſuam contemplationem impediebat. ibid. 91. & ſequentibus.
Hoc ipſum edocetur ab Extat. P. N. D. Ioanne à Cruce. ibid. 96.
Aliquid ſpeciale habet hæc SS. humanitas, ut non obſit contemplationi, quo carent omnes Sancti, homines, & entia, & quid ſit. ibid. 106.
Hoc apertè traditur ab eodem N. Extati Parente. ibid.
Modus, quo humanitas Sanctiſsimæ Chriſti Domini à perfectis aſſumitur contemplanda, proponitur à S. Thereſia. ibid. 112.
In quo conſiſtit illud ſpeciale, quod hæc Sanctiſsima humanitas habet, ut non obſit contemplationi apertè traditur. ibid. 116 & 117.
Corporalis Chriſti præſentia contemplationem Apoſtolorum retardabat. B. V. Mariæ autem contemplationem perficiebat, & cur. ibid. 120
Hoc que eloquentiſsimè Alma Doctrix Thereſia declarat. ibi.
Cognito Chriſto Domino ut homine, ſine aliquo motu mentis cognoſcitur perſonalitas Divina intrinſecè per modum puri termini conſtituens eum: non ſic evenit in alijs effectibus creatis. ibid. 124.
Chriſtus Dominus omnes Angelos collectivè ſumptos excedit in gratia, gloria, & amore. 26. 183.
Chriſtus Dominus non emiſsit votum Seraphicum, nec aliud quodvis emittere potuit: potuit verò iurare, & cur. 28. 107.

CIRCVNSTANTIA.

Circunſtantiæ, quæ faciunt de venialĩ mortale, non hoc faciunt ut circunſtãtiæ, ſed ut quodammodò tranſeunt in conditionem obiecti. 26. 27. & 29.
Circunſtantiæ augentes præciſæ præcedentem malitiam non faciunt de veniali mortale. ibid.
Sunt circunſtantiæ, quæ in peccatis nec ſpeciem mutant, nec aggravant; ſed ut accidẽtia communia ſe habent. ibi.

Circunſtantiæ augentes præciſsè malitiã peccati propriè circunſtantiæ ſunt. ibi.
Circunſtantia perſonæ non afficit moraliter actum humanum, niſi in duobus caſibus, & qui ſint. ibid. 28. & 29.
Proponitur regula ad cognoſcendum, quandò circunſtantia ſpeciem peccati mutat, aggravat, vel eſt accidens commune. ibi.

COGNITIO.

Cognitio Dei comprehenſiva indebita eſt intellectui humano Chriſti Domini. 21. 32.
Dei cognitio haberi poteſt per effectum nobis infuſum, vel per ſpecies à rebus deſumptas: utraque cognitio medium habet: aſt ſecunda medium habet collativum, venativum, & argumentativum. 22. 32.
Vnio fruitiva dicitur Dei diviniſsima cognitio. 23. 43.
Cognitio habentis donum ſapientiæ eſt coniecturalis, & poteſt ſubeſſe falſum: cognitio verò doni ſapientiæ eſt certiſsima. ibid. 78.
Viſio ſumpta pro cognitione certitudinali eſt actus fidei: non verò ſumpta pro cognitione evidenti. 25. 56
Fides manet, adveniente gloria, in eſſe cognitionis, ſeù genericè: non verò numericè. ibid. 55 & 56.
Inter cognitiones alia eſt infallibilis ex fide; alia certitudinalis ex ſcientia; alia que moralis. 26. 147.

COMPREHENSIO.

Inter animæ dotes numeratur. 25. 40.
Comprehenſio conſiſtit in ſecura habitudine ad Deum ut preſentem. ibid. 41
Non eſt actus, nec habitus: & quid ſit, oſtenditur. ibi.
Eſt tertia inter animæ dotes. ibid. 48.
Ex dotibus animæ comprehenſio, & fruitio in patria ſolùm perficiuntur. ibid. 53.

CONFIRMATIO.

Matrimonium ſpirituale nec ex ſe, nec titulo condecentiæ petit confirmationem in gratia. 25. 24.
Si eam peteret, eſſet verè, & propriè ſtatus. ibi.
Hæc confirmatio in gratia eſt ſimplicitèr perfecta; & aliquandò minùs perfecta. ibid. 26.
Confirmatio perfecta reddit iuſtum ab intrinſeco impeccabilem, & nullibi niſi in Beatis reperitur. ibi.
Confirmatio non ita perfecta in duobus conſiſtit: & eam habentes ſunt adæquatè confirmati. ibi. & ſequentibus.

CONSILIVM.

Non tenemur ad conſilia implenda: ſed tenemur ea non contemnere. 27. 43. & 44.
Differentia in hoc à præcepto. ibid.
Contemnere conſilia eſt peccatum grave. ibid. 56.
Inter conſilia obedientia perfectior eſt. 28. 21.

CONTEMPLATIO.

Contemplatio, cuius principium eſt donum intellectus, dicitur contemplatio pura, aſsimilatur que Thronis. 20. 23
Quòd iuſtus ſit ſempèr in ſtatu viæ in actu rectæ contemplationis, ità, quòd omnium operum ratio ſit Deus, eſt impoſsibile. 25 32.

CONTEMPLATIO ACQVISITA.

Extra tempus quietæ contemplationis debet contemplativus ſeriò & ex propoſito auxilium quærere in ſãctis meditationibus. 26. 80. & 81.
Tempore contemplationis non eſt imaginum attentione occupandus: poteſt tamẽ aliquam particularem notitiam admittere, ſed raptim, & non anxiè. ibi.
Humanitas SS. Chriſti Domini eſt obiectum ſecundarium huius contemplationis. ibid. 83
Contemplationi Perfectorum non obeſt Sanctiſsima Chriſti humanitas: eſt que abſurdum aſſerere, quòd anima proprio ſtudio debet ab ea ſegregari. ibid 86. & ſequentibus.
Hoc edocetur à Noſtro Extatico Doctore, & Almà Thereſiâ. ibid. 91. & 96.
N. Extat. Parens aſſerens, cuemlibet diſcurſum obeſſe contemplationi, explicatur. ibid. 98.

Aliquid ſpeciale habet SS. Chriſti Domini humanitas, ut contemplationi non obſit, & quid ſit. ibid. 106.
Hoc etiam traditur à D. Ioanne à Cruce. ibi.

CHERVBICA.

Contemplatio, quæ eſt in divina caligine, dicitur *Cherubica, & modi neſcia.* 20. 23.

SERAPHICA, ſeù SVPEREMINENS.

Contemplatio Seraphica dicitur & *Viſio.* 20. 23.
Iacob Deum contemplatus eſt contemplatione ſupereminenti. ibid 6.
Eadem cõtemplatione Adam P. N. Elias, Abraham, Moyſes, D. Stephanus, & D. Benedictus Deum contemplati ſunt. ibid. à 7. & ſequentibus.
S. M. N. Thereſia hac etiam contemplatione prædita fuit, & non ſemel. ibid. 12.
Quod ſit principium huius contemplationis oſtenditur. ibid. 15.
Inter principium huius contemplationis, & Spiritus Sancti dona differentia demonſtratur. ibid 21.
Principium huius contemplationis eſt perfectius donis. ibid. 22.
Contemplatio ſupereminens non eſt actus gratiæ gratis datæ non cognoſcitivæ. ibid. 29. & ſequentibus.
Gratiæ gratis datæ, quæ permanentèr inſunt ſubiecto, non ſunt principium contemplationis ſeraphicæ. ibid. 31.
Nulla gratia gratis data, quæcumque ſit, eſt principium contemplationis ſeraphicæ. ibid. 41.
Quare hæc contemplatio dicitur *Seraphica, ſupereminens*, & *Viſio*, oſtenditur. ibid. 45.
Contẽplatio hæc eſt actus elicitus à ſciẽtia per ſe infuſa. ibid. 75
Elicitur que tanquàm à virtute principalitèr elicienti à fide infuſa, ut elevata à ſcientia infuſa. ibid 83.
Seraphicæ contemplationis gradus ſunt quatuor, & qui. ibid. 87. & ſequent.
In omnibus his gradibus eſt obſcura. ibid. 88.
Omnes iſti gradus ſe excedunt in perfectione. ibid. 89.
Diſtinctio horum graduum ex ſpeciebus venanda eſt. ibid. 88. & 90.
Ad ſupremum gradum concurrunt ſpecies purè intelligibiles. ibid. 89. & 91
Ad tres alios concurrunt cum lumine infuſo ſpecies imaginariæ; & hoc triplicitèr, & quomodo. ibi.
Datur in illo ſupremo gradu contemplationis ſupereminentis implicitè alius reſultans ex coordinatione ſpecierum intelligibilium. ibid. 92.
Quomodo lumen ſpecies coordinat ad hanc contemplationem. ibid. 95.
Contemplatio ſeraphica ex conceptu *Religioſæ* debet procedere ex guſtu, & affectuoſitate myſtica, quæ haberi nequeunt ſine voluntate experiente. 23. 21.
Hæc contemplatio ex conceptu *Seraphicæ* reſpicit obiectum ut guſtatum à voluntate, attactum que in ſe ipſo. ibi.

INTVITIVA DEI.

Ad intuitivam Dei contemplationem queit viator elevari virtute Divina. 22. 12. & ſequentibus.

CONTEMPLARI.

Contemplans pro illo tempore meditari non debet: poterit tamen aliquam particularem notitiam raptim, & tranſeuntèr admittere. 26. 81.
Abſurdum ingens eſt dicere, quod ab omnibus, & ſempèr contemplari debet Chriſti Domini SS. humanitas. ibid. 77. & ſequentibus.

COR.

S. M. N. Thereſia per cordis vulnus non fuit Chriſto Domino deſponſata; ſed poſtmodùm. 24. 40.
Illo aureo, & flammeo iaculo cor ipſius non præciſsè vulneratus fuit, ſed traiectus. ibi.
Eleganti carmine hoc cordis vulnus encomiatur à N. Philippo à SS. Trinitate. ibi.
Cor almæ Thereſiæ vulnerans non quilibet Angelus, ſed Seraph. ibid. 43.

Cor Thereſiæ mortuæ movetur in Deũ. ibi.
Ignis cor Thereſiæ reddidit idoneum ad ſponſalitium. ibi.

CORPVS.

Corpus grave queit actum agilitatis habere. 22. 13.
Dotes corpori glorioſo communicatæ ſunt quatuor, & quæ. 25. 61.
Forma rationalis, ut corporis motrix illud ſibi ſubijcit quoad motus, ut illud hinc inde ferat pro ſuo arbitrio. ibid. 62.
Quotuplex ſit prædominium animæ glorificatæ in corpus, oſtenditur. ibid. 63.
Corpus viatoris elevati ad matrimoniũ ſpirituale non habet adhùc inchoativè, & imperfectè dotes corporis glorioſi. ibid. 65. & ſequentibus.
Chriſtus Dominus dum viator habuit aliquandò actus dotium corporis glorioſi: non verò dotes. ibid. 66.
Quòd nõ haberet dotes fuit miraculum; & quòd actus dotium haberet miraculum fuit; explicaturque hoc. ibid 67
In aliquo ſenſu affirmari poteſt, quòd iuſto ad ſpirituale matrimonium elevato conferuntur dotes corporis glorioſi, & in quo. ibid. 68.
Quòd iuſti corpus in aera ſublevetur, triplicitèr fieri poteſt. ibid. 78. & 79.
D. Ioannes à Cruce in quodam locutorio Monialium ſedens corpus, & ſedem in aera levavit vi impulſus animam abſorbentis. ibid. 79

CREATVRA.

Deus in incarnatione exaltavit omnem creaturam, non in ſe ipſis, ſed in homine. 26. 124.

CVLPA.

Lex præceptiva non violatur niſi per culpam. 27. 25
Quæ ſint culpæ, contra quas votum Thereſianum firmat voluntatem, & quomodò. 28. 117
Vide plura verbo *Peccatum*.

D

DEFINITIO.

Definitio *gratiæ gratis datæ* proponitur. 20. 60.
Scientiæ infuſæ definitio ex D. Bernardo quæ ſit. 21. 21
Deſponſationis ſpiritualis definitio ſignificatur per diffinitionem carnalis. 14. & 15.
Propria verò *deſponſationis ſpiritualis* definitio traditur, & explicatur. ibid. 16.
Definitio *Dotis* proponitur. 25. 39. & 66
Definitio *ſcandali activi* quæ ſit. Etiam que *paſsivi*. 26. 42.
Propoſiti Seraphici definitio, ut à N. Hermanno, traditur. 27. 6.
Propria huius propoſiti definitio oſtenditur. ibid 7.
In quo hæc, & voti Seraphici diffinitio diſtinguuntur. ibid. 11.
Definitio *voti Seraphici* quæ ſit. 28. 1.

DESIDERIVM.

Beatitudo perfecta non admittit deſiderium rei, qua fruitur: benè verò beatitudo inchoata. 23. 12
Deſiderium poteſt tendere in præſens phyſicè, ſi non omninò habeatur ibid. 69.

DESPONSATIO SPIRITVALIS.

Primus gradus unionis fruitivæ datur, cum anima unitur Deo per deſponſationem myſticam. 23 42
Dari inter Deum & hominem hanc deſponſationem fusè probatur. 24. 1.
Deſpõſatio hæc eſt ſine æqualitate æquiparantiæ, non verò proportionis. ibid. 7.
Fundatur ſupra amicitiã & ſupra quam. ibi.
Quinque conditiones pro vera deſponſatione requiruntur. ibid. 11
Ex quorum defectu, nec Deo ut in propria natura ſubſiſtenti, nec Angelis, nec animæ Chriſti Domini convenit propriè hæc deſponſatio. ibid. & 22.
Deſponſationis huius definitio ſignificatur per diffinitionem deſponſationis carnalis. ibid. 14. & 15
Propria deſponſationis ſpiritualis definitio proponitur, & explicatur. ibid. 16
Hæc ſpiritualis deſponſatio non eſt dabilis ſine libertate. ibid. 17,

Quòd

Quòd fiat signo sensibili non est de ipsius essentia. ibid. 18
Deficiente libertate, non datur desponsatio mystica adhùc impropria. ibid. 19
Professio Religiosa est quædam mystica desponsatio. ibi.
Dum desponsatio mystica celebratur, Deus animæ illabitur. ibid. 20.
Ad mysticam desponsationem non requiritur animæ purgatio ex natura rei, sed solùm secundùm regularem Dei providentiam. ibid. 24
Hæc desponsatio disponit immediatè ad matrimonium mysticum. ibid. & 25
Purgatio medians inter ea est amor vehementissimus. ibi.
Vnio cum Christo per desponsationem est durabilior, quàm unio ante desponsationem per gratiam. ibi.
Facta desponsatione anima à Christo frequentèr invisitur. ibi.
Quomodò hæc desponsatio est, & dicitur dispositio immediata ad matrimoniũ mysticum. ibid. 26. & 31.
Raptus ex se rapiens, & magnus est desponsatio mystica: non verò raptus proveniens ex imperfectione subiecti. ibid. 27. & 28.
Assumendi ad desponsationem mysticam dæfecandi sunt divinis unctionibus: sed non ijsdem omnes. ibid. 33.
Quibus gratijs, & actibus anima ornatur ad desponsationem mysticam. ibi.
Sine desponsatione mystica matrimoniũ mysticum non datur. ibid. 36.
Desponsatio spiritualis est duplex, & quæ. ibi.
Cordis vulnus hanc desponsationem præcedit. ibid. 39.
Inter desponsationem, & matrimonium mysticum triplex discrimen assignat alma M. N. Theresia. 20. 10
Etiam comparat eam duobus cereis, & in quo. ibi.
Celebrato spirituali matrimonio manet anima realitèr unita Deo: celebrata verò desponsatione, affectivè tantùm. ibid. 37.
In quibus differunt matrimonium mysticum, & desponsatio quoad perfectionem. ibi.

DEVS.

Obiectum primarium scientiæ infusæ est Deus cognitus evidentèr quoad *an est*. 21. 16.
Obiectum prophetiæ non est solus Deus; sed omne à Deo revelabile. ibi.
Per scientiam infusam cognoscitur Deus ut author supernaturalis evidentèr, evidentia quoad *an est*; non solùm ut Vnus, sed ut Trinus. ibid. 20.
Impossibile est animæ secundùm hanc vitam essentiam Dei sine miraculo videre, tam permanentèr, quam transeuntèr. 22. 2. & 3
Deus est in anima per essentiam; sed non modo intelligibili. ibid. 11.
Triplex Dei visio est excogitabilis & quæ sint. ibid. 17
Vt clarè permanentèr Deum viator videre possit, requiritur separatio animæ à corpore. ibid. 18.
Valdè probabile est, ac pium, B. V. Mariam, apud nos degentem, Deum clarè vidisse. ibid. 23
B. P. N. D. Ioseph interris vivens Deum facialitèr contemplatus est. ibid. 29.
Adam ratione status iustitiæ originalis Deum non vidit. ibid. 30.
Nunquàm ex privilegio speciali, dum fuit Adam viator, Deum vidit. ibid. 31.
P. N. Elias ante raptum Deum vidit. ibid. 35.
Moyses, & D. Paulus Deum facialitèr viderunt. ibid. 37
Datur unio fruitiva animæ cum Deo. 23 1.
Deus multiplicitèr animabus illabitur. ibid. 15.
Quomodo in Beatos illabitur. ibi. & 16.
Illapsus Dei per sui præsentiam requiritur necessariò, ut unio fruitiva celebretur. ibid. 21.
Beatus inijt cum Deo matrimonium spirituale consummatum: Perfectus verò ratum. ibid. 29.
Quotuplicitèr Deus animæ unitur, proponitur. ibid. 32.
Qui sint Dei amici, & charissimi, ostenditur. ibid. 36.

Vnio fruitiva dicitur ſponſatio Dei, & animæ. ibid.43.
Deus eſt præſens omni creaturæ per immenſitatem triplici præſentia. ibid. 45.
Deus eſt præſens animæ in unione fruitiva ſibi copulatæ, præſentia diverſa ab ea, quam habet ratione immenſitatis; & in quo hæc præſentia conſiſtit. ibid. 51.
Duplicitèr queit Deus cognoſci à iuſto ut inhabitans in eius anima, & quomodò. ibid.55.
Deus in anima iuſti eſt ſpeciali modo ut in templo. ibid.57.
Vt Deus ſit cognitus, & amatus ſpeculativè ſufficit præſentia eius per immẽſitatem: non verò ut ſit cognitus, & amatus perceptivè, & experimentalitèr. ibid.64.
Latiùs patet, Deum eſſe præſentem, quàm viſum. ibid.69
Habitio Dei in re eſt duplex: alia obſcura, & manifeſta alia, & quæ ſint. ibid. 73.
In amãte ex gratia eſt Deus realitèr præſens: in amante amore naturali eſt ſolùm obiectivè præſens. ibid.81
Modus, quo Deus per gratiam eſt in anima iuſti, eſt ſpecialis, & in quo conſiſtit. ibi.& 82
Deus mediâ illuſtratione eſt in peccatore modo ſpeciali ſecundumquid: medijs verò donis naturæ, non eſt aliquo ſpeciali modo. ibid.88
Conceſsâ elicientiâ actus charitatis ab auxilio tranſeunti, adhùc eliciens illum actum non haberet Deum realitèr ſibi præſentem aliquo ſpeciali modo. ibid.89.
Non datur quintus modus, quo Deus ſit in anima iuſti. ibid.91.
Quod Deus ſit in iuſto per immenſitatem non eſt, quòd iuſtus habeat Deum, ſed quòd Deus contineat iuſtum. ibid. 96.
Vnio fruitiva cum Deo queit à nobis appeti, & procurari. ibid.101
Tempore unionis fruitivæ actualis omnes animæ potentiæ aliquandò Deo uniuntur: aliquandò verò non. ibid. 104.
Datur unio ſponſalitia, qua Deus animam ſibi in ſponſam aſſumit. 24. 1.
Servitus ad Deum eſt maxima libertas, & honorifica nobilitas, & non impediens ſpirituale matrimonium. ibid.4.
Quantò perfectius anima ſponſa Dei eſt, tantò vividiùs & anciʃla. ibid. 5.
Deus fit extra ſeipſum, dum ſponſam animam diligit. ibid.7.
Merito ſuppoſito, Deus animam divinis divitijs ditans non eſt perſonarum acceptor. ibid. 10.
Deus eſt Rex tremendæ maieſtatis, & Sponſus pijſsimus, & duliciſsimus. ibi.
Anima Chriſti Sponſa Dei eſt impropriè. ibid.11
Deus, ut homo. eſt animæ ſponſus ibid. 21.
Anima beati contrahit propriè matrimonium cum Deo. 25. 2
Anima Deo per ſpirituale matrimonium unita peccare poteſt. ibid.23.
Celebrato matrimonio, manet anima realitèr unita Deo: celebrata verò deſponſatione, ſolùm affectivè. ibid. 37.
Eæ perfectiones, quæ Deum non reſpiciunt immediatè, & ad ipſum, ut obiectum, non terminantur, non ſunt animæ dotes. ibid.39.
Dotes corporis ſunt à Deo authore ſupernaturali, vel quoad ſubſtantiam, vel quoadmodum: & dimanativè ab anima. ibid.75.
Deus in incarnatione exaltavit omnes creaturas, non in ſeipſis, ſed in homine. 26. 124.
Hæc propoſitio *Diligo Deum propter Deum*, habet plures ſenſus, & qui ſunt. ibid.169.
Actus venialitèr culpabilis nunquàm in Deum finem ultimum ſupernaturalitèr reffertur. 28. 120.

DIFFERENTIA.

Quæ ſit differentia inter virtutes purgatorias, & purgati animi. 23. 71. & 72.

DONA SPIRITVS SANCTI.

Datur contemplatio perfectior illà, quæ à donis Spiritus Sancti est. 20. 1. & sequentibus.

Dona Spiritus Sancti sunt habitus, & ut talia nobis conferuntur. ibid. 18

Proprium est Christi Domini dona hæc habere cum omni plenitudine. ibi.

Dona Spiritus Sancti sunt necessaria ad salutem. ibid. 21.

Dona hæc nequeunt se solis in extraordinarias operationes exire sine Spiritus Sancti illustratione. ibi.

Inter principium supereminentis contẽplationis, & Spiritus Sancti dona quæ sit differentia. ibi.

Donorum essentia describitur. ibi.

Dona concurrunt duplicitèr ad iusti operationes, & quomodò. ibid. 22.

Dona sunt perfectiora gratijs gratis datis. ibid. 41. & 46.

Scientia, & sapientia non sunt gratiæ gratis datæ, sed dona. ibid. 51.

Gratia gratis data potest aliquandò concurrere ad eliciendam contemplationem supernaturalem illustrãdo dona. ibid. 70.

Scientia per se infusa non pertinet, nec clauditur sub donis. ibid. 79

Per scientiam infusam perfectiùs, quàm per dona Christus omnia cognoscibilia cognovit. ibid. 80.

Cognitio habentis donum sapientiæ est coniecturalis, & potest subesse falsum: cognitio verò doni sapientiæ est certissima. 23. 78.

Gratia iustificans non stat sine dono sapientiæ proximè influente in notitiam Dei perceptivam. ibi. & 79.

DOS.

Beatis in ingressu ad gloriam dotes conferuntur. 25 3.

Dos propriè dicta dicit indispensabilem ordinem ad maritum. ibi. & 39

Quæ Sponsæ ante nuptias conferuntur, dona sunt, non dos. ibi.

Dotis definitio traditur. ibi. & 39

Christus, & Angeli non habent dotes propriè tales. ibi.

In matrimonio carnali dos est Sponsæ quoad dominium, & Sponsi quoad usum: pariformitèr que in spirituali. 25. 4.

Cum dos sit opus ad extra, conceditur à Patre Sponsæ, qui est SS. Trinitas, & non à Patre Sponsi. ibid. 5.

Dos ex se habet conferre solatium, & per accidens removere quod illud impedire potest. ibid. 6.

Dotes spiritualis matrimonij sunt incompatibiles cum statu viæ. ibid. 6

Quæ conferuntur iustis in hac vita, non sunt propriè dotes. ibi.

Clavus a Christo Domino elargitus Almæ M. Nost. Theresiæ non fuit dos, sed arrha. ibid 21.

Eæ perfectiones, quæ Deum immediatè non respiciunt, & ad ipsum, ut ad obiectum ordinantur, non sunt animæ dotes. ibid. 39.

Animæ dotes sunt *Visio*, *comprehensio*, & *fruitio*. ibid. 40

Visio & *fruitio*, ut actus, dotes non sunt: benè verò ut habitus. ibi.

Comprehensio nec actus, nec habitus est, & quid sit ostenditur. ibid. 41

In mystico matrimonio viæ suo modo conferuntur animæ dotes & quæ sint. ibid. 43.

Prima animæ dos est *Visio* signans habitum. ibid. 45. & 46

Habitus visionis est fides vividissimè illuminata. ibi.

Ex dotibus animæ *comprehensio*, & *fruitio* in patria perficiuntur: *fides* verò evaquatur. ibid. 53

Fides ratione infallibilitatis, & non ut obscura, est animæ dos. ibid 54

Spes non est animæ dos, & cur. ibid. 58.

Dotes corporis iusto in matrimonio spirituali consummato communicatæ sunt quatuor, & quæ. ibid. 61. & 62.

Subtilitatis dos in quo consistat. ibid. 62

Est quæ aliorum veluti causa. ibid. 64.

Quotuplex sit prædominium animæ glorificatæ in corpus, ex quo dotes resultant. ibi.

Corpus viatoris elevati ad spirituale matrimonium non habet nec inchoativè

tivè dotes corporis glorioſi, ibid. 65. & ſequentibus.
Dos propriè, aut impropriè ſumpta eſt qualitas permanens. ibi, & 66.
Chriſtus Dominus dum viator habuit actus dotium corporis glorioſi aliquando: non verò dotes. ibi.
Miraculum fuit, quòd non haberet dotes, & fuit miraculum, quòd earum actus aliquandò haberet. ibid. 67
In aliquo vero ſenſu affirmari poteſt, quòd iuſto ad ſpirituale matrimonium elevato conferuntur dotes corporis glorioſi, & in quo. ibid. 68.
Quatuor dotes corporis correſpondent virtutibus cardinalibus, cum in actu heroico ſunt. ibi.
Miri effectus, quos aliqui iuſti experiuntur ſe elevando, non ſentiendo &c. non ſunt propriè, nec impropriè dotes, & cur. ibid. 75. & 79.
Dotes corporis à quo ſunt. ibid. 75.

E

ECCLESIA.

Matrimonium Chriſti cum Eccleſia verum, & ratum eſt, quia firmum: non verò perfectum. 25. 18.
Matrimonium verò cum Eccleſia triumphanti perfectiſsimum eſt. ibi.
Eccleſia nequit diſpenſare in votis ſolemnibus Religioſis. 28. 29

EFFECTVS.

Eoſdem effectus habet unio fruitiva in primo, & ſecundo gradu: ſed in ſecundo perfectiori modo. 24. 38.
Miri effectus, quos aliqui iuſti experiuntur non ſentiendo, ſe elevando &c. non ſunt dotes, & cur. 25. 75.

S.P.N. ELIAS.

Deum contemplatus eſt contemplatione ſupereminenti. 20. 8.
In paradyſo adhùc non eſt beatus: eſt verò in ſtatu adeò felici, ut interdùm divina viſione fruatur. 22. 34
Ante raptum Deum quandoque vidit, ibid. 35.

S.P.N. ELISEVS.

S. Eliſei cadaver prophetavit, prout miraculum fecit. 20. 35.

ENS.

Per ſcientiam infuſam cognoſcuntur omnia entia naturalia modo ſupernaturali. 21. 9. & 10.
Ens naturale non eſt obiectum principale ſcientiæ infuſæ, ſed ens ſupernaturale. ibi.
Scientia infuſa eſt cognoſcitiva omnium entium creatorum ſupernaturalium. ibid. 19.
Licèt omnia entia ſupernaturalia cognita fuerint in verbo à Chriſto Domino, & omnia naturalia lumine intellectus agentis, ſi utraque non cognoviſſet in ſe ipſis ſcientia infuſa, intellectus ipſius eſſet imperfectus & cur. ibid. 31
Omni enti creato eſt Divinitas extrinſeca: humanitati verò Chriſti Domini eſt intrinſeca, & ſubſtantialitèr unita. 26. 124.

EVCHARISTIA.

Tertius gradus unionis fruitivæ conſiſtit in coniunctione animæ cum Chriſto Domino in Euchariſtia modo ſpeciali. 23. 42.

EVTROPELIA.

Ei opponitur ſcurrilitas per exceſſum. 26 39.

EXTASIS.

Diffinitio extaſis à D. Thoma, & D. Bonaventura tradita explicatur. 23. 105
Extaſis proveniens ex ſubiecti imperfectione dicẽdus eſt imperfectio: & etiam ſi à Deo proveniat, non utique cenſendus eſt nobiliſsimus. ibid. 40.
Abſque extaſi nequit unio frutiva dari. ibid. 105.
Vide verbo *Raptus*.

F

FERVOR.

Fervor ſpiritus minimè deſpiciendus. 28. 68.

FIDES.

Fides propriè lumen intellectuale non eſt. 20. 4.
Fides Theologica perfectior eſt ſcientiâ infuſâ. ibid. 82.

Con-

Contemplatio ſupereminens elicitur tanquam à virtute principalitèr eliciente à fide infuſa, ut elevata per ſcientiam infuſam. ibid. 83.
Habitus ſcientiæ infuſæ compatibilis eſt cum fide: non verò lumen gloriæ. 21. 49.
Fidei habitui non opponitur viſio beata tranſiens, ſed permanens. 22. 13.
Incompatibilis eſt habitus luminis gloriæ cum actu fidei: non verò habitus fidei cum actu à lumine gloriæ proveniente in eſſe diſpoſitionis. ibid. 14.
In via cognitio Dei perceptiva requirit obiecti præſentiam. 23. 78.
Vt Deus ſit in anima ſicut in templo non requiritur aliquod donum irregulare, ſed ſolùm fides viva. ibid. 92.
Habitus dotis viſionis eſt fides vividiſsimè illuminata. 25. 45.
Ex dotibus animæ *comprehenſio* & *fruitio* in patria perficiuntur: *Fides* verò evaquatur. ibid. 53.
Fides ratione infallibilitatis eſt dos animæ; non verò ut obſcura. ibid. 54.
Sub ratione infallibilis non poteſt fides in patria perſeverare, & cur. ibid. 55.
Viſio ſumpta pro certitudinali cognitione eſt actus fidei: non verò ſumpta pro cognitione evidenti. ibid. 56.
Fides manet, adveniente gloria, in eſſe cognitionis, ſeu genericè: non verò numericè. ibid. & 57
Fides ad præſentia, & abſentia terminatur: ſpes autem ſolùm ad abſentia. idid. 60

FINIS.

Quælibet res, adepto fine, quietatur. 23. 72.
Non eſt contra perfectam charitatem ut aliquis Deum ſibi diligat ut fini *cui*: bene verò ut fini *cuius gratia*.
Actus venialitèr culpabilis nunquàm in Deum finem ultimum ſupernaturalitèr refertur. 28. 120.

FOMES.

Non ligatus eſt principium peccandi venialitèr. 26. 7.
Fomes eſt origo innumerabilium motuum contra rationem. ibi.
Ab eo provenit, quòd pars inferior non plenè ſubijciatur rationi. ibi.
Venialium vitatio non provenit à gratiæ communis incremento; ſed à fomitis ligatione, vel extinctione. ibid. 18.

FORMA.

Quæ ſit forma ex natura ſua permanens, vel tranſiens, oſtenditur. 20. 36.
Forma permanens ſolùm dependet in fieri ab ipſam conferente. ibid. 44.

FORTITVDO.

Dum eſt in gradu heroico, paſsiones ignorat. 25. 73.
In hominibus elevatis ad ſpirituale matrimonium fortitudo agilitatis doti correſpondet. ibi.

FRVITIO.

Eſt una ex dotibus animæ. 25. 40.
Viſio, & fruitio, ut actus dotes non ſunt; benè verò ut habitus. ibi.
Ex dotibus animæ comprehenſio, & fruitio in patria perficiuntur. ibid. 53.

G

GLORIA.

Probabile eſt, animam in unione fruitiva eſſe certitudinalitèr conſciam de ſua gloria. 26. 129.
B. V. Maria omnes Angelos collectivè ſumptos excedit in amore, gratia, & gloria. ibid. 183.

GRADVS.

Gradus ſupereminentis contemplationis ſunt quatuor, & qui. 20. 87. & ſeq.
Omnes iſti gradus habent idem principium: differunt que ex parte ſpecierum. ibi. & 90.
Contemplatio ſupereminens in omnibus gradibus eſt obſcura. ibi.
Ad ſupremum gradum concurrunt ſpecies purè intelligibiles. ibid. 91.
Ad tres alios gradus concurrunt ſpecies imaginariæ triplici modo diſtincto. ibi.
In illo ſupremo gradu datur implicitè alius, & ex quo reſultet oſtenditur. ibid. 92.
Gradus unionis fruitivæ eſt triplex. 23. 39. & ſequentibus.
In primo & ſecundo gradu procedit anima per affirmationem: in tertio verò per negationem. ibi.

Deſponſatio myſtica celebratur in ſecundo gradu unionis fruitivæ. 24.31.
Vnio fruitiva minùs perfecta non habet gradus. ibid.37
Vnio fruitiva in primo, & ſecũdo gradu eſt effectiva impropriè, & citò tranſit: in tertio verò propriè, & permanet. ibid,38.

GRATIA.

Gratia adæquatè dividitur in gratum facientem, & gratis datam. 20.27.

GRATIA SANCTIFICANS.

Sub gratia gratum faciente plurimæ continentur, quæ ſint, & earum radix oſtenditur. 20.27.
Gratia gratis data non ſempèr differt à gratia gratum faciente. ibid. 60.
Licèt gratia gratum faciens ſit neceſſaria ad ſalutem: *magis* verò ipſius gratiæ non eſt. ibid.66.
Viſio beata, etiam tranſeuntèr conceſſa, eſt gratia gratum faciens. 22.25
Deus in Beatorum animas illabitur, non quia novam gratiam infũdat; ſed quia præexiſtentem corroborat. 23.15.& ſequentibus.
Vnio fruitiva habitualis radicalis conſiſtit in gratia dicente modum, à quo redditur perfecta. ibid. 25
Si per poſsibile ſuſpenderetur viſio beata, maneret anima Deo unita habitualitèr radicalitèr mediâ gratiâ. ibi.
Gratia iuſtificans non ſtat ſine dono ſapientiæ proximè influente in notitiam Dei perceptivam. ibid. 78.
A quo ei hoc proveniat. ibid. 80.
Gratia nòn conſummata ſtat ſine actuali gloria: non verò ſine actuali phyſicâ præſentiâ Dei. ibi.
Modus, quò Deus eſt in anima iuſti per gratiam quis ſit. ibid.81.
Præter unionem, quâ iuſtus Deo unitur medijs donis gratiæ ſanctificantis, habet aliam duplicem unionem affectivam. 24.38.
Matrimonium ſpirituale non petit ex ſe, nec titulo condecentiæ confirmationem in gratia. 25.24.
Confirmatio in gratia huius viæ in quo conſiſtat, proponitur. ibid. 27.
Omnia venialia diviſivè ſumpta poſſunt vitari viribus cõmunibus gratiæ. 26. 1
Pelagius, & alij hæretici de collectione omnium venialium, & per totam vitam idem affirmarunt. ibid. 2.
Sine gratiæ ſpecialiſsimo privilegio nequit collectio omnium venialium vitari. ibid. 3. & ſequentibus.
Venialium vitatio non eſt à gratiæ communis incremẽto, ſed à fomitis extinctione, vel ligatione. ibid.18.
Homo poteſt certitudinalitèr cognoſcere, ſe eſſe in gratia. ibid.125.
Perfectus, dum actuali unione fruitur, certitudinalitèr cognoſcit, ſe habere gratiam. ibid. 129. & ſequentibus.
Hæc doctrina firmatur teſtimonio Almæ M. N. Thereſiæ. ibi.
Inſigne circa hoc teſtimonium B. Angelæ de Fulgino. ibid. 132
In unione actuali ineſt animæ revelatio de ſua gratia. ibid. 136.
Tranſacta unione actuali, anima non cognoſcit certitudine infallibili, ſed ſolùm coniecturali, ſe habere gratiã. ibid. 139.
Probatur hoc teſtimonijs Almæ Thereſiæ. ibi.
B. V. Maria omnes Angelos collectivè ſumptos excedit in gratia. ibid. 183.
Gratia data eſt Angelis conformitèr ad naturam: non verò hominibus. ibid. 187. & ſequentibus.
Homo in ſtatu naturæ ſanatæ gratiam non habet iuxta quantitatem naturalium ex duplici capite: in ſtatu verò naturæ ſanæ ex unico præciſsè. ibid. 189.
Ardens Dei amore queit vitare omnia venialia ex plena deliberatione ſine ſpeciali privilegio gratiæ. 27. 31. & ſequentibus.
Iuſtus & dicit reſpectum ad gratiam, & ad propriam miſeriam: & ſecundùm unamquamque quomodò operetur. ibid. 42.

GRATIS DATA.

Sub iſta gratia plurimæ continentur, & quæ ſint. 20. 28.
Ad minùs ſunt novem. ibi.

Ex his aliæ ſunt cognoſcitivæ, & aliæ non, & quæ ſint. ibi.
Contemplatio ſupereminens non eſt actus gratiæ gratis datæ non cognoſcitivæ. ibid. 29.
Gratiæ gratis datæ, quæ permanentèr inſunt ſubiecto, non ſunt principium contẽplationis ſupereminẽtis. ibid. 31.
Ex gratijs gratis datis aliæ dantur permanentèr, & aliæ tranſeuntèr. ibid. 32.
Nulla gratia gratis data, quæcumque ſit, eſt principium ſeraphicæ contemplationis. ibid. 41. & ſequentibus.
Dona Spiritus Sancti perfectiora ſunt gratijs gratis datis. ibid. & 46.
Gratia gratis data nullam connexionem dicit cum gratia gratum faciente. ibid. 42.
Nullam que repugnantiam dicit cũ peccato. ibi.
Scientia, & *ſapientia* non ſunt gratiæ gratis datæ: ſed *ſermo Scientiæ*, & *ſapientiæ*. ibid. 51.
Differentia adæquata inter gratiam gratis datam, & gratum facientem quæ ſit. ibid. 52 & 66
Definitio gratiæ gratis datæ proponitur. ibid. 60.
Gratia gratis data non ſempèr differentitativè à gratia gratum faciente. ibi.
Sapientia intenſivè maior non eſt gratia gratis data. ibid. 65.
Gratia gratis data poteſt concurrere ad eliciendam contemplationem ſupernaturalem, illuſtrando dona. ibid. 70.
Scientia per ſe infuſa non eſt gratia gratis data: ſed ſpectat ad gratiam gratum facientem. ibid. 75. & 77.

GVSTVS.

Contemplatio ſeraphica ex conceptu contemplationis Religioſæ procedit ex guſtu, & affectuoſitate myſtica. 23 21.

H

HABITVS.

Habitus non perficiens intellectum, & quantùm ad obiectum, & modum, licèt in eo ſubiectetur, non eſt virtus intellectualis. 20. 4.
Principium ſupereminentis contemplationis eſt ſecundùm ſe habitus, ſed communicatur per modum diſpoſitionis. ibid. 16.
Spiritus Sancti dona ſunt habitus, & ut tales nobis conferuntur. ibid. 18.
Matrimonium ſpirituale viæ conſiſtit in habitu, & cur. ibid. 24.
Habitus infuſus perfectior eſt acquiſitis ratione originis, & illius propterquod datur: habitus verò acquiſitus perfectior eſt infuſo quoadmodum habendi, & perficiendi. ibid. 38.
Scientia per ſe infuſa eſt habitus valdè propinquus lumini gloriæ. ibid. 77.
Lumen propheticum non eſt habitus. ibid. 31. & D. 21. 14.
In Chriſto Domino fuit habitus ſcientiæ infuſæ. 21. 27.
Habitus ſcientiæ infuſæ non fuit communicatus B. V. Mariæ. ibid. 34
Habitus, & actus non opponuntur directè, ſed indirectè. 22. 13.
Vnio habitualis ſpiritualis matrimonij non eſt propriè habitus, ſed actus. 25, 34.
In quo ſenſu actus eſt perfectior habitu, & è contra. ibid 37.
Habitus dotis *viſionis* quis ſit. ibid. 45. & ſequentibus.
Quis etiã ſit habitus dotis *fruitionis*. ibi.

HOMO.

Nulli homini fuit communicata habitualitèr ſcientia infuſa. 21. 33.
Impoſsibile eſt homini ſecundùm hanc vitam eſſentiam Dei videre ſine miraculo tam permanentèr, quàm tranſeuntèr. 22. 2. & 3.
Homo, & Angelus viatores nequeunt Deum intuitivè videre; ſed ob motiva diverſa. ibid. 10.
Deus ut homo eſt animarum Sponſus. 24 21.
Deus in incarnatione exaltavit omnes creaturas, non in ſe ipſis, ſed in homine. 26. 124.
Homo poteſt cognoſcere certitudinalitèr eſſe in gratia. ibid 125. & ſeq.

Potest dum viator supremos Angelos excedere in amoris intẽsione. ibid. 179
Asserere absolutè, quòd homines non assumuntur ad Angelorum choros, vel quòd decimum chorum Angelis inferiorem constituunt, sapit hæresim. ibid. 179. & 185.
Homini non datur gratia secundùm naturam, & cur. ibid. 187.
Nullus homo tenetur emittere propositum Seraphicum. 27. 46.

HVMANITAS.

Absurdum est dicere, quòd ab omnibus, & semper contemplanda est Christi Domini humanitas. 26. 77. & sequentibus.
Aliud est, hanc SS. humanitatem contẽplari, & aliud, quòd sit ostium, & via ad contemplationem. ibid. 78. & 80
Humanitas Christi Domini est obiectum secundarium divinæ contemplationis. ibid. 83.
Contemplationi Perfectorum non obest hæc SS. humanitas: est que absurdum asserere, quòd anima proprio studio debet ab ea segregari. ibid. 86.
Obiectum contẽplationis, in qua anima ad spirituale matrimonium elevatur, est Christi Domini humanitas. ibid. 88.
S. M. N. Theresia flebat, dolebat que; quia aliquandò rata fuit, hanc SS. humanitatem obesse posse suæ contemplationi. ibid. 91. & sequentibus.
Hoc ipsum traditur à Mystic. N. Doctore. ibid. 96.
Quid speciale sit in humanitate Christi Domini ut non obsit contemplationi, ostenditur. ibid. 106.
Modus, quò à Perfectis humanitas Christi Domini assumitur cõtemplanda, proponitur à S. Theresia. ibid. 112

HVMILITAS.

Humilitatis actus, cæteris paribus, est perfectior, quò maior est, qui se humiliat. 26. 28.
Quæ sit vera, & sincera humilitas. 28. 71.
Est humilitas perfecta, & imperfecta. ibid. 94.

I

IACOB.

Iacob Deum contemplatus est contemplatione supereminenti. 20 6.
Prodigium fuit, quòd tunc non expirasset. ibi.
Aliqui auttumant, ipsius contemplationem fuisse facialem. ibid. 77

ILLAPSVS.

Multiplex est Dei illapsus in creaturis 23. 15.
Illapsus Dei in animas Perfectorum non est infundendo in eis novam gratiam, sed præexistentem corroborando. ibid 16.
Illapsus Dei per sui præsentiam requiritur necessariò, ut unio fruitiva celebretur. ibid. 18. & sequentibus.
Vt intellectus seraphicè contempletur, debet supponere illapsum Dei in voluntatem. ibid. 21.
Illapsus Dei in intellectum antecedit illapsum in voluntatem: sic autem non est in illapsu Dei in animas perfectorum. ibi.
Nequit Deus in se ipso à voluntate degustari sine isto illapsu. ibi.
Illapsus Dei in animam, dum mysticè desponsatur, est propriè communicatio. 24. 20.

IMMENSITAS.

Deus est præsens omni creaturæ triplici præsentia ratione immensitatis. 23. 45.
Deus animæ, ei ratione unionis fruitivæ copulatæ, est intimè, & physicè præsens præsentia diversa ab ea, quàm habet ratione immensitatis. ibid. 51.
Vt sit Deus cognitus, & amatus speculativè, sufficit eius præsentia in anima ratione immensitatis: non verò ut sit cognitus, & amatus perceptivè, & experimentalitèr. ibid. 64.
Quòd Deus sit in iusto per immensitatem, non est, quòd iustus habeat Deum sed quòd iustum habeat Deus. ibid. 96.

IMPERFECTIO.

Propositum Seraphicum dirigitur ad vitandas imperfectiones, & quas. 27. 25 & seq.

Lex

Lex præceptiva non violatur per imperfectionem: benè autem lex consiliativa. ibi.
Imperfectio & est negativa, & privativa, & privativa est multiplex. ibi.

INCIPIENS.

Incipientium statum quæ circunstent. 23. 62.
Etsi gratia contemplationis, aliæ que incipientibus conferantur, non ut constitutivæ status conferuntur. 28. 68.
Status incipiẽtium tripartitur in incipiẽtium, proficientium, & perfectorum. ibid. 55.
In via unitiva sunt etiam incipientes, proficientes, & perfecti. ibi.
Incipientes nequeunt Theresianum votum emittere. ibid. 57. & 61.

INTELLECTVS.

Habitus non perficiens intellectum quã tum ad obiectum, & modum, licèt in eo subiectetur, non est virtus intellectualis. 20. 4.
Lumen propriè intellectuale illustrat intellectum absolutè, & non ut subsțat voluntati. ibi. & 5.
Capacitas obedientialis intellectus reducitur ad actum per activum supernaturalis per intellectum agentem, & quomodò. 21. 5.
Scientia infusa perficit intellectum, ut cognoscat more Angelorum. ibid. 11
Intellectus Christi Domini ab omni imperfectione privativa fuit immunis. ibid. 30. & sequentibus.
Nequit intellectus in Deum immediatè ferri, sivè præsupponatur peccatum, sivè non. 22 9.
Vt intellectus seraphicè contempletur, debet supponere illapsum Dei in voluntatem. 23. 21.
Licèt unio fruitiva cũ præcisione sumpta solius voluntatis sit: non sic considerata dicit intellectus unionem. ibid. 23.
Vnio fruitiva actualis consistit in intellectus, & voluntatis actibus. ibid. 26.
Implicat unio fruitiva sine voluntate unita: non verò sine intellectus unione. ibid. 96.
Vide plura verbo *Vnio* & *Voluntas*.

V. IOANNA FREMIOT.

V. Ioanna Francisca Fremiot Fundatrix Ordinis Visitationis B. V. Mariæ votum Seraphicum emisit. 28. 104.

D. IOANNES A CRVCE.

In eius sententia P. N. Elias ante raptum Deum vidit. 22. 35.
Dum D. Ioannes à Cruce dicebat: *Domine pati, & contemni pro te*, labores in præmium exoptabat. 23. 80
Docet animæ in esse duplex cauterium, & quod. 24. 39.
Matrimonium spirituale explicat, & encomijs honorat. 25. 11.
In quodam Monialium locutorio sedens vi impulsus animam absorventis corpus, & sedem in aera levavit. ibid. 79
Etiam docet, quod extra tempus quietæ contẽplationis debet contemplativus serio, & ex proposito auxilium quærere in sanctis meditationibus. 26. 80. & sequentibus.
Asserit, humanitatem Christi Domini non obesse contemplationi cohærentèr ad doctrinam Almæ Theresiæ. ibid. 97.
Extat. Parens asserens, quemlibet discursum obesse contemplationi, explicatur. ibid. 98.
Apertè tradit, quòd humanitas Christi Domini habet aliquid speciale, ut non obsit contemplationi Perfectorum. ibid. 106.
Iuxta Extat. Parentis N. doctrinam debet contemplativus purgare memoriam sensitivam à formis imaginarijs: & intellectivam à notitijs rerum creatarum. ibid. 108.
Verum amicitiæ amorem non dari absque concupiscentia amati planè docet. ibid. 159.

S. P. N. IOSEPH.

In terris vivens Deum facialitèr contemplatus fuit. 22. 29.
Si sic Deum contemplatus fuisset, aliquid perfectionis veluti defuisset B. V. Mariæ. ibi.
Super omnes Angelorum choros pièrè creditur sublimatus. 26. 83.

IVRAMENTVM.

Vide verbo *Votum*.

IVSTITIA.

Est secunda inter Virtutes Cardinales. 25 72.

Eius diffinitio traditur. ibi.

Iustitia sumitur pro collectione omnium virtutum, & pro virtute determinata: isto que secundo modo correspondet doti *impassibilitatis*. ibi.

IVSTVS.

Deus dupliciter queit cognosci à iusto, ut inhabitans in ipsius anima. 23. 55

Deus est in anima iusti speciali modo ut in templo. ibid 57. & 58.

Iusti beatitudo est duplex. ibid. 70.

Quomodò Deus in anima iusti est per gratiam, explicatur. ibid. 81.

Quatuor præcisè modis Deus est in anima iusti. ibid. 91 & sequentibus.

Quòd Deus sit per immensitatẽ in anima iusti non est Deum habeat iustus, sed quòd Deus iustum habeat. ibid. 96.

Præter unionem, qua Deo iustus unitur, medijs donis gratiæ, habet aliam duplicem unionem affectivam. 24. 38.

Dotes corporis iusto in matrimonio spirituali consummato communicatæ quæ, & quantæ sint. 25. 61. & sequentibus.

Queit iustus aliquibus horis sine peccato veniali esse. 26. 5. & 14.

Iustus habet respectum ad Dei gratiam, & ad propriam miseriam, & quomodò circa utranque se gerat. 27. 42.

Inter difficilia, quæ iusto occurrere possunt, difficiliora sunt opera perfectionis. ibi.

Nõ omnis iustus est proximè idoneus ad emittendum propositum Theresianũ. ibid. 60.

Iustus potest emittere votum Seraphicum, & quomodò. 28. 46. & sequentibus.

L

LEX.

Lex est & consiliativa, & præceptiva. Et per quæ istæ leges violantur. 27. 26.

Lex nova est difficilis ex se: per gratiam verò facilis. ibid. 43

Lex nova est veteri difficilior ex parte interiorum actuum: vetus verò difficilior novà ex parte exteriorum. ibi.

Sunt Perfecti à lege exteriori obligante: & sunt Perfecti à lege interiori. 28. 9

Perfectus à charitate obligatur ad melius operandum à lege interiori: emittens verò votum Seraphicum à lege interiori præcipiente. ibid. 10.

LIBERALITAS.

In materia liberalitatis & gratiæ non est acceptio Personarum. 24. 10.

LIBERTAS.

Servitus ad Deum est maxima libertas: non autem servitus ad hominem. 24 4

Desponsatio mystica non est dabilis sine libertate. ibid. 17.

Matrimonium spirituale consummatum est sine libertate: non verò matrimonium ratum. ibid. 18.

Deficiente libertate, non datur desponsatio mystica, adhùc impropria. ibid. 19.

LVMEN.

Lumen intellectuale, non eoipsò, quòd tale sit, necessarium ad salutem est. 20. 4.

Fides non est propriè lumen intellectuale. ibi.

Principium supereminentis contemplationis est lumen actuale, quò Deus mentem illustrat. ibid. 15.

Ex quo venanda est quidditas specifica huius principij. ibi.

Hoc lumen est secundùm se habitus; sed communicatur per modum dispositionis. ibid. 16.

Hoc lumen est perfectius donis. ibid. 22.

Lumen transiens ex natura sua non confertur nisi pro unico actu: potest verò dari pro pluribus. ibid. 36. & 37.

Lumen ex se clarius in manifestando, & efficacius in penetrando superat ex genere suo omnia lumina minùs clara, & efficacia. ibid. 48

Quando lumen infusum species intelligibiles coordinat ad supereminentem contemplationem, ostenditur. ibid.

Species imaginariæ elevatæ à lumine præter naturam, cuius sunt species, alia mira repræsentare queunt. ibid. 97. & 98.

Hæc rerum varia repræsentatio est ex intimis specierum; & lumine cognoscitur. ibid. 99.

LVMEN PROPHETICVM.

Non petit ex se claram notitiam obiecti, nec *quoad quid est*, nec quoad *an est*, 21. 15.

LVMEN GLORIÆ.

Scientia per se infusa est habitus valdè propinquus lumini gloriæ. 20.77

Visio beata transiens provenit à lumine gloriæ transeunti. 22. 14.

Habitus luminis gloriæ incompatibilis est cum actu fidei: non verò habitus fidei cum actu luminis gloriæ in esse dispositionis. ibi.

Si suspenderetur visio beatifica, maneret anima Deo unita habitualitèr radicalitèr mediâ gratiâ: & habitualitèr proximè medio lumine gloriæ, & charitate. 23.25

Fides est vicaria luminis gloriæ in infallibilitate. 25.54.

M

MAGNANIMITAS.

Est & acquisita, & infusa: infusa que bipartitur in sensitivam, & spiritualem. 27. 13.

Magnanimitas spiritualis subiectatur in voluntate prout est eminentèr irascibilis. ibi

B. V. MARIA.

B. V. Mariæ non fuit communicatus habitus scientiæ infusæ. 21. 34.

Communicata verò ei fuit scientia infusa transeuntèr: sed frequentiùs, ac perfectius quàm alijs: imò fuit in ipsa B. V. Maria aliquod participium scientiæ iuxtà habitualitèr ibid. 38.

B. V. Mariæ contemplatio fuit phantasmatibus imperceptibilibus. ibid. 50.

Habuit sapientiam Theologicam sibi infusam permanentèr. ibid. 51.

Vidisse Deum apud nos adhùc degentem valdè probabile est, & pium, 22. 23.

Est stella maris, & Apostolorum fuit Magistra. ibid. 25.

Adfuit, & præfuit Consilio Hierosolimitano, & alijs conventibus privatis Apostolorum. ibid. 26.

B. V. Mariæ matrimonium spirituale in hac vita consistebat in actu. 25. 38.

Omnia venialia vitavit ex privilegio nulli, nisi ei, concesso. 26 3 & 19.

Corporalis præsentia Christi Domini contemplationem B. V. Mariæ perficiebat. ibid. 120.

B. V. Maria omnes Angelos collectivè sumptos excedit in gratia, amore, & gloria. ibid. 183.

Habuit Angelum Custodem. ibid 193

Votum Seraphicum non emisit. 28. 110

Habuit verò omnium emittentium votum istud perfectionem. ibi.

MARTYRIVM.

Martyrium reducitur ad quatuor virtutes, & quæ sint. 28. 22.

Votum Seraphicum includit martyrij votum; ideo que isto perfectius est. ibid. 40.

Votum Theresianum compararur martyrij actui in multis. ibid 60. & 61.

Incipientes in via spirituali & qui in peccato mortali sunt queunt martyrium subire: non verò votum Theresianum emittere, & in quo sensu. ibid. 61.

In quibus conveniunt actus martyrij & votum Theresianum, & in quibus differunt. ibi.

MATRIMONIVM SPIRITVALE.

Beatitudo inchoata obtinetur ab anima in matrimonio spirituali. 20. 24.

Matrimonium spirituale in via consistit in habitu: in patria verò in actu. ibi. & 30.

Perfectus inijt cum Deo matrimonium ratum: Beatus verò consummatum. 23. 29.

Servitus ad peccatum impedit spirituale matrimonium: non verò servitus ad hominem. 24. 4.

Inter matrimonium, & desponsationem mysticam stat purgatio ignis. ibid. 25

Desponsatio mystica ad mysticum matrimonij immediatè disponit. ibid. & 6.

Anima beata contrahit propriè matrimonium mysticum cum Deo. 25. 2. & sequentibus.
In matrimonio carnali dos conceditur sponsæ quoad dominium, & sponso quoad usum: pariformitèr que in spirituali. ibid. 4.
In hoc matrimonio dos datur à Patre Sponsæ, qui est SS. Trinitas. ibid. 5.
Anima viatoris elevabilis est ad contrahẽdum matrimonium cum Deo. ibid. 7. & sequentibus.
In tertio gradu unionis fruitivæ celebratur spirituale matrimonium. ibid. 8.
Inter Matrimonium spirituale, & desponsationem triplex discrimen assignatum ab Alma Theresia. ibid. 10.
Eadem alma Doctrix comparat hoc matrimonium luci, & in quo. ibi.
Matrimonium hoc est status altior, ad quem in hac vita potest homo pervenire. ibid. 11. & 15.
Matrimonium hoc in via non est ratum; nisi prout non consummatum. ibid. 14
Viator in statu spiritualis matrimonij, si esset verè, & propriè matrimonium, non posset peccare. ibid. 15. & præcipuè 23.
Eius dotes sunt incompatibiles cum statu viæ. ibid. 16
Matrimonium Christi Domini cum Ecclesia est verum matrimonium ratum: non verò consummatum. ibid. 18.
Matrimonium spirituale non petit ex se nec titulo condecentiæ confirmationem in gratia. ibid. 24.
Status huius matrimonij non est propriè status. ibi.
Contemplatio in unione huius spiritualis matrimonij in via est summum actionis contemplativæ. ibid. 31
Licèt aliàs perfectior sit unio actualis, quàm habitualis, in hoc matrimonio contrarium evenit. ibid. 33
Vnio hæc habitualis spiritualis matrimonij non est habitus, sed actus. ibid. 34.
Matrimonium spirituale viæ est participatio consummati in patria; & in quibus participat. ibi.
Celebrato matrimonio spirituali manet anima realitèr Deo unita. ibid. 37.
Matrimonium spirituale B. V. Mariæ in hac vita consistebat in actu, & cur. ibid. 38.
In matrimonio spirituali conferuntur aliquomodò animæ dotes. ibid. 43.
Quos effectus hoc matrimonium causat in anima. ibid. 47.
Corpus viatoris elevati ad matrimoniũ spirituale non habet inchoativè, & imperfectè dotes corporis glorioſi. ibid. 65. & sequentibus.
Obiectum contemplationis, in qua anima ad spirituale matrimonium elevatur, est humanitas Christi Domini. 26 88.
Vide alia verbo: *Desponsatio, & Sponsalitium.*

MEDITATIO.

Quæ sit meditationis materia. 26. 77.
D. Ioannes à Cruce docet, quod extra tempus contemplationis debet contemplativus seriò, & ex proposito auxilium quærere in sanctis meditationibus. ibid. 80. & 81.

MEMORIA.

Quomodò activè purganda, ut contemplationis puritati non obstet. 26. 106.

MENDACIVM.

Leve non est peccatum grave in viro perfecto etiam publico. 26. 25. & sequentibus.
Perfectus mendacium proferens intra lineam venialis gravius peccat, quàm alij. ibid. 30. & 38.
Nihil est in mendacio incompatibile cũ perfectione, quod paritèr non sit in alijs culpis. ibid. 31.
D. Augustinus fuit summè oppositus mẽdacio. ibid. 38.
Mendacium officiosum habet plus de ratione mendacij, quàm iocosum: sed habet minus de mali ratione. ibid. 40
Prædicator mendacium proferens in veritatis explicatione peccat mortaliter: non verò si circa minutissima sit, & accidentalia. ibid. 41

MERITVM.

Vnio fruitiva ebria mereri à nobis quit absolutè: non verò ex conditionibus meriti, 23. 103.

Non

Non est venandum ex celsitudine, quòd res sub meritò cadat, sed ex quo. ibi.
Meritò suppositò, Deus animam favoribus ditans non est acceptor Personarum. 24. 10.

MOYSES.

Deum contemplatus est contemplatione supereminenti. 20. 8.
Dum superstes Deum facialitèr vidit. 22 37.

MORS.

Mors sumitur pro reali separatione formæ à materia, & pro separatione animæ à sensibilibus. 22. 15. & D. 24. 15.
Prima ex his requiritur ad Deum clarè videndum: secunda verò sufficit ad Deum clarè transeuntèr in via videndum. ibid. 16.
Vnio fruitiva dicitur *languor*, *& mors*. 23. 43.
Matrimonium ratum, & consummatum est indissolubile nisi per mortem; & quà unumquodque. 25. 15.
Mors appetitur à Perfectis amore concupiscentiæ: non verò amore amicitiæ, 26. 161.

N

NATVRA.

Angelis data est gratia secundùm naturam: non verò sic data est hominibus, 26. 187. & 188.

O

OBEDIENTIA.

Obedientia Religiosa est sufficiens, perfecta, & indiscreta. 28. 13.
Votum Theresianum est votum obedientiæ. ibid. 16. & 21.
Et est obedientia perfecta & perfectissima, & quæ sint. ibid. 23.
Cur votum Theresianum votum obedientiæ dicitur, fusiùs ostenditur. ibi. & 24.
Obedientia perfecta est illimitata quoad substantiam. ibid. 23. & 24.
Quid addat obedientia perfectissima supra perfectam proponitur. ibid. 92.

OBIECTVM.

Obiectum motivum repræsentat speciem ex natura sua: terminativum verò etiã ex elevatione repræsentat. 20. 96.
Ens naturale non est obiectum principale scientiæ infusæ, sed ens supernaturale. 21. 10.
Lumen propheticum non petit claram notitiam obiecti, nec quoad *an est*, nec quoad *quid est*. ibid. 15.
Obiectum primarium scientiæ infusæ est solus Deus evidentèr cognitus quoad *an est*. ibid. 17.
Contemplatio Seraphica ex conceptu *Seraphicæ* respicit obiectum ut gustatum & attactum à voluntate in seipso. 23 21.
Humanitas Christi Domini est obiectum secundarium contemplationis Divinæ. 26. 83.
Diversitas inter obiectum primarium, & secundarium. ibi.

OPERATIO.

Dona Spiritus Sancti nequeunt exire in extraordinarias operationes sine Spiritus Sancti illustratione. 20. 21.
Hæc dona duplicitèr concurrunt ad iustã operationes. ibid. 22.
Quomodò operationes dicantur Divinæ. 26. 16.
Omnis operatio humana, & Angelica est imperfecta negativè: non verò privativè. 27. 23.
Vide verbo *actio*.

P

D. PAVLVS.

Dum superstes Deum vidit facialitèr. 22 37.
Probabile est, D. Paulum reprehendisse D. Petrum, non ex animo, sed simulatoriè. 26. 60.

PECCATVM, & PECCARE.

Servitus ad peccatum impedit matrimonium spirituale: non verò carnale. 24. 4.
D. Petrus volens passionem Domini impedire, non peccavit. 26. 49.

PECCATVM MORTALE.

Mendacium leve non eſt peccatum grave in viro perfecto, etiam publico. 26 25. & ſequentibus.
Circunſtantia, quæ facit de veniali mortale, hoc non facit, ut circunſtantia, ibid. 27. & 29.
Circunſtantiæ augentes præciſè malitiam præcedentem non faciunt de veniali mortale. ibid.
Prælatus peccans cum ſubditis venialitèr tranſire queit illud veniale in mortale ex circunſtantia Prælati: non verò ſi peccet cum alijs ovibus. ibid. 30.
Qui mortalia ſingula vitare queit, poteſt & omnia. 27. 36
Contemnere conſilia eſt peccatum mortale. ibid. 48. & ſequentibus.
Non quilibet contemptus eſt peccatum grave, ſed ſolùm Dei contemptus. ibid. 57.

PECCATVM VENIALE.

Peccatum veniale eſt in triplici differentia. 26. 1.
Venialia omnia diviſivè vitari poſſunt ſine ſpeciali privilegio. ibi.
Etiam que collectivè ſumpta, ſi reſtringatur ad ſpeciale genus. ibi
Pelagius, & alij hæretici aſſerunt, omnia venialia collectivè ſumpta vitari poſſe ſine ſpeciali gratiæ privilegio per totam vitam. ibid. 2.
Oppoſitum verò eſt de fide. ibid. 3. & ſequentibus.
Fomes non ligatus eſt principium committendi venialia. ibid. 7.
Sine venialibus nec Apoſtoli diù manſerunt. ibid. 8.
Iuſtus per aliquas horas queit ſine venialibus eſſe: & per quantas. ibid. 5 & 14
Peccatum veniale non frequens, & ex indeliberatione denominat Perfectũ *imperfectum ſecundumquid*. ibid. 16. & 34.
Peccatum veniale habituale, & actuale ex plena deliberatione pugnat cum ſtatu Perfectorum. ibid. 17. & 34.
Hoc docet Alma M. Noſt. Thereſia. ibi.
A quo provenit, quòd venialia vitet iuſtus. ibid. 18.
In ſtatu naturæ ſanæ non poterat homo veniale committere, quin mortalitèr peccaret. ibi.
B. V. Maria vitavit omnia venialia ex ſingulari privilegio. ibid. 3. 4. & 19.
Circunſtantiæ augentes præciſè malitiam non faciunt de veniali mortale. ibid. 27. & 29.
Peccatum veniale compatibile cum Perfectorum ſtatu neminem ſcandalizat. ibid. 35. & 73.
Votum vitandi omnia venialia ex plena deliberatione eſt validum. 27. 29.
Ardens Dei amore vitare queit omnia venialia ex plena deliberatione ſine gratiæ ſpeciali privilegio. ibid. 31.
Hoc intelligitur de venialibus ex genere, & ex parvitate materiæ. ibid. 32.
Et hoc fieri poteſt per totam vitam. ibid. 33.

PELAGIVS.

Vide verbo antecedenti.

PERFECTIO.

Abſolutum mortis deſiderium eſt imperfectio moralis cum perfectione pugnans. 26. 163
Inter difficilia, quæ iuſto occurrere poſſunt, difficiliora ſunt opera perfectionis. 27. 42.
Alij ſunt Perfecti per opera charitatis & alij per ſtatum perfectionis. 28. 9.
Votum Thereſianum continet omnium votorum perfectionem. ibid. 12.

PERFECTVS.

Illapſus Dei in animas Perfectorum non eſt per infuſionem novæ gratiæ, ſed roborando præexiſtentem. 23 16.
Illapſus Dei in intellectum prior eſt, quàm illapſus in voluntatem: ſed è contra in animabus eſt Perfectorum. ibid. 21.
Perfectus inijt cum Deo matrimonium ratum ad differentiam Beatorum. ibid. 29.
Vnio fruitiva, quæ Perfectorum eſt propria, duplicitèr contingit. ibid. 41.

Da-

Datur beatitudo ſupernaturalis viæ, quà fruuntur Perfecti. ibid. 71.
Fruitio Dei, quam experiuntur Perfecti, perfectiſsima eſt in ſuo ſtatu. ibid. 76.
Peccatum veniale non frequens, & ex deliberatione denominat Perfectum *imperfectum ſecundumquid*. 26. 16. & 34.
Quomodò Perfectorum operationes dicantur *divinæ*. ibid. 16
Peccatum veniale habituale pugnat cum ſtatu Perfectorum: etiam que actuale ex plena deliberatione: non verò peccatum veniale ex indeliberatione. ibid. 17. & 34.
Perfectus pro pluribus accipitur, & pro quibus. ibid. 22.
Mendacium leve non eſt peccatum grave in viro perfecto, etiam publico. ibid. 25. & ſequentibus.
Perfectus mendacium proferens intrà lineam venialis graviùs peccat, quàm alij. ibid. 30.
Peccatum veniale compatibile cum ſtatu Perfectorum neminem ſcandalizat: benè verò pecatum incompatibile. ibid. 35.
Cum Perfectorum ſtatu incompatibilis eſt ſcurrilitas adhùc levis. ibid. 39.
Perfectus nequit propriè ſcandalizari. ibid. 44. & ſequentibus.
Perfecti inhærent ſuis Prælatis, quatenùs iſti Chriſto Domino inhærent, & nō alitèr. ibid. 46.
Ex inordinatis verbis aut factis aliorum, etiam Prælatorum, Perfecti magis firmantur in bono. ibid. 47
Perfectus nequit venialitèr peccare ex ſcandalo: benè verò ex infirmitate propria. ibid. 51
Perfectus in actibus exterioribus queit impediri: non verò in interioribus. ibi.
Scandalum activum reperiri nequit in Perfectis. ibid. 53. & ſequentibus.
Perfectus eſt *ſal*, & *lux* ibid. 54.
Peccata venialia Perfectorum tam levia ſunt ut ſcandalizādi virtutem nequeāt habere. ibid. 75.
Inducere ad Religionem, quæ à ſua perfectione receſsit, eū, cui relaxatio eſt ignota, non eſt opus Perfecti ibid 74.
Contemplationi Perfectorum non obeſt Sanctiſsima Chriſti Domini humanitas. ibid. 86. & ſequentibus.
Modus, quò Santiſsima humanitas à Perfectis aſſumitur contemplanda proponitur ab Alma M. N. Thereſia ibid. 112.
Corporalis præſentia Chriſti D. contemplationem Apoſtolorum impediebat, quia nondùm erant Perfecti. ibid. 120.
Perfectus, dum actuali unione fruitur, certitudinalitèr ſcit, ſe habere gratiam. ibid. 129 & ſequentibus.
Perfectorum ſtatui non opponitur amor concupiſcentiæ. ibid. 154. & ſeq.
Perfecti nequeunt Deum non amare amore concupiſcentiæ. ibid. 155.
Mors appetitur a Perfectis amore concupiſcentiæ: nō verò amicitiæ. ibid. 161.
Perfecti tenentur ad Deum concupiſcendum, ſed non ſemper. ibid. 162.
Perfectus non eſt, qui quærit mercedem ut finem ultimum, niſi ſit, ut ultimus inter creatos, medio quo coniungatur con ultimo fine. ibid. 169.
Amor concupiſcentiæ conveniens eſt Perfecto, non ſolùm cum adverſitatibus quatitur, ſed cum rogo divino amburitur. ibid. 173
Illuminatio Perfectorum præſtare ſolet illuminationi Angelorum. ibid. 184.
Alij ſunt Perfecti à charitate: alij verò à ſtatu. 28. 9.
Perfecti ex ſtatu non tenentur ad faciendum quod melius eſt: benè verò perfecti à charitate. ibi.
Perfectus tenetur ad meliùs operandum ex lege interiori inclinante: emittens verò votum Seraphicum à lege interiori præcipienti. ibid. 10.
Votum Thereſianum nuncupare non poteſt, niſi qui perfectus eſt, & intra Perfectorum claſſem Perfectiſsimus. ibid. 54. & ſequentibus.
In qualibet via ſpirituali ſunt incipiētes, proficientes, & Perfecti. ibid. 55.
Gratias conſtitutivas ſtatus Perfectorum non elargitur Deus Incipientibus, & Proficientibus: ſed alias. ibid. 68.

Perfectus habens votum faciendi quod perfectius eſt, ſi advertentèr omittat, non perfectus, ſed imperfectus iam eſt. ibid. 120

D. PETRVS.

Volens paſsionem Domini impedire nō peccavit. 26. 49.

Dum ſcandalum Chriſto Domino præbuit, non erat Perfectus. ibid. 57. & 58.

Probabile eſt, D. Paulum cum reprehendiſſe, non ex animo, ſed ſimulatoriè. ibid. 60.

D. Petrus in obſervatione legalium, ob nimiam obſervationem peccavit venialitèr; & hoc ex infirmitate carnis. ibid. 61.

PHANTASIA.

Cognoſcit directè ſingularia. 26. 110.

PHANTASMA.

Contemplatio, quæ eſt à ſcientia infuſa habitualitèr impertita, eſt à phantaſmatibus independens: ſi verò eſt à ſcientia infuſa tranſeuntèr communicata, poteſt eſſe, & non eſſe. 21 5.

B. V. Mariæ contemplatio fuit imperceptibilibus phantaſmatibus. ibid. 50.

Tempore unionis fruitivæ anima contemplatur ſine adumbratione phantaſmatum, vel ſaltim imperceptibili. 23. 109.

POTENTIA.

Habitus nō petit egredi à potentia, cuius eſt. ibid 108.

Tempore unionis fruitivæ actualis omnes animæ potentiæ Deo aliquandò uniuntur; aliquandò verò non. 23. 104.

Non eſt credibile, quòd Deus uniatur animæ peccatrici unione totali omnium potentiarum, vel partiali, ſi ad totalem ſequatur. 26. 130

PRÆDICATOR.

Qui mentitur in veritatis explicatione, miracula falſa evulgans, vitas Sanctorum fingens, peccat mortalitèr. 26. 41.

Non verò mortalitèr peccat, ſi quoad aliqua horum accidentalia mentitur, ibi.

PRÆDESTINATVS.

Extra revelationem, nedum infallibili, ſed nec morali certitudine excludente prudentem timorem, de æterna ſua ſalute firmari nemo poteſt. 26. 147.

PRÆLATVS.

Peccans venialitèr cum ſubdito, committere poteſt mortale ex circunſtantia Prælati: non autem ſi peccet cum alijs ovibus. 26. 30.

Perfecti inhærent ſuis Prælatis, quatenùs iſti inhærent Chriſto Domino, & non alitèr. ibid 46.

PRINCIPIVM.

Principium, quod ob ſui celſitudinem nobis non communicatur per modum habitùs, perfectius eſt illo, quod per modum habitùs communicatur. 20. 1.

Principium ſupereminentis contemplationis quod ſit. ibid. 15

Inter hoc principium, & dona quæ ſit differentia. ibid 21

Nulla gratia gratis data eſt principium ſeraphicæ contemplationis. ibid. 41. & ſequentibus.

PRIVATIO.

Quomodò prudentèr eſt eligibilis præ bono poſitivo. 27. 12.

Quà ratione in actu humano ſcientèr elicito poteſt dari privatio rectitudinis ſine peccato. ibid. 25.

PRIVILEGIVM.

Omnia peccata venialia diviſivè ſumpta vitari poſſunt ſine ſpeciali gratiæ privilegio. 26. 1.

Non poteſt verò venialium collectio vitari per longum tempus ſine ſpeciali gratiæ privilegio. ibid 3.

Iuſtus ardens Dei amore queit vitare collectionem venialium ex plena deliberatione abſque gratiæ ſpeciali privilegio. 27. 31.

PROFICIENS.

Proficientium ſtatus explicatur. 23 62.

Proficiens peccata venialia ex habitu nō committit. 26. 17.

In omni via ſpirituali ſunt incipientes, proficientes, & Perfecti. 28. 55.

Proficientes in via unitiva nequeunt emittere votum Thereſianum. ibid. 57.

Ne-

Nequeunt que habere actus nobilissimos erga Deum. ibid.& 58.
Gratias constitutivas status Perfectorum non elargitur Deus Proficientibus;sed alias. ibid. 68.

PROPHETA.

Non dicitur talis ab aliquo habitu, sed à deputatione Divina. 20. 2.
Propheta non est, cui species imaginariæ infunduntur sine veritatum cognitione. ibid. 100.
Cui verò infunditur veritatum cognitio est verè Propheta. ibi.

PROPHETIA.

Sub Prophetia comprehenditur discretio spirituum. 20 34.
Prophetia nequit consistere in habitu. ibid 31. & D. 21. 14.
Obiectum prophetiæ primarium quod sit. 21. 16.
Est gratia gratis data. ibid. 17. & D. 20. 28.

PROPOSITIO.

Propositio hæc : *Diligo Deum propter Deum*, habet diversos sensus, & quos. 26. 169.

PROPOSITVM SERAPHICVM.

Propositum *Seraphicum*, & *Theresianum* à S. Theresia dicitur. 27. 2.
Definitur à N. Hermanno. ibid 6.
Propria huius propositi definitio proponitur, & explicatur. ibid. 7 & sequentibus.
Propositum Seraphicum est actus voluntatis, ut præsupponit cognitionem finis. ibi.
Est summè arduum, & fermè vires excedens. ibi.
Omnium consiliorum, & præceptorum materiam, & etiam omnia alia proposita comprehendit. ibi.
Per propositum Seraphicum proponitur vitare omnia venialia, & imperfectiones voluntarias : non verò, quæ sunt ex subrectione, aut subitis motibus. ibid. 8.& 26
Propositum de nunquàm absolutè peccãdo non est Seraphicum, sed ridiculum. ibi. & 14.
In quo Propositum distinguitur à voto Seraphico; proponitur. ibid. 11.
Ad propositum Seraphicum faciendum requiritur non quælibet magnanimitas, sed spiritualis. ibid. 13.
Res minùs perfecta in esse entis, & perfecta in æstimatione potest esse materia huius propositi. ibid. 14
Est hoc propositum nobis possibile. ibid. 17.
Ad hoc propositum implendum nulla specialis gratia requiritur, aut, privilegium. ibid 22
Per propositum Seraphicum vitantur imperfectiones privativæ : non vero negativæ. ibid. 23.
Dirigitur ad vitandas imperfectiones, & quas. ibid. 24.
Anima Deum ardentissimè diligens, illi que in omnibus vehementissimè complacere desiderans, hoc propositum emittit. ibid. 26.
Observatio propositi Seraphici est ex se difficilis. ibid. 37 & sequentibus.
Propositum hoc emittens debet in omnibus conformari cum voluntate Dei. ibi.
Hoc que diversis scripturis comprobatur, & insuper authoritatibus. ibid. 37 & sequentibus.
Propositum Seraphicum, etsi sit habenti difficile, suave est, & amatur. ibid. 42.
Nullus tenetur emittere propositum Seraphicum. ibid. 46. & sequentibus.
Non omnis iustus est proximè idoneus ad illud emittendum. ibid. 60.
Non est proximè aptus ad Seraphicum propositum emittendum, qui non eligat priùs mori, quàm venialiter peccare. ibid. 61
Quando iustus est ad illud emittendum idoneus, ostenditur. ibid. 64
Votum Seraphicum proposito Seraphico correspondet. 28. 6.
Qui votum Theresianum emitteret proposito Seraphico non præmisso, imprudenter ageret. ibid. 48.
Propositum Seraphicum non obligat ad culpam; ideò que facilius est voto. ibid. 75.

Votum Thereſianum non addit ſupra propoſitum difficultatem aliquam moralem. ibid. 47. & 75.

PRVDENTIA.

Eſt nobiliſsima inter Virtutes Cardinales, omnium que caput. 25. 69.
Prudentiæ definitio traditur. ibi.
Quæ ſint huius virtutis integralia, oſtenditur. ibid. 71
Eſt dos doti claritatis reſpondens. ibi.
Minus perfectum quandoquè perfectiori præponit. 27. 15

PVRGATIO.

Medians inter ſponſalitium myſticum & matrimonium conſiſtit in amore vehementi. 24. 25.

Q

QVALITAS.

Dotes animæ propriè, aut impropriè ſumptæ, ſunt qualitates permanentes 25. 65. & 66.

R

RAPTVS.

Deſponſatio myſtica eſt quidam raptus, & quis ſit. 24. 27. & 28.

RELATIO.

Tertia animæ dos, quæ eſt *conprehenſio*, dicit in recto relationem voluntatis ad Deum ut præſentem. 25. 50.

RELIGIO.

Inducere ad Religionem, quæ à ſua perfectione receſsit, eum, cui talis relaxatio eſt ignota, non eſt opus Perfecti. 26. 74
Religio eſt actus perfectionis habendæ. 28. 16.
Quæ obedientia promittitur in Religione, oſtenditur. ibi.
Habens votum Thereſianum, & profitens in Religione, reddit illud ſolemne. ibid. 19.
Si omnes Religioſi votum Thereſianum emitterent, ſi eſſet iuxta eandem regulã, fieret ex omnibus unica Religio: non verò ſi illud emitterent iuxta regulas diverſas, ibid. 29.
Quid habens votum Thereſianum, ſi in Religione profiteatur, promittat. ibid. 33.
Ex vi huius voti tenetur quis in Religione profeſsionem perfectiorem emittere. ibid. 35.
Non verò tenetur Religionem perfectiorem ingredi. ibid. 36
Per vota ſolemnia Religionis caſſantur, etiam ipſo nolente, omnia vota anteà emiſſa, excepto voto Thereſiano, ibid. 31. & præcipuè 36. & ſequentibus.
Non eſt in ſæculo tanta aptitudo ad obſervationem voti Thereſiani quanta in Religione. ibid. 38.

RELIGIO VIRTVS.

Actus orationis elicientiã improprià à virtute Religionis. 20. 30.

RELIGIOSVS.

Non tenetur facere ea, quæ perfectiora eſſe intelligat. 27. 50.
Religioſus emittens votum Thereſianum non abſolveretur à ſuis votis, ſed perfectiùs ligaretur. 28 19
Impoſsibile eſt, quòd omnes Religioſi emittere poſsint hoc votum. ibi.
Si omnes Religioſi emitterent votum Thereſianum, ſi iuxta eandem regulam, ex omnibus fieret unica Religio: ſi verò iuxta diverſas, non eſſet Religionum confuſio. ibi.

REVELATIO.

Seclusà revelatione, nequit homo ſcire certitudinaliter, ſe eſſe in gratia. 26. 126.
In unione actuali fruitiva ineſt animæ revelatio de ſua gratia. ibid. 136.

S. ROSA AMERICANA.

Eam Dominus ſponſam appellabat. 24. 10.

S

SAPIENTIA.

Sapientia, & ſcientia non ſunt gratiæ gratis datæ, ſed dona. 20. 51
Dupliciter que poſſunt augeri intenſivè, & extenſivè: primo modo ordinantur ad perfectionem habentis: ſecundo verò ad aliorum. ibid. 63 & 64

Sa-

Sapientia maior intensivè non est ad salutem necessaria. ibid. 65.
Sapientia extensivè maior exprimit munus gratiæ gratis datæ. ibid. 68.
B. V. Maria habuit sapientiam Theologicam ei infusam permanentèr, & quid ista sit. 21.51

SCANDALVM.

Et est activum, & passivum. 26.42.
Definitur scandalum activum. ibi.
Quid sit passivum ostenditur. ibid. 43.
Scandalum passivum dividitur in Pharisæorum, & Pusillorum. ibi.
Perfectus nequit propriè scandalizari. ibid. 44. & sequentibus.
Scandalum passivum etiam est propriè, & impropriè tale. ibid. 48.
Scandalum activum non semper infert passivum. ibid. 50. & 52.
Perfectus nequit venialitèr peccare ex scandalo accepto. ibid. 51
Ex scandalo activo gravi interdùm inducitur passivum leve; & interdum è contra. ibid 52.
Scandalum activum reperiri nequit in Perfectis. ibid. 53. & sequentibus.
Plus repugnat perfectioni scandalum activum, quàm passivum. ibi.
Scandalum activum veniale, & est formalitèr tale, & materialitèr. primum nequit causari à perfectis: benè verò secundum. ibid. 56.
Perfectus nequit scandalizari secundùm veram rationem scandali: habere verò queunt quandam apropinquationem ad scandalum. ibi.
D. Petrus, dum scandalum Christo Domino præbuit, non erat perfectus. ibid. 57.
Dum verò peccavit ob nimiam observationem legalium, non dedit scandalum & cur. ibid. 62. & 63.
Venialia Perfectorum tam levia sunt, ut nequeant scandalum causare. ibid. 73.
Scandalum activum non contrariatur passivo. ibid. 75.
Quæ sit scandali activi ratio formalis, ostenditur. ibid. 75.

SCIENTIA.

Scientia, & sapientia non sunt gratiæ gratis datæ: benè verò *sermo scientiæ*, & *sapientiæ*. 20. 51.
In Beatis permanent scientiæ naturales. 21. 7.

SCIENTIA INFVSA.

Contemplatio supereminens est actus elicitus à scientia infusa. 20. 75. & sequentibus.
Scientia infusa non est gratia gratis data; sed spectat ad gratiam gratum facientem. ibi. & 77.
Est habitus valdè propinquus lumini gloriæ. ibid.
Scientia infusa non continetur sub donis. ibid 79.
Per hanc scientiam potiùs quàm per dona Christus Dominus omnia cognoscibilia cognovit. ibid. 80.
Fides Theologica perfectior est scientia infusa. ibid. 82
Contemplatio supereminens elicitur principalitèr tanquam à virtute elicienti a fide infusa, ut elevata per scientiam infusam. ibid. 83
Datur scientia per se infusa. 21. 1. & sequentibus.
Scientia potest infundi per se, & per accidens. ibi.
Christus scientiam infusam habuit. ibid. 5.
Contemplatio, quæ est à *scientiâ* infusâ habitualitèr impertità est à phantasmatibus independens: si verò sit à transeuntèr communicata potest esse, & non esse à phantasmatibus independens. ibi
Scientiæ naturales perficiuntur ab infusa. ibid. 7.
Per scientiam infusam, præter Deum clarè visum, omnia entia naturalia cognoscuntur modo supernaturali. ibid. 9 & 10.
Ens naturale non est obiectum principale huius scientiæ: sed ens supernaturale. ibi.
Scientia naturalis non est de singularibus: benè verò scientia per se infusa. ibid. 11.

Scien-

Scientia infusâ perficit intellectum, ut cognoscat more Angelorum. ibi.
Per eam cognoscuntur cogitationes cordium, & futura contingentia. ibid. 12
Scientia infusa dicit positivè evidentiam Dei quoad *an est*. ibid. 15
Obiectum eius primariũ est solus Deus cognitus evidẽtèr quoad *an est*. ibid. 16.
Per scientiam infusam Christus Dominus cognovit omnia à se cognoscibilia elevatiori modo, quàm per alia principia. ibid. 18.
Hæc scientia est cognoscitiva omnium entium creatorum supernaturalium. ibid. 19.
Per scientiam infusam cognoscitur Deus author supernaturalis evidentèr evidentiâ quoad *an est*; non solùm ut unus, sed ut trinus. ibid. 20
Contemplatio à scientia infusa proveniens *sapit suavius gustatur rarius, & intelligitur difficilius*. ibid. 21.
Hæc verba sũt scientiæ infusæ definitio. ibi
In Christo Domino fuit habitus scientiæ infusæ. ibid. 27. & sequentibus.
Licèt omnia entia supernaturalia cognita fuerint à Christo in Verbo, & omnia naturalia lumine intellectus agentis, si omnia non cognovisset in se ipsis per scientiam infusam, imperfectus fuisset intellectus ipsius. ibid. 31.
Nulli hominum communicata fuit unquàm habitualitèr scientia per se infusa. ibid. 33.
Nec B. V. Mariæ communicatus fuit habitus scientiæ infusæ. ibid. 34.
Vt iste habitus alicui communicetur, duo requirit, & quæ. ibid. 35.
Vnio hypostatica solùm fundat ius ad scientiam per se infusam habitualitèr. ibid. 36.
Animæ B. V. Mariæ communicata fuit transeuntèr scientia per se infusa frequentiùs, ac perfectiùs alijs: imo in illa fuit habitualitèr aliquod participium scientiæ istius ibid. 38.
Habitus scientiæ infusæ compatibilis est cum fide: eo que si alicui concederetur, non eum extraheret à statu viæ, ibid. 49.
Perfectissimis solet Deus quandoquè concedere transeuntèr hanc scientiam. ibid. 52.

SCVRRILITAS.

Opponitur per excessum Eutropeliæ. 26. 39.
Peccans scurrilitate, adhùc levissimâ, non est perfectus. ibi.

SERAPHIM.

Almam Theresiam vulnerans non quilibet Angelus sed Seraph. 24. 43.
Seraphim non dicitur à charitate; sed à charitatis excessu. ibi. & D. 27. 3
Seraph significatur per ignem. ibi

SERVITVS.

Servitus est triplex: ad peccatum, ad hominem, & ad Deum. 24 4.
Servitus ad Deum est maxima libertas, & honorifica nobilitas. ibi.
Servitus ad hominem impedit matrimonium carnale: servitus verò ad peccatum matrimonium mysticum. ibi.

SPECIES.

Omnes gradus supereminentis contemplationis præcisè differunt ex parte specierum. 20. 87. & 90.
Ad supremum gradum concurrunt species puræ intelligibiles: ad tres alios species imaginariæ. ibid. 91.
Species sine elevatione ex natura sua repræsentat obiectum motivum: ex elevatione autem terminativum. ibid. 96.
Species imaginariæ queunt ex elevatione plura, & mira repræsentare. ibid. 97. & 98.
Ostenditur que à quo proveniret hæc nova specierum repræsentatio. ibid. 99.

SPECIES INFVSA.

Cui infundũtur species imaginariæ, & nõ cognitio earum, non est Propheta: cui autem infunditur cognitio earum sine imaginarijs speciebus propheta est. 20. 100.
Cui verò infunduntur species, & veritatum cognitio Propheta est, & præstantior est. ibi.
Cognitio Dei est duplex: una per effectum nobis a Deo infusum, & alia per species à rebus desumptis: utraque cogni-

cognitio medium habet, & quæ ſit perfectior. 22.32.

SPES.

Spes rationem dotis non habet in ſpirituali matrimonio. 25.58

Fides ad abſentia, & præſentia terminatur: ſpes verò ad abſentia præciſè. ibid. 60.

Spes non elicit amorem concupiſcentiæ. 26. 150.

Oppoſitum eſt probabile. ibi.

SPIRITVS SANCTVS.

Dona Spiritus Sancti ſunt habitus. 20 18.

Spiritus Sanctus illapſus fuit in Apoſtolos per ſui præſentiam. 23. 16.

Vide verbo *Donum*.

SPONSA, & SPONSVS.

Datur unio ſponſalitia, quà Deus animam ſibi in ſponſam aſſumit. 24. 1. & ſequentibus.

Quantò perfectius anima Dei ſponſa eſt, tantò vividiùs & ancilla. ibid. 5.

Deus ſit extra ſe, dum ſponſam animam diligit, & quomodò. ibid. 7. & 8.

Deus appellabat ſponſam S. Roſam Americanam. ibid. 10.

Etiam que S. M. N. Thereſiam. ibi.

Anima Chriſti Domini ſponſa Dei eſt impropriè, & cur. ibid. 11.

Quas conditiones debet anima habere, ut in ſponſam aſſumatur. ibid. & 12.

Deus ut homo eſt animæ ſponſus. ibid. 21.

Dici queit, quòd in triduo mortis Chriſti Domini anima perfecta fuit ſine ſponſo propriè tali: & etiam oppoſitum. ibi.

Quod ſponſæ confertur ante nuptias donum eſt, non dos. 25.3.

In matrimonio carnali dos conceditur Sponſæ quoad dominium, & Sponſo quoad uſum: pariformitèr que in ſpirituali. ibid 4.

Dos in matrimonio ſpirituali conceditur à Patre Sponſæ, qui eſt SS. Trinitas. ibid. 5.

STATVS.

Adam ratione ſtatus originalis iuſtitiæ Deum non vidit. 22.30.

In quolibet ex tribus ſtatibus vitæ ſpiritualis eſt via purgativa, illuminativa, & unitiva. 24 24 & D. 28. 55.

Matrimonium ſpirituale eſt ſtatus perfectior, ad quem in hac vita homo pervenire poteſt. 25. 11. & 15.

In hoc ſtatu, ſi eſſet verè, & propriè matrimonium, homo peccare non poſſet. ibid. 15.

Dotes ſpiritualis matrimonij incompatibiles ſunt cum ſtatu viæ. ibid. 16

Adam in ſtatu iuſtitiæ venialiter peccare non poterat. ibid. 24. & D. 26. 18. & 19.

Status ſpiritualis matrimonij nõ eſt propriè ſtatus. ibi.

Si matrimonium ſpirituale viæ peteret ex ſe donum confirmationis in gratia, eſſet verè & propriè ſtatus. ibi.

Nullius hominis ſtatus propriũ eſt emittere propoſitum Seraphicum. 27. 46. & ſequentibus.

Ex Perfectis alij ſunt à charitate, & alij ex ſtatu. ibid. 9.

Perfecti ex ſtatu non tenentur ad faciendum quod melius eſt, ibi.

D. STEPHANVS.

Deum contemplatus eſt contemplatione ſupereminenti. 20. 9.

Morti proximus non vidit Deum intuitivè. 22.38.

Eius nomen idem eſt ac norma veſtra. 28. 106.

Fuit primus Martyr. ibid.

SVAREZ.

Ponens in B. V. Maria habitum ſcientiæ infuſæ impugnatur. 21.55

T

THEOLOGIA MYSTICA.

Vnio fruitiva dicitur Theologia myſtica. 23.43.

S. M. N. THERESIA.

Fuit prædita contemplatione ſupereminenti; & hoc non ſemèl. 20. 12.

In hac contemplatione, & ſimilibus viſionibus habuit evidentiam *in atteſtante*. ibid. 13.

Dum dicebat: *Pati aut mori*, non unum ex duobus petebat: ſed ludibria, & labores; quæ niſi reciperet, morerétur. 23. 80.

Deus Almam Thereſiam ſponſam appellabat. 24. 10

Per vulnus cordis non fuit Chriſto Domino deſponſata; ſed poſtmodùm. ibid. 39.

Illo aureo, & flammeo iaculo cor eius non præciſsè fuit vulneratum, ſed traiectum. ibid. 40

Eleganti carmine hoc vulnus almæ Thereſiæ encomiatur à N. Phillippo à SS. Trinitate. ibi

S. Thereſiam vulnerans non quilibet Angelus, ſed Seraph. ibid. 43.

Cor Thereſiæ mortuæ movetur in Deum. ibi.

Ignis cor ipſius reddidit idoneum ad ſponſalitium. ibi

Triplex diſcrimen ex S. Thereſiæ mente inter deſponſationem, & ſpirituale matrimonium proponitur. 25. 10.

Clavus à Chriſto Domino ei elargitus non fuit dos. ibid. 21.

Alma Thereſia docet, animam Deo unitam in matrimonio ſpirituali peccare poſſe. ibid. 23.

Etiam docet, peccatum veniale habituale, & actuale ex deliberatione pugnare cum ſtatu Perfectorum: non verò veniale actuale proveniens ex indeliberatione. 26. 17

Eadem Alma Doctrix aſſerit, obiectum contemplationis, in qua anima ad ſpirituale matrimonium elevatur, eſſe humanitatem Chriſti Domini. ibid. 88

Eadem dolebat, quia aliquandò tenuit opinionem; quod humanitas Chriſti Domini obeſſe poterat ſuæ contemplationi. ibid. 91.

Cohærentia huius doctrinæ cum doctrina N. Extat. Doctoris demonſtratur. ibid. 97. & ſequentibus.

Modus, quo humanitas Chriſti Domini à Perfectis aſſumitur contemplanda, egregiè ab Alma Thereſia proponitur. ibid. 112.

Luculentèr affirmat, quòd contemplationem Apoſtolorum corporalis præſentia Chriſti Domini impediebat: & contemplationem B. V. Mariæ perficiebat. ibid. 120.

Dum Alma Thereſia docet, animam peccatricem aliquibus favoribus à Deo perfundi, explicatur, & vindicatur. ibid. 131.

Illuſtria Almæ Thereſiæ teſtimonia circa certitudinem, quam habet anima de ſua gratia in unione fruitiva proponuntur & explicantur. ibid. 129. & 140.

Ad emittendum votum Seraphicum Alma Thereſia nos invitat. 28. 49.

Quò motivò ducta hoc votum emiſsit. ibid. 62.

Non emiſsit votum Seraphicum, niſi ſemèl, & iterùm à Deo edocta; & ad eius nuncupationem ſuperiori impulſu vocata. ibid. 74.

Votum Seraphicum emiſsit, obtentâ priùs à ſuo Generali licentiâ, & cum Magiſtri ſpiritualis ductu. ibid. 76.

Bis hoc votum emiſsit, & quo tempore. ibid. 87.

Alma Thereſia reprehendit ſuum fratrem; quia fecerat votum de non peccando venialitèr. ibid. 95

Eadem affirmat, ſe votum Seraphicum emiſsiſſe: ſed modeſtiſsimè affirmat. ibi.

Fuit prima, quæ votum Seraphicum nuncupavit: & N. Hermannus hoc negans impugnatur. ibid. 99. & ſequentibus.

Poſt Seraphicam Thereſiam aliqui votum Seraphicum emiſſerunt, & qui. ibid. 104. & ſequentibus.

Licèt Chriſtus Dominus emiſsiſſet votum Seraphicum, adhuc Thereſia Sancta eſſet prima, & quomodò. ibid. 106.

Singulariſsimum Almæ Thereſiæ eſt encommium, quòd poſt ipſam aliqui votum Seraphicum emiſſerint. ibid. 115.

Votum Seraphicum præciſsè aliqui ante Almam Thereſiam emiſſerunt & poſt fortè plurimi: votum verò Seraphicum ſeraphicè ante almam Thereſiam nullus, & poſt rariſsimus. ibid. 116.

Stem-

Stemmata, quæ pro ſuo voto S. Thereſia acquiſivit, proponuntur. ibid. à 121 uſque in finem.
Vide alia verbo *Propoſitum Seraphicum*.

N. V. THOMAS A IESV.

Emiſsit votum Seraphicum. 28. 105.

V

VELVM.

Velum, quo anima à dulcedine gloriæ præpeditur eſt triplex, & quod. 27. 7.

VERITAS.

Perfectus eſt conſervator veritatis, & omnium virtutum. 26. 32
Prædicator, aut Magiſter in Theologia, qui mentitur in veritatis explicatione quoad ſubſtantiam, mortaliter peccat: non verò ſi mentitur quoad minutiſsima, & accidentalia. ibid. 41.

VIA.

In omni via ſpirituali dantur Incipientes, Proficientes, & Perfecti. 24. 22.

VIATOR.

Viator elevari queit virtute Divina ad intuitivam Dei contemplationem, ſed hoc ſolùm tranſeuntèr. 22. 12. & ſequentibus.
Adam dum viator Deum non vidit ex ſpeciali privilegio. ibid. 31.
Iuſtus viator fruitur Deo in re habito, quem etiam habet in ſpe. 23. 70.
Anima viatoris eſt elevabilis ad contrahendum matrimonium ſpirituale cum Deo: ſed ipſius matrimonium eſt tantùm æquivocè, & imperfectè. 25. 7.
Viator in ſtatu huius matrimonij, ſi eſſet propriè tale, peccare non poſſet. ibid 15.
Viatoris matrimonium ſpirituale conſiſtit in habitu. ibid 30. & ſequentibus.
Corpus viatoris elevati ad ſpirituale matrimonium non habet inchoativè, & imperfectè dotes corporis glorioſi. ibid. 65. & ſequentibus.
Homo viator poteſt excedere ſupremos Angelos in amoris intenſione. 26. 179

VIRTVS.

Quæ ſit diſtinctio inter virtutes purgatorias, & purgati animi. 23. 71. & D. 28. 56.
Quatuor dotes corporis glorioſi correſpondent quatuor virtutibus cardinalibus. 25. 68.
Virtus dividitur in politicam, purgatoriam, & purgati animi. ibid. 69. & D. 28. 56.
Diviſum verò non eſt virtus utcumquè, ſed cardinalis. ibi.
Prudentia eſt nobiliſsima virtus inter cardinales. ibid. 69.
Iuſtitia eſt ſecunda inter cardinales. ibid. 71.
Iuſtitia ſumitur & pro collectione omnium virtutum, & pro determinata. ibi.
Tertia inter Cardinales virtutes eſt fortitudo: & quarta temperantia. ibi. 73
Perfectus eſt conſervator veritatis, & omnium virtutum. 26. 32.
Martyrium reducitur ad quatuor virtutes & quæ ſint. 28. 22.
Recta ratio eſt medium virtutis moralis. ibid. 52.
Charitas eſt mater, radix, & forma omnium virtutum: eſt que virtus generalis, & generalis perfectio virtutum omnium. ibid. 72.

VISIO BEATIFICA.

Viſio beata tranſiens non opponitur fidei habitui. 22. 13.
Triplex Dei viſio excogitabilis eſt: corporalis, comprehenſiva, & quidditativa: prima, & ſecunda nobis ab intrinſeco implicant: tertia verò partim eſt nobis poſsibilis, & partim impoſsibilis. ibid. 17.
Viſio beata tranſeuntèr conceſſa eſt gratia gratum faciens. ibid. 25.
Mag. P. N. Elias in paradyſo interdùm viſione Divina fruitur. ibid. 34.
Si per poſsibile ſuſpenderetur viſio beatifica maneret anima Deo vnita habitualitèr radicalitèr, mediâ gratiâ; & habitualitèr proximè, mediâ charitate. 23. 25.

VITA ACTIVA, & CONTEMPLATIVA

Vita contemplativa plurimos actus habet, & quos. 25.31

Actus vitæ activæ etiam ad contemplativam spectant. ibi.

VNIO HYPOSTATICA.

Est, quæ solùm fundat ius ad scientiam per se infusam. 21.36.

Vnio Beatorum, licèt sit identitas, non est perfectior unione hypostaticà: quia illa est *secundumquid*; ista verò simplicitèr talis. 26.124

VNIO FRVITIVA.

Datur unio fruitiva animæ cum Deo. 23. 1. & sequentibus.

In hac unione anima rapit, & rapitur, stringit, & stringitur, & una uni per amoris copulam sociatur. ibid.7.

Duplicis unionis amor est causa: una est affectiva, & alia realis: affectiva est copulans: realis verò ut copulare appetens. ibid.9.& 11.

Vnio fruitiva formalitèr attinet ad voluntatem. ibid. 14.

Quid necessariò requiritur, ut unio fruitiva celebretur. ibid.21

Vnio fruitiva potest sumi actualitèr, & habitualitèr, & quid utroque modo dicat, proponitur. ibid 24

Vnio fruitiva habitualis radicalis consistit in gratia dicente modum, à quo perfecta redditur: proxima verò consistit in charitate eundem modum dicente: similitèr que in fide, & donis. ibid. 25.

Vnio fruitiva actualis in quo consistit. ibid. 26. & 27.

Vnio fruitiva actualis viæ transit: habitualis verò permanet. ibid.28

Quotuplex sit unio animæ cum Deo ostenditur. ibid.32

Vnio fruitiva dividitur in sobriã, & ebriã, & quæ sint. ibid.35.

In potestate voluntatis est unionem sobriam habere; non verò ebriam, & cur. ibi.

Vnionis fruitivæ gradus triplex, & qui. ibid. 39 & sequentibus.

In duobus ex his gradibus procedit anima per affirmationem; in alio verò per negationem. ibi.

Vnio, quæ propria Perfectorum est, duplicitèr contingit. ibid.41

Vnionis fruitivæ alij tres gradus proponuntur. ibid.42. & D.24 29.

Isti verò non sunt propriè gradus. 24. 29. & 30.

Theologia mystica dicitur unio fruitiva. 23.43.

Dicitur etiam unio hæc *sapientia*, & *Dei diviniſsima cognitio*. ibi.

Dicitur sponsatio Dei, & animæ. ibi.

Etiam dicitur *osculum*. ibi.

Dicitur que *Languor*, & *mors*. ibi.

Dicitur *silentium*, *somnium*, & *pax*. ibi.

Alia plura, & pulchra nomina referuntur. ibid.

Deus animæ in unione fruitiva copulatæ est intimè, & physicè præsens præsentia diversa ab ea, quam habet ratione immensitatis, & quæ sit. ibid. 51.

Vnio fruitiva cum Deo queit à nobis appeti, & procurari. ibid.101

Non possumus verò ad eam conari, quasi propriâ industriâ habendam, etiam ex auxilio gratiæ. ibid.102

Vnio fruitiva gloriæ absolutè est nobis indebita; ideò que nobis non licet eam procurare, nisi ut præmium, & coronam. ibi.

Vnionem fruitivam sobriam possumus, & tenemur procurare: non verò ebriã. ibi.

Vnio ebria absolutè à nobis mereri potest: non verò ex conditione meriti. ibid. 103.

Hæc unio ebria viæ non est necessaria ad salutem: benè verò ebria gloriæ. ibi.

Tempore unionis fruitivæ actualis aliquandò omnes animæ potentiæ Deo uniuntur: aliquando verò non. ibid. 104.

Implicat unio fruitiva sine voluntate unità: non verò sine intellectus, aut alterius facultatis unione. ibi.

Vnio fruitiva nequit dari sine extasi. ibid 105.

Tempore unionis fruitivæ anima contemplatur sine adumbratione phantasmatum, vel saltim imperceptibili. ibid, 109. Ani-

Anima in unione fruitiva eſt libera. ibi.
In hac unione præcipuum eſt actus voluntatis. ibi.
Datur unio ſponſalitia, qua Deus animam ſibi in ſponſam aſſumit. 24 1.& ſequentibus.
Eſt que durabilior, quàm unio ante deſponſationem. ibid.25.
Deſponſatio myſtica celebratur in ſecundo gradu unionis fruitivæ. ibid.31
Vnio fruitiva perfecta habet gradus ut beatitudo eſt, & unio eſt: non verò unio fruitiva minùs perfecta. ibid 37.
In primo, & ſecundo gradu eoſdem effectus habet: ſed in ſecundo perfectiori modo. ibid.38.
Vnio fruitiva ex conceptu talis eſt effectiva: ſed in primo, & ſecundo gradu impropriè; & citò tranſit: in tertio verò gradu propriè, & permanet. ibi.
Quare per cordis vulnus anima diſponitur ad ſponſalitiam unionem, explicatur. ibid.44
In tertio gradu unionis fruitivæ celebratur ſpirituale matrimonium. 25.8.
Contemplatio habita in unione ſpiritualis matrimonij viæ eſt ſummum actionis contemplativæ. ibid.31
Vnio actualis, licèt aliàs perfectior ſit habituali, in ordine ad ſpirituale matrimonium perfectior eſt habitualis. ibid.33.
Vnio hæc habitualis non eſt propriè habitus, ſed actus. ibid.34.
Non eſt ebria, vel ſobria; ſed quæ ſit, oſtenditur. ibi. & 35.
Perfectus, dum actuali unione fruitur, certitudinalitèr ſcit, ſe habere gratiam. 26. 129 & ſequentibus.
Hæc doctrina firmatur authoritate S. M. N. Thereſiæ. ibi.
B. Angela de Fulgino experientiâ ſuâ idem docuit. ibid.132.
In tali unione eſt probabile, quòd anima eſt certitudinalitèr conſcia de ſua gloria. ibid. 134.& 135.
In iſta unione ineſt animæ revelatio de ſua gratia. ibid. 136.
Tranſacta unione actuali, anima non cognoſcit certitudine infallibili, ſed ſolùm conjecturali, ſe habere gratiam. ibid.139.
Hoc probatur teſtimonijs Almæ M. Noſt. Thereſiæ. ibid. 140.

VOLVNTAS.

Queit volũtas ferri immediatè in Deum independentèr omninò à præſuppoſitione peccati. 22.9.
Vnio fruitiva formalitèr ſumpta attinet ad voluntatem. 23.14
Vt intellectus ſeraphicè contempletur, debet ſupponere illapſum Dei in voluntatem. ibid. 21.
In omnibus illapſibus præſupponitur illapſus intellectus illapſui in volũtatẽ: in illapſu verò Dei in animas Perfectorum è contra accidit. ibid.
Contemplatio ſeraphica ex conceptu *Religioſæ* debet procedere ex guſtu voluntatis: ex conceptu verò *Seraphicæ* reſpicit obiectum ut à voluntate guſtatum, & attactum in ſe ipſo. ibi.
Vnionem fruitivam ſobriam eſt in poteſtate voluntatis habere: non verò unionem ebriam. ibid.35.
Implicat unio fruitiva ſine voluntate Deo unita. ibid. 104.
Propoſitum Thereſianum eſt actus voluntatis, ut præſupponit cognitionem finis 27.7.
Magnanimitas ſpiritualis in voluntate ſubiectatur, prout eſt eminenter iraſcibilis. ibid.13.

VOLVNTAS DIVINA.

Habens propoſitum Seraphicum debet in omnibus conformari cum voluntate Divina. 27.37.

VOTVM.

Votum vitandi omnia venialia ex deliberatione plena eſt validum. 27.29.
Materia propria voti, ut votum eſt, eſt res conſilij: non verò neceſsitatis. 28. 3.
Quod ſit votum propriè, & impropriè dictum. ibid.4.
Vovens materiam aliàs præceptam, & adimplens ex duplici capite meretur. ibi.
Materiam aliàs præceptam reducit votum ad claſſem Religionis. ibi.

Ma-

Materia aliàs præcepta, prout voti eſt, conſilij eſt, licèt non ſimplicitèr. ibi.
De ratione eſſentiali voti eſt ratio vinculi incompletè talis: traditio verò convenit, quia ſolemne. ibid. 28.
Votum ſolemne ex ſe, & ab intrinſeco eſt ſolemne: formula verò, quà ſolemnizatur, eſt ab Eccleſia. ibid. 29.
Eccleſia nequit diſpenſare in votis ſolemnibus Religioſis. ibi.
Demptò unò ex tribus vōtis Religioſis, non remanet ſtatus Religioſus. ibid. 30.
Vota ſimplicia emiſſa in Societate Iesv ſunt diſpoſitiones ad ſolemnia: & etiã in eis eſt non-nulla ſolemnitas ibid. 32
Ante vota difficilia, & ardua præmittendum propoſitum rei talis eſt: non verò ante facilia, & communia. ibid. 48. & 75.
Alma M. N. Thereſia reprehendit ſuum fratrem; quia emiſſerat votum de nunquàm peccando venialitèr. ibid 95.
Quæ ſit differentia inter iuramentum, & votum, oſtenditur. ibid. 107
Qui ſint effectus voti, proponitur. ibid. 110.
Vide alia verbo ſequenti.

VOTVM SERAPHICVM.

Votum Seraphicum, & *Thereſianum* à S. Thereſia dicitur. 27. 2.
Seraphicum dicitur, quia inter omnia vota in eo Dei amor ſpecialiſimè fulget. ibid. 3.
Ipſius definitio. 28. 1.
In quo convenit, & differt ab alijs votis explicatur. ibid. & 2.
Ad votum ſufficit, quòd promiſſum ſit in genere determinato bonum: ad ſeraphicum verò requiritur, quòd ſit de meliori bono abſolutè. ibid. 5.
Votum Seraphicum comprehendit materiam obſervandam, & modum obſervationis. ibid. 6.
Votum hoc correſpondet propoſito Seraphico. ibi.
Votum Seraphicum non dividitur in commune, & particulare, & cur ibid. 8.
Non eſt ſolemne, ſed ſimplex. ibi.
Nequit eſſe negativum; ſed præciſè affirmativum. ibid. & 20.
Nequit eſſe conditionatum; ſed abſolutum. ibi.
Eſt mentale, & queit eſſe vocale. ibi.
Nequit eſſe pœnale. ibi.
Non eſt reale, vel perſonale: ſed mixtum. ibi.
Queit eſſe temporale, & perpetuum. ibi.
Emittens votum Seraphicum tenetur ad id quod melius eſt operandum ex lege interiori præcipiente ad differentiam aliorum Perfectorum. ibid. 10.
Votum Thereſianum continet perfectionem omnium votorum. ibid. 12.
Materia ipſius eſt diverſa ab aliorum votorum materia. ibi.
Si votum Seraphicum in profeſsione Religioſa emitteretur, eſſet ſolemne. ibid. 14. & 15.
Votum Thereſianum eſt votum obedientiæ, & cuius. ibid. 16. & 22.
Eſt innegabile, quòd votum Thereſianum emitti queit in profeſsione Religioſa. ibid. 16
Vt emittatur in profeſsione Religioſa, debet eius amplitudo determinari ad certam regulam. ibid. 17.
In concurſu huius voti alia vota ſuperfluunt materialitèr: non verò formalitèr. ibid. 19.
Adveniente voto Thereſiano, non abſolvitur Religioſus à tribus votis; ſed perfectiùs eis ligatur. ibi.
Habens votum Thereſianum, & in Religione proffitens, non tranſit de maiori ad minorem; ſed de minori ad maiorem. ibi.
Eſt impoſsibile, quòd omnes in Religione emittant votum Thereſianum. ibi.
Si omnes Religioſi emitterent votum Seraphicũ iuxta eandem regulam fieret ex omnibus unica Religio: ſi verò iuxta diverſas, non eſſet Religionum confuſio. ibi.
Votum Thereſianum eſt maximum inter omnia vota. ibid. 21. & ſequentibus.
A quibus principijs eſt maximum oſtenditur. ibid. 23 & 72.
Cur votum Thereſianum ſit maximum, & obedientiæ votum ſuſiùs oſtenditur. ibi, & 24.

Votum ſolemne excedit Thereſianum in eſſe ſolemnis: eminet autem illi Thereſianum in eſſe voti. ibid. 27. & 31.
Votum Thereſianum eſt irritabile, & diſpenſabile - commutabile verò non eſt ex parte materiæ. ibid. 30.
Quid habens votum hoc, ſi in Religione proffiteatur, promittat. ibid. 33
Ex vi voti Seraphici tenetur in Religione proffitens profeſsionem perfectiorem emittere. ibid. 35.
Non verò tenetur Religionem perfectiorem ingredi. ibid. 36.
Per vota ſolemnia Religionis caſſantur omnia vota temporalia, ſeu particularia ante emiſſa, exceptò voto Thereſiano. ibid. 31. & præcipuè 36.
Non eſt in ſæculo tanta aptitudo ad obſervationem voti Thereſiani, quanta in Religione. ibid. 38.
In voto Thereſiano includitur votum martyrij: & ideò eſt iſto perfectius. ibid. 40. & 60.
Poteſt iuſtus emittere votum Seraphicum. ibid. 46 & ſequentibus.
Qui votum Thereſianum emitteret propoſito Seraphico antea non emiſſo, imprudentèr ageret. ibid. 48. & 75.
Ad emittendum votum Seraphicum invitat nos Alma Thereſia. ibid. 49.
Votum Thereſianum non eſt obnoxium ſcrupulis. ibid. 51.
Medium voti iſtius non eſt quantitas promiſſa: ſed recta ratio. ibid. 52.
Votum Seraphicum, licèt ſit novum, eſt contentum in Sacra Scriptura, & quomodò. ibid. 53.
Votum Thereſianum nuncupare non poteſt, niſi Perfectus, & intra Perfectorum claſſem Perfectiſsimus. ibid. 54. & ſequentibus.
Incipientes, & Proficientes non poſſunt illud emittere. ibid. 57.
Æ quiparatur votum Thereſianum actui martyrij in multis. ibid. 60.
Et in quo ab actu martyrij diſcriminatur. ibi.
Quo motivo ducta Alma M. N. Thereſia hoc votum emiſsit, oſtenditur. ibid. 62.
Votum Seraphicum appellatur Angelicum, & uſque ad ſtuporem mirum. ibid. 63.
Voti Thereſiani elogia multa proponuntur. ibi. & ſequentibus.
Præter perfectiſsimam charitatem plura alia requiruntur, ut votum Thereſianum emittatur. ibi. 73 & ſequentibus.
Ad voti Seraphici emiſsionem præcedere debet matura, & ſeria virium emittentis conſideratio. ibi. & 78.
Etiam que ſpecialiſsimus Dei impulſus ſemèl, & iterùm vocantis animam ad eius nuncupationem. ibid. 74. & præcipuè 79. & ſequentibus.
Præcedere etiam debet Seraphicũ propoſitum, & ipſius diuturnum, & ſedulum exercitium. ibid. 75
Votum Seraphicum non addit ſupra propoſitum difficultatem aliquam moralem. ibid.
Etiam debet præcedere facultas à ſuperiori obtenta, & directio ſpiritualis Magiſtri. ibid. 76. & 82.
Votum Thereſianum nuncupari queit verbo, ſcripto, aut mente: & emittendi illud non eſt determinata formula. ibid. 77.
Aliæ conditiones pro hoc voto emittendo proponuntur. ibi.
Alma M. N. Thereſia bis votum Seraphicum emiſsit; ſeu formavit, & reformavit. ibid. 84. & 87.
Hoc votum ut reformatum remanſit ſine ſcrupulis. ibid. 88
Vt reformatum que omnem ſuam ſublimitatem retinuit; & magnà ex parte nobilius, ac perfectius, quàm priùs fuit. ibi. & 89. & 102.
Non eſt verum, quòd votum Thereſianum non comprehendit res parvæ, ac tenuiſsimæ entitatis. ibid. 90. & 91.
Quid ſub voti Seraphici materia comprehenditur, proponitur. ibid. 92.
Alma M. N. Thereſia affirmat, ſe votum Seraphicum emiſsiſſe: ſed modeſtiſsimè affirmat. ibid. 95
Seraphica Thereſia prima fuit, quæ votum Seraphicum nuncupavit & in quo ſenſu. ibid. 97. & 98.

Im-

Impugnatur N. Hermannus hoc negans. ibid. 99. & sequentibus.
Post Seraphicam Theresiam aliqui votum Seraphicum emisserunt, & qui. ibid. 104 & sequentibus.
Licèt Christus Dominus emisisset votum Seraphicum, adhuc Alma Theresia esset prima, & quomodò. ibid. 106.
Christus Dominus votum Seraphicum non emisit. ibid. 107.
B. V. Maria hoc votum non emisit. ibid. 110.
Nec Apostoli hoc votum emisserunt. ibid. 111.
Singulariſsimum Almæ Theresiæ encommium est, quòd post eam aliqui votum Seraphicum emisserint. ibid. 115.
Votum Seraphicum præcisè aliqui ante Seraphicam Theresiam emisserunt, & post fortè plurimi: votum verò Seraphicum *Seraphicè* ante Theresiam nullus, & post eam rariſsimus. ibid. 116
Quæ sint culpæ, contra quas votum Seraphicum firmat voluntatem in bono, & quomodò ostenditur. ibid 117.
Quæ sit materia gravis, & levis istius voti explicatur. ibid. 118.
Stemmata varia, quæ ob hoc cælestè votum Alma Theresia acquisivit, proponuntur. ibid. à 121. usque in finem.

Z

ZELVS.

S. M. N. Theresiæ Sponsæ Christi Domini fideliſsimæ zelum sui honoris Dominus commendavit. 28. 93.

D.O.M.

LAVS,
HONOR,
&
GLORIA.

****

Amados hermanos mi
velad con mucha diligen
cia en servicio de Dios, y
piensa de ordinario á qué
veniste y por que dexaste
el mundo. Por ventura no
le despreciaste para vivir
á Dios, y ser hombre es-
piritual? Corre pues, con
fervor á la perfeccion,
que presto recibirás el
galardon de tus trabajos